UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00001697 2

GALLOWAY & PORTER
BOOKSELLERS

2/

1e

G. Norwood
St John's College
Cambridge. Feb. 28th 1903.

M. TULLII CICERONIS

TUSCULANARUM

DISPUTATIONUM

LIBRI QUINQUE.

RECOGNOVIT ET EXPLANAVIT

DR. RAPHAËL KÜHNER.

EDITIO QUARTA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

IENAE,

TYPIS ET SUMPTIBUS FRIDERICI FROMMANN.

MDCCCLIII.

PA
6304
T6
1853



EPISTOLA EDITORIS

AD

LUDOLPHUM DISSENIUM,

PHILOSOPHIAE DOCTOREM ARTIUMQUE LIBERALIUM MAGISTRUM,

PROFESSOREM GOTTINGENSEM,

BRITANNIARUM HANNOVERAEQUE REGI A CONSILIIS AULAE.

VIRO CLARISSIMO

LUDOLPHO DISSENIO

S. P. D.

RAPHAËL KÜHNER.

Recordanti mihi iucundissimum illud tempus, quod ego ante paucos annos Gottingae, bonarum artium doctrinarumque nutrice, antiquarum litterarum studiis deditus, transegi, quum alia multa occurrunt, quae animum suavissime afficiant, tum singularis tua, praestantissime vir, benevolentia erga me atque humanitas: quarum ex eo tempore, quo curriculum academicum ingressus fui, tot tam luculenta exstiterunt documenta, ut incredibilis quidam et tui amor et tuarum virtutum admiratio in me excitaretur. Etenim tu is fuisti, qui non solum eorum studiorum, quae praeclaro humanitatis nomine ornantur, ardentissimum mihi amorem inspiravisti ad eaque et recte ingredienda et gnaviter persequenda facem praetulisti, sed etiam in tota studiorum ratione rudis et indocti iuvenis gressum rexisti. Nam, ut omittam publicas scholas, quibus humanitatis disciplinam iuventuti, bonarum litterarum studiosae, tradis, quae norunt omnes quam praestantes sint et fructuosae, contigit etiam mihi, ut interiore quadam tecum coniungerer familiaritatis societate: ex qua quum mecum

reputo quantum perceperim iucunditatis, quot autem quam varios fructus, tum suavissima animus perfunditur laetitia. Quotiescunque enim tecum eram, sermones miscere solebas, in quibus summa gravitas ac severitas miro quodam lepore et iucunditate cumulatae erant. Sive sermone tuo complectebare universae antiquitatis praestantiam, sive versabare in praedicandis explanandisque summis ac vix imitandis virtutibus principum Graeciae poëtarum, ut Homeri, ut Aeschyli et Sophoclis, ut Pindari, sive denique antiquarum linguarum rationem, subtilitatem elegantiamque enucleare et aperire studebas: tanta loquebare alacritate, ut nunquam abs te discederem, quin insatiabili quadam antiquarum litterarum praestantiae cognoscendae ac penitus percipiendae exardescerem cupiditate.

In harum rerum recordatione quum tam multa grata ac iucunda, quibus in memoriam revocandis saepe soleo animum, si forte in magna sane negotiorum multitudine deficiat, recreare atque exhilarare, obversentur, ut, si omnia enarrare velim, verendum mihi sit, ne in latissimum excurram dicendi campum, qui non possit exiguis epistolae terminis circumscribi: tamen unum, in quo maxime te tuumque ingenium admiratus sum, facere non possum, quin verbo attingam. Scilicet quum sermo deferebatur ad Platonem, tum, nescio qua hilaritate et quasi serenitate, quae ex oculis totoque vultu eluceret, perfusus, tanta gravitate, tanto animi ardore, tanto denique orationis flumine verba faciebas, ut de divina illius philosophia divinitus loqui viderere. Quo factum est, ut quum universae philosophiae, tum Platonicae addiscendae desiderium animum caperet flagrantissimum. Platonicae philosophiae studium posthac traduxit me ad Ciceronis, unius omnium Romanorum praestantissimi sapientiae magistri, philosophiam: quae quum multa Platonis decreta asciverit ac sua

fecerit eademque ad illius exemplum egregio dicendi genere expresserit, mira quadam me allexit ad se delectatione.

Posteaquam ante quattuor annos, Gottinga relicta, in lyceo Hannoverano, quod Georgii Friderici Grotefendi, eruditionis fama clarissimi, auspiciis laetissime effloruit, iuventutis antiquarum litterarum studiis imbuendae fingendaeque provinciam suscepi; enixe omnia facienda putavi, ut, quam perfecti et omnibus numeris absoluti veterum scriptorum interpretis, a tua disciplina ductam, cogitatione concepissem speciem, tanquam exemplar mihi proponerem, ad cuius similitudinem, quantum in me esset, totam interpretandi artem dirigerem ac componerem. Itaque in explicandis veterum scriptorum monumentis nihil prius atque antiquius habui, quam ut, a grammatica ratione et linguae ingenio proficiscens, discipulos meos ita instituerem, ut res et sententias, in illis expressas, animo menteque perciperent et ad divinorum illorum antiquitatis ingeniorum praestantiam admirandam suspiciendamque sese erigerent. Sic enim sperabam, fore, ut iuvenes non solum uberrimos ad ingenii animique cultum caperent fructus, verum etiam, quem hac institutione intimo pectore combibissent veterum scriptorum amorem, eodem per reliquam etiam aetatem percussi, humanitatis et elegantiorum litterarum studia colerent earumque lumen ad alias disciplinas ac doctrinas sive accuratius perscrutandas sive etiam clariore luce illustrandas adhiberent.

Itaque iam diu in optatis fuit, ut veteris scriptoris librum, cura mea illustratum, speciminis loco ederem, quo tibi probarem, quam in explanandis veterum scriptorum monumentis insisterem rationem atque viam. Alia atque alia agitabam, plura inchoabam; omnia tamen inchoata reliqui, sive, ut fit, quod nulla mihi coepta profligandi et ad exitum perducendi

imposita erat necessitas, sive quod semper fere tot districtus eram negotiis scholasticis, ut parum suppeteret otii conquirendis eis subsidiis et instrumentis, quae ad scriptoris non plane vulgarem editionem requiri viderentur. Verum, uno amplius exacto anno, a Frommanno, viro honestissimo, rogor, ut, quum divendita essent Ciceronis Tusculanarum Disputationum, a Neidio illustratarum, exemplaria, eiusdem editionis repetendae in me reciperem curam. Quam provinciam sine ulla recusatione et tergiversatione suscipiendam putavi, quod hi ipsi libri, simul ut eos primoribus tantum labris degustavissem, et argumenti gravitate et sententiarum ubertate et dicendi genere, non limato illo quidem et omnibus numeris absoluto, sed facili ac iucundo, ita me allexissent, ut, repetita eis pervestigatis lectione, iam in academia mihi versato eorum editionis aliquando parandae nasceretur cogitatio. Quare factum est, ut, quum nunc ad easdem Tusculanas illustrandas me accingerem, non plane imparatus ad id negotium accederem, praesertim, quum iam ex longiore temporis spatio interiori cuidam Ciceroniani sermonis atque consuetudinis cognitioni comparandae sedulo operam dedissem. Sed tametsi non mediocrem me curam operamque in Tusculanarum explicatione collocasse libere profiteri posse videor; tantum tamen abest, ut partibus susceptis usquequaque satisfecisse me putem, ut non sine magna quadam animi sollicitudine hoc specimen, in quo primum a me veteris scriptoris explicandi et ad criticam exigendi factum est periculum, acerrimo tuo iudicio subiiciam; quanquam spero, fore, ut, quae tua est humanitas, hunc libellum, tanquam grati animi pignus, non tam pretii magnitudine, quam e qua fluxit mentis voluntate metiare atque diiudices.

Verum, ne tibi mirum videatur, quid sit, quod, quum Neidianae editionis repetendae provincia mihi esset demandata, nullum fere ego eius vestigium reliquerim totumque interpretandi genus mutaverim, caussas mihi addere licebit, quibus impulsus diversam viam ingrediendam duxerim.

Scilicet omnem Neidius curam in eo ponendam sibi existimavit, ut „seriem continuatam orationis per singulas disputationis partes investigaret nexumque sententiarum cuivis sectioni praeponeret, digressiones, ad quas philosophus hinc inde abripi se passus esset, diligenter observaret, ita ut iuvenis lector atque nondum satis exercitatus filum disquisitionis nunquam amitteret.“ *) Atque hoc quidem interpretandi genus, in enucleando illustrandoque sententiarum nexu occupatum, tantum abest, ut negligendum videatur, etiam omnis interpretationis fastigium in eo cernitur. Sed quum Neidii commentarius, qui dicitur, fere omnis in proponendis universis argumentis contineretur, rarius interiorem sententiarum nexum attingeret difficiliorumque locorum sententiam expediret, neglectis et praetermissis omnibus, quae ad grammaticae rationem sermonisque Latini proprietatem spectarent: tota illius ratione deserta plane ac derelicta, eam ingrediendam putavi viam, quae et ad accuratiorem librorum intelligentiam plus collatura et iuventutis rationibus magis consultura videretur. Id enim maxime secutus sum consilium, ut editionem pararem, qua praeceptori, Tusculanas discipulis suis explicanti, non solum accuratiore eos horum librorum intelligentia imbuendi et Ciceroniani sermonis consuetudine fingendi et Tullii philosophandi ratione initiandi copia pararetur, sed etiam iuveniles mentes acuendi subtilioribusque instituendis

*) Sunt ipsius Neidii verba in Praefat. p. VI. sq.

persequendisque disquisitionibus assuefaciendi materia suppeditaretur.

Adnotationes nostrae partim versantur in librorum scriptura examinanda et ad criticae normam revocanda, partim in exponendis verbis sententiisque ac rebus aperiendis. Ac primum dicam de critica. Secutus sum cum Neidio recensionem Wolfii, qui, miro ingenii acumine ornatus, exquisitissima Ciceronianae consuetudinis orationisque elegantiae scientia munitus, summa denique criticae facultate instructus, in scripturae integritate restituenda excellenter versatus est. Itaque etsi nonnullis locis in scriptura a Wolfio recepta acquiescere non potui; tamen, quum ea et pauca essent nec eiusmodi, ut elegantissima illa recensio deserenda esset, eam, ne levissima quidem admissa mutatione, nisi quod hinc inde apertissima interpunctionis vitia, quae sententiarum intelligentiae officerent, sustuli, integram repetendam curavi. Magna iam adnotationum mearum parte perscripta, in lucem prodierunt Tusculanae, Orellii diligentia atque acumine recensitae: quam editionem quum eximiis bonis viderem cumulatam et compluribus locis a Wolfiana recensione discrepantem, feci, ut, retractatis quas scripseram adnotationibus criticis, ab initio usque ad finem hanc recensionem cum Wolfiana conferrem et totam variantium scripturarum, ab Orellio enotatarum, silvam, quanta maxima possem diligentia pervestigarem. Nec profecto poenitebat me hanc collationem instituisse, laboriosam illam quidem, sed maximis coniunctam fructibus; nam in perquam multis locis, in quibus prius anceps et dubius haesitaveram, nunc lux mihi accendebatur clarissima.

Iam vero, quum Wolfius in editione sua in imo margine Ernestianae recensionis diversitatem subiecerit, ut uno conspectu intelligeretur, quibus rebus haec sua recensio differret

ab illius, nulla tamen adiecta adnotatione, e qua pateret, qua auctoritate niterentur scripturae a se receptae, operae pretium facturus videbar, si utriusque recensionis, et Ernestianae et Wolfianae, scripturarum auctoritates, diligenter indagatas, quam paucissimis enotarem simulque adderem diversitatem recensionis Orellianae. His scripturis etiam alias insigniores et memoratu dignas addere placuit itemque egregias acutissimorum hominum coniecturas vel suspiciones, ut scilicet praeceptor haberet, quo sagacioris indolis adolescentes criticae quae dicitur coniecturalis elementis initiaret. In enotanda scriptura ita versatus sum, ut plerumque verbo significarem, quid de eis statuendum sentirem, ut discipuli ipsi rationes anquirerent, quibus scriptura aliqua aut probata esset aut reiecta. In multis autem scripturis examinandis longior fui, imprimis in eis, in quibus recedendum mihi videretur ab editorum sententia, eo quidem consilio, ut adolescentibus quasi quandam viam praeirem, quae ingredienda esset ad difficiliores scripturas diiudicandas.

In priscorum poëtarum locis, quibus Cicero philosophiae severitatem gravitatemque exhilarare studuit, ad numerorum leges revocandis etsi maxima cum laude versatum est perspicacissimum Bentleii ingenium, et postea recentiore aetate magnam etiam curam collocavit acies Wolfii, quum aliorum hominum doctorum, tum Hermanni studiis adiuta; tamen, eisdem denuo examinatis, hunc locum non ita complanatum esse intellexi atque perpurgatum, nihil ut dubitationi et emendationi relinqueretur loci. In quo difficili criticae officio paratissimum mihi auxilium praestitit Grotefendi, artis metricae peritissimi, acumen.

Quoniam de critica dixi, nunc de interpretandi genere, quod in explanandis his libris secutus sum, pauca dicam.

Ac primum quidem, quum Tullius academicum philosophandi genus, quod parum cognitum ac perspectum multos iam in errores abstraxit ineptisque de nostro philosopho imbuit opinionibus, secutus sit, nihil mihi, planam adolescentibus ac certam qua in legendis Ciceronis de philosophia scriptis firmo incederent pede viam patefacturo, melius aptiusque visum est, quam si, quae maxime spectare viderentur ad percipiendam recteque diiudicandam Ciceronianam philosophandi rationem, quam brevissime exposita toti libro praemitterem. Iam, quoniam in illustrando libro de philosophia scripto prima ac praecipua interpretis cura in eo posita esse debet, ut et universae disputationis tenor constituatur, et singularum sententiarum nexus enucleetur, singulis Tusculanarum libris quasi quendam conspectum, quo paucis complecti studui, quae longissimis saepe adnotationibus exposuit Neidius, praemisi, tanquam ducem secutus non Ernestium, cuius argumenta, Tullii de philosophia libris praefixa, haud multum sane conferunt ad adiuvandam scriptorum intelligentiam, sed Fr. H. Kernium *), qui in conficiendis Tusculanarum, elegantissime a se in patrium sermonem conversarum, argumentis ita elaboravit, ut tota disputatio ad summa veluti capita revocata uni quasi conspectui subiiceretur. Hac igitur instituta ratione quum ex eis, quae de Ciceronis philosophandi ratione deque singulorum Tusculanarum librorum argumentis exposita sunt, multis impeditis magnisque difficultatibus obstructis locis clarissima lux affundi videretur; tamen in ipsis etiam adnotationibus, ut non solum difficiliorum locorum sententiam aperirem, sed etiam interiorem sententiarum nexum expedirem, quantam possem maximam diligentiam adhibendam putavi. Quod autem multa,

*) Römische Prosaiker in neuen Uebersetzungen. III. IV. V. Bd. Stuttgart 1827.

quae ad accuratiorem rerum ad philosophiam spectantium cognitionem pertinerent, aut ne verbo quidem tetigi aut paucissimis perstrinxi, nemo sane, si, quod in adornanda hac editione secutus fuerim consilium, secum reputaverit, in reprehensionem vocabit.

Reliquae adnotationes continentur fere aperienda explanandaque Ciceroniani sermonis ac consuetudinis vel proprietate vel elegantia. Etenim Cicero et habetur et est is scriptor, qui, quoniam in omni fere litterarum genere monumenta reliquit, quae, ut rerum sententiarumque et gravitate et suavitate et vero utilitate praeclare sese commendant, ita egregio omnibusque numeris ac partibus perfectissimo dicendi genere enitent, tanquam exemplar nobis propositus esse debet, ad quod, tanquam ad normam, Latini sermonis ingenium diiudicemus et omne nostrum imitandi studium conformemus. In primis scripta, quae sunt de philosophia, aequabili quodam et temperato dicendi genere composita, tanta iucunditate, tanto lepore, tot denique orationis veneribus elucent, ut, quanto diutius in legendis eis versatus fueris, tanto maiore detineare delectatione. Quare multum operae dedi, ut, quae maxime propria essent Ciceroniani sermonis, sive ea continerentur loquendi formulis, sive verborum consecutionibus et circumscriptionibus, diligenter ad ea adverterem adolescentium ingenia. Quae quidem interpretandi ratio licet multa attingat, quae ei, cuius ingenium a Latini sermonis elegantiis et festivitatibus abhorret, minutula ac putida videantur; tamen eam unam certissimam ad veterum scriptorum intelligentiam munire viam efficacissimumque ad mentes iuveniles acuendas poliendasque et venustate imbuendas parare instrumentum nemo infitiabitur.

Haec fere sunt, quae de consilio et ratione, in edendis

his libris a me inita, ad te scribenda putavi: quae ut tibi tuoque iudicio probentur, vehementer opto.

Vale, vir praestantissime, mihique favere perge. Deus tuam tibi valetudinem, saepius iam affectam, firmet ac corroboret, ut per longum porro annorum spatium ingenii animique tui lumine laudandarum artium studia adiuves et promoveas adolescentiumque pectora humanitatis sensu fingas et optimarum doctrinarum excelsissimarumque rerum ardentissimo amore accendas. Vale. Scripsi Hannoverae X. Kalend. Ianuar. MDCCCXXIX.

PRAEFATIO
IN ALTERAM EDITIONEM.

Pauca sunt, quae huic novae editioni praemittenda duxi.

Ac primum quidem in Wolfianae recensionis locum substituendam putavi Orellianam. Nam tametsi Wolfius, vir artis criticae unus peritissimus Ciceronianique sermonis probe gnarus, innumerabiles Tusculanarum locos sordibus, vel librariorum stupore vel aliorum hominum mala sedulitate importatis, liberavit Ciceronisque manum restituit; tamen non omnia ita fuerunt ab eo perpurgata, ut sequentibus editoribus omnis emendationis facultas ac laus praerepta videri posset. Sane quam multa resederant ulcera, quorum bonam partem Orellii acies, assidua Ciceronianorum scriptorum lectione et consuetudine subacta ac perpolita, novis etiam adhibitis membranarum et editionum veterum subsidiis, non solum sagaciter indagavit, sed etiam feliciter ad sanitatem restituit.

Verum ut Orellii iudicium criticaeque facultatem suspicio et magni facio, ita eius auctoritate non adeo regi me passus sum, ut rem omnem transactam crederem in eisque, quae ab eruditissimo viro constituta essent atque decreta, acquiescendum statuerem; sed meum ipse secutus consilium omnes scripturas, aut receptas ab eo aut reiectas, rationum momentis in

utramque partem excussis inter seque comparatis, quanta potui maxima diligentia, examinavi et vel breviter in scripturae varietate vel, ubi opus erat, fusius in adnotationibus sententiam meam libere atque ingenue exprompsi. Hanc ingressus viam etsi mihi videor haud admodum paucis locis non iniuria dissensisse ab Orellio; tamen satius duxi praestantissimam illam recensionem illibatam, quam hic illic immutatam repetere.

Deinde omnia quaecunque post priorem editionem nova in lucem prodierunt subsidia diligenter excussi, ut, quicquid videretur ex eis utile ac fructuosum in horum librorum vel criticam vel interpretationem redundaturum, eis, qui hac essent editione usuri, promptum esset et paratum. Quorum subsidiorum principem locum obtinet horum librorum editio, ab Orellio anno MDCCCXXIX. Turici publici iuris facta, qua praeter aliorum editorum adnotationes etiam Fr. A. Wolfii scholarum excerpta cum editoris additamentis continentur. Tum in criticae munere rite tuendo egregium mihi praesidium paraverunt Reinoldi Klotzii, viri acutissimi et de Cicerone praeclare meriti, Lectiones Tullianae. Largam porro utilissimarum et ad criticam et ad grammaticam rationem observationum segetem suppeditarunt mihi Thomae Wopkensii Lectiones Tullianae, a Ferdinando Handio docte et eleganter adornatae.

Denique omnes prioris editionis adnotationes denuo accuratissima lectione pervestigans multa addidi, quae praetermissa erant, alia, quae latius dicta erant, coërcui, quae obscurius significata, quae non recte explicata, quae levioribus argumentis superstructa viderentur, illustrare, emendare, confirmare studui, consilio adhibitis eis, quae a viris non mi-

nus eruditis, quam humanis, qui editionis prioris censuram egerunt*), intelligenter vel admonita essent vel observata.

Haec sunt, quae de hac nova editione cum benevolo lectore communicanda putavi. Reliquum est, ut librum, portu iamiam exeuntem, bonis votis prosequar, ut etiam in hoc altero cursu non minus, quam in priore, secundis placidisque ventis excipiatur. Scripsi Hannoverae die XXII. mensis Mart. MDCCCXXXV.

---

*) Censurae editionis prioris, quae quidem in notitiam meam venerunt, sunt hae: 1) *G. H. Moseri* in Ephemeridibus Heidelbergensibus Nr. 38 et 39. anni 1830. — 2) *Fr. Kritzii* in Ephem. scholast. (Allgem. Schulzeitung) Nr. 110 — 112. anni eiusdem. — 3) *G. H. Bodii* in Ephem. Gotting. Nr. 145. anni 1831. — 4) Viri docti, qui censurae suae litteram *G.* subscripsit, in Ephem. Seebodii et Iahnii p. 32 — 40. anni eiusdem. — 5) Censura sine nomine et signo in Eph. Lipsiens. Nr. 199 — 200. anni eiusd. — 6) Censura, litteris *D. A.* insignita, in Eph. Ienens. Nr. 119 — 120. anni 1832. — 7) *F. Schneideri* censura in ephemerid. Antiq. discipl. (Zeitschrift f. Alterthumswissenschaft) Nr. 151 — 152. anni 1834.

PRAEFATIO

IN TERTIAM EDITIONEM.

Orelliana horum librorum recensio, anno MDCCCXXVIII. Turici publici iuris facta, quam in editione mea altera secutus sum, quamvis singularibus ac praeclaris splendeat bonis; tamen, multis postea novis maximique momenti a viris doctis in medium allatis subsidiis criticis, fieri non potuit, quin illius fundamentum haud sane paucis locis labefactaretur. Quocirca in adornanda hac nova editione maximam meam curam atque operam eo conferendam existimavi, ut horum librorum scripturam quam fieri posset emendatissimam exhiberem. Praestantissimi Tusculanarum codices sine dubio censendi sunt hi sex: Parisiensis, qui κατ' ἐξοχὴν appellatur *Regius, Vaticanus, Gudianus primus, Pithoeanus, Gryphianus, Bernensis* *). Eorum auctoritatem tanquam normam, ad quam horum librorum oratio exigenda ac castiganda esset, sequendam duxi, ita tamen, ut non serviliter eis obsequerer et vel absurdissimas eorum scripturas contortulis ratiunculis tutari ac defendere studerem, sed reliquorum etiam librorum, et scriptorum et editorum, rationem haberem ac sanae mentis iudicio iustum suum debitumque darem locum. Etenim omnium qui

*) V. nos in Prolegom. ad hos libros p. 10.

adhuc collati sunt codicum quin nullus archetypum censendus sit, vix ac ne vix quidem dubitari potest. Ipse ille Regius, quem primo loco nominavimus, quamvis iustissimo iure omnium princeps habeatur, multis tamen mendis et corruptelis, eisque non levibus, sed saepe gravissimis, laborat. Idem statuendum est de reliquis quos modo appellavimus codicibus. Contra non paucis locis, in quibus hi aperte corruptas scripturas mordicus tenent, ei codices, quos deteriorum*) nomine complexi sumus, germanam Ciceronis orationem servaverunt.

Post Orellium de critica horum librorum ratione optime meriti sunt *Reinoldus Klotzius*, *Georgius Henricus Moser*, *Paulus Hagerupius Tregder*, Danus, quorum virorum studiis via ad scripturae emendationem egregie praestructa est atque praemunita.

Si critica in Tusculanis multo nunc firmiore pede, quam antea, incedere potest; id in primis eximiae *Moseri* diligentiae atque industriae acceptum referendum est. Vir enim doctissimus non modo complures novos codices manuscriptos, in quibus est praestantissimus Gudianus primus, sed etiam ingentem editionum veterum multitudinem vel ipse comparavit vel per alios comparandam curavit scripturaeque varietatem singulari quadam cura enotavit. Huc accedit, quod ipse, Ciceroniani sermonis gnarissimus et ab omni temeritate alienissimus, criticam sobrio iudicio et magna cum cautione factitavit: nec dubitari potest, quin multo pluribus locis Ciceronis orationem emendatiorem et castigatiorem exhibiturus fuerit, si minus, verecundia quadam superiorum editorum praepeditus, horum virorum, quam codicum suorum auctoritati obsequi maluisset.

---

*) V. nos in Prolegom. p. 11.

Tregder praestantissimos codices, Regium et Pithoeanum, ab aliis iam editoribus, sed minus accurate collatos, denuo summa diligentia conferendos curavit atque ex his potissimum collationibus Tusculanarum recensionem instituit.

Klotzius denique novos codices et editiones veteres non contulit ille quidem, sed superiorum editorum apparatu critico diligentissime pervestigato acerrimoque iudicio examinato in emendanda horum librorum scriptura magna cum laude versatus est. Negari quidem non potest, saepe eum nimis anxie, ne dicam serviliter, codicum litteris adhaesisse ob eamque rem non raro etiam earum scripturarum, quae rectae ac sanae rationi repugnant, patrocinium contra superiores editores magna cum iracundia suscepisse; sed quam in exercenda critica ingressus est viam, ea multo firmiore nititur fundamento multoque tutior censenda est, quam eorum, qui, codicum auctoritate posthabita vel meliorum et deteriorum codicum nullo habito delectu, scriptoris orationem magis pro arbitratu suo, quam ex severis criticae legibus constituunt vel adeo, in lubricum coniectandi campum delati, sanissima saepe verba inutilibus coniecturis tentant atque convellunt. Ac, quod summa laude dignum est, in libello*), quem octo annis post editionem suam foras protulit, sui ipse exstitit iudex severissimus magnamque sententiarum suarum partem accurate retractatam emendavit, complures contortas interpretationes reiecit melioribusque permutavit, non paucis locis ad superiorum editorum sententias, temere saepe et elato supercilio prius a se notatas, rediit omninoque multo liberius in diiudicanda scriptura magisque ratione, quam caeca codicum admiratione gubernatum adhibuit iudicium. Viri doctissimi acutissimique

*) Nachträge und Berichtigungen zu Cicero's Disputationibus Tusculanis. Leipzig 1843.

de his libris merita magna esse, quis neget? et, si quis alius, ego ea suspicio ac magni facio et, ubicunque suppeditavit occasio, iustis debitisque laudibus extuli; sed ego idem negare non possum, magnae mihi saepe fuisse offensioni non modo insolentiam, qua vel summis et de Cicerone immortaliter meritis viris insultavit, sed etiam ostentationem, qua ingenii sui sagacitatem iactavit. Utinam tandem aliquando omnes, qui praeclaram humanitatis disciplinam tractant, ita tractent, ut ex ea non solum ad ingenium acuendum fingendumque, sed etiam ad mores emendandos emolliendosque uberrimus efflorescat ac redundet fructus!

Alteri interpretis officio, quod in interpretandis rebus sententiisque et in explicando Ciceroniani sermonis ingenio positum est, quum prioribus meis editionibus plenius satisfactum videretur, nunc minore opera eo defunctus sum, quanquam nihil praetermittere studui, quo vel intelligentia horum librorum promoveretur, vel sermonis Latini imprimisque Ciceroniani proprietas clarius illustraretur, vel grammaticae Latinae ratio subtilius enuclearetur. Egregium huic novae editioni ornamentum accessit insigni humanitate *Friderici Augusti Menkii*, clarissimi et eruditissimi in gymnasio Bremensi doctoris mihique amicissimi, qui quum ex me audisset, in nova Tusculanarum editione paranda me versari, observationes suas, Rathianae editionis margini adscriptas, ad me transmisit easque mihi pro arbitratu utendas concessit. Quae ex eis delibavi, ipsius nomine („*Menkius in Observationibus ineditis*“) attuli. De singulari hoc officio gratias viro praestantissimo et ago et habeo quantas possum maximas.

Ut etiam tenuioris sortis adolescentibus consuleretur, una cum hac editione minorem adornavi, breviore instructam adnotatione.

Ad extremum facere non possum, quin eximiam quam *I. D. Lorenzius*, vir eruditissimus, in emendandis plagulis typis expressis collocavit operam atque diligentiam summa cum laude praedicem eique gratum palam profitear animum. Scripsi Hannoverae die XXV. mensis Septembris anni MDCCCXLVI.

PRAEFATIO
IN QUARTAM EDITIONEM.

In curanda hac nova editione quum omnes adnotationes diligenter retractavi, tum in primis eas, quae in horum librorum scriptura examinanda atque constituenda versantur. Qua in provincia tuenda eximie adiutus sum *A. S. Wesenbergii* tribus libellis, quibus „Emendationes M. Tullii Ciceronis Tusculanarum Disputationum“ *) continentur. Is enim, et acerrima mentis sagacitate praeditus et Ciceroniana dicendi consuetudine imbutus et criticae sobrie ac prudenter factitandae peritissimus, de Tusculanarum oratione e codicibus manuscriptis restituenda mendisque purganda praeclare est meritus. Post emissam tertiam editionem meam nihil a doctis homini-

*) Hae emendationes in lucem prodierunt ante tertiam editionem meam (prima enim earum particula Viburgi 1841, altera 1843, tertia 1844 prodiit); sed sero demum in Germania innotuerunt, atque secundam particulam, in qua insunt emendationes ad primum Tusculanarum librum factae, diu frustra per librariam e Dania a me petitam, tandem ipsius auctoris liberalitate impetravi, sed quum iam primum adnotationum mearum usque ad libr. I. c. 21. fasciculum Ienam typis exprimendum transmisissem. Quare quae usque ad illum locum ex Wesenbergianarum emendationum particula secunda enotanda erant, Addendis adieci.

bus vulgatum est, quod ad horum librorum vel criticam vel enarrationem aliquod habeat momentum; nam Tischeriana editio tam pauca sua habet atque propria, ut vix in censum venire possit. Scripsi Hannoverae die I. mensis Maii anni MDCCCLIII.

IN

M. TULLII CICERONIS TUSCULANARUM DISPUTATIONUM LIBROS QUINQUE PROLEGOMENA.

I. *De universa philosophia apud Romanos* [1].

Philosophiae studium apud Romanos diu neglectum iacuit. Etenim gens Romana, a primis civitatis initiis continuis bellis occupata, ita instituta erat, ut omnem laudem gloriamque in re militari civitatisque administratione collocaret. Quae quidem via posteris quoque temporibus ad summam in re publica auctoritatem adipiscendam una erat atque certissima. Primus Graecarum doctrinarum sapientiaeque amor in Romanorum animis effloruit, quum clarissimi illi Graeci, Carneades, Critolaus, Diogenes, primi qui a Romanis cogniti sunt philosophi, ab Atheniensibus Romam missi sunt (598 a. U. c. 155 a. Chr.). At enimvero M. P. Cato, severus ille senex, pristinae Romanorum disciplinae innutritus, metuens, ne iuventus flagranti illo litterarum ardore a veteris disciplinae severitate, quam militaris rei publicae conditio necessario requireret, degeneraret et, Graecorum infecta doctrina, ingenii magis cultui, quam rebus strenuis operam daret, effecit, ut legati mox domum remitterentur.

Postea vero, Romano imperio longe lateque propagato et stabilito, ingentes opes et cum eis luxuria ac magnificentia, libidines omniaque scelerum genera civium animos pessumdabant. His quidem temporibus, in hac rerum atque otii affluentia, uti in deterioris ingenii hominibus luxuriae voluptatumque cupiditas excitabatur, ita in excelsioribus animis magnum quoddam mentis doctrinis excolendae exortum est desiderium. Itaque eo tempore, quo philosophia efflore-

1) Quae in his prolegomenis in studiosae iuventutis gratiam a nobis prolata sunt, summa quaedam quasi capita eorum continent, quae in hanc rem uberius disputavimus in libro, qui inscribitur: *M. Tullii Ciceronis in philosophiam eiusque partes merita. Commentatio regio praemio ornata. Hamburgi sumptibus Friderici Perthes.* MDCCCXXV., additis nonnullis, quae ad interiorem Tusculanarum Disputationum intelligentiam facere viderentur.

scere coeperat, Romanorumque animi ad id studium persequendum satis exculti videbantur, antiquus rerum publicarum status populique ingenium commutatum plane erat atque conversum.

Omnium fere disciplinarum philosophi e Graecia Romam commigraverunt ibique summa illustrissimorum virorum perfruentes dignitate in eorum domibus sedem suam fixerunt. Inter eas disciplinas, quae studiosissime colebantur a Romanis, duae potissimum nominandae sunt, quae plane contrariae erant, Stoicam dico et Epicuream. Etenim uti Romanorum ingenium in vita aut ad tetricam quandam severitatem, aut ad effusam luxuriam inclinabat; ita in philosophia aut Stoicae scholae asperitatem aut Epicureae mollitiam amplexatum est. Stoica disciplina, omnes externas res negligens atque spernens, splendore ac magnificentia praeceptorum ornata, excelsioris ingenii Romanos, qui pristinam illam morum severitatem, gravitatem atque ingenii altitudinem retinere et rem publicam praeclare honesteque gerere studebant, mirifice capiebat. Epicurea philosophia, quae et cognitu satis facilis erat, et blandis voluptatis illecebris invitabat, eis maxime grata erat, qui, a re publica remoti, magis sibi vivebant et corporis vel animi voluptatibus frui, quam vitam negotiosam transigere malebant.

II. De Cicerone eiusque universa philosophia.

Etsi multi tum Romani philosophiae operam navabant; tamen, quum ea ferme a Graecis tradi Graecisque litteris contineri soleret, et perpauca tantum perque exigui pretii monumenta Latina relicta essent, fieri non potuit, ut illa laete efflorescceret ac magna incrementa caperet. Itaque Cicero, flagranti patriae amore agitatus, uti, quum in gerenda re publica versabatur, omnem in ea operam, omnes curas cogitationesque posuerat civiumque salutem atque incolumitatem modis omnibus augere et promovere studuerat, ita, in senili aetate constitutus, quum, Romana re publica eversa atque libertate Caesaris dominatu oppressa, administrandis civitatis muneribus civibus suis prodesse non posset, ne otio, quo abundabat, langueret, universam philosophiam e Graecia traductam Latinarum litterarum luce illustrare sibi proposuit, magni existimans interesse ad decus et ad laudem civitatis, res tam graves tamque praeclaras Latinis etiam litteris contineri et hanc reliquam gloriam Graeciae eripi.

Quanquam Tullius nullum fere philosophiae locum, qui non Latinis litteris illustratus pateret, reliquit; tamen non perfectam artis quandam disciplinam condidit. Neque id in conscribendis suis de philosophia libris secutus est consilium; sed praeclarissima quaeque et ad mores conformandos vitamque melius instituendam saluberrima

sapientiae praecepta, Romani sermonis splendore explanata, ex umbra quasi in solem atque pulverem producenda putavit.

Omnium philosophorum disciplinas perscrutatus, summos Graeciae philosophos de gravissimis quaestionibus dissentire interque se dissidere quum intellexisset sibique persuasisset, non aliter, nisi de omnibus rebus in contrarias partes disserendo, quid in quaque re verisimile esset, inveniri posse: Academicorum recentiorum disciplinae, quam iam adolescens Philone duce et didicerat, et tanquam optimum instrumentum ad eloquentiae laudem comparandam mirifice amplexatus fuerat, totum se penitusque tradidit. Huius enim philosophiae proprium est, in utramque partem veri reperiendi caussa disserendo errores opinionesque non firmis superstructas fundamentis destruere, iudicium nullum interponere, ea probare, quae simillima veri videantur, conferre caussas et, quid in quamque sententiam dici possit, expromere, nulla adhibita sua auctoritate, iudicium audientium relinquere integrum ac liberum. Ex quo intelligitur, Academicos non omnem scientiam sustulisse, sed cum ratione probabilitate usos esse. Itaque Cicero, nullius philosophiae disciplinae auctoritate adstrictus, principum philosophorum sententias examinavit atque excussit et, in utramque partem ponderatis rei momentis rationibusque comparatis, quae ad probabilitatem atque veri similitudinem maxime propensa esse viderentur, secutus est.

Inter eos philosophos, quos maxime probavit Cicero, primum locum obtinet Plato: cuius philosophiam totam vel certe maximam eius partem sine dubio sibi vindicasset Latinisque litteris illustrasset, si et Romanorum ingenia satis exculta fuissent ad illius sublimitatem atque excelsitatem percipiendam, et ipse totam eius subtilitatem mente sua concepisset. Platonis auctoritatem in eis potissimum secutus est, quae ad naturae cognitionem (physica) et ad animorum immortalitatem spectant. Secundum philosophiam Platonicam maxime amplexatus est Stoicorum disciplinam, in primis in eis, quae praeclare ab illis scripta erant de morali doctrina, de legis natura, de conformanda re publica. Etsi haud raro Stoicorum philosophiam vehementer aggreditur atque perstringit; tamen omnino de illa magnifice sentit eiusque sententias excelsissimas inter cives suos divulgare et propagare studet, neque eas ipsas, sed quibus eas firmare nitebantur argumenta, longissime nonnunquam arcessita, reprehendit.

III. De Ciceronis philosophia morali.

Veteres philosophiam in tres partes dividebant: dialecticam, physicam, ethicam. In unaquaque parte Cicero elaboravit et egregia

scripta reliquit. Praestantissimus autem atque pulcherrimus Ciceronianae philosophiae locus sine dubio censendus est is, qui est de moralibus, et, quod in exponenda hac doctrina sanissimum quo illius ingenium pollebat iudicium praeclare enitescit, et vero etiam, quod philosophus noster, quaecunque eximia adhuc a Graecis philosophis de morali doctrina erant disputata, perscrutatus eisque eleganter prudenterque usus, praeclarissimas in scriptis suis moralibus consignavit sententias et complures huius doctrinae notiones primarias, excussis interque se comparatis contrariis Graecorum philosophorum decretis, clariore luce illuminavit.

In moralibus Tullius principum Academicorum, Arcesilae et Carneadis, more probabilitati maximum locum concessit. Multa enim probabilia esse iudicavit, quae quanquam non perciperentur, tamen, quia visum haberent quendam insignem et illustrem, eis sapientis vitam regi posse existimabat. Iam supra demonstravimus, in morali doctrina Ciceronem maximam partem Stoicorum vestigiis institisse; nulla enim firma in ea et coniuncta naturae praecepta tradi posse statuit, nisi aut ab eis, qui solam, aut ab eis, qui maxime honestatem propter se dicerent expetendam, i. e. aut a Stoicis aut ab Academicis et Peripateticis: quas tres disciplinas in hoc philosophiae loco re consentire, nominibus discrepare dicebat.

Stoici philosophiam moralem distribuerunt in doctrinam de rebus bonis, malis, indifferentibus, de virtutibus, de animi perturbationibus, de officiis. Duplex autem erat philosophiam moralem tractandi ratio; utraque tamen eandem sibi subiectam habebat materiam. Altera ratio erat δογματική vel θεωρητική, fundamentum totius philosophiae moralis, quae in scrutanda natura morum et origine aperiendisque iusti, boni, aequi fontibus versabatur. Huc pertinent Ciceronis libri de Finibus Bonorum et Malorum. Altera ratio erat παραινετική, eaque popularis et ad communem intelligentiam accommodata, quam Cicero in libris de Officiis, in Tusculanis Disputationibus aliisque libris secutus est. Ea praecepta dat, quibus mores corrigantur et ordinentur, et in omnes partes usus vitae conformari possit.

IV. De Tusculanis Disputationibus.

Scripti sunt quinque libri Tusculanarum Disputationum turbulento illo tempore, quum res publica bello civili misere vexabatur, et Cicero, muneribus orbatus, et sibi et litteris vivebat. E temporis notis, quae sane multae in his ipsis Tusculanis exstant, luculentissime apparet, eas post libros de Finibus Bonorum et Malorum anno DCCVIII. U. c. (45 a. Chr.) inchoatas, easdemque anni DCCIX. initio

(44 a. Chr.) absolutas esse [1]). Nomen duxerunt a *Tusculano*, Ciceronis praedio (v. Indic. historic. vv. *Tusculum* et *Tusculanae Disp.*).

Aperiunt autem hi libri res ad beate vivendum maxime necessarias. Primus enim est de contemnenda morte; secundus de tolerando dolore; de aegritudine lenienda tertius; quartus de reliquis animi perturbationibus; quintus eum locum complexus est, qui totam philosophiam maxime illustrat; docet enim, ad beate vivendum virtutem se ipsa esse contentam [2]). Licet unusquisque horum librorum proprium quoddam et peculiare argumentum pertractare videatur; omnes tamen communi quodam societatis vinculo ita inter se cohaerent, ut unum idemque sit, ad quod spectent. Etenim omnes quinque libri referendi sunt ad methodologiam ethicam vel asceticam, quam vulgo dicunt, quae, quomodo, remotis virtutis impedimentis, efficiendum sit, ut appetitus rationi obediant, praecipit: quem quidem locum Tullius breviter perstrinxit in libris de Officiis [3]). Scilicet tanquam summum, quod sequamur, propositum nobis esse debet, ut beate vivamus. Beata autem vita constat in animi constantia, tranquillitate, aequabilitate. Si quis igitur vitam beatam consequi vult, efficere debet, ut rationi obediant appetitus omniaque removeantur, quae illam animi constantiam perturbare videantur. Ad ea autem, quae hominum animos misere cruciant atque vexant, referendus est sine dubio *metus mortis*. Itaque in his libris, in quibus Tullius omnia, quae vitae beatae adversarentur, removere, quae autem eam adiuvarent, afferre studuit, aptissime primo loco efficiendum putavit, ut mors contemneretur. Nam, ut ipsius Ciceronis [4]) verbis utar, qui id, quod vitari non potest, metuit, is vivere animo quieto nullo modo potest; sed qui non modo, quia necesse est mori, verum etiam, quia nihil habet mors, quod sit horrendum, mortem non timet, magnum is sibi praesidium ad beatam vitam comparat.

Uti mors, ita corporis dolores in malis haberi et vitae tranquillitatem vehementer perturbare solent. Itaque secundo libro primum quaesivit, utrum dolor in malis ducendus esset, necne, et, posteaquam principum philosophorum de ea re sententias exposuit atque examinavit, docet, dolorem vel vinci, vel tolerari posse, si appetitus subiiciantur rationi: in qua re veram sapientiam cerni.

1) V. *Schütz*. Proleg. in Tuscul. Disputt. p. 3 sq. Adde I. 30, 74., ubi Catonis mors, quae in annum DCCVII. U. c. cadit, commemoratur. — De librorum inscriptione discrepant Codd. MSS. Alii, ut Reg., praestantissimus codex, exhibent: libri quinque Tusculanarum *Quaestionum*, alii: libri q. Tusc. *Disputationum*: quae scriptura germana censenda videtur, quum hoc ipso nomine hi libri ab ipso Cicerone (ut Tuscul. V. 1, 1. de Divin. II. prooem. de Fato c. 2. ad Attic. XV. 2. 4.) aliisque scriptoribus, ut Lactantio Div. Instit. III, 14., afferantur. V. *Davisius* ad Tuscul. princip. Grammatici veteres, ut Nonius, Charisius, Priscianus, saepe hos libros simplici *Tusculanarum* nomine afferunt. 2) de Divin. II. 1. 3) I. 29, 102. V. *Beier*. ad Offic. I. 3. p. 18. 4) Tuscul. Disp. II. 1. 2.

Quemadmodum autem sapiens corporis dolores ratione comprimere et domare debet, ne eis turbetur vitae constantia; ita summa ope niti debet, ut animus liberetur doloribus animi, i. e. aegritudine reliquisque animi perturbationibus. Quod quomodo effici posset, demonstrare conatus est libro tertio et quarto, et quidem de aegritudine separatim disputavit, quia in ea est miseriarum fons et caput.

Tali modo remotis omnibus, quae turbent animi constantiam et tranquillitatem, in qua vita beata posita est, toti disputationi tanquam cumulus accedit liber quintus, qui est omnium pulcherrimus et sententiarum ubertate gravissimus, quo ostenditur, virtutem se ipsa contentam esse ad vitam beatam [5]).

V. De fontibus, quibus Cicero usus est in Tusculanis.

Cicero philosophiam suam duxit e Graecorum fontibus, et quidem in moralibus, ut supra demonstravimus, maximam partem Stoicorum vestigiis ingressus est. Sic Tusculanae Disputationes totae fere manaverunt e Stoicorum fontibus. In primo autem libro, qui est de contemnenda morte, fuse etiam atque copiose pertractavit locum de animorum immortalitate: quem paene totum ex Platone petivit, qui eandem doctrinam in compluribus scriptis, uti Phaedro, Menone, Timaeo, decimo libro de Republica, persecutus est, maxime vero in Phaedone. In secundo libro, qui agit de tolerando dolore, multis partibus Stoicos, tacitus tamen, secutus videtur. In tertio libro et quarto tantum non omnia e Stoicorum fontibus hausit; in primis auctore usus est Chrysippo; sed in tertio multis locis Crantoris, Academici, περὶ πένθους librum imitando expressit. In quinto libro ex Platone, Aristotele, Theophrasto, Xenocrate, Speusippo, Polemone, et vero etiam e Stoicorum libris doctrinam suam duxit [6]).

In *quattuor primis* Tusculanarum libris, ut in aliis de philosophia scriptis, hanc in adhibendis Graecis philosophis secutus videtur rationem, ut unum potissimum quem sequeretur auctorem, Chrysippum, ob oculos haberet et ad eum suum imitandi studium componeret, nec tamen eum converteret, sed ex eius sententiis atque decretis tantum delibaret, quantum ad rem ac consilium suum maxime conferre videretur. Neque ceteros, qui idem argumentum pertractaverunt, prorsus neglexit; sed, quae in singulis rebus ab iis elegantissime erant aptissimeque disputata, elegit, quae autem minus recte dicta erant, notavit, et, ubi ille quem sequitur auctor rem non satis accurate videbatur atque copiose exponere, alios in consilium adhibuit scriptores et, quae ab illo praetermissa erant, ex eis supplevit.

5) Cf. *Kernium* l. d. p. 33 sqq. 6) Uberius hunc de Tusculanarum fontibus locum pertractavimus in libro dicto *de Cicer. in phil. merit.* p. 111 — 116.

Sed probe tenendum est, Ciceronem eis, in quibus Graecos auctores secutus est, suum ipsum adiunxisse iudicium[7]). In imitandis autem atque exprimendis Graecorum philosophorum scriptis tam insigni arte versatus est, ut sententias illorum atque argumenta non anxie collegisse, sed ex suo ipsius ingenio exprompsisse videbatur.

VI. De proprio Ciceronis philosophandi genere.

Iam vero, si Ciceronis de philosophia libros et quam in eis inivit philosophandi rationem altius perscrutamur, praeclare intelligemus, eam saepissime proxime accedere ad Socraticam rationem. Enimvero, quum Cicero argumentum aliquod omnibus ex partibus examinavit, tum, si ex allatis a se aliorum philosophorum sententiis, discrepantibus inter seque dissidentibus, aliquid veri vel certe verisimile elici posset, relictis philosophorum in suis disciplinis subtilitatibus et sano quo instructus erat mentis iudicio in consilium vocato, tentavit. Quam quidem ingressus rationem praeclarissimas saepe proposuit sententias. Sana igitur mens, tenerrimo quodam honesti iudicio coniuncta, quae nulli disciplinae adstrigendam se tradit, in eius de philosophia scriptis maxime elucet. Itaque, ut firmo hac in re incederet pede, Academico more diversorum philosophorum sententias comparavit, ut, quid recte ab eis atque probabiliter, quid parum recte disputatum esset, ex hoc quasi sententiarum earumque argumentorum ac rationum conflictu appareret. Socratis morem, quem Carneades quoque acutissime copiosissimeque tenuit, secutus, suam ipse sententiam texit, errore alios levare et in omni disputatione, quid esset simillimum veri, quaerere studuit et, qui requirerent, quid quaque de re ipse sentiret, curiosius id facere dixit, quam necesse esset[8]); neque enim tam auctoritatis in disputando, quam rationis momenta quaerenda esse; quin etiam obesse plerumque eis, qui discere vellent, auctoritatem eorum, qui se docere profiterentur; desinere enim illos suum iudicium adhibere et id habere ratum, quod ab eo, quem probarent, iudicatum viderent. Ex eis igitur, quae de Ciceronis philosophandi ratione exposuimus, Ciceronem Academicum Socraticum potius, quam solum novae academiae asseclam dicendum esse, concludi posse videtur.

VII. De disputandi genere, quo Cicero usus est in Tusculanis.

Uti cetera fere omnia de philosophia scripta, ita has Tusculanas Tullius dialogorum forma composuit. In plerisque dialogis suis copiosius quoddam et uberius atque fusum genus secutus est: qui erat

7) V. nos in libro dicto p. 91 sq. 8) N. D. I. 5.

mos ἀριστοτέλειος: in quo sermo ita inducitur, ut penes unum sit principatus. Posteaquam argumentum quoddam, de quo disputetur, propositum est, perpetua oratione (λόγῳ) explicatur, additis simul caussis atque argumentis, cur ita sentiat is, qui disputat; tum alter procedit et contra illius sententias perpetua oratione disputat, uti in Academicis, in libris de Natura Deorum, de Divinatione, de Finibus. In Tusculanis autem partim Socraticam contra alterius opinionem disserendi consuetudinem [9]), quae subtiliter interrogandi et respondendi rationem ita secuta est, ut rebus singulis insisteret et, quid quisque concederet, quid abnueret, intelligere studeret et ex rebus concessis concluderet atque ita ad exitum perveniret, tenere studuit; posteaquam autem illa interrogandi et respondendi ratione disputationem ad certum quendam exitum deduxit, hoc conciso et brevi disserendi genere relicto, reliqua perpetua oratione exposuit.

VIII. De pretio, quod statuendum est Tusculanis.

Tusculanae Disputationes referendae sunt, ut supra demonstravimus, ad eos libros, qui populariter magis, quam subtilius limatiusque perscripti sunt. Alia est enim illa, quum veritas ipsa limatur in disputatione, subtilitas; alia, quum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio [1]). Sed praestantissimae atque excelsissimae in eis expressae sunt sententiae et praecepta: quae quum omnes homines, tum maxime erectioris indolis adolescentes et magnificis sensibus imbuere, et animi firmitate augere, et ad praeclarissima quaeque erigere debent. Quum vel ipsa horum librorum argumenta ita comparata sint, ut sine ullis orationis ornamentis et illecebris exposita sponte animos advertant ad se rapiantque; tum eo dicendi genere explanata et illustrata sunt, ut, quo minus illud ad severas orationis leges exactum et castigatum sit, hoc libentius in eo conquiescas. Etsi negari non potest, hos libros multis locis festinantius [2]) et negligentius et multo minus, quam alia eiusdem Tullii de philosophia scripta, elimatos ac perpolitos esse, multaque in eis inesse, in quibus philosophi subtilitas et diligentia desideretur; tanta tamen et sententiarum ubertate, gravitate ac salubritate, et orationis facilitate, iucunditate, venustate sese commendant, ut et in utilissimis et in suavissimis philosophi nostri scriptis iure censeri queant. Atque uti in Ciceronis orationibus rhetoricisque libris summum Romani sermonis splendorem et maiestatem, summamque ac vix imitandam artem admiramur, ita hae de philosophia disputationes egregium

9) Cf. Tuscul. I. 8, 16 sq. 1) Cicero de Offic. II. 10. 35, ubi v. *Beier.* p. 69. 2) *F. A. Wolfius* in Praef. edit. suae p. IV. Tusculanas unius vel duorum mensium fetum esse putat. Atque ex hac ipsa festinatione factum est, ut hi libri referti sint ἀνακολούθοις verborum consecutionibus.

dialogi formae specimen exhibent, in qua oratio, artis regulis minus adstricta, liberius evagatur et gratam quandam negligentiam sequitur.

In omnibus Ciceronis de philosophia scriptis eius ingenium, poesis veneribus omniumque doctrinarum varietate et copia excultum et philosophiae subtilitate subactum eiusque ubertate nutritum praeclare enitescit. Etenim in coniungendis sobrie moderateque orandi praeceptis cum philosophiae gravitate atque severitate admirabilem quandam artem probavit. Inter publicam enim eloquentiam et contritum vulgaremque, atque tetricum ac difficilem sermonem quum semper medium tenere studuerit, aequabile quoddam et temperatum quietumque exstitit orationis genus. Verum etsi maximam partem in philosophiae disquisitionibus eius sermo placidi fluminis instar decurrit, semper tamen prudenter stilum ad rei quam pertractavit momentum composuit. In subtilioribus enim argumentis exponendis oratio fere pura est atque dilucida, nullis adhibitis sermonis illecebris ac lenociniis; quum autem de rebus grandioribus, uti de divino numine eiusque virtutibus, de mundi pulchritudine, ordine atque ornatu, de moralis doctrinae gravissimis argumentis verba facit, atque ipsae res verba rapiunt; tum oratio sublimiore quasi spiritu exsurgit et summo Romani sermonis splendore ac maiestate, et beatissima quadam ingenii ubertate elucet[3]).

IX. *De critica Tusculanarum.*

De critica horum librorum post Lambinum, Bentleium, Davisium, homines et eruditissimos et acutissimos, optime meruerunt *F. A. Wolfius* et *I. C. Orellius*. Quam viam in constituenda scriptura institisset Wolfius, ipse in praefatione ad Tusculanas, a se editas, exposuit. Orellius Wolfii vestigiis institit, ut tamen ea non anxie premeret, sed, suum ipse secutus iudicium, multis locis ab eis discederet. Praeter tres codices manuscriptos plurimos qui sub censum venire possunt libros editos comparavit atque in hoc difficili et molesto negotio tanta cura atque diligentia versatus est, quanta eorum, qui ante eum in his libris critica luce illustrandis operam suam collocaverant, nemo. Nec paucos locos, qui, quum eorum sententia reconditior esset nec communi intelligentiae pateret, ab doctis hominibus temere vel coniecturis tentati et sollicitati, vel adeo ut spurii plane exturbati sunt, ingeniosa ac docta explicatione vindicavit et restituit.

Post Orellium *Reinoldus Klotzius*, *Georgius Henricus Moser*, *Paulus Hagerupius Tregder* ad Tusculanas critica ratione castigandas atque emendandas operam suam contulerunt et partim novis

3) V. librum dictum *de Ciceronis in philos. mer.* p. 83 sqq.

codicum et editionum veterum subsidiis adhibitis, partim librorum iam collatorum scriptura diligentissime examinata viam ab Orellio initam summa cum laude persecuti sunt.

Codices manuscripti, qui adhuc collati sunt, hi sunt:

(*R.*) Codex Parisiensis, qui κατ' ἐξοχὴν appellatur *Regius*, seculi noni Nr. 6332., στιχηδὸν scriptus, h. e. ita, ut oratio non uno tenore continuetur, sed secundum singulas enuntiationes distinguatur. Accuratissima eius collatio est ea, quam, a N. P. Krarupio, Dano, factam, P. H. Tregderus in editione sua publicavit. Is codex, etsi haud paucis vitiis, quae Tregderus in praef. p. IX — XI. collegit et composuit, inquinatus est, tamen iure meritoque ceterorum Tusculanarum codicum praestantissimus iudicatur.

(*Vat.*) Secundo loco commemorandus est codex *Vaticanus*, etiam στιχηδὸν scriptus, et antiquitate, et scripturarum bonitate insignis. Vehementer dolendum est, accuratam eius adhuc desiderari collationem.

(*Gud.* 1.) Regio et aetate, et dignitate suppar censendus est *Gudianus primus*, codex Guelferbytanus seculi IX. vel X. Nr. 238. ap. Ebert., a F. Gu. Schneidewinio exquisitissima diligentia collatus. Plerumque cum Regio conspirat.

(*P.* aut *Pith.*) Optimus porro codex est *Pithoeanus* (Fr. Pithoei), cuius accuratissima collatio est in ed. Tregderi. Est codex ἀκέφαλος; incipit enim demum a libr. II. 20, 46. Consentit plerumque cum Regio, sed multo negligentius scriptus est. Nam, ut Tregderi in praef. p. XII. verbis utar, librarius oculis propter similitudinem terminationum aberrantibus multa, quae ad sententias recte conformandas necessaria sunt, plane omisit.

(*Gr.*) *Gryphianus* codex eximia bonitate est et sine dubio vetustissimus, cuius collatio, sed non integra, inest in ed. Io. Mich. Bruti, Lugd. 1570, 16.

(*b.*) Codex *Bernensis* sec. XV. „ex optimo quidem exemplari descriptus, sed foede postea a magistro aliquo scholastico interpolatus." V. Orellium ad Tusc. I. extr. p. 267. Etiam hic plerumque conspirat cum Regio.

Hos sex codices communi *meliorum* nomine complecti possumus; iam commemoremus eos, quos, cum illis comparatos, *deteriores* appellare licet.

(*Gud. II.* [ap. Moserum *Gud.* 2.]) *Gudianus II.*, cod. Guelferb. Nr. 237. ap. Ebert. exeuntis sec. XIV., uti videtur Schneidewinio, qui eum contulit. Negligenter ille quidem scriptus est, sed plurimum cum melioribus consentit.

(*Gud.* 2. [ap. Moserum *Gud.*, nullo addito numero.]) *Gudia-*

nus 2. sec. XIV. Nr. 235. ap. Ebert., in Gallia scriptus. De eo Moser ita iudicat: Verborum ordo saepe a Regii et Gud. 1. ordine recedit, nec vero eo melior est.

(*Aug.*) *Augustanus*, cod. Guelf. sec. XV. Nr. 236. ap. Ebert., in Italia scriptus. Desinit in extremo cap. 21. libri V. Mirum in modum depravatus est.

(*Rehd.*) *Rehdigeranus*, cod. Vratislaviensis sec. XIV. Multis locis conspirat cum melioribus codd., plurimis tamen discrepat ab eis; saepe interpolatus est, saepe etiam ordinem verborum, quem reliqui exhibent, mutat.

(*Duisb.*) *Duisburgensis* sec. XIV. De eo Moser sic iudicat: Habet sua bona, praestat Rehdigerano et Gudiano 2.; in verborum tamen ordine immutando eoque Ciceronem corrigendo ad Rehdigeranani licentiam prope accedit, ceterum satis diversus, non illius more, sed suo utens.

(*Mon.* 1. 2.) Duo *Monacenses* sec. XV., uterque exiguae sane auctoritatis, haud paucis locis interpolatus.

(*Marb.*) *Marburgensis* sec., ut videtur, XV. f. m., a stupido librario descriptus, sed saepissime cum optimis codd. conspirans.

(*Vind.* 1. 2.) Duo *Vindobonenses*, quorum collatio, sed parum accurata, est ad calcem ed. Alteri, Viennae 1786, 8. Uterque parvi momenti est.

(*Oxx.*) Novem *Oxonienses* exigui pretii in ed. Ox. 1783.

(*Leidd.*) Tres *Leidenses*, satis vulgares, in Bouhierii Remarques sur les Tusculanes de Cicéron, Paris. 1737, 8. Insunt in hoc libro etiam „memorabiles et Leidensibus fere praeferendae lectt. editionis veteris s. l. et a.“ (*ed. vet. Bouh.*)

(*Col.*) *Coloniensis* in ed. 1568.

(*Pall.* et *codd. Gebh.*) *Palatini* aliique, quos Ianus Gebhardus in conscribenda adnotatione ad ed. Gruterianam adhibuit.

(*R.* 2. 3. 4.) *Regii* Parisienses ap. Moserum; sed collatio continet tantum octo prima capita. Sunt multo deteriores, quam is, qui κατ' ἐξοχὴν Regius appellatur.

(*Regg. ap. Lall.*) *Regii* Parisienses apud *Lallemannum*.

(*Guelf.*) *Guelferbytanus* Ernestii.

(*MS. marg. Asc.*) Variae scripturae e cod. excerptae, a V. D. sec. XVI. marg. Ascensianae sec. ap. Moserum adscriptae.

(*Cod. Car. Steph.*) Scripturae codicis *Caroli Stephani* in ed. Car. Steph. Paris. 1554. fol. m., paucae et exigui pretii.

(*Cod. Urs.*) Scripturae codicis in adn. *Fulvii Ursini* (Antverp. 1581, 8.), paucae et dubiae fidei.

(*El. Ball. Petr. Cant.*) Tres *Elienses, Balliolensis, Petrensis, Cantabrigiensis*, quos adhibuit Davisius.

(*Gothofr., Verb., C., Herw. I. et II.*) Scripturae *Gothofredi, Verburgii, Cratandri, Herwagianae ed. I. et II.*

Quod in aliis veterum scriptorum libris factum est, ut codices ad certas quasdam quasi familias ordinati sint; id in Tusculanis neque adhuc factum est ab ullo editore, neque omnino fieri poterit*). Nullus codex ita comparatus est, ut archetypum iudicandus videatur. Quos communi meliorum codicum nomine complexi sumus, etsi normam quandam praebent, quam in constituenda horum librorum scriptura sequamur; tamen non paucis locis magis corrupti sunt, quam quos appellavimus deteriores codices. Praeter scriptos libros magnum saepe critico paratum est praesidium in editionibus veteribus, quae e codicibus scriptis fluxerunt. Quare non alienum erit, earum potiores hic commemorare.

(*H.*) Collatio editionis *Ulrici Hahn de Vienna.* Romae a. 1469. „Desinit collatio in libro secundo. Habet quaedam singularia," uti iudicat Moser Vol. I. p. XIX.

(*P.*) impress. Venetiis per philippum quondam petri a. 1480. fol. (Ed. praestantissima.)

(*A.*) Venet. 1481. fol. (Sine typographi nomine; „praecedenti non est aequiparanda," Or.)

(*B.*) Commentarii Questionum Tuscul., editi a Phil. Beroaldo, Bonon. 1496. fol. („Conspirat in plerisque cum A." Or.)

(*S.*) M. T. C. Tuscul. quast. Libri quinq. Argentor. in aedibus Mathiae Schurerii, 1511. 4. (Consentit plerumque cum A. et B.)

(*E.*) Ed. Erasmi, Basil. in aed. Val. Curionis. 1525. 8. (Consentit plerumque cum S.)

(*C.*) Cratandrina, Basil. 1528. Bonas scripturas habet in margine (m C.).

(*V.*) Victoriana, Venet. 1537. (Ed. optima.)

(*M.*) Manutiana, Venet. 1555.

(*L.*) Lambiniana, Paris. 1566. (Ed. optima.)

(*Rob. Steph.*) Roberti Stephani, Paris. 1539. fol. Insunt castigationes Victorii.

(*Car. Steph.*) Caroli Stephani, Paris. 1554. fol.

(*Gebh.*) Gebhardi cura in ed. Gruteriana 1692.

(*D.*) Davisii, ed. I. (*Da.*) Cantabrig. 1709. 8.; ed. II. (*Db.*) 1723; ed. III. (*Dc.*) 1730.

*) R. P. Gud. I. 2. II. Rehd. Vind. 2. Pal. 1. 3. 4. 5. ex eodem fonte fluxisse, luculenter apparet ex miro quodam errore, qui I. 40, 95. eos quos diximus codices occupavit. V. nos in Var. Script. ad h. l. Cf. transpositionem verborum in V. Scr. ad IV. 2, 4.

Ex recentioris aetatis editionibus de critica ratione consuluimus has:

(*Ern.*) Ernestianam; (*W.*) Wolfianam sec.; (*Sch.*) Schützianam; (*Or.*) Orellianam (Opp. omn. Turici 1828. et ed. peculiar. ibid. 1829.); (*Kl.*) Klotzianam (Lps. 1835. et eiusdem Nachträge ibid. 1843.); (*Mos.*) Moserianam (Hanoverae 1836.); (*Tr.*) Tregderianam (Hauniae 1841.). Huc accedunt (*Wes.*) *A. S. Wesenbergii* emendationes Tusculanarum. V. praef. ad edit. nostram IV.

TUSCULANARUM DISPUTATIONUM

LIBRI PRIMI,

QUI EST DE CONTEMNENDA MORTE,

CONSPECTUS.

I. Prooemium, in quo Cicero Graecae philosophiae Latinis litteris illustrandae consilium exponit Romanorumque ingenium, mores, rem et domesticam et publicam, litteras artesque cum Graecorum comparat. cap. 1 — 4.

II. Disputatio. Ponitur ab auditore: malum esse mortem. Quaeritur, eisne mors malum sit, qui iam mortui sint, an eis, quibus moriendum sit. *Malum* autem eam vim habet, ut idem sit, quod *miserum*, quoniam mors ex eis malis est, quae sensibus percipiantur. Quod si igitur mors utrisque malum aut miserum est, sequitur, ut omnes miseri sint et non solum miseri, sed etiam semper miseri, quoniam non solum ii miseri sunt, qui vivunt, sed etiam ii, qui mortui sunt. c. 5. §. 9.

Sententia proposita refellitur. Primum demonstratur,

1. *Mortem non esse malum neque eis, qui iam mortui sunt, neque eis, qui adhuc vivunt.* Nam *a*) quae de deteriore post mortem statu feruntur, poetarum et pictorum commenta sunt et idcirco nobis non metuenda. c. 5. §. 10. — *b*) Neque tum mors miserum (malum) potest esse, si homines post mortem nulli sunt. Nam *α*) *mortui* si nulli sunt, nec mortis sensum possunt habere, nec vitae fortunas recordari; ita quia omnino non sunt, ne miseri quidem esse possunt. Ergo *mortuis* mors non est malum. c. 6. §. 11. — c. 7. Neque *β*) *viventes*, quum moriendum sit, miseri sunt, quia, quoniam post mortem nihil est mali, ne mors quidem est malum. Morti autem proximum tempus est post mortem, in quo, uti dictum est, mali nihil est. Ita ne moriendum quidem esse malum est; id est enim, perveniendum esse ad id, quod non est malum. c. 8. (Cf. c. 34.)

Tum docetur,

2. *Mortem non modo malum non esse, sed bonum etiam esse.*

a) Primum quaeritur, quid sit mors ipsa. Alii discessum animi a corpore putant esse mortem; alii nullum censent fieri discessum, sed una animum et corpus occidere, animumque in corpore exstingui. Qui discedere animum censent, alii statim dissipari, alii diu permanere, alii semper. — Porro quaeritur, quid sit ipse animus. — Variae philosophorum de animi natura afferuntur sententiae, quae, ut inter se differant, in duas partes dividi possunt. Alii enim censent, animum esse materiam, alii diversum quiddam a corpore. c. 9—11.

b) Quaecunque autem earum sententiarum vera est, hoc certum est, *mortem aut malum non esse, aut bonum potius.* Nam α) si statuimus, animum esse materiam et cum corpore interire, pariter cum vita sensus amittitur; qui autem omnis sensus expers est, is miser dici non potest; ergo mors non est malum. β) Si vero statuimus, animum diversum quiddam esse a corpore et post mortem manere sive immortalem esse, sperare licet, animos, quum e corpore excesserint, in meliorem beatioremque posse pervenire statum. Quod si ita est, sequitur, *mortem non modo malum non esse, sed bonum etiam esse*[4]). c. 11. — Iam argumenta afferuntur, quibus demonstretur, *animos esse immortales.*

(1) *Argumenta quae dicuntur historica.* Immortalitatis opinionem hominibus natura innatam esse, α) primum confirmatur *auctoritate omnis antiquitatis:* quae quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat. Antiquitatem autem hac animorum immortalitatis opinione imbutam fuisse, quum multis aliis rebus, tum *e sepulcrorum caerimoniis,* quas summa cura coluit, et e more claros viros et feminas in deorum numerum transferendi intelligere licet. c. 12. — β) tum *consensu populorum omnium* de animorum immortalitate: unde apparet, hanc opinionem non collocutione aut conventione hominum effectam neque institutis aut legibus confirmatam esse, sed natura omnibus innatam. c. 13. — γ) denique eo, quod *omnibus cura innata est eorum, quae post mortem futura sint.* Inhaeret enim in mentibus quasi saeculorum quoddam augurium futurorum, idque in maximis ingeniis altissimisque animis et exsistit maxime, et apparet facillime: quo quidem dempto, quis tam esset amens, qui semper in laboribus et periculis viveret. c. 14. 15.

(2) *Argumenta quae dicuntur metaphysica* (rationis a priore). Antequam autem Cicero ad enumeranda et examinanda haec argumenta transit, primum quaerit, qualis animo informandus sit animo-

4) V. nos in libro dicto *de Ciceronis in philos. mer.* p. 218 sq. 7).

rum post mortem status; id autem ratione discendum est: cuius ignoratio vanas et ridiculas de statu inferorum opiniones finxit. c. 16. Antiquorum philosophorum sententiae recensentur. c. 17. 18. Ciceronis sententia haec est: Animus, quum e corpore excesserit, quia natura eius spirabilis vel ignea est, ad superiorem regionem evadit, quae naturam habet animi naturae similem: quam quum contigit et agnovit, iunctis ex anima tenui et ex ardore solis temperato ignibus insistit et finem altius se efferendi facit in eaque sede nulla re egens aletur et sustentabitur eisdem rebus, quibus astra sustentantur et aluntur. Atque tum erimus beati, quum, corporibus relictis, et cupiditatum et aemulationum erimus expertes totosque nos in contemplandis rebus perspiciendisque ponemus. c. 19—21. — Tum exquirere studet, quid sit, quod multi philosophi inveniantur, qui animos immortales esse negent. — Nulla alia caussa est, nisi quod nequeunt, qualis animus *sine* corpore sit, intelligere et cogitatione comprehendere. Id autem nihil est, nisi forte dicimus, quod nunquam vidimus, id quale sit, intelligere nos non posse. At ut deum corpore liberatum, ita animum cogitatione complecti possumus; immo si animi naturam intuemur, multo difficilior nobis multoque obscurior debet esse cogitatio, qualis animus in corpore sit, tanquam alienae domi, quam qualis, quum exierit et in liberum caelum quasi domum suam venerit. c. 22. His de animorum post mortem statu praemissis, iam sequuntur

Argumenta, quibus demonstrari possit, animos esse immortales.

a) Primum argumentum Platonicum, *a natura animi* ductum. Animus sua, non aliena vi movetur. Quum vero id solum, quod se ipsum movet, quia nunquam deseritur a se, nunquam ne moveri quidem desinit; animus aeternus sit et immortalis necesse est. Principii ut nulla origo est, ita ne occidit quidem. c. 23.

b) Alterum argumentum, *a facultatibus animi* ductum. Animus eis facultatibus instructus est, quae, nisi a deo, aliunde ad hominem venire non possunt; divinae igitur ob eamque rem aeternae sint necesse est. α) Primum habet *memoriam*, quae duplicem vim habet; primum enim de Platonis sententia est recordatio vitae superioris: e qua ut intelligitur, animum, antequam in corpus intraverit, in rerum cognitione viguisse, ita concludi debet, eum, etiam relicto corpore, permansurum esse. Tum memoria hanc vim habet, ut sit ea animi facultas, qua tenere olim in hac vita percepta ac revocare, quandocunque lubet, possimus. c. 24. Haec autem praeclara animi vis quum nihil inveniatur unde oriri possit, divinam originem habeat

necesse est. c. 25. §. 60. 61. — β) Porro reliquae animi facultates, quae tot res et tantas efficiunt, non ex hac terrena mortalique et caduca natura concretae esse possunt, sed clare ostendunt, divinam se habere vim ob eamque rem interire non posse. c. 25. §. 62. c. 26.

c) Tertium argumentum, *a simplici animi natura* ductum. Animus simplex est; ita nec dividi potest, nec interire; est enim interitus quasi discessus et secretio earum partium, quae ante interitum iunctione aliqua tenebantur. c. 27. §. 66. (Hoc argumentum, paucis aliis interiectis, c. 29. §. 71. iterum commemoratur.)

(3) Sententia proposita, immortales esse animos, defenditur ab eis, quae contra eam afferri possint.

a) Quod primum obiici possit, animum non videre formam suam nec scire, ubi habitet; id leve est. Nam ut oculus, sic animus, se non videns, alia cernit; facultates certe suas videt. c. 27. §. 66. 67. Et ut deus, etsi oculis videri non potest, agnoscitur ex operibus suis; ita ex divinis animi facultatibus eius vis divina agnoscitur. c. 28. — (Hic iterum affertur argumentum immortalitatis a simplici animi natura ductum. — Tum sequuntur Socratis et Catonis exempla, quae luculente demonstrant, haec de animorum immortalitate persuasio, quae firmis nitatur argumentis, quantam ad contemnendam mortem vim habere possit atque efficacitatem. — Socratis sententia de animorum post mortem statu exponitur. — Catonis exemplum admonet, ut pauca dicantur de morte, quam quis sibi ipse consciscit. — Sententia: *totam philosophorum vitam commentationem mortis esse,* egregie illustratur. c. 29 — 31.)

b) Tum refelluntur *Stoici,* qui animos manere dicunt, quum e corpore excesserint, sed non semper: quod ineptum est; dant enim id, quod difficillimum in caussa est, posse animum manere corpore vacantem; tollunt autem id, quod facile est, eos semper manere. c. 31. 32. §. 78. Itemque Panaetius confutatur, qui, quod et nascerentur animi, et in morbum caderent, eos etiam interire concludebat. c. 32. §. 79. c. 33.

3. Cicero ad propositum: *in morte nihil esse mali,* regressus, quaestionem, quam iam supra attigerat, *num, ne si intereant quidem animi, in malis ducenda sit mors,* retractat. Ne sic quidem malum est mors. Nam,

a) uti supra demonstratum est, si animus sic interit, ut corpus, post mortem nullum sensum habemus. (Cf. supra c. 11.) c. 34. §. 82.

b) Ipse autem animi a corpore discessus si fit cum dolore, is perquam est exiguus; at plerumque fit sine sensu, nonnunquam etiam cum voluptate. c. 34. §. 82.

c) Neque discessus a vitae bonis angere nos et excruciare potest; nam quum vita miseriis et calamitatibus referta sit, mors a malis potius, quam a bonis nos abducere dicenda est. c. 34. §. 83. — c. 36.

d) Et, si hoc ipsum concedatur, bonis rebus homines morte privari, tamen idcirco mors malum non est. Nam mortui, quoniam non sunt, nec ullus sensus eis relinquitur, nec vitae commodis carere possunt, nec eorum desiderium habere. Neque vero dici potest, id ipsum odiosum esse, sine sensu esse; nam nihil potest in eo esse, qui ipse non est. c. 36. 37. (Neque haec opinio, mortalem esse animum, deterrebit sapientem, quo minus res moliatur aeternitate dignas et posteritatem ipsam, cuius sensum habiturus non sit, ad se putet pertinere. Nam sapiens non cupiditate gloriae, quam mortuus sensurus non sit, sed virtutis, quam necessario gloria consequitur, in eis, quae agit, ducitur. c. 38.)

e) Neque mors ante tempus vel mors inexspectata malum dici potest, quum omnino mors non malum sit, et natura non ad praestitutam diem vitam nobis commodaverit. Licet igitur naturae vitam repetere, quum vult. Et vero diuturnitas ac brevitas vitae sunt notiones quae dicuntur relativae. c. 39.

4. *Conclusio totius disputationis.* Ergo quum ex omni disputatione illud sequatur, ut mors nullo modo in malis ducenda sit, mortem contemnamus neque mollissimis cogitationibus effeminemur, sed totam vim bene vivendi in animi robore et magnitudine et in omnium rerum humanarum contemptione et in omni virtute ponamus. Exempla Theramenis, Socratis aliorumque, qui praeclare factorum conscii forti animo mortem occubuerunt. c. 40 - - 42. (Digressio. De humatione et sepultura mortuorum quid statuendum sit, exponitur. c. 43 — 45.)

Iam Cicero redit ad ea, quae supra de contemnenda morte protulit. Scilicet mors tum aequissimo animo oppetitur, quum suis se laudibus vita occidens consolari potest. Nemo parum vixit, qui virtutis perfectae perfecto munere functus est. Gloria autem, etsi nihil habeat, cur expetatur, tamen virtutem tanquam umbra sequitur. Sapiens igitur non solum fidenti animo gradietur ad mortem, in qua aut summum bonum, aut nullum malum esse cognovit, sed etiam secundis suis rebus mori volet. c. 46.

III. Epilogus. Epilogi loco afferuntur ipsorum deorum de morte iudicia, quae ostendunt, eos quoque mortem in bonis habere, et clarorum virorum qui laeto animo mortem pro patria oppetiverunt testimonia. Quae quidem omnia et omni nos mortis metu liberare, et spem de futura vita, in qua beati erimus, firmare debent.

TUSCULANARUM DISPUTATIONUM

LIBRI SECUNDI,

QUI EST DE TOLERANDO DOLORE,

CONSPECTUS.

I. Prooemium. Posteaquam Cicero philosophiae studium contra eius vituperatores defendit Romanosque ad idem studium colendum Latinisque litteris illustrandum cohortatus est docuitque philosophiam a liberaliter eruditis, adhibita disserendi elegantia, ratione et via tractandam esse: colloquium ita inducitur, ut primum, hesterna disputatio quantam vim habeat ad animum mortis metu et eo genere molestiae liberandum, paucis repetatur, tum universae philosophiae ad animos contra inanes sollicitudines, cupiditates timoresque firmandos muniendosque vis laudetur. c. 1 — 4.

Prior pars disputationis.

II. Propositum (θέσις). *Dolor maximum est malorum omnium* Haec sententia statim eo argumento, quod dedecus et turpitudo maius sit dolore malum, refellitur, ut iam immutata sic proponatur: *dolor malum est.* c. 5. Sequitur, ut quaeratur, dolor (corporis) malumne sit et quatenus sit. Ad hanc quaestionem illustrandam et explanandam trium principum disciplinarum de hoc argumento sententiae recensentur.

1) Sententia *Cyrenaicorum* (*Aristippi*) et *Epicureorum* confutatur. c. 6. 7. §. 17. (Hic Cicero suam ipsius profert sententiam dicens, dolorem rem esse tristem, asperam, amaram, inimicam naturae, ad patiendum tolerandumque difficilem, ergo etiam malum: quod ita esse, intelligere licet ex eo, quod etiam fortissimos viros doloris cruciatibus frangi et lamentari videmus. — Exempla Philoctetae, Herculis, Promethei, e poetis tragicis repetita. c. 7. §. 18. 19 c. 8 — 10. Hinc nascitur brevis digressio de usu locorum e poetis petitorum, qui disputationibus de philosophia institutis admisceantur. Poetae carpuntur, quod, quum fortissimos homines inducant lamentantes, animos nostros molliant virtutisque nervos elidant. c. 11 Multo magis autem vituperandi sunt virtutis magistri, philosophi qui summum malum dolorem dicunt. Rursus perstringitur Epicuri sententia. c. 12. §. 28.)

2) Sententia *Stoicorum*, qui nihil malum esse dicebant, nisi quod turpe atque vitiosum esset; dolorem igitur asperum illum quidem esse et contra naturam, sed malum esse omnino negabant, qui

vita beata in una virtute posita esset. — At haec ratio inepta est et redit ad verborum controversiam nec quidquam valet ad tollendum dolorem. c. 12. §. 29. c. 13. §. 30.

3) Sententia eorum philosophorum (*Peripateticorum*), qui dolorem malum illum quidem esse dicebant, sed, cum turpitudine comparatum, paene nullum esse. Atque hanc quidem sententiam secutus est Cicero. Nam ut honestum summum bonum est, cetera corporis et fortunae bona perexigua sunt; ita turpitudo summum malum est, cetera externa vel corporis mala cum turpitudinis malo vix comparanda. Itaque si turpitudo peius est, quam dolor; nihil est plane dolor. Nam turpe est dolore frangi. Qui autem virtutis compos esse vult, omnem turpitudinem fugiet. Virtus igitur tantam in se habet vim, ut ei cedere debeat dolor. Quattuor virtutes quae dicuntur cardinales enumerantur, ostenditurque, nulli earum satisfieri posse, nisi dolor contemnatur. Ergo aut nulla virtus est, aut contemnendus omnis dolor. c. 13. §. 31. c. 14. princ.

Altera pars disputationis.

Iam vero si dolorem dolorem, i. e. malum, esse ita conceditur, ut eum virtute, nominatim fortitudine, opprimi posse statuatur; quaeritur, quo modo illa virtus, quae vi sua efficit, ut dolorem contemnamus, comparanda sit. Haec virtus comparatur:

a) *Exercitatione et consuetudine.* Exempla iuvenum Spartae, severa disciplina institutorum, Romanorum militiae, Eurypyli, venatorum, pugilum, luctatorum, gladiatorum. c. 14 — 17.

b) *Ratione.* Hanc disputationem ita ingreditur Tullius, ut, quod supra demonstratum erat, paucis repetat, dolorem malum illum quidem esse, sed omnem dolorem esse tolerabilem, virtutemque postulare, ut eum toleranter patiamur, ipsum nomen *virtutis*, a *viro*, cuius propria maxime sit fortitudo, ductum, satis ostendere, doloris contemptionem maxime pertinere ad virtutem, neque quemquam virtutis compotem vel virum esse posse, nisi dolorem contemnat. c. 18. Quaeritur, quo modo ratio efficiat, ut dolor tolerabilis fiat. Remedia autem doloris non sunt quaerenda ab Epicuro, qui, quum dolorem summum malum dicat, tamen praecipit: „Neglige dolorem; nam dolor summus brevis est et, si est diuturnus, non est summus et habet laetitiae plus, quam molestiae.“ c. 19. Petenda est igitur medicina ab eis, quibus, quod honestum sit, summum bonum; quod turpe, summum videtur malum. Quod si nobis persuasum est, reliquum est, ut certa quaedam rationis praecepta sequamur. c. 20. Qualia sunt haec:

α) Tute tibi impera. Nam quum animus sit in partes tributus duas, alteram, rationis participem, alteram expertem; illa huic im-

perare, h. e. ratio temeritatem coercere debet. Tres gradus imper rationis in temeritatem, vel ut domini in servos, vel ut imperator in militem, vel ut parentis in filium. c. 21. 22. §. 51.

β) Propone animo species honestas virorum, qui fortiter tul runt dolores. c. 22. §. 52. 53.

γ) Cogita, quid fortitudine et animi magnitudine dignissimu sit. Animus intentione sua depellit pressum omnem ponderum; r missione autem sic urgetur, ut se nequeat extollere. Adhibenda e igitur animi contentio, cuius ut in corpore, sic in animo magna v sit. c. 22. §. 53. extr. c. 23. §. 54.

δ) Cogita, quam turpis sit viro gemitus elamentabilis et flet muliebris; c. 23. §. 55. 56. c. 24. §. 57. contra, quam honestum s dolorem placide atque sedate ferre. c. 24. §. 58. 59. Hoc igitur ti propone: amplitudinem animi, quae maxime eminet contemnendis d loribus, unam esse omnium rem pulcherrimam. c. 25. 26. Haec au tem patientia dolorum in omni genere aequabilem se praebeat, i. e. aliis in doloribus fortior, in aliis minus fortis sis. Nam, quod a cer ratione proficiscitur, in omni genere aequabile esse debet; ita fort tudo, a certa ratione profecta, in omni genere dolorum eandem h bere debet vim. c. 27. §. 65.

III. Conclusio totius disputationis. Quae quum ita sint, ex stimare debemus, dolorem, etiamsi malum sit, tantulum tamen es ut a virtute ita obruatur, ut nusquam appareat, praesertim qu paratum sit illud ex hesterna disputatione de contemnenda morte pe fugium. c. 27. §. 66. 67.

TUSCULANARUM DISPUTATIONUM

LIBRI TERTII,

QUI EST DE LENIENDA AEGRITUDINE.

CONSPECTUS.

I. Prooemium versatur in laudibus philosophiae: quae quum me dicina animi sit, eaque in potestate nostra sita; dolendum esse dic Cicero, medicinae corporis multum et honoris haberi et tempori tribui, illam autem animi medicinam contemni et negligi. c. 1. §. 1 Caussae morborum animi breviter dinumerantur: perversa iuventuti educatio et institutio, lectio poetarum, gloria et fama popularis, pe cuniae cupiditas, voluptatum libido. §. 2. c. 2. §. 3. 4. Morbi anim et perniciosiores et plures sunt, quam corporis. Illorum igitur cu

ratio magis necessaria est, quam horum. Animi autem medicina quaerenda est a philosophia. c. 3.

II. Propositum (θέσις). *Cadit in sapientem aegritudo.*

A. Refutatio sententiae propositae.

Sententia proposita: *cadere in sapientem aegritudinem,* a Cicerone ita refutatur, ut demonstret, eam secum pugnare. Nam si aegritudo in sapientem cadit, sapiens insanire dicendus est; omnis enim animi perturbatio insania est; aegritudo autem animi perturbatio est; sapiens igitur, qui aegritudine premitur, insanit. — Subiunguntur quaedam de vi Latini nominis *insaniae.* Latini enim omnem animi affectionem, lumine mentis carentem, insaniam, amentiam, dementiam appellant et idcirco eam removent a sapiente. Comparantur Graeca nomina *μανίας* et *μελαγχολίας.* c. 4. 5.

Quoniam natura fere in animis tenerum quiddam atque molle est, quod aegritudine quatiatur; facile inducimur, ut existimemus, aegritudinem in sapientem cadere. At philosophiae propositum esse debet, ut omnem imbecillitatem nostram atque mollitudinem exstirpet animosque omnibus miseriis liberet. c. 6. Itaque Cicero primum Stoicorum argumentis breviter adstrictis demonstrare conatur, in sapientem cadere non posse aegritudinem.

a) *Prima argumentatio.* Nemo est sapiens, nisi fortis; aegritudo autem repugnat fortitudini; non cadit ergo in sapientem aegritudo. c. 7. §. 14. 15.

b) *Altera argumentatio.* Sapientis animus ita semper affectus est, ut ratione optime utatur; nunquam igitur perturbatus est; at aegritudo perturbatio est animi: semper igitur ea sapiens vacabit. §. 15. extr.

c) *Tertia argumentatio.* Sapiens moderatus et temperans et constans et quietus est; aberit igitur a sapiente aegritudo. c. 8.

d) *Quarta argumentatio.* Sapiens nunquam irascitur; si autem caderet in sapientem aegritudo, caderet etiam iracundia: qua quoniam vacat, aegritudine etiam vacabit. c. 9. §. 19.

e) *Quinta argumentatio.* Sapiens misericordia et invidentia vacat; si vero sapiens in aegritudinem incidere posset, posset etiam in misericordiam, quae est aegritudo ex alterius rebus adversis, et in invidentiam, quae est aegritudo ex alterius rebus secundis; abest ergo a sapiente aegritudo. §. 20. c. 10. §. 21.

B. Latior totius de aegritudine loci expositio.

His Stoicorum more contortius conclusis, totum de aegritudine locum latius et diffusius explanare et illustrare aggreditur, ut senten-

tias tamen illorum potissimum in usum suum convertat, quia maxime forti et virili utuntur ratione atque sententia. — Peripateticorum ratio, qui mediocritates perturbationum animi probent, reiicitur. — Vocabula πάθος et *aegritudo* inter se comparantur. — His praemissis, omnis disputatio dividitur in duas partes: quarum altera est de origine et caussa aegritudinis, altera de eius curatione. §. 22. 23.

a. PRIOR PARS DISPUTATIONIS.

DE

CAUSSA AEGRITUDINIS.

Caussa non aegritudinis solum, sed etiam reliquarum perturbationum in opinione sita est. Perturbatio autem est animi motus rationis expers, isque aut boni aut mali opinione excitatur. Hinc bifariam quattuor perturbationes aequaliter distributae sunt. c. 11. §. 24. 25. Nam

Perturbationes
exsistunt

aut ex opinione boni		aut ex opinione mali	
aut ex opinione *praesentis boni:* *Laetitia.*	aut ex opinione *impendentis boni:* *Cupiditas.*	aut ex opinione *praesentis mali:* *Aegritudo.*	aut ex opinione *impendentis mali:* *Metus.*

His perturbationibus omnibus viribus repugnandum est, si vitam tranquille placideque traducere volumus. Huic autem disputationi propositum est, ut *aegritudo* depellatur: §. 25. quam omnium perturbationum gravissimam esse, aliquot exemplis probatur. c. 12. 13. princ. Quibus praemissis, Tullius redit ad explicandam caussam aegritudinis et, posteaquam eam exsistere dixit, quum quid ita visum esset, ut magnum quoddam malum adesse et urgere videretur, examinat *Epicuri* et *Cyrenaicorum* de aegritudine eiusque caussa sententiam. Utrique in eo consentiunt, quod aegritudinem in natura sitam esse censent; eo tamen differunt, quod Epicurei aegritudinem omnino opinione mali, quod accidat, effici sentiunt; Cyrenaici autem non ex omni malo, sed insperato et necopinato malo eam oriri statuunt. Cicero concedit, omnia, quae mala putentur, repentina et improvisa graviora esse, quam provisa et praemeditata, §. 28. et, etiamsi non haec una res efficiat maximam aegritudinem, tamen, quoniam multum valeat provisio animi et praeparatio ad minuendum dolorem, aegritudinis medicinam, quam illi adhibeant, praecipientes, semper omnia homini humana meditata esse debere, probandam iudicat. c. 14. 15. §. 31. Iam ad utriusque scholae sententiam uberius exponendam diligentiusque examinandam transit.

a) *Sententia Epicureorum.* Epicurus dicit, omnes in aegritudine esse, qui se in malis esse arbitrentur, sive illa ante provisa et exspectata sint, sive inveteraverint; nam neque vetustate minui mala, nec fieri praemeditata leviora; stultamque etiam esse meditationem futuri mali aut fortasse ne futuri quidem; satis esse odiosum malum omne, quum evenerit; qui autem semper cogitaverit, accidere posse aliquid adversi, ei fieri illud sempiternum malum; si vero ne futurum quidem sit, frustra suscipi miseriam voluntariam; ita semper angi aut accipiendo aut cogitando malo. §. 32. Levationem autem aegritudinis ponit in avocatione a cogitanda molestia et revocatione ad contemplandas voluptates. §. 33.

Has Epicuri sententias refellere conatur Cicero. α) Primum reprehendit Epicureos, quod praemeditationem rerum futurarum reiiciant. — β) Deinde ostendit, revocationem illam a contuendis malis contra naturam esse. c. 16. — γ) Denique probat, quam perversum sit, quod Epicurei cogitationes eius, qui prematur aegritudine, non ad animi bona, virtutes, sed ad corporis voluptates traducant. c. 17 — 19. Porro contra eos disputat, qui Epicurum defendant, dicentes, primum mores eius esse integros, dein voluptatem Epicuri esse *non dolere*, denique saepe eum laudare virtutem. c. 20. Postremum se excusat, quod saepe Epicureos aggrediatur. c. 21.

b) *Sententia Cyrenaicorum.* Primum repetit ea, quae iam supra paucis perstrinxerat. Concedit enim, aegritudinem partim exsistere ex malo inexspectato et necopinato, et, quod provisum ante non sit, id ferire vehementius; sed negat, esse in hoc omnia, additque, si diligenter necopinatorum naturam consideres, intelligi, non subita ipsa magis conturbare, sed, quod omnia subita maiora videantur, primum, quod, quanta sint quae accidunt, considerandi spatium non detur, deinde, quod, quum videatur praecaveri potuisse, si provisum esset, quasi culpa contractum malum aegritudinem acriorem faciat. Quod ita esse, temporis diuturnitas declarat, quae ita mitigat, ut, eisdem malis manentibus, non modo leniatur aegritudo, sed in plerisque tollatur. — Exempla afferuntur, quibus sententia proposita stabilitur. c. 22.

Quoniam Cicero docuit, vetustate aegritudinem minui vel plane tolli; iam eis, qui obiiciant, si tempus omnem aegritudinem levet, non opus esse ratione aut omnino consolatione illa, qua doceatur, nihil oportere inopinatum videri, ita respondet, ut demonstret, hanc animis medendi vim non esse in ipsa diuturnitate positam, sed in cogitatione diuturna, nihil esse in re mali. — Consolatio autem illa, necesse esse homini tale quid accidere, valet plurimum; nam etsi de ipsa summa mali nihil detrahit, id tamen efficit, ut nihil eveniat in-

opinatum. Ergo ista necopinata non habent tantam vim, ut aegritudo ex eis omnis oriatur; feriunt quidem fortasse gravius, sed non id efficiunt, ut ea, quae accidant, maiora videantur; quia recentia sunt, maiora videntur, non, quia repentina.

Itaque quoniam non ipsa diuturnitas, sed cogitatio diuturna, nihil esse in re mali, dolori medetur: consentaneum est, ut, quod usus docet, id ratione statim praecipiamus. Duplex est autem ratio veri reperiendi; nam aut ipsius rei natura qualis et quanta sit, quaerimus, aut a disputandi subtilitate orationem ad exempla traducimus. c. 23. 24. Refellitur Carneades, qui propositam necessitatem conditionis humanae commemorationemque alienorum malorum ad levandam aegritudinem pertinere negabat. c. 25. §. 59. 60.

Iam Cicero redit ad sententiam supra a se propositam, aegritudinis caussam nullam aliam esse, nisi opinionem et iudicium magni praesentis atque urgentis mali: qua quidem caussa intellecta, totam aegritudinem evelli posse. §. 61. Sed ad hanc opinionem mali quum illa etiam opinio accessit, *ad officium pertinere, ferre illud aegre, quod acciderit:* tum denique efficitur illa gravis aegritudinis perturbatio. Exempla afferuntur de hominum dolori et luctui indulgendi proclivitate, e quibus luculentissime apparet, voluntate et iudicio suscipi aegritudinem, saepe certo temporis spatio terminari, et aliam animi perturbationem alia tolli posse. Ergo *aegritudo opinionis, non naturae est malum.* Quod ita esse, confirmatur etiam a) eo, quod nihil plus valet ad ponendum dolorem, quam quum est intellectum, nihil profici eo et frustra esse susceptum, b) quod, qui multa sint saepe perpessi, facilius ferunt, quicquid accidit, obduruisseque sese contra fortunam arbitrantur, ut ipsa defatigatio miseriarum aegritudines leniores faciat, c) quod sapientissimi homines, quum intelligant, se nondum perfectam sapientiam consecutos esse, tamen in hoc malo aegritudine non premantur, quia nulla admisceatur opinio officiosi doloris, luctumque et maerorem viri esse non putent. c. 28. — Subiiciuntur quaedam ad refutandam sententiam eorum, qui cedendum censeant dolori, quia, quum sit naturalis, naturae obsisti nequeat, ideoque consolationibus eum nihil levari. c. 29. 30. 31. princ.

Sequitur *completa Stoicorum definitio aegritudinis:* Aegritudo est opinio mali praesentis, et quidem *recens:* quod verbum sic interpretantur, ut non tantum illud recens esse velint, quod paullo ante acciderit, sed quamdiu in illo opinato malo vis quaedam insit, ut vigeat et habeat quandam viriditatem, tamdiu appelletur recens. §. 75.

b. ALTERA PARS DISPUTATIONIS.

DE

OFFICIIS CONSOLANTIUM.

Officia consolantium aegritudinem sunt tollere aegritudinem funditus, aut sedare, aut detrahere quam plurimum, aut supprimere nec pati manare longius, aut ad alia traducere. Haec consolandi genera singula singuli philosophi sequuntur. Cicero autem haec omnia colligenda censet, quia alius alio modo moveatur, eamque adhibendam curationem, quam quisque recipere possit, opportunumque tempus sumendum esse. §. 76. Singula consolandi genera accuratius et uberius illustrantur. c. 32. 33.

III. Conclusio totius disputationis. Posteaquam Cicero se excusavit, quod, quum quaesitum esset, possetne in sapientem cadere aegritudo, a proposito aberrans totam de aegritudine doctrinam complexus esset: eam sententiam, qua totius disputationis caussa contineatur, ut, *quicquid sit in aegritudine mali, id non naturale sit, sed voluntario iudicio et opinionis errore contractum*, repetit et, quanquam, universa aegritudine sublata, reliquorum malorum e quibus oriatur aegritudo remedia non magnopere quaerenda sint, tamen singularum rerum proprias consolationes non inutiles esse iudicat. Deinde, quae superiore disputatione latius et diffusius exposita erant, paucis comprehendit. Denique varia aegritudinis genera breviter dinumerat et viam sibi munit ad sequentis disputationis argumentum. c. 34.

TUSCULANARUM DISPUTATIONUM

LIBRI QUARTI,

QUI EST DE RELIQUIS ANIMI PERTURBATIONIBUS,

CONSPECTUS.

I. Prooemium. Laudantur Romani, quod, quum a primo Urbis ortu egregiis moribus institutisque et disciplina ac temperatione civitatis eminuerint, tum, dominatu regio re publica liberata, progressionem admirabilem incredibilemque cursum ad omnem excellentiam fecerint. c. 1. §. 1. Iam antiquitus Romani studia doctrinae, aliunde arcessita, conservarunt et coluerunt. Cuius rei caussam a Pythagorae doctrina repetendam esse, quum coniectura probabile est, tum quibusdam etiam testimoniis historicis indicatur. §. 2. 3. c. 2. Philosophiam autem veteres Romani vita magis, quam litteris persecuti

sunt; serius demum, tempore illo, quum Atheniensium legati, Carneades, Critolaus, Diogenes, tres philosophi clarissimi, Romam venerunt (156 a. Chr.), praeclarissimae illius disciplinae studium laetius efflorescere coepit. Epicurei post C. Amafinium primi fuerunt, qui philosophiam suam litteris Latinis consignarunt. c. 3. Pauca subiunguntur de Academica philosophandi ratione. c. 4. princ.

II. Propositum (θέσις). *Non omni animi perturbatione sapiens videtur vacare.*

Huic sententiae Tullius ita respondet, ut, hesterna disputatione in partes vocata, *aegritudine* quidem sapientem vacare dicat; ea autem sublata, sequi etiam, ne metum quidem cadere posse in sapientem; nam metum esse earum rerum absentium, quarum praesentium sit aegritudo; reliquum igitur esse, ut demonstretur, ne duas quidem quae restent perturbationes, laetitiam gestientem et libidinem, in sapientem cadere. c. 4.

His autem relictis, totum de perturbationibus locum disputatione sua complecti ingreditur, atque ita quidem, ut Stoicorum rationem, qui quum de animi perturbationibus disputent, magnam partem in eis partiendis et definiendis occupati sint, medicinam autem perturbationum leviter tantum attingant, cum Peripateticorum ratione, qui, partiendi et definiendi spinis praetermissis, ad placandos sanandosque animos multa afferant, coniungendam iudicet. Tota igitur huius libri disputatio tripertita est.

A. *Prima pars* sistit divisiones et definitiones omnium perturbationum animi: in quibus presse sequitur Stoicorum vestigia. c. 6 — 14.

B. *Altera pars* docet, perturbationes in sapientem cadere non posse. In quo loco Tullius longius exspatiatur in refellenda Peripateticorum de perturbationum et necessitate et utilitate sententia. c. 15 — 26.

C. *Tertia pars* proponit remedia, quae perturbationibus adhibenda sint. c. 27 — 38.

A. PRIMA PARS.

DE

DIVISIONE ET DEFINITIONE PERTURBATIONUM.

a. *Definitio perturbationis eiusque partium descriptio. Perturbatio* (πάθος, *Leidenschaft*), quae oritur e iudicio et opinione (falsa), quae est imbecilla assensio (v. §. 15.), est *aversa a recta ratione, contra naturam, animi commotio* (ἡ ἄλογος καὶ παρὰ φύσιν ψυχῆς κίνησις, Diog. Laert. VII, 110.). Huius contraria est *constan-*

tia (εὐπάθεια, *innere Gleichmässigkeit, geordnete Seelenbewegung*). Perturbatio autem pro rerum qua excitatur diversa natura aut appetitus est, aut aversatio; res autem, quibus aut appetitus aut aversatio movetur, aut praesentes sunt, aut futurae. Ergo quattuor sunt perturbationis genera. Nam

Perturbatio

exsistit

aut ex opinione boni		aut ex opinione mali	
ex opin. praesentis boni: *Laetitia*,	ex opin. futuri boni: *Libido*,	ex opin. praesentis mali: *Aegritudo*,	ex opin. futuri mali: *Metus*,
opinio recens boni praesentis, in quo efferri rectum videatur (ἡδονή, ἄλογος ἔπαρσις ἐφ' αἱρετῷ δοκοῦντι ὑπάρχειν, *ausgelassene Fröhlichkeit*). Laetitiae opponitur ut constantia *Gaudium* (χαρά, εὔλογος ἔπαρσις, *Freude*).	opinio recens boni futuri (ἐπιθυμία, ἄλογος ὄρεξις, *Lust*). Libidini opponitur ut constantia *Voluntas*, quae quid cum ratione desiderat (βούλησις, εὔλογος ὄρεξις, *Wille*).	opinio recens mali praesentis, in quo demitti contrahique animo rectum videatur (λύπη, συστολὴ ἄλογος, *Bekümmerniss*). Aegritudini nulla opponitur constantia.	opinio futuri mali, quod intolerabile videatur (φόβος, προσδοκία κακοῦ, *Furcht*). Metui opponitur ut constantia *Cautio*, declinatio cum ratione (εὐλάβεια, εὔλογος ἔκκλισις, *Vorsicht*).

Laetitiae species sunt:	Libidinis species sunt:	Aegritudinis species sunt:	Metus species sunt:
Malivolentia, voluptas ex malo alterius sine emolumento suo (ἐπιχαιρεκακία, ἡδονὴ ἐπ' ἀλλοτρίοις κακοῖς, *Schadenfreude*).	*Ira*, libido puniendi eius, qui iniuria laesit (ὀργή, ἐπιθυμία τιμωρίας τοῦ δοκοῦντος ἠδικηκέναι οὐ προσηκόντως, *Zorn*). Irae species:	*Invidentia*, aegritudo propter alterius res secundas (φθόνος, λύπη ἐπ' ἀλλοτρίοις ἀγαθοῖς, *Neid*).	*Pigritia*, metus consequentis laboris (ὄκνος, φόβος μελλούσης ἐνεργείας, *Trägheit, Arbeitsscheu.*)
Delectatio, voluptas suavitate auditus animum deleniens (κήλησις, ἡδονὴ δι' ὤτων κατακηλοῦσα, *Entzücken*).	a) *Excandescentia*, ira nascens et modo exsistens (θυμός, ὀργὴ ἀρχομένη, *Aufwallung*).	*Aemulatio*, aegritudo, si eo, quod concupierit, alius potiatur, ipse careat (ζῆλος, λύπη ἐπὶ τῷ ἄλλῳ παρεῖναι, ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ, *Eifersucht*).	*Pudor* (αἰσχύνη, φόβος ἀδοξίας, *Scham*).
Iactatio, voluptas gestiens et se efferens insolentius (*Prahlerei*). Omittitur apud Diog. L. VII, 114. Praeter has a Zenone nominantur: Τέρψις, προτροπὴ τῆς ψυχῆς ἐπὶ τὸ ἀνειμένον (*Hang zur Sinnlichkeit*); Διάχυσις, ἀνάλυ-	b) *Odium*, ira inveterata (μῆνις, ὀργὴ πεπαλαιωμένη καὶ ἐπίκοτος, ἐπιτηρητικὴ δέ, *Hass*).	*Obtrectatio*, aegritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipse concupierit (ζηλοτυπία, λύπη ἐπὶ τῷ καὶ ἄλλῳ παρεῖναι, ἃ καὶ αὐτὸς ἔχει, *Missgunst*).	*Terror*, metus concutiens (ἔκπληξις, φόβος ἐκ φαντασίας ἀσυνήθους πράγματος, *Schreck*).
	c) *Inimicitia*, ira ulciscendi tempus observans (μῖσος, ἐπιθυμία τοῦ κακῶς εἶναί τινι μετὰ προκοπῆς [profectu] τινος καὶ παρατάσεως [incremento] *Rachsucht*).	*Misericordia*, aegritudo ex miseria alterius iniuria laborantis (ἔλεος, λύπη ὡς ἐπὶ ἀναξίως κακοπαθοῦντι, *Mitleid, Bedauern*).	*Timor*, metus mali appropinquantis (δεῖμα, φόβος δέος ἐμποιῶν, *Besorgniss*).
	d) *Discordia*, ira acerbior intimo corde suscepta (*Groll*).	*Angor*, aegritudo premens (ἄχθος, λύπη	*Pavor*, metus mentem loco movens (*Bestürzung*). Omittitur ap. Diog. L. VII, 112.
			Exanimatio, metus subsequens et quasi comes pa-

Laetitiae species sunt:	Libidinis species sunt:	Aegritudinis species sunt:	Metus species sunt:
σις ἀρετῆς (*Liederlichkeit*, *wüstes Wesen*). Diog. L. l. d.	Omittitur ap. Diog. L. VII, 113. *Indigentia*, libido inexplebilis (σπάνις, ἐπιθυμία ἐν ἀποτεύξει, καὶ οἷον κεχωρισμένη ἐκ τοῦ πράγματος, τεταμένη δὲ διακενῆς ἐπ' αὐτὸ καὶ σπωμένη, *Ungenügsamkeit.*) *Desiderium*, libido eius, qui nondum adsit, videndi (*Sehnsucht*). Omittitur apud Diog. L. l. d., additur contra: φιλονεικία, ἐπιθυμία περὶ αἱρέσεως, ab electione profecta. *Amor*, libido eius, qui in venereis voluptatibus fruendis se effert laetitia easque inflammato animo concupiscit (c. 32, 68.) (ἔρως, ἐπιθυμία οὐχὶ περὶ σπουδαίους, in severos non cadens; ἔστι γὰρ ἐπιβολὴ φιλοποιίας διὰ κάλλος ἐμφαινόμενον, conatus conciliandae amicitiae per apertam pulchritudinem).	βαρύνουσα, *Angst*, *Beängstigung*). *Luctus*, aegritudo ex eius qui carus fuerit interitu acerbo (*Trauer*) *). *Maeror*, aegritudo flebilis (*Wehmuth*). *Aerumna*, aegritudo laboriosa (ὀδύνη, λύπη ἐπίπονος, *Harm*). *Dolor*, aegritudo crucians (*tiefer Schmerz*, *Gram*). *Lamentatio*, aegritudo cum eiulatu (*Wehklage*). *Sollicitudo*, aegritudo cum cogitatione (*Betrübniss*). *Molestia*, aegritudo permanens (ἀνία, λύπη ἐκ διαλογισμῶν μένουσα ἢ ἐπιτεινομένη, *Leiden*). *Afflictatio*, aegritudo cum vexatione corporis (ἐνόχλησις, λύπη στενοχωροῦσα καὶ δυςχωρίαν παρασκευάζουσα, *Qual*). *Desperatio*, aegritudo sine ulla rerum exspectatione meliorum (*Verzweiflung*).	voris (ἀγωνία, φόβος ἀδήλου πράγματος, *Entsetzen*, *seelenloser Zustand*). *Conturbatio*, metus excutiens cogitata (θόρυβος μετὰ κατεπείξεως φωνῆς, *Verwirrung*). *Formido*, metus permanens (*Verzagtheit*, *Angst*). Omittitur apud Diog. L. l. d.

Omnium autem perturbationum fons est *intemperantia:* quae est a tota mente et recta ratione defectio, sic aversa a praescriptione rationis, ut nullo modo appetitiones animi nec regi nec contineri queant. c. 5—9.

b. *Comparatio morborum animi cum corporum morbis.* Iam Stoicorum more Tullius morbis corporum comparat morborum animi similitudinem. Quemadmodum in corpore e sanguine corrupto, aut pituita redundante aut bili; sic in animo e pravarum opinionum conturbatione morbi et aegrotationes oriuntur. Ex perturbationibus primum *morbi* (*νοσήματα*, *Krankheiten*), dein *aegrotationes* (*ἀῤῥωστήματα*, *Zerrüttungen*) conficiuntur. Cf. Diog. L. VII, 115. Morbis autem aegrotationibusque, quoniam eis appetitionis notio subiecta

*) *Luctus, maeroris, doloris, lamentationis, desperationis* definitiones apud Diog. L. VII, 112. omittuntur, contra commemoratur: σύγχυσις, λύπη ἄλογος, ἀποκναίουσα καὶ κωλύουσα τὰ παρόντα συνορᾶν.

est, oppositae sunt *offensiones* (*Verabscheuungen*), quae habent ad certas res fastidium, ut mulierum odium, et, ut morbi aegrotationesque libidine ac laetitia, sic hae metu moventur. c. 10. Morbi aegrotationesque cogitatione inter se differunt, re copulata sunt. Sequitur uberior expositio morborum aegrotationumque et quae eis contrariae sunt offensionum. c. 11. Deinde corporis animique valitudinis similitudinem fusius persequitur. Quemadmodum enim alii ad alios morbos procliviores sunt, sic alii ad alias perturbationes, c. 12. et ut in corpore et morbus et aegrotatio et vitium est, sic in animo. Explicatio vitiositatis in animo. Porro in bonis quoque animi naturam attingit corporis similitudo; sunt enim in corpore pulchritudo, vires, valitudo, firmitas, velocitas; sunt item in animo. c. 13. Illud autem animorum corporumque dissimile, quod corporum mala (*morbi*) sine culpa accidere possunt, animorum non item. Denique exponitur, quid in perturbationibus animi differant ingeniosi homines et hebetes. c. 14.

c. *Conclusio* primae partis disputationis de perturbationibus et transitus ad alteram partem. c. 14. §. 33.

B. ALTERA PARS,

QUA PROBATUR,

PERTURBATIONES IN SAPIENTEM CADERE NON POSSE.

a. *Argumentum*, quo probatur, sapientem omnibus perturbationibus vacare. Ut virtus est affectio animi constans conveniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus est, et ipsa per sese, separata etiam utilitate, laudabilis, ex eaque proficiscuntur honestae voluntates, actiones omnisque recta ratio: ita vitiositas virtutis contraria est, ex eaque concitantur perturbationes: quae quoniam omnem animi constantiam tollunt, hominem et miseriis affligunt, et deformitate inquinant. c. 15. 16. princ. Sapiens autem is est, qui moderatione et constantia quietus animo est sibique ipse placatus omnesque res humanas inferiores se ducens, beatus igitur. Ex eis igitur intelligitur, sententiam propositam, *in sapientem perturbationes cadere posse*, secum pugnare. §. 36. c. 17. §. 37. 38.

b. *Refutatio Peripateticorum.* Peripatetici perturbationes non modo naturales esse dicebant, sed etiam utiliter a natura datas, eisque modum adhibendum. Has sententias ita refutat Cicero, ut demonstret, vitio nullum adhibendum esse modum; nam quamvis modum teneas in perturbationibus, tamen vitium te committere, quoniam rationi non pareas; neque eius modi terminos constitui posse; denique

perturbationes, ut crescentes sint perniciosae, easdem vitiosas esse nascentes. §. 39. 40. c. 18. Deinde exponit qua perturbationum utilitatem defendunt rationem. Dicunt nimirum eas esse ardores animorum cotesque virtutum, ut homines eis vehementiore impetu, quam sola duce virtute, ad praeclaras actiones incitentur (c. 19. §. 43. 44.); defendunt tamen eas ita, ut resecandas esse fateantur, evelli penitus dicant nec posse nec opus esse, et in omnibus fere rebus mediocritatem esse optimam existiment. §. 46.

Contra haec a Tullio ita disseritur, ut α) primum Peripateticorum rationi opponat Stoicorum de perturbatione definitionem: quae ita certa vel, ut Academici dicunt, veri similis sit, ut nulla egeat demonstratione (ἀξίωμα, postulatum): e cuius singulis notis sequi, falsa esse ea, quae Peripatetici de perturbationum utilitate dicant. c. 21. §. 47. β) Tum singulas perturbationes recenset ostenditque, quam inanes sint quibus eas a natura utiliter datas esse probent rationes. a) *Ira.* §. 48. Exempla bellatorum, imperatorum aliorumque hominum, qui sine ira luculentissima fortitudinis documenta ediderunt. Ratio, quae docet, contemnendas esse res humanas, negligendam mortem, patibiles et dolores et labores putandos, fortitudinem affert, non ira, quae rabiosa est: nisi forte, quae vehementer, acriter, animose fiunt, iracunde fieri suspicamur. c. 22. 23. Enumerantur variae Stoicorum de fortitudine definitiones, e quibus intelligitur, eam ira non egere. c. 24. §. 53. Porro advocatur Stoicorum sententia, omnes insipientes esse insanos. Denique, etiamsi concedatur, quod concedi non potest, iracundia opus esse ad fortitudinem, certe in vita privata plane inutilis est. §. 54. Neque oratorem irasci decet: quanquam simulare iram non dedecet. c. 25. §. 55. — b) *Libido.* Haec a Peripateticis permutatur cum studiis honestis. (Alia res est, quum quaeritur de sapiente; alia, quum quaeritur de vulgo: cui, quoniam uti ratione non potest, utile est, uti motu animi.) §. 55. — c) *Aemulatio, obtrectatio, misericordia.* c. 26. §. 56. — γ) Denique Peripateticorum sententia, *mediocritates perturbationum tenendas esse,* reiicitur; nam, in quo pars est alicuius perturbationis, is perturbatione non vacat. Sapiens autem is est, qui divina imitatur, humana omnia inferiora virtute ducit. Perturbationes igitur repugnant sapientiae. Ergo omnes perturbationes, ex errore ortae, non circumcidendae et amputandae, sed evellendae sunt et extrahendae penitus. §. 57.

C. TERTIA PARS.

DE

REMEDIIS PERTURBATIONUM.

Quoniam non solum de sapiente, qui omni perturbatione liber est, sed etiam de aliis hominibus quaeritur; reliquum est, ut remedia afferantur, quae a philosophia morbis animorum adhibeantur. — Corporis medicina comparatur cum animi medicina. c. 27. §. 58. De curatione perturbationum. Variae earum curationes. §. 59.

a. *De universa curatione perturbationum.* Ad tollendas perturbationes doceatur, α) nec bonum illud esse, ex quo aut laetitia aut libido oriatur; nec malum, ex quo aut metus, aut aegritudo, β) ipsasque perturbationes per se esse vitiosas nec habere quicquam aut naturale aut necessarium. Hic maerentibus imbecillitas animi effeminati obiiciatur eorumque qui fortiter humana tulerint vel ferant laudetur constantia. c. 28. §. 60. Haec altera medicina, qua docetur, perturbationes per se esse vitiosas, tametsi ad vulgus adhibenda non est, tamen, si quis idoneus est ad eam recipiendam, utilior censetur, quoniam simul et opinionem falsam tollat, et aegritudinem detrahat. §. 60. extr. Sunt etiam quaedam aegritudines, quae hac sola medicina sanari possunt, ut, si quis aegre ferat, nihil in se esse virtutis, nihil animi, nihil officii, nihil honestatis. §. 61.

b. *De curatione singularum perturbationum:* in qua illud idem duplex consolandi genus adhibendum est, ut primum ipsa animi perturbatio, de qua agitur, tollatur; tum ostendatur, nec bonum illud esse, quod aut laetitiam aut libidinem moveat; nec malum, quod aut metum aut aegritudinem. c. 29. a) *De aegritudine,* cuius sedatio hesterna disputatione explicata est; b) *de metu,* qui eisdem rationibus, quibus aegritudo, tollendus est, quoniam ut aegritudo praesentis, sic metus futuri mali est; c. 30. c) et d) *de laetitia et libidine.* Primum doceatur, ut omnes perturbationes, sic has esse voluntarias; tum ostendatur, quam turpis sit omnis animi effusio. Gaudium et laetitia quid differant inter se, exponitur. c. 31.

His de laetitia et libidine praemissis, iam de duabus earum formis, amore et ira, separatim agitur. α) *De amore,* qui vulgo appellatur. Ut turpes sunt, qui efferunt se laetitia tum, quum fruuntur venereis voluptatibus; sic flagitiosi, qui eas inflammato animo concupiscunt. — Reprehenditur poetica, quae istum amorem laudet. c. 32. In primis philosophi vituperandi sunt, qui amorem defendant. Nominatim carpitur puerorum amor. c. 33. Item notatur Plato, qui amori auctoritatem tribuerit. Si amor, ut Stoici volunt, ipse cona-

tus amicitiae faciundae ex pulchritudinis specie definiatur, eum defendi posse; sin autem, ut vulgo est, libidine non vacet, eum nihil aut non multum abesse ab insania et idcirco plane respuendum, Cicero iudicat. c. 34. Curatio huius perturbationis. c. 35. β) *De ira.* Ira insania est, ad pessima quaeque flagitia patranda idonea. Iratis igitur subtrahendi sunt ii, in quos impetum conantur facere, dum se ipsi colligant. c. 36. Ira igitur non potest esse utilis aut naturalis; immo opinabilis est ac voluntaria. c. 37. §. 79.

c. Itaque ut perturbationes animi ex errore et falsa opinione oriuntur; ita constantia, eis contraria, scientia nititur. — Qui autem natura ad vitia quaedam proclives sunt, tamen eorum animi sanabiles sunt. Exemplum Socratis. Qui autem non natura, sed culpa vitiosi sunt, eorum vitia facilius sanari possunt, quoniam constant e falsis opinionibus rerum bonarum et malarum, inveteratio autem, ut in corporibus, aegrius depellitur, quam perturbatio, quae est repentina animi commotio. §. 80. 81.

III. Conclusio totius disputationis. Summa totius disputationis quasi capita repetuntur: omnes perturbationes oriri ex opinione et voluntarias esse; omnium autem gravissimam esse aegritudinem; huius autem et reliquorum animi morborum unam esse sanationem, omnes opinabiles esse et voluntarias eaque re suscipi, quod ita rectum esse videatur. Hunc errorem, quasi radicem malorum omnium, quum stirpitus philosophia se extracturam polliceatur: demus nos huic excolendos patiamurque nos sanari omniaque adiumenta et auxilia bene beateque vivendi ab ea petamus. c. 38.

TUSCULANARUM DISPUTATIONUM

LIBRI QUINTI,

QUO DOCETUR,

AD BEATE VIVENDUM VIRTUTEM SE IPSA ESSE CONTENTAM,

CONSPECTUS.

I. Prooemium. Nihil est omnium, quae in philosophia tractantur, quod gravius magnificentiusque dicatur, quam sententia illa: *ad beate vivendum virtutem se ipsa esse contentam.* Atque id tanquam summum philosophiae propositum esse debet, ut virtutem inveniat, in qua satis sit praesidii ad beate vivendum. c. 1. §. 1. 2. Virtus autem si ea est, quae omnia, quae cadere in hominem pos-

sunt, subter se habeat, culpaque omni carens, praeter se ipsam nihil censeat ad se pertinere: sequitur, ut ea ad beate vivendum contenta sit. Quod autem, quum aut corporis doloribus cruciamur, aut adversis fortunae casibus affligimur, saepe huic sententiae diffidere incipimus; id inde fit, quod ex humani generis mollitia, non ex ipsa virtute de virtutis robore existimamus. §. 3. 4. Cuius quidem erroris omnis a philosophia petenda correctio est. — Philosophia egregiis laudibus exornatur, c. 2. §. 5. eiusque contemptores vel vituperatores graviter notantur. §. 6. De philosophiae antiquitate deque ipsius nominis origine. c. 3. De Pythagora, non nominis solum inventore, sed rerum etiam ipsarum amplificatore. De Socratis in philosophiam moralem meritis deque eius disputandi consuetudine. c. 4.

II. Propositum (θέσις). *Non videtur ad beate vivendum satis posse virtus.*

a. Sententiae propositae sic respondetur: Certe ad *bene* (i. e. honeste) vivendum satis est praesidii in virtute. Quemadmodum autem, qui male vivit, miser sit necesse est; ita, qui bene vivit, idem beate vivat necesse est. — Id negat adversarius, dicens, *bene* (i. e. honeste) etiam in maximis cruciatibus vivi posse, non item *beate*. c. 5. §. 12. Tullius contra affert, vitam beatam cum virtutibus ita esse consociatam, ut nunquam eas, ne si ad tortorem quidem rapiantur, a se deseri patiatur. — Adversarius concedit, hanc virtutum vita beata coniunctarum picturam amplissimam esse, quum autem animus ab ista pictura imaginibusque virtutum ad rem veritatemque traducatur, probari non posse, eum, qui torqueatur, beatum esse. Novas igitur rationes, quibus illa sententia confirmetur, conquirendas esse. §. 13. 14.

b. Iam Cicero adversarium reducit ad id, quod actum est superioribus disputationibus. Ut animi perturbationes vitam beatam tollunt; sic in animi quieto et placato statu vita beata cernitur. Atqui virtute efficitur haec animi constantia; ergo virtus ipsa per se efficit vitam beatam. c. 6. Ita videtur ad exitum venisse quaestio. Veruntamen, quoniam haec ipsa res gravissima est, eam Tullius propriis et suis argumentis et admonitionibus tractandam suscipere se velle dicit. c. 7.

c. Adversarius assentitur, eorum quae Cicero posuerit alterum alteri consequens esse, ut, quemadmodum, si, quod honestum sit, id solum sit bonum, sequatur, vitam beatam virtute confici, sic, si vita beata in virtute sit, nihil esse nisi virtutem bonum; sed se non intelligere dicit, quo modo ii philosophi sibi constent, qui, etiamsi sit

bonum aliquod praeter virtutem, tamen virtute vitam beatam effici censeant. c. 8. §. 21. Assentitur in hoc Cicero adversario ostenditque, quam inconstantes isti philosophi sint. Nam, qui beatus est, nihil requirit, ut sit beatior; si est enim, quod desit, ne beatus quidem est. Quum vero tria genera malorum esse dicant; qui duorum generum malis omnibus urgeatur, et fortuna adversa, et corporis doloribus, ei multa ad beatam vitam deesse dicemus, non modo ad beatissimam. §. 22. 23. Constantior certe sibi est Theophrastus, qui aliis eiusdem disciplinae philosophis notandus non erat: qui, quum statuisset, dolores corporis et fortunae casus magnam vim habere ad misere vivendum, constanter dicebat, non omnes bonos esse beatos, quum in omnes bonos et corporis dolores et fortunae calamitates cadere possent. Immo id notandum erat, quod dicebat, tria esse et bonorum et malorum genera. Si enim ei conceditur, plura bonorum et malorum genera esse, consentaneum est, ut consequentia concedantur. c. 9. §. 24. 25. Aut non minus inconstantes sumus Epicuro, qui multa praeclara saepe dicit, sed non semper convenienter decretis suis, quum neget, quenquam iucunde posse vivere, nisi idem honeste vivat, aut, quum dicat, fortunam exiguam intervenire sapienti. §. 26.

d. Si nobis constare volumus, dicendum est, omnes bonos, i. e. omnibus virtutibus instructos et sapientes, nisi una virtute contineatur vita beata, semper beatos esse non posse. Beati enim dicendi sunt ii, qui sunt in bonis, nullo adiuncto malo. Hanc autem cumulatam bonorum complexionem, secretis malis omnibus, virtus assequi non potest, si quicquam praeter ipsam boni est. Nam omnia illa quae vulgo dicuntur bona, quoniam extra eius potestatem posita sunt, amittere potest, et omnia illa, quae in malis numerantur, uno tempore in eum incidere possunt. c. 10. §. 28—30. Rursus Epicuri inconstantia reprehenditur. §. 31. Itaque in hac quidem re negari non potest, Stoicos multo constantiores fuisse in constituenda sua disciplina, quam Peripateticos; quanquam in aliis rebus inter Zenonem et Peripateticos nihil praeter verborum novitatem interesse iure dici potest. c. 11.

e. Ceterum non Zeno primus docuit, sola virtute vitam beatam confici; sed huius sententiae gravitas repetenda est a Platonis auctoritate. Ex hoc igitur fonte haec omnis manabit oratio. c. 12.

f. *Argumentatio*, qua probatur, *virtute effici vitam beatam.*

α) Natura, ut, quicquid genuit, non modo animal, sed etiam plantas, in suo quidque genere perfectissimum, sic *hominem, cui*

animum divinum tribuit, omnium perfectissimum esse voluit. Summa autem hominis perfectio posita est in perfecta mente, i. e. absoluta ratione: quod est idem virtus. Et si omne beatum est, cui nihil deest, et quod in suo genere expletum atque cumulatum est, idque virtutis est proprium: sequitur, omnes virtutis compotes beatos esse. c. 13.

β) Ex eadem ratione sequitur, *omnes virtutis compotes esse beatissimos;* nam, qui confidit suis bonis et omnia, quae vitam beatam efficiunt, in se habet, ei nihil deest ad beate vivendum. Ergo non solum beatus, sed etiam beatissimus est. Quod contra est, si bona et mala dividuntur tripertito. c. 14.

γ) Idem sequitur ex eo, quod *virtus solum bonum est.* Id autem ita esse, demonstratur primum affirmate duobus soritis, dein per modum negandi (negative), quod omnibus bonis corporis et externis abundantem, si idem sit virtutis expers, licet esse miserrimum. — Et, nisi tenebimus, nihil esse in bonis ducendum, nisi quod sit honestum, multa nobis dicenda erunt bona, quae sunt minima et levissima. c. 15. 16. §. 46. — Hic respondet Cicero eis, qui obiiciant: si Stoici *praecipua* dicant, quae alii philosophi corporis et externa bona dicant, totam rem in verborum controversia verti. „Dicunt illi quidem, sed haec bona ad vitam beatam complendam necessaria esse negant; hi autem sine eis esse nullam putant aut, si sit beata, beatissimam certe negant.“ §. 47. princ.

δ) Conclusio Socratica, qua efficitur, bonorum beatam vitam esse. §. 47.

ε) Conclusio ducta a constantia sapientis, qui, quoniam semper omnibus animi perturbationibus vacat, semper beatus est. §. 48. (Cf. c. 15. §. 43.)

ζ) Alia conclusio. Nec misera vita praedicabilis est, nec ea, quae nec misera est, nec beata; ergo sola vita beata praedicabilis est. Quod autem praedicabile est, optimum est. Quod autem optimum est, honestum est. Ergo vita beata eadem honesta sit necesse est. Quod ni ita est, sit aliud necesse est, quod melius est, quam vita beata. Id autem melius certe est honestum, quod optimum est. Hinc sequitur, aliquid esse melius optimo: quo nihil perversius dici potest. Ergo nihil aliud restat, nisi ut honestum idem esse vitam beatam, aut vitam beatam honesto consequentem esse dicamus. c. 17. §. 49. 50.

η) Uti in vitiis satis magnam vim esse dicitur ad miseram vitam;

ita dicendum est, eandem vim in virtute esse ad beatam vitam; contrariorum enim contraria sunt consequentia. §. 50. Vitium autem et virtus contraria sunt; alterum alteram tollit, ut, in quem cadant aegritudines, virtutis compos esse non possit. §. 50. c. 18. E vita nobilissimorum hominum exempla afferuntur, quibus ostendatur, vitium miseram, virtutem beatam vitam efficere. c. 19 — 23.

ϑ) Qui bonus est, i. e. virtutis compos, idem sapiens, i. e. philosophus, est. Sapiens autem et praestantissimis animi bonis gaudet, et quum in otiosa, tum in publica vita e sapientia pulcherrima gaudia percipit. Sapientis igitur vita nihil desiderat, quo sit beatior. Exprimitur viri cuiusdam optimis artibus praestantis imago, partim omnibus philosophiae disciplinis exculti, partim in re publica versati, amicitiisque doctorum et sapientium hominum florentis, ostenditurque, qui eis gaudiis fruatur, eum beatum esse, idque necesse esse omnes confiteri. c. 24. 25.

g. Adversarius quaerit, *semperne sapiens beatus esse possit, etiam in cruciatu et tormentis.* Huic Cicero respondet, id non egere argumentatione, sapientem beatum fore, si in vita omnibus iucunditatibus referta constituatur. Si ipsi Epicuro, qui voluptatem summum bonum, dolorem summum malum esse dicat, dicere licebit, nullum sapienti esse tempus, etsi maximos cruciatus patiatur, quin beatus sit: multo magis dicendum est eis, qui nihil expetendum, nihil in bonis ducendum, quod honestate careat, existimant. — Optandum sane dicit, ut etiam Peripatetici veteresque Academici tandem aliquando aperte et clara voce cum Stoicis audeant dicere, sapientis vitam etiam in maximis cruciatibus beatam esse. c. 26. 27.

h. Iam Cicero redit ad eam sententiam, qua disputationem exorsus est et quam probare conatus est, vitam beatam virtutes etiam ad maxima tormenta cruciatumque prosequi. Nec enim virtutes sine beata vita cohaerere possunt, nec illa sine virtutibus. Id illustratur imaginibus, quibus Stoici utuntur ad virtutum amplissimam dignitatem describendam (cf. c. 5. §. 13.) c. 28. §. 80. 81., confirmaturque Stoicorum conclusione. §. 82.

III. Quaestione proposita ad exitum perducta, alia subiicitur disputatio, qua, Academicorum libertate usus, *quaecunque dissentientium philosophorum sententia sit de summo bono, tamen virtutem satis habere ad vitam beatam praesidii,* demonstrare conatur. c. 29. Itaque breviter enumerantur philosophorum sententiae de summo bono: quae aut simplices sunt, aut mixtae, et quidem:

Simplices

a. *Nihil bonum, nisi honestum* (Stoici).

b. *Nihil bonum, nisi voluptas* (Epicurus).

c. *Nihil bonum, nisi vacuitas doloris* (Hieronymus).

d. *Nihil bonum, nisi naturae primis bonis aut omnibus aut maximis frui* (Carneades).

Mixtae

a. *Tria genera bonorum, animi, corporis, fortunae* (Peripatetici et Academici).

b. *Voluptas cum honestate* (Dinomachus et Calliphon).

c. *Indolentia cum honestate* (Diodorus).

His igitur omnibus e principiis suis dicere licet, vitam beatam virtute effici. Omissis Stoicis, quorum superiore disputatione defensa est sententia, primum attingitur Peripateticorum ratio. Ii dicunt, laudem etiam cum dolore petendam esse; qui autem gloriam adepti sint, beatos esse; gloriam autem una virtute acquiri posse. Ergo ex illorum ratione sequitur, virtute effici, si non beatissimam, certe beatam vitam. — Eadem Calliphontis erit Diodorique sententia. c. 30. 31. §. 86. 87. Iam Cicero reliquam disputationem ita persequitur, ut, omissis reliquis philosophis, ipsum Epicurum, quem mollem et voluptarium philosophum dicant, satis in virtute praesidii esse ad beatam vitam censere ostendat. Epicurei enim contemnunt mortem et dolores; §. 88. 89. parvo contenti sunt; ipsa natura pauca desiderat. Haec sententia exemplis Anacharsis, Socratis, Xenocratis, Diogenis illustratur. c. 32. — Dicunt, cupiditates partim esse naturales et necessarias, partim naturales et non necessarias, partim nec naturales nec necessarias; necessarias satiari posse paene nihilo; secundum autem genus cupiditatum nec ad potiendum difficile esse, nec vero ad carendum; tertias, quod essent plane inanes, funditus eiiciendas esse. c. 33. §. 93. Itaque omnes eius modi voluptates Epicurus extenuat. §. 94. 95. Porro extenuant magnificentiam et sumptum epularum, quod parvo cultu natura contenta sit. Exempla afferuntur, quibus probetur, iucunditatem victus esse in desiderio, non in satietate. c. 34. 35. §. 101. Contemnunt divitias, §. 102. honores, c. 36. exsilium, c. 37. itemque corporis infirmitates, ut caecitatem, surditatem. c. 38. 39. 40. §. 116. Denique, si congerantur in unum omnia, ut idem oculis et auribus captus sit, prematur etiam doloribus acerrimis corporis, non esse dicunt, quod laboremus, quum mors tanquam portus praesto sit, aeternum nihil sentiendi receptaculum. §. 117. c. 41. princ.

IV. Conclusio huius libri. Ergo si Epicurei, quorum ea sententia est, ut virtus per se ipsa nihil valeat, omneque, quod hone-

stum nos et laudabile esse dicimus, id cassum quiddam et inani vocis sono decoratum esse dicant, tamen semper beatum censent esse sapientem: multo magis id a Socrate et Platone profectis philosophis faciendum est, quorum alii (Peripatetici et Academici) tantam praestantiam in bonis animi esse dicunt, ut ab his corporis et externa obscurentur; alii autem (Stoici) haec ne bona quidem ducunt, in animo reponunt omnia. §. 119. 120.

Denique Tullius has quinque dierum disputationes conscribendi et ad Brutum mittendi consilium exponit.

M. TULLII CICERONIS

TUSCULANARUM DISPUTATIONUM

LIBRI QUINQUE.

TUSCULANARUM

Lib. I. De contemnenda morte.

Lib. II. De tolerando dolore.

Lib. III. De aegritudine lenienda.

Lib. IV. De reliquis animi perturbationibus.

Lib. V. Virtutem ad beate vivendum se ipsa esse contentam.

M. TULLII CICERONIS
TUSCULANARUM DISPUTATIONUM
AD
M. BRUTUM
LIBER PRIMUS.

I. 1. Quum defensionum laboribus senatoriisque muneribus aut omnino aut magna ex parte essem aliquando liberatus; retuli me, Brute, te hortante maxime, ad ea studia, quae, retenta animo,

Cap. I. §. 1. Cicero libros de philosophia scriptos exordiri solet prooemio, in quo et consilium suum philosophiam e Graecia Romam transferendi Latinisque litteris illustrandi exponit, et sapientiae studium praedicat, et Romanos ad suscipiendum persequendumque id genus litterarum graviter commonet. Conferas, quae de sapientiae apud Romanos studio exposuimus in libro *de Ciceronis in philosophiam meritis* p. 22 sqq. Haec autem prooemia neque in his neque in reliquis Ciceronis de philosophia libris arcte cohaerent cum ipsis disputationibus, quibus praemissa sunt. Ipse Cicero ad Attic. XVI. 6, 4. hac de re loquitur.

§. 1. *defensionum*] Quanquam non solum defensiones, sed saepe etiam accusationes Cicero suscepit: tamen illarum tantum h. l. mentionem facit, quia et maior orationum pars in aliis defendendis versabatur, et vero defensio laudabilior existimabatur. Audiamus ipsum Ciceronem de Offic. II. 14, 49: (Iudiciorum) ratio duplex est. Nam ex accusatione et defensione constat: quarum etsi laudabilior est defensio, tamen accusatio probata persaepe est. Cum quo loco cf. Quintil. Inst. Orat. XII. 7, 1. De re ipsa v. nos in l. d. *de Cicer. in phil. mer.* p. 41.

aut omnino aut magna ex parte] Scriptae sunt hae disputationes anno 45 et 44 a. Chr. n. V. Prolegom. p. 4 sq. Anno 46. Ligarium, a. 45. regem Deiotarum defenderat Cicero. Ceterum in coniunctionibus disiunctivis *aut — aut* non est, quod cum F. A. Wolfio haereamus. Saepe enim orationis membra per *aut — aut* ita opponuntur, ut alterum altero non tollatur, sed tertium excludatur. Infra III. 17, 38: *aut* in *omni aut* in *magna* parte vitae. V. 30, 84: bonis *aut omnibus aut maximis* frui. V. *Handium* in Tursell. T. I. p. 532. et nos in Gramm. Lat. §. 137, 1. Non apte *R. Klotzius* praeeunte Nissenio comparat Sall. I. 56 extr. cuncti *aut* magna pars; nam aliquantum interest, utrum *aut* semel ponatur, an iteretur.

aliquando] Nonnunquam ponitur pro: *tandem*, quocum etiam coniungitur: *tandem aliquando, aliquando tandem*. Cf. I. 44, 105. pro Cluentio c. 19: collegi me aliquando. V. *Forcell.* Lex. h. v. *Kritz.* ad Sall. Iug. 72, 1. *Hand.* in Tursell. Vol. I. p. 250.

Brute] V. Indicem hist. h. v.

retenta animo] In iuvenili adhuc aetate constitutus Phaedro, philosopho Epicureo, operam dedit Cicero. V. ad Fam. XIII, 1. (Phaedrus) nobis, quum pueri essemus, antequam Philonem cognovimus, valde ut philosophus, postea tamen ut vir bonus et suavis et officiosus probabatur. V. nos in libro d. p. 34.

remissa temporibus, longo intervallo intermissa, revocavi, et, quum omnium artium, quae ad rectam vivendi viam pertinerent, ratio et disciplina studio sapientiae, quae philosophia dicitur, contineretur, hoc mihi Latinis litteris illustrandum putavi; non quia philosophia Graecis et litteris et doctoribus percipi non posset, sed meum semper iudicium fuit, omnia nostros aut invenisse per se sapientius, quam

remissa temporibus] Intelligitur id tempus, quo reipublicae gerendae operam dedit. Cfr. de Off. II. 1, 3 sq. ibique *Beierum* p. 12 sq. et nos in l. d. p. 40 sq. Ceterum adnotanda significatio nominis *tempora*. Id nomen plurali numero, rarius singulari positum saepe indicat fortunae statum et conditionem (Zeitumstände), maxime difficilem et adversam, vel necessitates, quales tempus rerumque conditio secum affert. Cat. I. 9, 22: *temporibus reipublicae cedas*. pro Milone 36, 100: bona, fortunas meas ac liberorum meorum in communionem tuorum *temporum* (i. e. calamitatum) contuli. V. doctissimam adnotationem *Beieri* ad Cic. de Offic. I. 23, 81. p. 187. et II. 1, 4. p. 13. *Temporibus* est ablativus qui dicitur caussalis: propter tempora; *Wolfius* pro dativo accepit (*studia remisi in gratiam talium temporum turbulentorum*): in qua opinione assentientes eum habere Klotzium et Moserum, qui in tertiae nostrae ed. censura dativum sic accipiendum statuit, quasi Cicero in mente habuerit: *remisi* haec studia *temporibus cedens*, miror.

longo intervallo intermissa] Turbulentis belli civilis Caesarem inter atque Pompeium gesti temporibus.

artium] Doctrinarum vel disciplinarum. V. *Bremium* ad Cornel. Nep. Dion. I, 2: ingenium — aptum ad artes optimas, et *Forcellinii* Thes. Lat. h. v.

pertinerent — contineretur] Pauci eique deteriores codd. habent *pertinent*, quod per se reiiciendum non est, v. quae paullo post ad verba: *quae philosophia dicitur* dicemus; sed observandum est, veteres scriptores Latinos, in primis Ciceronem, in orationis obliquae enuntiationibus quae dicuntur secundariis post tempus praeteritum etiam tum imperfecto et plusquamperf. uti solere, quum sententia profertur, quae in omnia tempora et in omnes homines pariter cadit. Tali modo generalis quae dicitur sententia refertur ad iudicium eius, a quo prolata est, et tanquam eius propria designatur. Cf. I. 4, 7. 8. II. 25, 61: Pompeius narrabat, Posidonium graviter et copiose de hoc ipso, nihil esse bonum, nisi quod honestum *esset*, cubantem disputavisse. III. 3, 6. de Fin. I. 5, 14. (Epicurum) ego arbitror — omnia tradidisse, quae *pertinerent* ad bene beateque vivendum. Cf. *Ramshorn*. L. Gr. §. 186. *Ellendt*. ad Brut. §. 124. *Iordan*. ad or. pro Caecin. 22, 63. p. 241 sq. nos ad c. 4, 7: *ut habere cuderemus*, et in Gr. L. §. 140a, Adn. 3. b) et Adn. 4. p. 358 sq. ed. 3.

ratio et disciplina] Saepius haec duo nomina iuncta reperiuntur, ut de Off. III. 4, 20: Erit autem haec formula Stoicorum *rationi disciplinaeque* maxime consentanea. *Ratio* respondet Graeco vocabulo μέθοδος, h. e. via, qua artes traduntur vel discuntur. *Disciplina* est artis vel doctrinae alicuius σύστημα. Similiter iunguntur *ratio* et *scientia*, ut de Or. I. 46, 201: regendae reipublicae *ratio* ac *scientia*. V. *Giesium* ad Divin. I. 2, 4. p. 8. Infra c. 13, 30: nulla *ratione* nullaque *doctrina*: ubi v. Adnotata.

quae philosophia dicitur] Indicativus in oratione obliqua, praegresso tempore praeterito, locum habet in eis enuntiationibus, quae explicationis caussa a scriptore additae sunt. V. *Held*. ad Caes. B. G. I, 18. p. 26. et *Ramshorn*. Lat. Gr. §. 186, 2. *Kühner* L. Gr. §. 160, Adn. 7. Femininum *quae* pro neutro *quod* positum est. V. Adnotata ad IV. 10, 23. — Ceterum *philosophiae* nomen Ciceronis aetate nondum in communem sermonis consuetudinem venisse, apparet ex illius qua usus est circumlocutione. De philosophiae autem definitione v. *Beierum* ad Cicer. Offic. II. 2, 5.

non quia] Rarius apud Ciceronem legitur, quam *non quo, non quod*. V. *Goerenz*. ad Cic. de Finib. IV, 23. init. et *Matthiaeum* ad or. pro Mil. XXII, 59. De structura v. Adnotata ad II. 23, 56. et de *non quia — sed* pro *sed quia* ad II. 26, 64.

Graecis et litteris et doctoribus] Similis locus ad Fam VII, 19: Sin tibi quaedam videbuntur obscuriora, cogitare debebis *nullam artem litteris* sine interprete et sine aliqua exercitatione *percipi posse*: ubi v. *Manutium* et *Graevium*. Uterque ablativus (*litteris, doctoribus*) pro instru-

Graecos, aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent, in quibus elaborarent. 2. Nam mores et instituta vitae resque domesticas ac familiares nos profecto et melius tuemur, et lautius; rem vero publicam nostri maiores certe melioribus temperaverunt et institutis et legibus. Quid loquar de re militari? in qua quum virtute nostri multum valuerunt, tum plus etiam disciplina. Iam illa,

mentali habendus est; nam etiam persona, ubi nihil nisi instrumentum significat, nonnunquam in ablativo ponitur. V. nos in Gr. L. §. 115. Adn. 1. *Ellendtus* ad Cic. de Or. I. 57, 243. Vol. II. p. 143. et *M. Seyffertus* ad Lael. 14, 51. p. 340. h. l. zeugma rectionis agnoscunt; priorem enim ablativum esse instrumenti, alterum non item: quae ratio mihi non probatur. — Ceterum *litterae* de omnibus eis, quae de aliqua re scripta sunt, dicuntur. V. *Madvigium* ad C. de Fin. I. 4, 12.

sapientius, quam Graecos, ct.] Hanc Cicero sententiam nimio patriae amore obcaecatus et fortasse eo consilio videtur protulisse, ut Romanorum animos ad litterarum studium persequendum exhortaretur. Cf. Or. VII, 23. Vide, quae de litterarum et philosophiae apud Romanos studio docuimus in l. d. *de Cic. in ph. mer.* p. 6 sqq. Eandem sententiam expressit de Orat. I. 4, 15: Ingenia vero, ut multis rebus possumus iudicare, nostrorum hominum multum ceteris hominibus omnium gentium praestiterunt.

in quibus elaborarent] Utrumque recte dicitur: *elaborare* et *laborare* in aliqua re, ut in studiis, litteris, sed aliquo sententiae discrimine. *Laborare* enim est in re aliqua studiose atque enixe agenda tractandaque versari, notione adiuncta vel molestiae, vel difficultatis, vel frustrationis, vel curae sollicitudinisve; *elaborare* contra est *e labore* in aliqua re collocato quasi *emergere* et vel ad speratum fructum vel ad propositum consilium pervenire omninoque laborando aliquid efficere: hinc semper ponitur, ubi non anxia, sed liberior quaedam agendi ratio commemoratur. Cf. *Gernhard.* ad Cat. Mai. VII, 24. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 207. (1820), *Beier.* ad Offic. I. 1, 3. p. 8. *Ellendt.* ad Brut. §. 26. p. 25.

§. 2. De *et, que, ac* v. ad I. 40, 95.

et melius tuemur, et lautius] Attendant tirones ad hanc elegantem verborum collocationem, in qua solutae orationis caesura cernitur: qua efficitur, ut oratio numerosius cadat: cuius generis exempla apud Ciceronem, imprimis in eius orationibus et libris rhetoricis, innumerabilia reperiuntur. Mox 3, 6: qui eas nec disponere nec illustrare *possit*, nec delectatione aliqua allicere lectorem, 4, 7: (philosophia) quae de maximis quaestionibus copiose *posset*, ornateque dicere. 5, 10. 15, 33. V. 13, 37: ut aut flores aut fruges *fundat*, aut bacas. Quod autem *Stürenburgius* ad or. p. Arch. p. 112. hanc verborum collocationem Ciceronem usurpare dicit, ubi tertia res non tam gravis sit, quam priores duae, id subtilius, quam verius dictum est. V. nos in Gr. L. §. 167, 5. Ceterum recte *Neidius* docet *melius* ad mores et instituta, *lautius* ad res domesticas et familiares esse referendum. *Melius*, ut ita dicam, spectat ad animi virtutes, *lautius* ad externum splendorem, magnificentiam, opulentiam. Sic Terent. Adelph. V. 1, 2: Lauteque munus administrasti tuum: ubi v. Intpp.

certe] Iungendum est cum verbo *temper.* significatque idem fere h. l., quod antecedens *profecto;* semper enim *certe* habet vim affirmativam, ponit aliquid, non concedit; sed affirmatio potest esse, ut barbare loquar, aut *subiectiva*, i. e. ad loquentis iudicium relata, aut *obiectiva*, i. e. ad factum relata; illa significatur vocabulo *certe*, haec vocabulo *profecto.* Cf. I. 11, 24. 32, 78. N. D. I. 2, 5: alterum fieri *profecto* potest, ut earum (opinionum) nulla, alterum *certe* non potest, ut plus una vera sit. *Certo* significat rationem, qua quis ad alicuius rei cognitionem vel iudicium pervenit. V. nos in Gr. L. §. 133, 2. A) a). Cf. elegantissimam observationem *Herzogii* ad Quintil. X. p. 91. De discrimine locutionum *certe scio* et *certo scio* exposuit *Stürenburg.* ad or. pro Arch. §. 32. p. 191 sq.

temperaverunt] V. ad I. 10, 21.

de re militari] *Moser* comparat pro Mur. 9, 22. et Corn. Nep. 23. 1, 1. ibique Interpp. — *Disciplina*, virtuti opposita, est prudentia rei militaris (Kriegswissenschaft).

Iam illa] *Iam*, ut Graecorum δή, quod *Hartungo* (Griech. Partic. Th. I. p. 230.) cum Latina particula *iam* eandem videtur habere stirpem, transitioni in-

quae natura, non litteris assecuti sunt, neque cum Graecia, neque ulla cum gente sunt conferenda. Quae enim tanta gravitas, quae tanta constantia, magnitudo animi, probitas, fides, quae tam excellens in omni genere virtus in ullis fuit, ut sit cum maioribus nostris comparanda? 3. Doctrina Graecia nos et omni litterarum genere superabat: in quo erat facile vincere non repugnantes. Nam quum apud Graecos antiquissimum e doctis genus sit poëtarum; siquidem Homerus fuit et Hesiodus ante Romam conditam, Archilochus re-

servit ad rem, dignam scilicet, ad quam animum advertamus.

illa — neque cum Graecia, neque ulla cum gente sunt conferenda] Comparatio quae dicitur compendiaria, qua praedicatum vel attributum alicuius rei non cum praedicato vel attributo alterius rei, sed cum ipsa re, cui praedicatum aut attributum adhaeret, comparatur: quod quidem dicendi genus et in recentioribus et in veteribus linguis longe est usitatissimum. Veluti mox: quae tam excellens in omni genere virtus in ullis fuit, ut sit cum *maioribus nostris* comparanda? de Orat. I. 4, 15: ingenia vero — nostrorum hominum ceteris hominibus omnium gentium praestiterunt: ubi v. *O. M. Müller.* Sic Tusc. V. 26, 73: (Epicuro) non multum differenti a iudicio ferarum. Cf. *Beier.* ad Offic. I. 22, 76. II. 7, 26. *Kritzium* ad Sallust. Catil. 41, 14. *Ellendt.* ad de Or. I. 5, 15. Vol. II. p. 16 sq. *Seyffert.* ad Lael. 8, 27. p. 188. II. p. 51: κόμαι Χαρίτεσσιν ὅμοῖαι; creberrime in comparatione, quae per comparativum fit. Pindar. Olymp. I. init.: μηδ' Ὀλυμπίας ἀγῶνα φέρτερόν αὐδάσομεν: ubi v. *Boeckh.* in Explicatt. p. 104. Plura e Gr. lingua dedimus in Gramm. gr. T. II. §. 749. d) p. 449. (Gr. schol. §. 323. Adn. 6.) Cf. *Nitzsch.* ad Odyss. β, 120. p. 86. *Kiessling.* ad Theocrit. II. 15. *Matthiae.* Gr. Gr. §. 453. p. 848 sq. ed. 2. *Thiersch.* Gr. Gr. §. 281. 10. p. 490. ed. 3. Ceterum gerundiva *sunt conferenda, sit comparanda* non pro *conferri possunt, comparari possit* dicta sunt; alterum enim, cum negatione coniunctum, est *non decet, non est rectum conferri*, alterum *digna sit, quae comparetur.* V. nos in Gramm. Lat. §. 131. Not. 1. *Madvigium* ad C. Fin. I. 2, 6. *Weissenborn.* de gerund. p. 136.

§. 3. *siquidem*] Εἴ γε, *wenn ja, wenigstens in dem Falle, wenn. Quidem,* ut γέ, habet vim argumentativam vel confirmativam, ut in: *qui quidem* (ὅς γε), *quando quidem* (ἐπεί γε). Cf. *Hartungum* l. d. p. 408. et nos in Gr. L. §. 133, 2. A) b). Infra I. 23, 54: principium exstinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit, *si quidem* necesse est a principio oriri omnia. Aliis locis in his particularum coniunctionibus *quidem* suppletiva vi instructum est, ut supra §. 1: fecisse meliora, *quae quidem* (i. e. ea scil., quae) digna statuissent, in quibus elaborarent.

annis fere DX p. R. c.] C. Claudii Centonis (Caeci F.) et M. Sempronii Tuditani consulatus in Fastis ponitur in anno DXIV. A. U. C. (239 a. Chr.) Vdr. Consulum index in *G. Fr. Grotefendi* Lat. Gramm. T. II. p. 277. Cicero Brut. 18, 72: Livius primus fabulam, C. Claudio Caeci F. et M. Tuditano consulibus, docuit, anno ipso, antequam natus est Ennius; post Romam conditam autem quarto decimo et quingentesimo. Adde de Sen. 14, 50. Cur h. l. Cicero quattuor istos annos non addiderit, non est, quod urgeamus.

fabulam dedit] Sic pro Cluent. 31, 84: Stalenus – istam *dedit* fabulam, pro frequentiore: *fab. docuit*, ut Graeci dicunt διδάσκειν δράματα de poetis, quibus officium iniunctum erat, ut fabulas a se compositas histrionibus traderent eosque ad eas recte agendas instituerent universamque fabulae actionem moderarentur. Infra IV. 29, 63: Quum Orestem fabulam doceret Euripides. Brut. XVIII, 72. V. *Ernestii* Clav. Cic. v. *docere* et *Boettigeri* de hoc argumento peculiarem libellum: Quid sit *docere fabulam.* Cf. *A. W. Schlegel* dramaturg. Vorlesungen T. I. p. 96. Contra actores dicuntur *discere fabulam.* V. Terent. Hecyr. prol. 48: ubi vide Intpp. *Maetzner.* ad Antiphont. p. 255.

qui fuit maior natu, quam Plautus et Naevius] *Wolfius* verba *et Naevius*, in codd. aliq. omissa, plane delevit, reliqua verba de *Ernestii* sententia uncis inclusit; *Schützius* autem et nuper *Treg-*

gnante Romulo; serius poëticam nos accepimus. Annis[1] fere DX post Romam conditam Livius fabulam dedit, C. Claudio, Caeci filio, M. Tuditano consulibus, anno ante natum Ennium. [qui fuit maior natu, quam Plautus et Naevius.[2]]

II. Sero igitur a nostris poëtae vel cogniti, vel recepti. Quanquam est in Originibus, solitos esse in epulis canere convivas ad tibi cinem de clarorum hominum virtutibus; honorem tamen huic generi non fuisse, declarat oratio Catonis, in qua obiecit ut probrum M.

1 Sic Gud. 1. Rehd. Mon. 1. Aug. sex Oxx et nonnull. ed. vett.; Or. *Annis enim*, neque aliter R. ap. Wes. 2 v. Adn.

der verba: *qui fuit — Naevius*, ut ineptum glossema, plane exterminaverunt. *Orellius* cum *Osanno* Anal. crit. p. 40 sqq. nihil loco movendum iudicans pronomen *qui* refert ad Livium, ut sit: *isque, Livius, fuit maior natu* etc., monetque, ne de gloss. cogitemus, facere morem Ciceronis, quo doctrinae ostentandae caussa alios ὡς ἐν παρόδῳ, uti h. l. Accium, castigare soleat. Osanni rationem etiam *Klotzius* (in Add.), *Fr. Schneider* in ephem. antiq. discipl. 1834. p. 1215 sq., *Moser* probaverunt. Ego vero persuadere mihi non possum, verba *qui — Naevius* a Ciceronis manu profecta esse; primum enim pronomen relat. pro natura sua referri debet ad nomen proxime antecedens. Reperiuntur quidem loci, in quibus *qui* ad remotius nomen referendum est; ii tamen ita sunt conformati, ut, quo pertineat pronomen relativum, obscurum esse non possit. Si vero *qui* ad *Ennium* refertur, cum Davisio statuendum erit, σφάλμα μνημονικὸν a Tullio esse commissum; constat enim, Naevium Ennio maiorem fuisse (v. Indic. histor.); at id vix credibile est, quum ipse Cicero in Bruto c. 18. hunc eundem errorem in Accio notaverit. Quid vero? si concedamus, *qui* referendum esse non ad Ennium, sed ad Livium, ut temporum ratio constet, nonne istud additamentum ieiunum plane est et languidum, hoc videlicet loco, ubi non de temporum ratione quaeritur, sed quasi praetereundo tantum Livii aetas commemoratur? Longe alia res est in Bruto l. d., ubi de industria et dedita opera in Livii aetatem inquiritur. Quis porro Ciceronem ita studiosum fuisse putet ostentandae doctrinae, ut, posteaquam rem iam alio loco docte exprompsisset, eandem quasi recoctam iterum et quidem loco inepto lectoribus proponere voluerit? Itaque equidem non dubito, quin verba: *qui — Naevius*, primum a glossatore, qui loci dicti in Bruto memor esset, ad accuratius definiendam Livii aetatem margini adscripta, postea alieno loco in ipsum verborum ordinem adscita sint.

Cap. II. *in Originibus*] *M. Porcii Catonis*, qui, uti Corn. Nepos in eius vita c. III. auctor est, senex scribere historias instituit, quarum sunt libri septem. Primus continet res gestas regum P. R., secundus et tertius, unde quaeque civitas orta sit Italica, ob quam rem omnes *Origines* videtur appellasse etc. Magna Catonis scripta laudatione ornavit Cicero Brut. c. 17. Cf. infra IV. 2, 3. et de Orat. I, 53. V. Fragmm. Catonis ex rec. Aus. Popmae c. ann. eius et Io. Meursii, Franeckerae 1620, p. 29.

in epulis canere] Eiusdem rei mentio fit infra IV. 2, 3. et Brut. 19, 75. *Davisius* laudat Valer. Maxim. II. 1, 10. Quintil. I. 10, 20. et 31. Varron. ap. Nonium in *assa*. Adde de Orat. III. 51, 197. de Legg. II. 24, 62. ibiq. Davis. Horat. Carm. IV. 15, 29. et *Niebuhr*. Röm. Gesch. I. p. 268 sqq. ed. 4.

huic generi] Poetas intelligendos esse, e sequentibus verbis patet. Sic mox: si qui magnis ingeniis in eo genere exstiterunt.

obiecit] Ob *declarat*, quod antecedit, *Bentleius* legendum coniecit: *obiicit*. Frustra. Cicero enim primum quidem rem factam commemorat ut praesentem, tum vero in accuratiore eius expositione mente redit ad illud ipsum tempus, quo Cato illam rem M. Nobiliori *obiecit*. Hinc sequitur *duxisset*, non *duxerit*. In sequentibus verbis pluralis numerus *poetas* non est ad vivum resecandus. Scriptura (in edd. Vind. et Rom.) *poetam* ieiuna est atque inficeta. Pluralis numerus invidiose positus est, uti vere docet *Moser*, coll. C. *Beier*. ad C. pr. Scaur. p. 158 sq.

Nobiliori, quod is in provinciam poëtas duxisset; duxerat autem consul ille in Aetoliam, ut scimus, Ennium. Quo minus igitur honoris erat poëtis, eo minora studia fuerunt; nec tamen, si qui [1] magnis ingeniis in eo genere exstiterunt, non satis Graecorum gloriae responderunt. 4. An censemus, si Fabio, nobilissimo homini, laudi datum esset, quod pingeret, non multos etiam apud nos futuros Poly-

1 v. Adn.

duxerat autem] Particula *autem* saepissime vim habere videtur particulae *enim*. At videtur tantum. *Autem* respondet plane Graeco δέ, quod crebro pro γάρ positum videtur. Egregie rem enucleavit *Hermannus* ad Viger. 343. b. p. 845: „Ubi quid in reddenda ratione sic affertur, ut id partem aliquam rei, de qua sermo est, constituat, plane ut in quavis narratione, ubi novum praecedentibus praedicatum accedit, δέ et *autem* locum habent, quippe ob id ipsum, quod novum quid accedit, oppositionem quandam fieri indicantes." Cf. *Passovium* in Gr. Lex. v. δέ. et nos in Gr. Gr. T. II. §. 736, 3. (Gr. schol. §. 322, not. 5.) Gr. L. §. 136, 2. 4). Veluti h. l., si Cicero dixisset *duxerat enim* etc., haec enuntiatio nullam aliam vim haberet, quam ut praegressam sententiam explicaret; quum vero ponitur *autem*, enuntiatio non solum explicationis caussa apposita est, sed novam simul praecedentibus adiungit sententiam, quae non antecedenti enuntiationi subiecta est, sed primariae enuntiationis vim atque dignitatem habet. Hac ratione omnes accipiendi loci, in quibus *autem* pro *enim* positum ab interpretibus dicitur. Cf. mox c 3, 6: multi libri dicuntur scripti inconsiderate, ab optimis illis quidem viris, sed non satis eruditis; fieri autem potest, ut recte quis sentiat, et id, quod sentit, polite eloqui non possit. De re ipsa cf. Brut. c. 20.

nec tamen, si qui] *Klotzius* et *Tregder* cum R. Gud. 1. Vat. R. 2. Pal. 2. uno Ox. ediderunt *Nec tamen sic, qui.* Sed illud *sic*, h. e. etsi iniqua erat poetis rerum conditio, hoc quidem loco ineptum mihi atque supervacaneum videtur, contra elegantissimum et plane Ciceronianum *nec tamen, si qui.* V. quem *F. A. Menkius* in Observv. ined. affert *Goerenzium* ad Legg. II. 19, 49. Quae sententia in *sic* latet, ea satis significatur vocabulo *tamen;* deinde *nec tamen sic*, i. e. *tamen ne sic quidem*, a Ciceroniana consuetudine prorsus abhorrere videtur: huc denique accedit, quod multo facilius *si qui* in *sic qui* a librariis mutari potuit, quam e contrario.

nec tamen — non] Quoniam saepe iam vidi, recentiorum multos in particulis *nec non* ad copulanda singula nomina, ut: *pater nec non filius*, *doctus nec non bonus* usurpandis mirifice sibi placere, tironum in gratiam moneo, hoc dicendi genus apud Varronem quidem, poëtas posteriorisque aetatis scriptores in usu fuisse, apud Ciceronem nunquam. Apud hunc enim hae particulae ubivis inserviunt connectendis inter se totis enuntiationibus atque ita collocantur, ut alia verba interserantur; cf. II. 1, 1; ubi autem coniunctae leguntur, alterum *neque* antecedit. V. Paradox. I, 8: *neque* ego unquam bona perdidisse dicam, si qui pecus aut supellectilem amiserit, *neque non* saepe laudabo sapientem illum. Cf. *Wolfium* et *Orellium* ad h. l.

§. 4. *Polyclitos*] Offenderunt in hoc nomine complures Interpretes legendumque censuerunt *Polygnotos*, quia Polyclitus non pictura, sed arte statuaria nobilitatus esset. *Davisius* quidem aliique homines docti, Polyclitum in utraque arte excellenter versatum fuisse, existimant, testibus usi Tzetz. Chil. VIII, 320. et Aeliano V. H. XIV, 8. Ego vero cum Wolfio et Neidio puto, Tullium non solum picturam, sed omnes quae in fingendis figuris versantur artes intellexisse.

Honos alit artes etc.] *Davisius* comparat Senec. Ep. 102.: antiquus poeta ait: *Laus alit artes.* Plat. Rep. VIII. p. 551. A: ἀσκεῖται δὴ τὸ ἀεὶ τιμώμενον, ἀμελεῖται δὲ τὸ ἀτιμαζόμενον: ubi v. *Stallbaumium* p. 184. Pro *incenduntur* *Wolfius* legit *incendimur* (v. V. Scr.). Illam scripturam qui defendunt, in partes vocant Augustin. C. D. V, 13, qui hunc locum sic laudat: Honos alit artes, omnesque *accenduntur* ad st. gl., et Tusc. IV. 6, 12: natura enim *omnes sequuntur;* huic contra scripturae praesidium paratum est in or. pro Archia c. 11: trahimur omnes laudis studio. in Offic. I. 6, 18: omnes enim trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem.

clitos[2] et Parrhasios fuisse? Honos alit artes, omnesque incenduntur[3] ad studia glorià, iacentque ea semper, quae apud quosque improbantur. Summam eruditionem Graeci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus. Igitur et Epaminondas, princeps, meo iudicio, Graeciae, fidibus praeclare cecinisse dicitur, Themistoclesque aliquot ante annos[4], quum in epulis recusaret[5] lyram, est habi-

2 Sic R. Gud. 1. Eodem ducunt scripturae *Polic'itos, Politicos.* Or. c vulg. *Polycletos.* V. nos in Gr. L. §. 2. Not. 1. 3 b. Aug. ed. Lall. *incendimur;* v. Adn. 4 et 5 v. Adn.

At illa scriptura codicum auctoritate satis superque munita est.

iacentque] *Iacere* proprie dicitur de rebus vel hominibus humi prostratis, omnibus viribus, omni vigore destitutis; tum saepe eleganter transfertur ad res a nobis contemptas plane atque neglectas. Ita c. 3, 5: *philosophia iacuit.* Eandem vim habet Graecum verbum κεῖσθαι: de quo v. *Passovium* et *Papium* in Gr. Lex. h. v. E Cicerone exempla congesserunt *Ernestius* et *Schützius* in Ind. Cic. Latin. h. v. De enclitica *que* monendum est, videri eam h. l. habere vim adversativam (*et ex altera parte, et contra*); at non habet: nullam aliam vim habet, nisi ut *adiungat* enuntiationem, qua antecedens sententia continuatur vel accuratius explicatur. Cf. III. 2, 4. V. 10, 30. Saepissime in primis post negationem ita ponitur. Idem valet de *ac, atque, et.* V. nos in Gramm. L. §. 135, 2. *Madvigium* ad Fin. II. 5, 17. p. 169. *M. Seyffert.* ad Lael. 8, 26. p. 182. Cf. III. 3, 6. V. 18, 53: ut nulla re unquam terreamur semperque simus invicti. Plura exempla congesserunt *Beier* ad Cic. Offic. I. 19, 64. p. 150. *Wopkens.* Lectt. Tull. I, 13. p. 103 sq. (H.). *Otto* ad Fin. II. 5, 17. p. 96. *Iordan.* ad or. p. Caecina 20, 57. p. 236. De simili usu coniunctionis *neque* v. Adnotata nostra ad c. 24, 58.

et Epaminondas] Vocula *et* excipitur sequenti *que* (Themistoclesque), ut *et — que* dictae sint pro *et — et.* Sic prius hunc locum explicavi: nunc video idem statuere *Madvigium* ad Finn. p. 729 sq. At sine dubio vehementer fallitur *Handius* in Tursell. Vol. II. p. 528, qui *et* h. l. interpretatur *adeo* (*etiam*): quam vim *et* sic positum apud Ciceronem nunquam habet (v. ad c 17, 40). Ubicunque duae enuntiationes particulis *et — que* sibi opponuntur, oratio ἀνακόλουθος statuenda est. V. nos in Gramm. L. §. 135. Not. 8. Scriptor, priore enunciatione per *et* inducta, alteram per *et* opponere in mente habet, sed deinde antecedentis *et* immemor alteram enuntiationem priori non per *et* opponit, sed, quasi *et* non antecedat, per *que* adiungit. C. Fin. V. 22, 64: Quis est, quin intelligat, *et* eos, qui fecerint, dignitatis splendore ductos immemores fuisse utilitatum suarum, nos*que*, quum ea laudemus, nulla alia re, nisi honestate, duci? At in quibus locis duo singularia verba hoc modo (per *et — que*) iuncta reperiuntur, ii et pauci sunt, et maximam partem a critica ratione vacillant (v. *Madvig.* l. d.) aut aliam explicationem admittunt (uti infra III. 3, 5: ubi v. Adnotata). C. Acad. I. 10, 37: officia autem *et* servata praetermissa*que* media putabat: ubi Lambinus *et* omisit, sed, ut videtur, e coniectura. Ib. 12, 43: Quae quum dixisset: *Et* breviter sane minime*que* obscure exposita est etc. acutissime *Madvigius* l. d. suspicatus est *et* ex antecedenti dixiss*et* natum esse. — De vocabulo *igitur* in initio enuntiationis collocato v. ad c. 6, 11.

princeps, meo iudicio, Graeciae] Cicero de Orat. III. 34, 139: Thebanum Epaminondam haud scio an summum virum unum omnis Graeciae.

fidibus praeclare cecinisse dicitur] Corn. Nep. Praefat. 1. et Epam. II. 1: eruditus (sc. Epam.) autem sic, ut nemo Thebanus magis: nam et citharizare et cantare ad chordarum sonum doctus est a Dionysio. De locutione *fidibus canere* cf. *Ruhnken.* Dictat. in Terent. Eun. I. 2, 53: *fidibus scire:* ubi supplendum *canere.* Sic ad Fam. IX, 22: *fidibus docere.* de Senect. c. 8: *fidibus discere.* De vocabulo *fidis* subtiliter disputat *Madvigius* ad C. Fin. IV. 27, 75. De musicae in animos vi *Menkius* in Observv. ined. apte comparat C. Legg. II. 15, 38.

aliquot ante annos] Pro vulgato *annis,* quod *Or.* edidit, ego cum *Ernestio* aliisque scripsi *annos*, et auctoritate praestantissimorum codicum, R. et Gud. I., quibus accedunt Gud. II. et Aug., com-

tus[6] indoctior. Ergo in Graecia musici floruerunt, discebantque id omnes, nec, qui nesciebat, satis excultus doctrina putabatur. 5. In summo apud illos honore geometria fuit; itaque nihil mathematicis illustrius. At nos metiendi ratiocinandique utilitate huius artis terminavimus modum.

6 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. aliisque plerisque libris et scriptis et editis pro *habitus est*, quod etiam Quinctil. I. 10, 19. habet, quanquam ibi in cod. Tig. etiam *est hab.* legitur.

motus, et quia veri multo est similius, inusitatiorem structuram *aliquot ante annos* a librariis mutatam esse in usitatiorem *aliquot ante annis*, quam contra. Ubi res non ad praesens, sed ad praeteritum tempus refertur; adverbia *ante* et *post* rarius iunguntur cum accusativo, qui significat mensuram temporis, ut in abhinc *duo menses* mortuus, *triginta annos* natus (v. *Hand.* Tursell. Vol. I. p. 372.). Plura reperirentur exempla, nisi non paucis locis accusativus ab editoribus contra codd. temere in ablativum mutatus esset, ut de Sen. 6, 16: haec ille egit septem et decem *annos* post alterum consulatum: ubi perperam legitur *annis*. Quem autem locum *Orellius* ad h. l. addidit Cicer. ad Attic. VIII. 11, 3: fecit idem Themistocles; — at idem Pericles non fecit *annum* fere *post quinquagesimum*, in eo accusativus significat diuturnitatem temporis. V. nos in Gramm. L. §. 115. not. 26. De significatione vocabuli *aliquot* v. Adnot. ad II. 27, 66.

quum — recusaret lyram] Sic recte *Or.* c. R. Gud. 1. b. aliisque multis codd. et nonnullis edd. vett. pro *recusasset* edidit. Falluntur *Ernestius* et *Wolfius*, quum plusquamperfectum latinitatem postulare dicunt. Utrumque tempus admittit huius loci ratio. Imperfectum, quod tuetur codicum auctoritas, significat, Themistoclem eodem temporis puncto, quo lyram *recusabat*, indoctiorem habitum esse, uti vidit *Or.* Cf. Adnotata in c. 35, 86: Pompeio, nostro familiari, *quum* graviter *aegrotaret* Neapoli, melius *est factum*. Fallitur etiam *O. Th. Keilius*, quum in Quaestt. Tullian. Liegnitii 1839. p. VII. imperfectum nihil aliud indicare censet, nisi solitum esse Themistoclem in epulis recusare lyram; nam si semel id fecisset Th., non *recusaret*, sed *recusasset* Ciceronem scripturum fuisse. Imperfectum per se nunquam significat repetitionem actionis. Neque Quinctilianum hunc locum ita accepisse, docet *Klotzius* in Add. p. 5. allato ex illo loco (I. 10, 19.), ubi haec leguntur: Unde etiam ille mos, ut in conviviis post coenam circumferretur lyra: cuius quum se imperitum Themistocles *confessus esset*, ut verbis Ciceronis utar, habitus est indoctior.

Ergo — floruerunt, discebantque — putabatur] Ergo, i. e. inde factum est, ut. Sic de Fin. II. 11, 34: Ergo nata est sententia veterum Academicorum: ubi *Ergo* frustra a VV. DD. sollicitatum est. V. *Goerenz.* Porro attendas ad temporum varietatem. *Floruerunt* ἀορίστως positum, ut mox *fuit*, *terminavimus*. Imperfectum autem est tempus relativum, h. e. quod referendum est ad aliud quiddam. Res sponte apparebit, si locum ita dissolveris: In Graecia musici floruerunt, *quum* omnes musicam *discerent*, nec — *putaretur*. Cf. Adnotata in c. 30, 72: ita enim *censebat* itaque *disseruit*. c. 35, 86. et nos in Gr. L. §. 107, 7. Particula affixa *que* vim habet explicativam, uti saepissime: de qua re infra ad c. 2, 4. exponemus. Denique in verbis *discebantque id omnes* pro *id Ernestius* legendum suspicabatur *ideo*. Frustra; per *id* enim intelligenda sunt *musica*, quod verbum eliciendum est e verbis praecedentibus *musici floruerunt*. Scilicet haud raro pronomina neutrius generis ita ponuntur, ut vices sustineant substantivi alicuius, quod in aliquo praecedentium verborum latet. Similiter infra II. 27, 66: in *eo* persequendo: ubi v. Adn. Cf. Cic. Orat. 20, 68: etiamsi quorundam grandis et ornata vox est *poetarum*, tamen in *ea* (sc. poesi) — licentiam statuo maiorem esse: ubi frustra *Schützius* coni. *iis*. Cf. *Bremium* ad Corn. Nep. Timoth. I, 2. et nos in Gr. L. §. 103. Not. a. Sic saepe apud Graecos. Herod. VI, 105: Φειδιππίδην — ἡμεροδρόμον τε καὶ τοῦτο (hoc negotium) μελετῶντα. Plura collegimus in ampliore Gr. Gr. Vol. II. §. 422. Not. 2. p. 46.

§ 5. *nihil mathematicis illustrius*] *Nihil* et interrogativum *quid* saepe de personis ponuntur, plerumque cum comparativo coniuncta. Cf. III. 10, 22. 12, 27.

III. At contra oratorem celeriter complexi sumus, nec eum primo eruditum, aptum tamen ad dicendum; post autem eruditum. Nam Galbam, Africanum, Laelium doctos fuisse traditum est; studiosum autem eum, qui iis[1] aetate anteibat, Catonem; post vero Lepidum, Carbonem, Gracchos; inde ita magnos nostram ad aeta-

1 v. Adn.

Tarquinio vero *quid* impudentius? Corn. Nep. Alcib. I, 1: constat *nihil* eo fuisse excellentius vel in vitiis vel in virtutibus. V. *Kritzium* ad Sall. Cat. XLVII, 1. *Heindorf.* ad Horat. Sat. I. 3, 18. *Seyffert.* ad Lael. 15, 54. p. 353. *Ramshorn.* Gr. L. §. 203. p. 956. ed. 2. *Kühner.* Gr. L. §. 145. Not. 19. Ad sqq. *nos metiendi* etc. cf. Horat. A. P. 325 sq.

Cap. III. *At contra oratorem celeriter complexi sumus* V. nos in l. d. *de Ciceronis in philosoph. merit.* p. 8. et quos ibi laudavimus. Adde quos *Menkius* in Observ. ined. attulit Plutarch. Marcell. c. 14. et *Fr. Cramer.* Gesch. d. Erziehung T. I. p. 401. De oratoribus, qui h. l. laudantur, v. *Ellendtii* Proleg. in Cic. Brut. p. XIII sqq. Orator *aptus ad dicendum* est is, qui naturali quadam dicendi facultate praeditus est; *eruditus* et *doctus* h. l. idem valent significantque eum, qui arte et litteris institutus est (v. *Seyffert.* ad Lael. 5, 17. p. 93.); *studiosus* denique dicitur is, qui operam quidem dat litteris addiscendis, sed eruditi nomen nondum tueri potest. Similiter de opt. gen. dic. 5: putavi mihi suscipiendum laborem, utilem *studiosis*, mihi quidem non necessarium, *studiosi* dicuntur tirones artis, qui adhuc discunt. V. *Erneslii* Clav. Cicer. h. v. Cf. *Matthiaeum* ad or. pro Ligar. XII, 35. Cato recte appellatur studiosus, quippe qui in senectute demum didicerit Graecas litteras. V. C. Acad. II. 2, 5. de Sen. I, 3.

studiosum] Hic accusativus pendere potest aut a verbo *complexi sumus* aut a verbo *traditum est*. Si refertur ad *complexi sumus*, verba: *nam — traditum est* παρενθετικῶς inserta iudicanda sunt. At hanc rationem duplici de caussa reiiciendam arbitror: primum, quia durissima est; tum vero, quia totius loci natura vehementer ei videtur refragari. Enimvero, quum Cato et Galbam, Africanum, Laelium aetate anteire et tantum studiosus esse dicatur, quum illi docti atque eruditi fuerint, profecto intelligi non potest, cur illi oratores παρενθετικῶς commemorati sint, Cato non item. Itaque dubium non est, quin verba: *nam — cederetur* nullam aliam vim habeant, nisi ut sententia proposita, dicendi artem iam mature apud Romanos viguisse, exemplis illustretur atque muniatur. Negari quidem non potest, verbum *traditum est* non satis convenire postremis verbis: *inde ita magnos nostram ad aetatem*, quum potius exspectetur oratio sic continuata: inde ita magni nostram ad aetatem exstiterunt oratores, ut etc.; sed saepe fit, ut structura aliqua, semel inchoata, ad reliquam etiam orationem pertineat comprehendatque ea quoque, quae illi minus commode subiici possint. Longior fui in enucleando hoc loco, quum viderim, eum ab aliis haud recte esse acceptum.

eum — Catonem] Sic saepe pronomen demonstrativum substantivo praemittitur, ut hoc explicationis caussa additum videatur. Infra c. 13, 29: qui nondum *ea*, quae multis post annis tractari coepta sunt, *physica* didicissent. c. 24, 59: quanta *is*, qui a Pyrrho legatus ad senatum est missus, *Cineas*. Similiter c. 20, 45: per quas penetravit *ea* quae est nominata *Argo* (die sogenannte Argo). V. nos in Gr. L. §. 123. Not. 6.

qui iis aetate anteibat] Sic de Offic. II. 10, 37: qui anteire ceteris virtute putantur: ubi cf. *Gernhard.* p. 217. Frequentius accusativo iungitur, ut Nep. Chabr. III, 1: Chabrias omnes auctoritate anteibat. V. nos in Gr. L. §. 114, 7. Pro vulgato *his*, quod etiam *Or.*, *Kl.*, *Mos.*, quorum hic *his* interpretatur *quos modo dixi*, retinuerunt, cum compluribus edd. vett. et *Tr.* scribendum putavi *iis* vel *eis*. Pronomina enim *hic* et *is* ita differunt, ut illud sit demonstrativum semperque ὀρθοτονούμενον, hoc autem relativum et modo ἐγκλιτικόν, modo non ἐγκλιτικόν. Pronomen *hic* pronominis *is* vices sustinere non potest, nisi scriptor dedita opera rem ita designare vult, ut eam tanquam praesentem oculisque nostris subiectam intueamur. Audiamus Priscianum XVII. 9, 58. „*Hic* non solum de praesente, verum etiam de absente possumus dicere, ad intellectum referentes demonstrationem.“ V.

tem, ut non multum aut nihil omnino Graecis cederetur. Philosophia iacuit usque ad hanc aetatem nec ullum habuit lumen litterarum Latinarum: quae illustranda et excitanda nobis est, ut, si occupati profuimus aliquid civibus nostris, prosimus etiam, si possumus [2], otiosi. 6. In quo eo magis nobis est elaborandum, quod multi iam esse libri Latini [3] dicuntur, scripti inconsiderate ab optimis illis quidem viris, sed non satis eruditis. Fieri autem potest, ut recte quis sentiat et id, quod sentit, polite eloqui non possit; sed mandare quen-

2 Ern. coni. *si possimus*, et sic Gud. 1. II. Rehd. Vind. 1. Duisb. unus Ox. et ed. H. At cf. II. 2, 6: sed eos, *si possumus*, excitemus. 3 Sic R. Gud. 1. 2. (hic *libri latine*); Or. c. vulg. *Latini libri*.

nos in Gr. L. §. 123. Not. 2. Cf. I. 32, 79: huius. V. 2, 5. Neque negari potest, fuisse scriptores, ut Cornelium Nepotem (v. *Bremium* ad Praefat. §. 2), qui ad vividiorem reddendam rerum praeteritarum descriptionem mirifice delectarentur frequentissimo usu pronominis demonstrativi. Mirum est, quam inconstanter in recipiendo reiiciendove pronomine *is* versati sint ii, qui veterum scriptorum libros recensendi curam in se susceperunt. Veluti *Wolfius*, nulla certa ductus sententia, aliis locis recte illud pronomen reduxit, aliis pronomen *hic* reliquit, quamvis loci ratio aperte pronomen *is* requirat, aliis denique, ubi vulgo legebatur pron. *is*, reposuit pron. *hic*. *Klotzius*, miro quodam pronominis *hic* amore ductus, id innumerabilibus locis vel retinuit vel revocavit, ubi sententiae ratio necessario requirit pronomen *is*. Saepissime et in codd. et in edd. inter se permiscentur formae *hi* et *ii*, *his* et *iis*; rarius *hae* et *eae* (ut III. 18, 42. IV. 9, 22. 13, 29. V. 33, 94.), *hos* et *eos*; rarius etiam *huius* et *eius* (ut III. 22, 52.); longe rarissime *hic* et *is* (ut IV. 17, 37.). Codicibus MSS. in hac quidem re nulla fere habenda est fides, quum reperiantur, qui semper *his*, nunquam *iis* exhibeant. Eleganter de hac re exposuit *Ed. Wunderus* in *Jahrb. für Philolog. u. Päd. v. Joh. Chr. Jahn.* V, 2. 1827. p. 141. Cf. doctissimum Sallustii interpretem, *Kritzium*, ad Catil. II, 4.

non multum aut nihil omnino] De particula *aut* semel posita v. *Handium* in Tursell. Vol. I. p. 537 sq. et nos in Gr. L. §. 137, 2.

illustranda et excitanda] Elegans verborum delectus! Philosophia, quae *iacuit*, *excitatur*, quae *nullum* habuit *lumen* litterarum, *illustratur*. De usu vocabuli *luminis* eleganter disputavit *M. Seyffertus* ad Lael. 8, 27. p. 188 sq. C. p. Arch. p. 6, 14: sed pleni sunt omnes libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas: quae iacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accenderet (alii: *accederet*, v. *Stürenburg*.).

prosimus etiam otiosi] V. nos in l. d. *de Cic. in ph. meritis* p. 63 sq.

§. 6. *libri Latini — non satis eruditis*] „Amafanium notat aliosque nonnullos ex Epicuri grege, quos eo nomine perstrinxit etiam Academ. I. 2, 5. (ubi v. *Goerenz*. p. 7.).“ *Davisius*. Cf. infra II. 3, 7. init. IV. 3, 6. ad Fam. XV, 16. et 19. de Fin. I. 3, 8. (ubi v. *Madvig*.) III. 12, 40. V. nos in libro d. p. 22.

ab optimis illis quidem viris, *sed non satis eruditis*] H. e. ab illis scilicet, qui optimi quidem sunt, sed non sat. erud. III. 5, 11: Graeci volunt *illi quidem*, *sed* parum valent verbo. III. 16, 55: tarda *illa quidem* medicina, *sed tamen* magna. IV. 8, 17. 28, 60: *illa quidem — verum tamen*. de Fin. IV. 14, 38. 16, 43. V. 5, 12. V. *Ramshorn*. Gr. L. §. 157. *Kühner*. Gr. L. §. 123. Not. 4. et qui multus est in illustrando hoc usu pronominis *ille* ante part. *quidem*, cui deinceps respondet *sed*, *sed tamen*, *Beier*. ad Off. I. 17, 60. p. 140. 27, 95. p. 213. II. 6, 21. p. 44. III. 9, 39. p. 247. Adde *Goerenz*. ad Acad. II. 15, 47. *Madvig*. in Opusc. Acad. alt. p. 314 sq. et ad Fin. IV. 16, 43. *Ellendt*. ad de Or. II. 89, 361. Vol. II. p. 340. *Wopkens*. Lectt. Tull. I, 13. p. 106. (H.), *Otton*. ad Fin. II. 4, 12. *Seyffert*. ad Lael. 6, 20. p. 125 sq., qui pron. *ille* apte vertit: *an sich*. Pari modo, sed multo rarius, pronomen *is* dicitur. Infra IV. 3, 5. 28, 60: est *ea quidem* utilior, *sed* raro proficit. Fin. V. 24, 71. Verum num in hac verborum coniunctione v. *quidem* ante pronomen *ille* sedem suam occupare possit, dubium videtur *Madvigio* ll. dd. non solum propter exemplorum rari-

quam litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis et otio et litteris. Itaque suos libros ipsi legunt cum suis, nec quisquam attingit praeter eos, qui eandem licentiam scribendi sibi permitti volunt. Quare si aliquid oratoriae laudis [4] nostra attulimus industria, multo studiosius philosophiae fontes aperiemus, e quibus etiam illa manabant.

4 Sic R. b. aliique multi codd.; Or. c. aliis codd. (etiam Gud. 1.) et plerisque edd. vett. *laudi*. V. Adn.

tatem, sed quod ea una sit caussa pronominis ponendi, ut ei particula adhaereat. Infra 11, 22. e Regio aliisque libris revocavimus *magnum illum quidem virum* pro vulg. *m. quidem illum*. Sed ad Attic. XV. 13, 5. sine ulla scripturae varietate legitur: optimum *quidem illum* virum. Orat. 23, 76. Brut. 45, 167. et 77, 267. ex scripturae varietate perspici posse Madvigius putat, saepius in uno et altero cod. aut veteribus editionibus aberrari, idemque Fin. V. 15, 43. in codice archetypo accidisse, ubi vetustiores libri habent *agnoscit quidem ille*. At in eis locis, quibus restringendi vis non ad subiectum, sed ad universam sententiam pertinet, *quidem* recte ante pronomen locum suum occupat. Orat. 3, 13: eloquentia haec forensis — multis *quidem illa* adiumentis magnisque caruit, sed tamen ornata verbis atque sententiis iactationem habuit in populo. V. *Seyffert*. l. d. De ironico verbi *optimus* usu v. ad III. 21, 50.

ut recte quis sentiat et id — polite eloqui non possit] Ubi duo contraria orationis membra consocianda sunt, alterum aut per adversativam particulam alteri opponitur, aut, uti h. l., per copulativam particulam cum altero coniungitur, ut et id, quod est, et id, quod non est, de eadem re aequaliter praedicetur. Illud dicendi genus tritum est ac vulgare, hoc multo exquisitius atque elegantius. Nam quo minus post *et* contraria sententia exspectatur, eo maiore vi legentis animum advertit. Infra II. 13, 31: ea patieturne te quicquam facere nihil proficientem *et* laborantem. de Or. III. 23, 86: magister hic Samnitium summa iam senectute est *et* quotidie commentatur. Exempla huius usus collegit *Handius* in Tursell. Vol. II. p. 496 sq. *Menkius* in Observv. ined. laudat *Goerenz*. ad Legg. II. 21, 53. p. 184., *Ernestium* ad Tacit. Ann. V, 3., *Bremium* ad Corn. Nep. Paus. III, 7.

mandare quenquam] Pronomen quodam modo abundat ob sequens *hominis*. Plerumque omitti solet. Offic. I. 28, 99: nam negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed omnino dissoluti. Ceterum cf. Academ. I. 1, 2: *intemperantis* enim esse arbitror scribere quod occultari velit.

cum suis] H. e. sui similibus vel eis, qui eandem licentiam scribendi sibi permitti volunt.

si aliquid oratoriae laudis] H. e. si industria mea, in excolenda dicendi arte collocata, effeci, ut aliquid laudis aut gloriae, quae ex eloquentia redundat, Romanis aut nomini Romano afferretur. Similem locum comparat *Klotzius*: C. Phil. II. 8, 20: tantum dicam breviter — me — perfecisse operibus subsecivis, ut meae vigiliae meaeque litterae et iuventuti utilitatis et nomini Romano *laudis aliquid afferrent*. De verbo *afferendi* sine dativo posito *Handius* ad Wopkens. p. 69. excitavit C. Mil. 28, 77: multas tamen summorum imperatorum clarissimas victorias aetas nostra vidit, quarum nulla neque tam diuturnam attulit laetitiam, nec tantam. De verbis *oratoria laus* cf. de Orat. I. 28, 130: ut ad hanc similitudinem huius histrionis *oratoriam laudem* dirigamus. Brut. c. 30: quoniam per illos ne haec quidem in civitate genera *oratoria laude* caruerunt. Sic Academ. II. 1, 2: *laus imperatoria*. De re ipsa v. nos in libro dicto *de Cicer. in phil. mer.* p. 82.

illa manabant] Scil. quae in dicendi arte attulimus, uti bene explicat *Moser*. *Pearcii* coniectura *manabat*, quod etiam codd. Marb. et Ox. 1. habent, facile supersedere possumus. *Illa* non referendum est ad oratoriam laudem, uti placuit *Goerenzio* ad Legg. III. 8, 19., neque vero ad universam sententiam, sed ad *aliquid*, in quo inest notio numeri pluralis (*aliqua*, *nonnulla*). Eodem modo *illa* accepisse videtur *Bakius* ad C. Legg.

IV. 7. Sed ut Aristoteles, vir summo ingenio, scientia, copia[1], quum motus esset Isocratis rhetoris gloria, dicere etiam coepit adolescentes docere et prudentiam cum eloquentia iungere; sic nobis placet, nec pristinum dicendi studium deponere, et in hac maiore et uberiore arte versari. Hanc enim perfectam philosophiam semper iudicavi, quae de maximis quaestionibus copiose posset ornateque dice-

1 v. Adn.

III. 8, 19., qui *illa* explicat de monumentis oratoriae laudis, quae Cicero sua industria condiderit.

Cap. IV. §. 7. *Aristoteles — Isocratis rhetoris gloria* etc.] de Orat. III. 35, 141: Ipse Aristoteles, quum florere Isocratem nobilitate discipulorum videret, — mutavit repente totam formam prope disciplinae suae versumque quendam de Philocteta paulo secus dixit. Ille enim *turpe sibi* ait *esse tacere*, *quum barbaros;* hic autem, *quum Isocratem pateretur dicere:* ubi v. *O. M. Müller* p. 514 sq. Cf. Quinctil. Instit. III. 1, 14. Adde Cic. de Orat. I. 10, 43. *Moser* laudat *Pflugkium* de Theopompi Chii vita et scriptis (Berol. 1827. 8.) p. 18 sq.

vir summo ingenio, scientia, copia] Sic recte Or. ex emendatione Lambini legiturque in ed. Oxon. 1783. pro vulgato *scientiae copia*, quod et codd. et edd. vett. praebent: contra quam scripturam *Orellius* haec monet: Sed tria omnino sunt, ingenium a natura Aristoteli datum, scientia ab ipso comparata, copia sive eloquentia, ut in Orat. 1, 5: Arist. admirabili quadam scientia et copia. Neque certe Cicero, si *scientiae copia* scripsisset, copulam *et* omisisset; asyndeton enim in duobus coniunctis vocabulis non usurpatur, nisi cum vi quadam oratoria, ut in oratione affectus plena; ubi autem tria vocabula consociantur, asyndeton apud Ciceronem longe est frequentissimum. V. nos in Gr. L. §. 138b), 1. b). Denique, ut recte docet *Morgenstern.* Symbol. crit. Dorpati 1819., *scientiae copia* (pro doctrinae vel eruditionis copia) Ciceroniano usui videtur repugnare. De voc. *scientia* et *copia* cf. *Beier.* ad Offic. II, 5. p. 34. De Aristotele sic Quinctil. Instit. X. 1, 83: Quid Aristotelem? quem dubito scientia rerum, an scriptorum copia, an eloquendi suavitate, an inventionum acumine, an varietate operum clariorem putem. Adde cum *Menkio* in Observatt. ined. C. Or. I, 5: Nec vero Aristotelem in philosophia deterruit a scribendo amplitudo Platonis; nec ipse Aristoteles admirabili quadam *scientia* et *copia* ceterorum studia restinxit. Ceterum et ad *scientia* et ad *copia* supplendum est *summa*, uti in Verrem IV. c. 58: Archimedem illum *summo* ingenio hominem ac disciplina. Muren. XVII. 36: L. Philippum *summo* ingenio, opera, gratia, nobilitate. V. *Goerenz.* ad Academ. I. 4, 17. p. 28.

dicere etiam — iungere] Infinitivus *dicere* pendet a *docere* et infinitivus *iungere* a *coepit*. *Prudentia* eloquentiae opposita significat *philosophiam*. Cf. de Divin. II. 1, 4. (ab Orell. allat.): „cum *philosophia dicendi etiam* praecepta coniunxerint" sc. Aristot. et Theophrastus. *Menkius* l. d. comparat C. Orat. 14, 46.

nec pristinum — deponere, et — versari] *Nec* (*neque*) — *et* vertere possumus per: *einerseits* (findet Etwas) *nicht* (Statt) — andererseits (findet Etwas Statt). Infra c. 23, 54. 29, 71. *O. M. Müller.* ad Cic. de Orat. I. 33, 152. p. 100. *Passov.* ad Tacit. German. p. 86. *Beier.* ad Offic. III. 4, 20. p. 215 sq. *Kritz.* ad Sall. Iug. I, 5. p. 8. *Ramsh.* Gr. L. §. 188. *Kühner.* Gr. L. §. 135, 4. Sic saepissime apud Graecos: οὔτε — τέ. Isocr. Pac. p. 171: οὔτ' ἂν οὗτος ἔσγε ταύτην ποιήσασθαι ἐρώτησιν, ἡμεῖς τ' ἂν ἔγνωμεν κ. τ. λ. V. *Hartung.* Griech. Partik. T. I. p. 193. et nos in Gr. Graec. T. II. §. 743, 3. (Gr. schol. §. 321, 2.) Sic se excipiunt *et* — *nec* (*neque*). Infra V. 38, 112: *et* dicebat *nec* deerat. V. *Beier.* ad Offic. I. 21, 72. p. 169. *Ramsh.* et *Kühner.* ll. dd. Pari modo apud Graecos: τέ — οὔτε. De re cf. infra II. 3, 9.

in quam exercitationem ita nos studiose dedimus H. e. ad quam exercitationem tantum studium contulimus. Cicer. Caecil. 2: qui me ad defendendos homines ab ineunte aetate dedissem. de Orat. I. 21, 95: quum se ad audiendum, legendum scribendumque dederit. III. 16, 59: (Socrates) quum prudentia et acumine et venustate et subtilitate, tum vero eloquentia, varietate, copia, quam se cunque in partem dedisset, omnium fuit facile princeps. Sic apud Ciceronem:

re: in quam exercitationem ita nos studiose dedimus [2], ut iam etiam scholas Graecorum more habere auderemus. Ut nuper tuum post discessum in Tusculano, quum essent complures [3] mecum familiares, tentavi, quid in eo genere possem [4]. Ut enim autea declamitabam caussas, quod nemo me diutius fecit; sic haec mihi nunc senilis est declamatio. Ponere iubebam, de quo quis audire vellet; ad id aut

2 et 3 v. Adn. 4 R. Ox. 3. *possim*; at v. Adn. ad v. antecedentia *ut habere auderemus.*

dare se in sermonem, in fugam, ad lenitatem. Sic Graeci, ut Demosth. pro Coron. §. 179: καὶ ἔδωκ' ἐμαυτὸν ὑμῖν ἁπλῶς εἰς τοὺς περιεστηκότας τῇ πόλει κινδύνους: ubi v. *Ludolph. Dissenium* p. 348. Ceterum quam dedimus scripturam, profecta est ex emendatione *Lambini*. In omnibus notis codd. legitur *nos studiose operam dedimus;* Lambinus delevit verbum *operam:* quod, ut ait, ab aliquo indocto fuisse adiectum, vincunt omnes fere quos vidi libri vett., in quibus eius nulla comparent vestigia. Hanc emendationem praeter *Klotzium*, qui, ut codicum auctoritatem negligeret, a se impetrare non potuit, ceteri omnes recentiores editores receperunt. Ac iure quidem; nam nusquam alibi Tullius dixit *operam dare in aliquid;* (e Quinctil. XII, 2. *Davisius* attulit: qui plus in hoc studii dederunt;) tum vero, retento hoc verbo, pronomen *nos* plane abundare videtur; certe verba sic ordinanda erant: *in quam ex. nos ita studiose operam dedimus.*

ut — habere auderemus] Observandus est usus imperfecti. Exspectabatur: *ut — audeamus;* sed in veterum scriptorum, imprimis Ciceronis, more positum est, ut post perfectum etiam in eis enuntiatis, quorum sententia vel ad tempus praesens pertinet vel omni tempore vim suam habet, imperfectum sequatur. Cf. 42, 100. *possem.* 47, 112: omni autem oratione illud certe *perfectum est,* ut mortem non *ducerem* in malis: ubi cf. Adnot. III. 33, 81: *tractatum est* autem a nobis id genus aegritudinis —, ut — remedia ne magno opere quaerenda *arbitraremur:* ubi Dav. c. nonnullis deterioribus codd. *arbitremur* legit. Somn. Scip. c. 3: Homines *sunt* hac lege *generati,* qui *tuerentur* illum globum: imperf. *tuerentur* indicat consilium, quod deus tum habuit, quum homines generavit. de Senect. 21: Sed credo deos immortales *sparsisse* animos in corpora humana, ut *essent,* qui terras *tuerentur* etc. V. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 251. *Kühner.* Lat Gr. §. 140. a Not. 3. b). Hinc infra IV. 11, 24: nollem vulgatum *sanaret* in *sanet* et V. 13, 39: *caecaretur* in *caecetur* esse mutatum. Exempla, in quibus post perfectum (praeter. in praes. s. tempus praesens rei perfectae) praesens sequitur, rariora sunt apud Tullium. De c. 21, 49: „tot autem rationes *attulit,* ut — sibi certe persuasisse *videatur*" v. Adnotata. — De voc. *scholas* cf. §. 8.

tuum post discessum] Scil. in provinciam Galliam Cisalpinam, cui Brutum anno 46 a. Chr. Caesar, bellum in Africa contra Scipionem, Catonem, Iubam suscepturus, praefecit. ad Famil. VI, 6: Cassium sibi legavit, Brutum Galliae praefecit. V. *Becheri* Progr. ad I. Tusc.

complures] Sic recte Or. pro *plures,* quod ex paucis deterioribus codd. alii ediderunt; *plures* enim vi comparativa poni solet, ut nostrum: *mehr* Menschen als; *complures* autem sine comparatione dicitur estque nostrum: *mehrere* Menschen, i. e. nonnulli. V. *Kritz.* ad Sallust. Cat. XIX, 2. et *Seyffert.* ad Lael. 4, 14. p. 73.

declamitabam] Cic. Brut. 90: Commentabar declamitans (sic enim nunc loquuntur) saepe — cum aliquo quotidie, h. e. *exercitationis caussa orationes habebam.* — *Declamatio* disputationes de philosophia. Sic infra II. 11, 26. *Senilis* dicitur, quia eodem nomine appellabatur exercitatio illa, qua pueris in ludis ficta quaedam θέματα praescribi solebant, quibus ad eloquentiam viam sibi munirent. V. *Forcellini* Thes. Lat. h. v.

ponere] *Ponere* (τιθέναι) quaestionem. Verbum in hac re proprium. Infra III. 22, 54. Lael. V, 17: ut iis ponatur, de quo disputent: ubi *Gernhard.* Cf. Epist. IX, 26: quod tu unum ζήτημα Dioni philosopho posuisti. Hinc eiusmodi quaestiones dicuntur θέσεις. Cf. de Orat. I. 22, 102. II. 1, 2. Vid. *Ernestii* Clav. Ciceron. h. v. Infra V. 4, 11. legitur sic est *propositum,* de quo disputaremus.

sedens, aut ambulans disputabam. 8. Itaque dierum quinque scholas, ut Graeci appellant, in totidem libros contuli. Fiebat autem ita, ut, quum is, qui audire vellet, dixisset, quid sibi videretur, tum ego contra dicerem. Haec est enim, ut scis, vetus et Socratica ratio contra alterius opinionem disserendi; nam ita facillime, quid veri simillimum esset, inveniri posse Socrates arbitrabatur. Sed quo commodius disputationes nostrae explicentur, sic eas exponam, quasi agatur res, non quasi narretur. Ergo ita nascetur exordium.

V. 9. *A.* Malum mihi videtur esse mors. *M.* Iisne, qui mortui sunt, an iis, quibus moriendum est? *A.* Utrisque. *M.* Est miserum igitur, quoniam malum. *A.* Certe. *M.* Ergo et ii, quibus evenit iam, ut morerentur, et ii, quibus eventurum est, miseri. *A.* Mihi ita videtur. *M.* Nemo ergo non miser. *A.* Prorsus nemo. *M.* Et quidem, si tibi constare vis, omnes, quicunque nati sunt eruntve, non solum miseri, sed etiam semper miseri. Nam si solos eos diceres miseros, quibus moriendum esset, neminem tu quidem eorum, qui viverent, exciperes; (moriendum est enim omnibus;)

De constructione *disputare ad aliquid* v. Adnotata ad III. 9, 18.

§. 8. *scholas, ut Graeci appellant*] Plutarch. περὶ τοῦ ἀκούειν princ.: τὴν γενομένην μοι σχολὴν περὶ τοῦ ἀκούειν ἀπέσταλκά σοι γράψας. Plutarchus primus vocabulum σχολῆς hac significatione usurpavit. *Scholae* igitur nihil aliud sunt, nisi disputationes, quae sunt de philosophia. Cf. infra 47, 113. III. 34, 81. Fin. II. 1, 1. Plura congessit *Davis.* ad h. l. Adde *Schütz.* Ind. Lat. Cic. h. v. *C. O. Mülleri* disp. de usu voc. *scholae* in: N. Jahrb. f. Phil. u. Paedag. VI. Supplem. I. fascic. p. 46—50. Ceterum hae disputationes, quas Tullius *scholas* appellat, differunt ab eis, quae proprio nomine *disputationum* vocantur, quales sunt Academicae, de Finibus, de N. D., de Divinatione. In *scholis* unus est, qui velit doceri, alter, qui doceat; auditoris partes eae sunt, ut parce obloquatur, neque alio consilio, nisi ut alteri facultatem praebeat suam explicandi sententiam; in *disputationibus* variarum disciplinarum philosophi inducuntur ita disputantes, ut suae quisque sectae sententiam defendat. V. *R. Bentleium* ad h. l. in ed. Mos. De philosophandi autem genere, quod h. l. attingitur, uberius exposuimus l. d. *de Cicer. in philos. merit.* p. 79—81. et p. 149 sq.

haec est enim] De collocatione coniunctionis *enim* v. ad 27, 66.

Cap. V. §. 9. *A.*] Quisnam collocutor intelligendus sit, in dubio relinquitur. In duobus codd. El. habetur *Atticus*, idemque sensit Lactant. Div. Inst. I, 15.; sed si hunc Cicero intellexisset, certe eum acutius disputantem fecisset et maiore in eum usus esset urbanitate; cf. praeter alia V. 5, 12.; tum Atticus fuit iam LXV annos natus; iuvenem autem illum, qui cum Cicerone disputaverit, fuisse, patet ex II, 11. *Lambinus* et *Davisius* ob II. 12, 28. (*At tu, adolescens,*) hac littera significari putant *Adolescentem, Schützius* cum *Manutio* et *Lallemando Auditorem*, quum §§. 7. 8. memoretur *is qui audire vellet.* In cod. Vind. Alteri p. 473. collocutores appellantur: *Aulus* et *Marcus.* Litteram *M.* accipit *Tischer* pro magistro. Utraque tamen littera sine dubio ab ipsius Ciceronis manu non est profecta, quum in omnibus fere codd. nullum harum litterarum reperiatur vestigium.

miserum —, quoniam malum] *Miserum* (ein *Unglück*) appellatur id malum (*Übel*), quod *sensibus* nostris percipitur, cuius molestiam *sentimus.* — *Miserum* habet vim substantivi, ut sequens *malum*, et ob concinnitatem orationis dictum videtur pro *miseria* aut pro feminino adiectivi *misera*, uti de Fin. V. 28, 84: *bonum* liberi, *misera* orbitas; bonum patria, miserum exsilium; *bonum* valetudo, *miser* morbus; *bonum* integritas corporis.

esset tamen miseriae finis in morte; quoniam autem etiam mortui miseri sunt, in miseriam nascimur sempiternam. Necesse est enim, miseros esse eos, qui centum milibus[1] annorum ante occiderunt, vel potius omnes, quicunque nati sunt. *A.* Ita prorsus existimo. 10. *M.* Dic, quaeso: Num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus, travectio Acherontis,

Ménto summam aquám attingens sití enecatus Tántalus[2]?

tum[3] illud, quod

Sísyphus vérsat
Sáxum súdans nítendó neque próficit hílum?

fortasse etiam inexorabiles iudices, Minos et Rhadamanthus? apud quos nec te L. Crassus defendet, nec M. Antonius, nec, quoniam[4] apud Graecos iudices res agetur, poteris adhibere Demosthenem; tibi ipsi pro te erit maxima corona caussa dicenda. Haec fortasse metuis et idcirco mortem censes esse sempiternum malum.

VI. *A.* Adeone me delirare censes, ut ista esse credam? *M.* An tu haec non credis? *A.* Minime vero. *M.* Male, hercule, nar-

1 Hanc rectiorem scripturam praebent codd. Marb. Gud. 2. et, ut videtur, R., quum Tr. sic legat. Or. c. vulg. *millibus.* 2 Sic Or. c. W., ut sit troch. tetram. catal.: eundem verborum ordinem habent R. 3. Vind. 2. et plurimae edd. vett., sed *enectus* pro *enecatus;* R. Gud. 1. et reliqui codd. fere omnes itemque Non. p. 401. Merc. *enectus siti T.* 3 Sic R. Gud. 1. et reliqui fere omnes codd. itemque Non. p. 121. et 353. ed. Merc.; alii *num:* quod etiam Or. recepit ob tertium illud: *fortasse etiam* etc. 4 Lall. e duob. codd. *quanquam:* insulsum glossema.

misera debilitas; *bonum* incolumis acies, *misera* caecitas. Nusquam dicitur: summum miserum, misera animi, uti summum bonum, bona animi. V. *Moserum* in huius ed. III. censura p. 546.

nemo ergo non miser] Scil. *est:* quod verbum apud Tullium saepe in conclusione omittitur. Cf. paullo ante: *Ergo — miseri.* Fin. I. 18, 59: nemo igitur eorum non miser: ubi v. *Goerenz.* p. 83.

constare] V. Adnotata ad II. 2, 5.

quibus moriendum esset] Ex nostrae linguae ratione exspectes *est*, ut mox *vivunt* pro *viverent;* sed in lingua Latina etiam relativae enuntiationes, quae arcte cohaerent cum enuntiatione conditionali, eandem quam haec habet induere solent formam. Exempla suppeditabunt *Ramshorn.* Lat. Gr. §. 193. Not. 1. *Kühner.* L. Gr. §. 140.a Not. 10. Cf. etiam *Seyffert.* ad Lael. 6, 22. p. 136. Eadem ratio in lingua Graeca, ut Xen. Comment. I. 4, 14: οὔτε γὰρ βοὸς ἂν ἔχων σῶμα, ἀνθρώπου δὲ γνώμην, ἐδύνατ' ἂν πράττειν, ἃ ἐβούλετο (quae *vellet*): ubi v. Adnotata nostra p. 136.

Tantalus] V. IV. 16, 35. et Odyss. IX, 582—592.

Sisyphus — hilum] Sunt versus ex antiquo poeta petiti, quos Ciceronis nomine commemorat Nonius in *hilum* et *niti.* De Sisypho comparasse iuvabit elegantissimam Homeri descriptionem in Odyss. XI, 593—600. Verba: *saxum sudans nitendo* egregie respondent graecis: λᾶαν ἄνω ὤθεσκε ποτὶ λόφον pulcherrimeque ingentem Sisyphi laborem depingunt. Orellius apposite comparat Lucret. III, 1013: *hoc est, advorso nixantem tendere monte Saxum.* De *Sisyphus*, quod antiquitus *Sisyphu'* pronuntiabatur, v. ad c. 9, 18: *Aelius.*

corona] circulo hominum, qui oratorem circumstant. V. *Ernestii* Clav. Cicer. h. v. et *Davis.* ad N. D. II. 1, 1.

Cap. VI. *male narras*] *Male*, *bene*, *probe narrare* locutio est maxime poetarum comicorum propria de eo, qui alterius sermone, narratione, dicto vel dolet vel gaudet. Cf. Terent. Eun. V. 3, 7. Cic. ad Att. XVI. 14: male narras de Nepotis filio. Parad. III. 2, 23.

ras. *A.* Cur? quaeso. *M.* Quia disertus esse possem, si contra ista dicerem. 11. *A.* Quis enim non in eiusmodi caussa? aut quid negotii est haec poetarum et pictorum portenta convincere? *M.* Atqui pleni libri sunt [1] contra ista ipsa disserentium philosophorum [2]. *A.* Inepte sane. Quis est enim [3] tam excors, quem ista moveant? *M.* Si ergo apud inferos miseri non sunt, ne sunt quidem apud inferos ulli. *A.* Ita prorsus existimo. *M.* Ubi sunt ergo [4] ii, quos miseros dicis? aut quem locum incolunt? si enim sunt, nusquam esse

1 Sic R. 1. 2. b. et nonnull. edd. vett. (v. Mos. ad h. l. et in Corrig. T. III. p. 438.); Or. c. reliquis libris *pleni sunt libri.* 2 v. Adn. 3 R. 1. 2. 3. 4. b. Marb. Rehd. Gud. 2. Duisb. Mon edd. vett. H. et D. *Quis enim est:* quod nuper recepit Tr. V. Adn. in c. 27, 66. 4 Sic R. Gud. 1. 2 b. multique alii et permult. edd. vett.: Or. c. aliis *ergo sunt.* Comparat *Klotzius* (Add. p. 8.) §. 12: *Quid dicis igitur?* et recte docet, omnem sententiae vim esse in *ubi sunt.*

Bene hercle narras. V. *Schütz.* Lexic. Cicer. h. v.

§. 11. *Quis enim*] H. e. facile credo; quis enim in confutandis eiusmodi commentis disertus esse non posset? Saepe a veteribus scriptoribus particulae *enim* et *nam* ita ponuntur, ut id, cuius rationem reddunt, cogitatione supplendum sit. Cf. infra c. 13, 30. c. 31, 76. c. 32, 78. IV. 17, 40: ubi v. Adnot. de Orat. II. 6, 24. Post interrogationem IV. 26, 56: ubi v. Adn. *Kritz.* ad Sall. Iug. XIX, 2. p. 119. V. *Ramshorn.* Lat. Gr. §. 191. *Kühner.* L. Gr. §. 158. a 2.

portenta] Sic saepe dicuntur mirabilia commenta. N. D. I. 8, 18: portenta et miracula non disserentium philosophorum, sed somniantium. 16, 43: portenta magorum. Fin. IV. 25, 70: portenta dicit. Cf. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 3. et *Forcellini* Thes. Lat. h. v.

pleni libri] *Pleni* absolute positum plane, ut pro Arch. §. 14: *Sed pleni sunt omnes libri* (nobis: *voll davon*): ubi v. *Stürenburg.* p. 104.

disserentium philosophorum] R. 2. Marb. Mon. 1. Vind. 2. edd. Grut. Gron. Alt. *contra ista ipsa phil. diss.:* quod probat *Wopkens.* Lectt. Tull. I. 9, 50.; pleraeque edd. vett. *phil. c. i. i. diss.* Ex hac verborum transpositione *Handius* ad Wopk. l. d. vocabulum *philosophorum* a librariis importatum suspicatur: unde *Moser* id uncis coercuit. Quam nos c. D. W. Or. aliisque edidimus scripturam, ea et R. Gud. 1. aliorumque codd. auctoritate nititur, et elegantissima est. Nam vocabulum *philosophorum* Cicero in ultimam enuntiationis sedem reiecit, quo maiore vi efferretur: philosophi enim opponuntur poetis et pictoribus. Quam collocationis elegantiam quum non perspicerent librarii, voc. *philosoph.* transposuerunt. Geminus locus IV. 28, 61: omnium etiam de ceteris rebus discrepantium *philosophorum.* Adde I. 16, 36: sub terra censebant reliquam vitam agi *mortuorum.* c. 21, 48: soleo saepe mirari nonnullorum insolentiam *philosophorum.* c. 30, 72: essentque in corporibus humanis vitam imitati *deorum.* Cf. *Goerenz.* ad Acad. II, 35. p. 204. et ad Fin. II, 21. p. 222. et nos in Gr. L. §. 167, 1.

ne sunt quidem] Particulae *ne — quidem* non gradationem (*nicht einmal*) h. l. significant, sed, uti saepe, eam vim habent, ut antecedentibus aliquid negative adiungant, ut nostrum *auch nicht*, Gr. οὐδέ. Cf. §. 12. c. 7, 14. 23, 53. 54. V. *Madvigium* ad Fin. exc. III. p. 816. et nos in Gr. L. §. 135, 5.

nusquam esse non possunt] H. e. fieri non potest, quin usquam sint; vel: usquam sint necesse est.

Igitur ne esse quidem *Igitur* in initio enuntiationis rarissime apud Ciceronem reperitur (cf. Quinctil. Inst. or. I. 5, 39.); sed *Bremius* ad Fin. I, 18. p. 88: „*Igitur ne stultorum quisquam beatus*" recte monet, eos locos exceptos esse, in quibus Cicero ad syllogismi formam conclusionem faciat: quod autem, si conclusio sit generalis, nec rationis quaedam formula proferatur, corrigendos esse si qui forte apud Tullium loci ab ista particula incipientes deprehendantur, idem vir doctus censet, calidius mihi videtur statuisse. Quis enim supra c. 2, 4. tentare velit lectionem: *igitur* et Epaminondas cett.? Lael. 11, 39., ubi v. *Seyffert.* p. 261. In conclusione IV. 18, 42. Fin. I. 18, 61: ubi v. *Madvigium* p. 116.

non possunt. *A.* Ego vero nusquam esse illos puto. *M.* Igitur ne esse quidem? *A.* Prorsus isto modo, et tamen miseros ob id ipsum quidem, quia nulli sunt[5]. 12. *M.* Iam mallem Cerberum metueres, quam ista tam inconsiderate diceres. *A.* Quid[5] tandem? *M.* Quem esse negas, eundem esse dicis. Ubi est acumen tuum? quum enim miserum esse dicis, tum eum, qui non sit, dicis esse. *A.* Non sum ita hebes, ut istud[5] dicam. *M.* Quid dicis igitur[5]? *A.* Miserum esse verbi caussa M. Crassum, qui illas fortunas morte dimiserit;

5 v. Adn.

quia nulli sunt] B et Marb. *sint.* Ego cum Orellio et Mosero retinui omnium fere codd. et edd. vett. scripturam, quae egregie respondet firmissimae auditoris asseverationi (*prorsus isto modo*): Longe alia ratio est c. 7, 13., ubi v. Adnotata.

§. 12. *Iam mallem*] Attende ad vim particulae *iam*, qua ἐνεργητικὸς ex antecedentibus transitus et non exspectata ab altero conclusio significatur. Sic Graece ἤδη. Cf. Xen. Symp. V, 5. οἶσθα οὖν, ἔφη, ὀφθαλμῶν τίνος ἕνεκα δεόμεθα; — Δῆλον, ἔφη, ὅτι τοῦ ὁρᾶν. — Οὕτω μὲν τοίνυν ἤδη οἱ ἐμοὶ ὀφθαλμοὶ καλλίονες ἂν τῶν σῶν εἴησαν. — Πῶς δή; Cf. *Hartung.* Griech. Part. T. I. p. 239 sqq.

quam ista tam inconsiderate diceres] Pluralis *ista* non solum sententiam antecedentem: *et tamen miseros ob id ipsum quidem, quia nulli sunt* respicit, sed etiam ea includit, quae illi sententiae similia sunt. Saepe enim veteres scriptores numerum pluralem pronominum, licet praecesserit vel subsequatur substantivum singulari numero, ita ponunt, ut non solum id significetur, quod substantivum, sed etiam ea, quae illi sunt similia. Cf. infra c. 11, 22: apud *istos* (i. e. Democritum, qui antea commemoratus erat, et qui eius sententiam sequuntur). Similiter c. 39, 93: pellantur ergo *istae ineptiae* paene *aniles*, ante tempus mori miserum esse. (De V. 34, 98: „Qui *illa* coxerat" v. Adnotata.) Cf. *Goerenzium* ad Fin. II. 3, 9. ad Legg. III. 8, 19. et qui exemplorum largam segetem suppeditat *Wopkens.* Lectt. Tull. I. 4, 16. p. 22 sqq. ed. H. Pari modo apud Graecos frequentissime ταῦτα ponitur.

Quid tandem?] Sic praeter tres Oxx. reliqui codd. et plurimae edd. vett.; Orellius cum Oxx. et nonnullis edd. *Qui tandem?* (h. e. *wie denn? inwiefern denn?*) *Quid tandem* interrogationem multo vividiorem significat et auditoris de Marci verbis admirationem praeclare exprimit.

quum enim miserum esse dicis, tum] *Moser*, quem vehementer offendit *tum*, pro eo legendum suspicatur *tu*, quod mihi non probatur; nam nulla est caussa, cur pronomen efferatur. Particulae *quum — tum* saepe nostro *einmal — und dann* respondent.

ut istud dicam] Sic Or. c. R. 1. 2. 3. 4. Duisb. aliisque (quorum nonnulli *istuc*) et edd. vett. Iunt. Bonh. D. Plurimi libri et scripti et editi habent *ista;* non male, ut plur. *ista* sit *haec et talia*, v. Adn. ad verba anteced. *quam ista tam inconsiderate diceres;* sed h. l., uti recte monet Or., per *istud* hoc unum, quod ultimo loco dixit Marcus, quasi opponitur eis, quae modo universe dixit: *quam ista tam incons. diceres.* Cf. *Madvig.* ad Fin. II. 3, 9.

Quid dicis igitur] Codd. Rehd. Vind. 2. *Quid igitur d.* Observanda est rarior particulae *igitur* in tertio loco collocatio, qua Cicero eo consilio videtur usus esse, ut vocabulum, quod secundam sedem occupat, magis efferret. V. nos in Gr. Lat. §. 138.a Not. 4. Infra c. 7, 14: quum dicis *igitur.* c. 38, 92: quid curet *autem.* II. 19, 45: omittamus hunc *igitur.* III. 10, 23. ex optimis codd.: doloris huius *igitur* origo. IV. 18, 41: qui modum *igitur* vitio quaerit. Quid, quod leginus de Nat. D. III. 17, 43: ne nymphae quidem deae *igitur?* Scilicet in conclusione, ut infra c. 19, 71: ne interire quidem *igitur.* Ceterum cf. Adnotata ad I. 27, 66.

fortunas morte dimiserit] De rariore verbi hac significatione dicti usu *Moser* comparat C. pro Caecin. 26, 75: patrimonium unius incommodo dimittitur, ius amitti non potest sine magno incommodo civitatis: ubi plura contulit *Iordanus.*

miserum Cn. Pompeium, qui tanta gloria [6] sit orbatus; omnes denique miseros, qui hac luce careant. *M.* Revolveris eodem. Sint enim oportet, si miseri sunt; tu autem modo negabas eos esse, qui mortui essent. Si igitur non sunt, nihil possunt esse; ita ne miseri quidem sunt [7]. *A.* Non dico fortasse etiam, quod sentio; nam istuc [8] ipsum, non esse, quum fueris, miserrimum puto. 13. *M.* Quid? miserius, quam omnino nunquam fuisse? ita qui nondum nati sunt, miseri iam sunt, quia non sunt; et nos [9], si post mortem miseri futuri sumus, miseri fuimus, antequam nati. Ego autem non commemini, antequam sum natus, me miserum. Tu si meliore memoria es, velim scire, ecquid de te recordere [1].

VII. *A.* Ita iocaris, quasi ego dicam eos miseros, qui nati non sunt [1], et non eos [2], qui mortui sunt. *M.* Esse ergo eos dicis. *A.* Immo, quia non sint [3], quum fuerint, eo miseros esse. *M.* Pugnantia te loqui non vides? quid enim tam pugnat, quam

6 Post *tanta gloria* in R. 3. uno Leid. et mult. edd. vett. adduntur verba *dignitate tanta;* in R. 4. Vind. 2. haec verba ponuntur ante *tanta gloria;* ab reliquis fere omnibus absunt. Ex qua librorum fluctuatione apparet, ea non esse profecta a manu Ciceronis. 7 W. de Bentl. sententia delevit *sunt,* quod in omnibus codd. et edd. vett. comparet et ideo recte servatum est ab Or., licet Ciceroni, si rem ad amussim exigimus, scribendum fuerit *esse possunt.* 8 Sic R. Gud. 1. II. aliique codd. et nonnull. edd. vett.; Or. c. vulg. *istud*, quod minus grave est. 9 Sic R. Gud. 1. II. aliique codd.; Or. c. vulg. *nos ipsi.* 1 Sic Or. c. b. R. 2. 3. 4. Marb. Mon. 1. et omnib. fere edd. vett. pro *recordare:* quod licet et plurimos, et optimos codd. occupaverit, defendi tamen non potest. Neque ferri potest ratio Davisii, qui orationem sic distinguendam censet: *velim scire. Ecquid de te recordare.* 1 Wes. c. R. 1. 2. Gud. 1. II. Marb. *sint:* quod ob seq. *qui mortui sunt* probare non possum. 2 Sic Or. c. Gud. 1. b. R. 3. Rehd. Vind. El. 1. et edd. vett. H. L. 2.; Kl. et Tr. c. R. aliisque *et non eos miseros, qui.* Reiskii coniectura *et non eos potius* infelicissima est. V. nos in Gr. L. §. 135. Not. 4. et infra III. 17, 37. 3 v. Adn.

Sint enim oportet] Exspectes: *sint enim necesse est;* sed *oportet* optime sese habet h. l.; significat enim *ratio postulat, ut, qui mortui sint, esse statuamus.* Cf. p. Rosc. Am. XXII, 62: Haec quum sint omnia, tamen exstent *oportet* expressa sceleris vestigia. de Or. I. 6, 20: Ex rerum cognitione efflorescat et redundet *oportet* oratio.

§. 13. *commemini — me miserum*] In verbis *cogitare, comminisci, commeminisse,* aliis *com* significat *secum,* ut: aliquid *secum agitare.* Verbum *commemini* legitur, uti *Moser* docet, de Or. I. 53, 227. III. 22, 85. Ante *miserum* Lambinus male inculcat *esse;* constat enim, verba *existimandi* et *declarandi* respuere solere verbum *esse* cum participio vel adiectivo coniunctum, ut mox: miserrimum puto. c. 7, 13: miseros putas illos? Cf. *Ramshorn.* Lat. Gr. §. 168. Not. 10. *Kühner.* §. 129, 4. *Kritz.* ad Sall. Cat. I. 3. p. 6.

Cap. VII. *Immo, quia non sint*] Ante Davisium vulgo legebatur *sunt;* Davisius edidit *sint:* quae scriptura est in R. 1. 2. Gud. Duisb. Vind. 2. et quattuor codd. Goerenzii et maxime consentanea videtur loci sententiae. Alia enim ratio est paullo post *ob id ipsum, quia non sunt,* alia erat supra §. 11., ubi adversarius sententiam suam tanquam certissimam proponebat; at vero hoc ipso loco idem, Ciceronis rationibus iam labefactatus, eandem sententiam dubitanter repetit. V. *Goerenz.* ad Fin. I. 10, 32. p. 44.

porta Capena] „Capena olim fuit oppidum Latii Romae proximum; excisum postea est nomenque suum reliquit portae Urbis, quae nunc a proxima D. Sebastiani aede dicitur *porta di S. Sebastiano.* Ab ea incipiebat via Appia." *Forcellini* Thes. Lat. h. v. „Ad hanc

non modo miserum, sed omnino quicquam esse, qui non sit? An tu egressus porta Capena, quum Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum sepulcra vides, miseros putas illos? *A.* Quoniam me verbo premis, posthac non ita dicam: *miseros esse*, sed tantum: *miseros*, ob id ipsum, quia non sunt[4]. *M.* Non dicis igitur: *miser est M. Crassus*, sed tantum: *miser M. Crassus.* *A.* Ita plane. 14. *M.* Quasi non necesse sit, quicquid isto modo pronunties, id aut esse, aut non esse. An tu dialecticis ne imbutus quidem es? In primis enim hoc traditur: omne pronuntiatum (sic enim mihi in praesentia occurrit, ut appellarem[5] ἀξίωμα; utar post alio, si[6] invenero melius;) id ergo est pronuntiatum, quod est verum aut falsum. Quum dicis igitur[7]: *miser M. Crassus;* aut hoc dicis: *miser est M. Crassus*, ut possit iudicari, verum id falsumne sit; aut nihil dicis omnino. *A.* Age iam concedo, non esse miseros, qui mortui sint[8], quoniam extorsisti, ut faterer, qui omnino non

4 R. Gud. 1. II. et nonnulli alii codd. *sint*, quod ab h. l. abhorret. 5 v. Adn. 6 R. *alios et* (i. e. *alio set* vel *sed*) pro *alio, si;* Pal. 3. 4. Rehd. *alio, sed si inv.:* quod *Stürenb.* ad or. p. Arch. poet. p. 151. probat, coll. Auct. ad Herenn. I. 1, 1: ubi tamen *sed* in bonis codd. non legitur. 7 Sic Or. c. R. 1. 2. 4. et nonnull. edd. vett. pro vulg, *quum igitur dicis.* V. Adn. ad c. 7, 14. 8 Sic R. Gud. 1. II. Vind. 2. Mon. 1. Marb.; Or. c. vulg. *sunt.* Utrumque bene defendi potest; nos secuti sumus auctoritatem optimorum codd.

viam multa erant monumenta illustrium Romanorum. Moris enim erat sepulcra in eis locis exstruere, quae frequentari solebant. Cf. *Adleri* descript. urb. Rom. p. 124 sq." *Neidius.* „Anno 1780. ad hanc portam detecta sunt sepulcra Scipionum (Liv. XXXVIII, 56.), egregie illustrata a Viscontio (Opere varie. Milano 1827. Vol. I.)." *Wolf.*

verbo premis] Idem est, quod *v. urges.* „Translate a re militari (*hostes premere* i. e. acriter persequi) est dicendo aut disputando urgere aliquem." *Forcellini* Thes. h. v. Cf. nos infra ad 36, 88: Hoc *premendum* etiam atque etiam est argumentum.

§. 14. *in primis*] H. e. in initiis, elementis, fundamento dialecticorum. Cf. Ciceronis locum ex Academicis statim afferendum.

mihi in praesentia occurrit, ut appellarem] D. *appellem.* At optime sese habet vulg. *appellarem.* Fin. III. 16, 53: quod illi ἀδιάφορον dicunt, id mihi ita *occurrit* (*perf.*), ut indifferens *dicerem.* De verbis *in praesentia* laudat *Moser* Doederlinium in Lat. Syn. I. p. 139 sqq., *Orellius* Oudendorpium ad Cic. Inv. I, 27. p. 33. Neap. additque, Nautam ad Senec. Prov. I. p. 7. *praesentia* mire accusativum plur. esse existimasse. Caes. B. C. I, 42: *in praesentia* similem rationem operis instituit.

omne pronuntiatum] Ad hunc locum cf. A. Gellium N. A. XVI, 8: Quicquid ita dicitur plena atque perfecta verborum sententia, ut id necesse sit aut verum, aut falsum esse; id a dialecticis ἀξίωμα appellatum est — a M. Cicerone *pronuntiatum*, quo ille vocabulo tantisper uti se attestatus est, *quoad melius*, inquit, *invenero.* Cf. Acad. II. 29, 95: fundamentum dialecticae est, quicquid enuntietur (id autem appellant ἀξίωμα, quod est quasi *effatum*,) aut verum esse, aut falsum. Adde de Fato c. X, 20. Postea graecum ἀξίωμα reddidit per *enuntiationem* vel *enuntiatum.* V. *Schütz.* Lex. Cicer. h. v.

id ergo est] Vocula *ergo* post parenthesin ad orationem interruptam recipiendam frequentissima est. Oratio autem ἀνακόλουθος est; ita enim erat continuanda: pronuntiatum ergo verum est aut falsum. Cf. infra V. 26, 73: ubi v. Adnot. Fin. II. 34, 113. ibique *Goerenz.* p. 289 sq. V. *Ellendt.* ad Brut. §. 177. p. 127. *Madvig.* ad Fin. I. 21, 72. II. 8, 23.

verum id falsumne sit] De hac in-

essent, eos ne miseros quidem esse posse. Quid? qui vivimus, quum moriendum sit, nonne miseri sumus? Quae enim potest in vita esse iucunditas, quum dies et noctes cogitandum sit, iam iamque esse moriundum [9]?

VIII. 15. *M.* Ecqui [1] ergo intelligis, quantum mali de humana conditione deieceris? *A.* Quonam modo? *M.* Quia, si * mors * [1] etiam mortuis miserum esset, infinitum quoddam et sempiternum malum haberemus [1] in vita; nunc video calcem, ad quam [2] quum sit

9 Sic R.; Or. c. vulg. *moriendum.* 1 v. Adn. 2 Sic Or. c. plurimis codd. et optimis, ut R. Vat. b.; alii *quem;* male, v. *K. L. Schneider.* Gr. d. Lat. Spr. III. p. 119 sqq.

terrogationis forma v. nos in L. Gr. §. 158. Not. 15.

Cap. VIII. §. 15. *Ecqui*] Sic R. aliique codd. plerique (nonnulli *et qui* vel *atqui* h. e. *ecqui*): Or. c. vulg. *ecquid:* quod *Moser* defendit coll. ad Att. II, 2: *Ecquid* vides Kalendas venire? Liv. IV. 3, 8: *Ecquid* sentitis, in quanto contemptu vivatis? (ubi idem codd. fluctuantur.) Adde infra II. 14, 32. At ob codicum auctoritatem nolui deserere scripturam *ecqui* (i. e. ecquo modo), praesertim, quum vocabulum rarissimum (v. Lexx.) a librariis facile corrumpi potuerit. Huic vocabulo in seqq. bene respondet *Quonam modo?* Etiam Tregd. id recepit.

de humana conditione deieceris] H. e. quantum mali vitae humanae detraxeris. Infra II. 5, 14: quantum de doloris terrore deieceris. IV. 37, 80: vitia ratione a se esse deiecta.

mors etiam mortuis miserum esset] Sic *Bentleius* pro *mori* legendum suspicatus est. Coniectura egregia ac palmaris, quam non dubitavi in ordinem verborum recipere. Quid, quaeso, absurdius cogitari potest, quam sententia, quam praebet scriptura *mori?* Quî tandem h. l., ubi de *iam mortuis* agitur, commemorari potest *moriendi* actio, h. e. transitus ex vivorum conditione in mortuorum? At *mortis* nomen optime convenit in hunc locum; *mors* enim *mortuorum* intelligenda est status, in quo mortui versantur. Tullii igitur sententia haec est: infinitum quoddam et sempiternum malum haberemus, si non solum vita ipsa, sed etiam status, in quem post hanc vitam deferimur, et in quo mortui versantur, miser esset. Corruptelae caussa posita videtur in neutro *miserum,* quod pro substantivo accipiendum est. V. ad c. 5, 9. Sic ad Fam. VI, 21: omnium rerum *mors* est *extremum.* V. nos in Gr. L. §. 103. Not. 2. Cf. enucleatissime de h. l. exponentem *Kritzium* in eruditissima nostrae primae horum librorum editionis censura (Allgem. Schulzeitung 1830. p. 900.) *Nauckius* (Progr. Cotbus. 1848. p. 11.) *mori* ita accipiendum censet, ut sit *quod morimur* vel ea hominum conditio, qua moriendum est omnibus vel moriendi necessitas: quae sententia abhorret ab h. l.

malum haberemus] Temere *Wopkens.* Lectt. Tull. I. 9, 50. coni. *horreremus.* Locutio *malum habere* etiam aliis locis ap. Ciceronem legitur. *Handius* ad *Wopk.* affert ad Att. VII. 2, med. *Moser* addit Legg. I. 14, 41.

in vita: nunc video] *Bentleius* locum sic distinguendum censet: *quia — haberemus. In vita nunc video calcem:* quae ratio haud scio an maxime probabilis sit. Primum quidem offendebar verborum collocatione: *in vita nunc,* quum exspectarem: *nunc in vita;* sed mox, diligentius inspecto loco, vidi, magna etiam cum vi verba *in vita* in prima enuntiati sede collocata esse. Tota enim oppositionis vis non in *nunc* posita est, sed in verbis: *in vita,* quippe quae antecedenti verbo *sempiternum* opponantur. Nam quum adversarius §. 14. iam concessisset, *non esse miseros, qui mortui sunt,* quia, *qui omnino non essent, ii ne miseri quidem esse possent:* respondet Tullius, consequens ex eo esse, ut miseria sempiterna non sit, quum miseria *in vita* ad finem, quem mors adducat, perveniat. Egregia *Bentleii* emendatio stabilitur et communitur loco gemino, qui infra c. 42, 100. legitur: intelligamusque, si mors malum sit, esse sempiternum malum; nam vitae miserae mors finis esse videtur: mors si est misera, miseriae finis esse nullus potest. Qui vulgatam distinctionem (*in vita: nunc*

decursum, nihil sit praeterea extimescendum. Sed tu mihi videris Epicharmi, acuti nec insulsi hominis, ut Siculi, sententiam sequi. *A.* Quam? non enim novi. *M.* Dicam, si potero, Latine; scis enim me Graece loqui in Latino sermone non plus solere, quam in Graeco Latine. *A.* Et recte quidem. Sed quae tandem est Epicharmi ista sententia? *M.*

Émori nolō; sed me esse mórtuum nihil áestumo.

A. Iam agnosco Graecum. Sed [3] quoniam coëgisti, ut concederem,

3 Sic Or. c. M. L. aliisque: plerique codd. (etiam R. Gud. 1.) et edd. vett. *et* (pro *sed*); *et* facile ex *set* (pro *sed*) oriri potuit, uti recte Or. monet; Vat. *sed et.*

v. c.) retinent, cum v. *nunc* comparant Graecorum νῦν δέ, quod, post conditionalem propositionem positum, pari modo id, quod vere est, significat (v. nos ad III. 1, 2.); at haec ratio mihi ab h. l. plane abhorrere videtur.

calcem „Locus in circo, *calce* olim notatus, post creta (Senec. ep. 108. extr.), ubi cursu exacto victor consistebat et praemium accipiebat. Unde formulae hae: *e carceribus ad calcem pervenire* (Lael. 27, 101.), *a carcere ad calcem revocare* (Cat. M. 23, 83.)." *Ernestius* in Clav. h. v. *Menkius* l. d. comparat C. de Sen. 23, 83: Nec vero velim, quasi decurso spatio, ad carceres a calce revocari. Cf. *Forcellinii* Thes. h. v. Apte contulit *Davisius* Gell. N. A. XIV, 3: cursusque eorum ad eandem virtutis calcem pergentium; addit *Moser* Gron. ad Gell. l. d. Salmas. Plinn. Exercitt. p. 642. ed. Trai.

ut Siculi] H. e acuti hominis, *ut a Siculo exspectari potest.* In eiusmodi enuntiatis ellipticis particula *ut* (ὡς) duplicem vim habet, aut *exaequandi* aut *restringendi.* Cardo rei vertitur in praedicato rerum comparatarum. Etenim eius rei quacum altera comparatur praedicatum cogitatione ponitur et, quatenus id aut affirmative aut negative ponitur, *ut* aut exaequandi aut restringendi vi instruitur et aut per nostrum *als* aut per praepositionem *für* vertendum est. Sic h. l. vim habet exaequandi; nam cogitatione ponitur, Siculorum gentem esse acutam. Infra c. 43, 104: (Diogenes,) *ut Cynicus,* asperius proiici se iussit inhumatum. Contra Corn. Nep. Epam. V, 2: exercitatus in dicendo, *ut Thebanus* vim habet restrictivam; ponitur enim, Thebanos per se spectatos in dicendo *non* fuisse exercitatos. At sententia plane mutatur, si dicas: exerc. in dic., *ut Atheniensis;* Athenienses enim dicendi fuisse peritissimos, nemo ignorat. de Orat. II. 1, 2: Quos tum, *ut pueri,* refutare domesticis testibus — solebamus. Ibid. III. 18, 66: orationis genus — fortasse subtile et certe acutum, sed, *ut in oratore,* exile. Infra c. 24, 57. V. 29, 83. 32, 92. V. docte et circumspecte hac de re exponentem *Kritzium* in censura supra laudata p. 905 sq. et ad Sallust. Iug. C. VII, 6. p. 579 sq. Cf. *Bremium* ad Corn. Nep. Epam. V, 2. *Herzog.* ad Caes. B. G. IV, 3. p. 204. *Heindorf.* ad Horat. Sat. I. 6, 79. p. 153. *Ellendt.* ad de Or. II. 1, 2. Vol. II. p. 159 sq. *Ramshorn.* L. Gr. §. 205. *Kühner.* L. Gr. §. 156. Not. 2. Raro *ut* omittitur. V. ad IV. 3, 5. Sic apud Graecos dicitur ὡς, ὥς γε, ὡς κατά. Thuc. IV, 84: τὴν δὲ οὐδὲ ἀδύνατος, ὡς Λακεδαιμόνιος, εἰπεῖν. V. nos in Gramm. Gr. T. II. §. 830, 5. (Gr. schol. §. 342. Not. 4.) De re ipsa satis constat, gentem Siculam acuminis et solertiae laude antiquitus floruisse. Cf. Cic. de Orat. II. 54, 217. Brut. c. 12. Divin. in Caecil. 9, 28. Verr. II. 4, 43. 95. III. 8, 25. IV. 43, 95. V. 28, 71. V. *K. O. Mülleri* Dorier. T. II. p. 360.

scis enim etc.] Sententia: quum Graece loquor, Graeci sermonis; quum Latine loquor, Latini sermonis castitatem ac puritatem servare studeo. — *Non plus*, eben so wenig, quod a recentioribus nonnunquam barbare exprimi per *aeque minus*, monet ad h. l. *Wolfius.*

Emori nolo] Est trochaicus tetrameter catalecticus. Versus Graecus ap. Sext. Emp. c. Math. 1, 18. p. 275. Fabr. e Davisii emendatione legitur: — ἀπῇ θανεῖν· ἢ τεθνάναι οὔ μοι διαφέρει. De verbo *emoriendi* v. ad I. 41, 97.

Iam agnosco Graecum] Haec verba duplicem de *Neidii* sententia admittunt interpretationem. Aut significant: audire mihi videor Graecum (i. e. hominem mollem) loquentem, aut: iam veniunt

qui mortui essent, eos miseros non esse; perfice, si potes, ut ne moriendum quidem esse miserum putem. 16. *M.* Iam istuc[4] quidem nihil negotii est; sed etiam maiora molior[5]. *A.* Quo modo hoc nihil negotii est, aut quae sunt tandem ista maiora? *M.* Quia, quoniam[6] post mortem nihil est mali, ne mors quidem est malum, cui proximum tempus est post mortem, in quo mali nihil esse concedis; ita ne moriendum quidem esse malum est; id est enim perveniendum

4 Sic plurimi et optimi codd., ut R. Gud. 1.; Or. c. vulg. *istud.* 5 Verba *sed etiam maiora molior* om. R. 1. 2. 3. 4. Gud. 1. II. et permulti alii codd.; habent autem omnes edd. vett., nec desiderari possunt ob seqq. *aut quae sunt tandem ista maiora?* et *sed quae sunt ea, quae d. te maiora moliri?* Veterem lacunam fuisse recte statuit *Mos.* vel librarii alicuius negligentiam, e cuius exemplari, uti saepissime factum, vitium in plurimos manavisset, qui ex eo originem duxissent. 6 Sic Or. c. R. b. aliisque codd.; recte; *quia* est ὅτι, *quoniam* ἐπειδή; plurimi libri *Quoniam, si* pro *Quia, quoniam.*

in memoriam verba Graeca (sc. Epicharmi). Quae quidem sententia unice vera est. De verbo *agnoscendi* v. ad c. 24, 58.

§. 16. *cui proximum*] *Cui* scil. morti proximum tempus est tempus post mortem, in quo etc. Mire *Wopkens.* Lectt. Tull. II, 10. p. 250. H. locum ita accipit: est malum (*ei*), cui prox. cett. Paullo post de: *id est enim* v. ad c. 4, 8.

spinosiora] Respondet nostro *spitzfindig.* Comparat *Moser* Or. 32, 114: postea, qui dialectici dicuntur, spinosiora multa pepererunt. Fin. III. 1, 3: Stoicorum subtile vel spinosum potius disputandi genus. Infra IV. 5, 9. (Peripatetici) spinas partiendi et definiendi praetermittunt.

confitear] *Confiteri* (eingestehen, zugestehen) est necessitatis, *profiteri* voluntatis. Hinc II. 19, 45: *cogamusque confiteri.* Recte explicat *Neidius: Confitemur* (wir sind überredet), si veritatem quidem non perspeximus, nihil tamen contra alterius argumentandi rationem afferre possumus; *assensus* (Ueberzeugung) nisi perspecta veritate esse non potest. De significationis discrimine, quod inter *fatendi, confitendi, profitendi* verba intercedit, eleganter et docte disputavit *Iordanus* ad or. p. Caecina 9, 24. p. 181.

quae dicis te maiora moliri] *Goerenzius* ad Acad. II, 23. p. 135. e duobus suis codd. legi vult: *te dicis* (et sic Duisb.), quum pronomina in structura acc. c. inf. verbis dicendi (et sentiendi) praemitti soleant, ut Acad. II. 25, 79: tu autem *te* negas — moveri. Fin. V. 31, 93: qui *se* fatentur virtutis caussa ne manum quidem versaturos fuisse (ubi tamen *Madvig.* leg. *fat. se*). V. eundem ad Acad. I. 2, 7. et ad Fin. II. 22, 74. p. 233. Cuius rei caussam repetendam censet a mirabili ista quam excogitavit *soni* doctrina. Omnino tota haec regula nullis firmis superstructa est fundamentis, uti enucleatissime demonstravit *Otto* in Exc. XII. ad Fin. Cf. *Ed. Wunderum* ad Plancianam p. 71. Et praeponuntur et postponuntur pronomina, diversa scilicet sententiae vi. Illud fit, ubi magnum pondus in pronominibus positum est, ut in oppositione, cf. supra c. 9, 17: *se* sapientes esse *profitentur.* III. 34, 84: Quid autem praeclarum non idem arduum? *se* tamen id effecturam philosophia *profitetur.* Acad. I. 4, 16: ob eamque rem *se arbitrari* ab Apolline omnium sapientissimum esse dictum, quod etc. Contra postponuntur regenti verbo, ubi pronomina nullam vim habent, uti h. l.; itaque, ubi pron. pers. subiectum indefinitum (*man*) indicant, ut in sententiis generalibus, in definitionibus, ut I. 36, 87: quia, quum id non habeas, quod tibi nec usu, nec natura sit aptum, non careas, etiam si *sentias te* non habere. Ibid. 88: in vivo intelligi tamen potest, regno *te* carere; porro ubi unum vel plura vocabula maiore vi efferenda sunt, ut II. 14, 33: Ecquid *scis* igitur, si quid de Corinthiis tuis *amiseris, posse habere* te reliquam supellectilem salvam.

aveo — audire] *Aveo* (hinc *avidus*) cum infinitivo verborum *sciendi, audiendi* Tullius dicere solet pro *cupio.* Infra c. 47, 112: aveo enim audire. Off. I. 4, 13: quum sumus curis vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiscere. *Moser* addit Div. I. 6, 11. Sed ad Attic. II. 18, 3. legitur: aveo pugnare.

Ut — non efficias] De concessivo *ut*

esse ad id, quod non esse malum confitemur. *A.* Uberius ista, quaeso. Haec enim spinosiora prius, ut confitear, me cogunt, quam ut assentiar. Sed quae sunt ea, quae dicis te maiora moliri? *M.* Ut doceam, si possim, non modo malum non esse, sed bonum etiam esse mortem. *A.* Non postulo id quidem, aveo tamen audire. Ut enim non efficias, quod vis; tamen, mors ut malum non sit, efficies. Sed nihil te interpellabo; continentem orationem audire malo. 17. *M.* Quid? si te rogavero aliquid, non[7] respondebis?

7 v. Adn.

v. ad II. 6, 14., de structura v. *efficere* ad I. 31, 77.

mors ut malum non sit] Eadem verborum collocatio 9, 17: certa *ut* sint et fixa. 15, 32. 31, 76. 42, 99: nihil *ut* affirmet. III. 17, 38. 18, 42: quivis *ut* intelligat. 21, 51: nullum *ut* certamen instituam. IV. 2, 5: facile *ut* appareat. V. 20, 60. Fin. II, 10: nihil *ut* cogitarent. Divin. I, 40: deus *ut* haberetur. Sic *quoniam* III. 5, 11. *quum* III. 7, 15. Scilicet coniunctiones, relativa, interrogativa postponuntur, ut praegressum vocabulum maiore vi efferatur. De *qui* cf. I. 13, 29. II. 3, 9. 13, 30. III. 15, 32. V. 19, 54. V. nos in Gr. L. §. 167, 1. Sic in Graeca lingua, ut Plat. Phaedr. p. 238. A: καὶ τούτων τῶν ἰδεῶν ἐκπρεπὴς ἡ ἂν τύχῃ γενομένη. V. *Stallbaum.* ad Plat. Reip. II. p. 363. A. et nos in Gr. Gr. T. II. §. 864, 3. (Gr. schol. §. 348, 8.) De breviloquentia: efficies, ut *mors malum non sit* pro: ut mortem malum non esse putem (cf. §. 15 extr.) cf. *Halmium* ad or. pr. Sulla 14, 40. p. 98: saepe omissis verbis dicendi vel existimandi infinitivus iis adiunctus in verbum finitum mutatur. Infra IV. §. 47: ita enim definit, ut perturbatio sit aversa a ratione animi commotio (pro: ut dicat — esse). Eleganter de hac re disputavit *Madvig.* ad Fin. I. 5, 15: illud quidem adduci vix possum, ut ea, quae senserit ille, tibi non vera videantur (adduci sc. ad credendum). Similiter infra I. 32, 77: me nemo de *immortalitate* (i. e. immortalitatis opinione) depellet. V. nos in Gr. L. §. 167, 1.

continentem orationem] Inde a cap. V. usque ad h. l. Cicero Socraticam contra alterius opinionem disserendi consuetudinem secutus est (cf. supra c. 4. extr.); totam hanc (c. 5 — 8) disputationem *Wyttenbachius* ad Plutarch. Consol. ad Apollon. p. 55. Lips. ex Crantore petitam esse existimat. Iam, hac subtiliter interrogandi et respondendi ratione relicta, copiosiore quodam et uberiore atque fuso genere utitur: qui erat mos ἀριστοτέλειος: in quo sermo ita inducitur, ut penes unum sit principatus. V. nos in libro d. *de Cicer. in philos. merit.* p. 149 — 151. et quae in Prolegomenis (VII.) ad hos libros exposuimus.

§. 17. *non respondebis?*] Sic recte post Lall. et W. restituit *Or.* *Non* legitur in Gud. II. 2. Duisb. Vind. 1. et edd vett. P. L. Car. Steph. Fr. Fabr.; reliqui codd. et edd. vett. habent *nonne.* Licet plurimi et optimi libri *nonne* tueantur; tamen, ut id reciperem, impetrare a me non potui. Vix cogitari potest, vulgare *nonne* a librariis mutatum esse in rarius et exquisitius *non;* contra nihil facilius fieri potuit, quam ut, quum reconditior interrogativi *non* usus librariorum aciem fugeret, particula *non* in tritum illud ac pervagatum *nonne* mutaretur, *Klotzius,* qui *nonne* retinuit, comparat Verr. IV, 9, 19. Fin. II. 3, 10. (ubi v. *Madvig.*) V. 28, 86.; at hi loci ei, quem nunc tractamus, non prorsus respondent. *Non* cave h. l. cum *Billerbeckio* explices per *nonne.* Res sic sese habet. Negatio *non* duplici modo in interrogatione usurpatur; nam aut idem valet, quod *nonne* (nisi quod gravius est quam *nonne*), h. e. ponitur, quum interrogationem nostram ab altero affirmatum iri confidimus (nicht wahr? das versteht sich doch?) Cf. supra c. 7, 13: pugnantia te loqui *non* vides? V. 27, 79: Quid bestiae? *non* frigus, *non* famem, *non* montivagos atque silvestres cursus lustrationesque patiuntur? *non* pro suo partu — propugnant —? Sic in complurium interrogationum continuatione post *nonne* reliqua membra per *non* adiunguntur. V. *Ramshorn.* Lat. Gramm. §. 174. Not. 2. p. 704. *Kühner.* L. Gr. §. 158, 3. c) et Not. 7. — Aut cum affectu quodam vel impatientiae vel admirationis vel indignationis ponitur, ita quidem, ut

A. Superbum id quidem est; sed, nisi quid necesse erit, malo non roges.

IX. *M.* Geram tibi morem et ea, quae vis, ut potero, explicabo, nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut sint et fixa, quae dixero, sed ut homunculus unus e multis, probabilia coniectura sequens. Ultra enim quo progrediar, quam ut veri similia videam [1], non habeo; certa dicent ii, qui et percipi ea posse dicunt, et se sapientes esse profitentur. *A.* Tu, ut videtur; nos ad audiendum parati sumus. 18. *M.* Mors igitur ipsa, quae videtur notissima res esse, quid sit, primum est videndum. Sunt enim, qui discessum

1 Or. c. Gebh. e duob. codd. *veri videam similia.*

alterius assensus postuletur quodammodo atque extorqueatur, is autem, qui interrogat, adhuc dubitet, numne alter praeter exspectationem in sententia sua permansurus sit. (*Wie? du willst nicht — ? das wäre möglich?*) Sic h. l. Cf. infra V. 14, 42: An Lacedaemonii — quaesiverunt, num se esset etiam mori prohibiturus (sc. Philippus)? vir is, quem quaerimus, *non* multo facilius tali animo reperietur, quam civitas universa? Mur. XXI, 43: acceptam iniuriam persequi *non* placet? Immo vehementer placet. V. doctissimum censorem in „Allgem. Schulzeitg." 1829. VI. Heft. p. 624. Cf. nos in Gr. L. §. 158. Not. 10. Pari modo Graeci dicunt, ut οὐ περιμενεῖς; V. nos in Gramm. Gr. T. II. §. 460, 2. (Gr. schol. §. 255, 4.)

Superbum id quidem est] Scil. non respondere ab altero interrogatum. Ceterum pro *est* ex nostrae linguae ratione exspectamus *esset*, quod ex interpolatis codd. male receperunt *Davisius* et *Lall.* V. Adnotata ad I. 49, 116. De voc. *superbum* (ὑβριστικόν) cf. Acad. II. 29, 94: si habes, quod liqueat, *neque respondes, superbis.* ad Fam. I, 10: te *superbum* esse dicunt, quod *nihil respondeas.* V. *Wolfium* et *Orellium* ad h. l. De voc. *quidem* cf. Adnotata ad c. 25, 61.

malo non roges] Sic cum *D.*, *Lall.*, *Tr.* scribendum duxi, auctoritatem secutus omnium codicum. *Orellius* cum reliquis edidit *malo ne roges. Handius* ad *Wopkens.* p. 71. *non* h. l. ab omni latinitate abhorrere censet: quam sententiam calculo suo probavit *Moser.* Constat quidem, post verba volendi sequi *ne*, quia prohibendi notio in eiusmodi enuntiatis inest; at h. l. Cicero rectissime scripsit *non roges*, quia haec verba opposita sunt antecedentibus *si te rogavero*, ita quidem, ut *non roges* idem fere sit, quod *abstineas rogando.* Diversa ratio est in locis, qualis de Or. I. 62, 265: *vellem non* constituissem.

Cap. IX. *unus e multis*] εἷς ἐν πολλοῖς, sic *unus multorum*, *unus de multis* dicitur, qui non est eximius, qui nulla re vulgo antecellit. Brut. 79, 274: Qui non fuit orator *unus e multis*, potius inter multos prope singularis fuit. Horat. Sat. I. 9, 71: Sum paullo infirmior, *unus Multorum.*

probabilia coniectura sequens] de Academicorum ratione. V. Prolegom. ad h. libros c. II. et libr. d. *de Cic. in phil. merit.* p. 66 — 74: ubi Academicorum Ciceronisque philosophandi rationem fuse persecuti sumus.

certa dicent] Zeno enim, Stoicae disciplinae auctor, sapientem eum efformare volebat, qui nunquam falleretur, nihil opinaretur, sed omnia firmiter sciret et in sensibus eorumque notionibus veri falsique notam inesse statueret. V. nos in libro d. p. 151 — 163.

Tu, ut videtur] H. e. tu statue, ut tibi videtur. De hac ellipsi *Moser* laudat *Beierum* ad Off. III. 11, 49: Itaque Athenienses — eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Aristide, repudiaverunt. Melius hi, quam nos, qui piratas immunes, socios vectigales habemus. Plura dedimus in Gr. L. §. 161. a).

§. 18. *Mors igitur*] Coniunctionem *igitur* recte *Moser* refert ad sententiam mente supplendam: *quia te ad audiendum paratum esse dicis*, affertque *Beierum* ad Lael. 10, 33. Respondet Graeco τοίνυν, quod pari modo saepissime inservit disputationi ingrediendae. De eis, quae paullo post commemorantur, philosophorum de morte opinionibus *Moser* laudat *Wyttenbachii* Comment. Veterum philos. sentent. de statu animorum post mortem corporis, Harlem. 1784. p. XLIV

animi a corpore putent[2] esse mortem; sunt, qui nullum censeant fieri discessum, sed una animum et corpus occidere, animumque in[3] corpore exstingui. Qui discedere animum censent, alii statim dissipari, alii diu permanere, alii semper. Quid sit porro ipse animus, aut ubi, aut unde, magna dissensio est. Aliis cor ipsum animus videtur: ex quo *excordes*, *recordes concordes*que dicuntur, et Nasica ille prudens, bis consul, *Corculum*, et

Egregie cordatus *homo*, *Catus Aelius Sextus*.

19. Empedocles animum esse censet cordi suffusum sanguinem.

2 R. Gud. 1. II. 2. Marb. Vind. 1. Mon. 2. Aug. Rehd. Duisb. habent *putant*, et paullo post *censent*; sed R. habet *censeant*. V. Adn. in III. 31, 76. 3 Sic Or. c. codd. et paucis edd. vett.; plurimae edd. vett. *animumque cum corp.* Male.

— LIX. Eiusd. Lectiones quinque ed. Mahnii, Gand. 1824.

discessum animi a corpore] Plat. Phaedon. p. 64. C: Ἆρα μὴ ἄλλο τι (sc. ἡγούμεθα τὸν θάνατον εἶναι), ἢ τὴν τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος ἀπαλλαγήν;

Qui — censent, alii statim dissipari etc.] Scil. censent, quod ex secundaria enuntiatione repetendum est. V. *Madvigium* ad Fin. V. 22, 63. et nos in Gr. L. §. 162, 1. a). *Statim dissipari animum*, dicebant Epicurei. V. infra 21, 49.

alii diu permanere] Est Stoicorum sententia. Diog. L. VII, 156: (ψυχὴν) εἶναι τὸ συμφυὲς ἡμῖν πνεῦμα, διὸ καὶ σῶμα εἶναι, καὶ μετὰ θάνατον ἐπιμένειν, φθαρτὴν δὲ εἶναι. V. infra c. 30. c. 31. extr. c. 32, 79. *Moser* laudat *Tiedemann*. Syst. d. Stoisch. Phil. II. p. 152—155.

cor ipsum animus] *Muretus* comparat Aristotel. de partib. animalium, lib. III. p. 58. ed. Sylburg.: ἐν ᾗ (τῇ καρδίᾳ) τὴν ἀρχὴν φαμεν τῆς ζωῆς καὶ πάσης κινήσεως καὶ αἰσθήσεως, et Plin. XI, c. 37. Adde cum *Menkio* in Observv. ined. *Heindorfium* ad Hor. Sat. II. 3, 213. *Excordes*, *unverstandige*, opponuntur cordatis: quo vocabulo usi sunt prisci scriptores; *vecordes*, *wahnwitzige*, de quo v. ad II. 8, 19. Cf. *Seyffert*. ad Lael. 26, 99. p. 543.

Corculum] Nasicam hoc cognomen habuisse, Cicero etiam Brut. 20, 79. 58, 213. Plinius H. N. VII, 31. Aur. Victor de vir. ill. 44. narrant. Traxit autem hoc cognomen a prudentia, qua excellebat; veteres enim *corculum* dicebant solertem et acutum, uti testatur Festus.

Egregie cordatus] Est versus Ennii (Annal. X, 5. p. 186. ed. Spangenb.), quem Tullius etiam de Orat. I. 45, 198. (ubi v. *Müller* p. 135.) et de Rep. I, 18. laudat. *Cordatus* est sapiens, prudens (geistvoll). Ita appellatus est Cat. Ael. Sextus propter iuris civilis scientiam, uti testatur Cicero l. d. *Catus* est acutus, solers, gnarus: quod verbum, a Sabinis, uti auctor est Varro L. L. VI, 3. med. p. 90. Bip., ductum, antiquioribus Latii scriptoribus frequentatum, Tullii aetate non iam in usu fuit. Quapropter de Legg. I. 16, 45. ait: Quis igitur prudentem, et, *ut ita dicam*, *catum*, non ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa iudicet? ubi v. *Goerenz*. p. 71. Adde eundem ad Academ. II. 30, 97. p. 177. *et Moserum* ad h. l.

Aelius] Pronuntiabatur *Aeliu'*. Cf. *Ellendtum* ad Cic. de Or. I. 45, 198. Vol. I. p. 136. Audiamus Ciceronem in Orat. 48, 161: Ita non erat offensio in versibus, quam nunc fugiunt poetae novi. Ita enim loquebamur: *Qui est omnibu' princeps*, non, *omnibus princeps*. Et *vita illa dignu' locoque*. Quinctil. Inst. IX. 4, 38. Cf. supra c. 5, 10: *Sisyphus* versat (*Sisyphu'* pronuntiatum). c. 15, 34: *imaginis* formam. c. 28, 68: *Aquilonis* stridor. II. 7, 19: *fluctibus* mandet. V. *K. L. Schneiderl* Elementarlehre d. lat. Spr. T. I. p. 346 sqq.

§. 19. *Empedocles — sanguinem*] Stobaeus Ecl. Phys. Vol. II. p. 1026. ed. Heeren: αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα. Plutarch. decr. phil. IV, 5. V, 25: Ἐμπεδοκλῆς τὸν θάνατον γεγενῆσθαι διὰ χωρισμὸν τοῦ πυρώδους καὶ γεώδους, ἐξ ὧν σύγκρισις τῷ ἀνθρώπῳ συνεστάθη· ὥστε κατὰ τοῦτο κοινὸν εἶναι τὸν θάνατον σώματος καὶ ψυχῆς. V. *Sturz*. Empedocl. p. 440 sqq. Cf. Plat. Phaedon. p. 96. B: καὶ πότε-

Aliis pars quaedam cerebri visa est animi principatum tenere. Aliis nec cor ipsum placet, nec cerebri quandam partem esse animum; sed alii in corde, alii in cerebro dixerunt animi esse sedem et locum. Animum autem alii animam, ut fere nostri declarant *nomine*[4]; nam et *agere animam*, et *efflare* dicimus, et *animosos*, et *bene animatos*, et *ex animi sententia;* ipse autem animus ab anima dictus est. Zenoni Stoico animus ignis videtur.

4 v. Adn.

ρον τὸ αἷμά ἐστιν, ᾧ φρονοῦμεν, ἢ ὁ ἀὴρ (Anaximen.) ἢ τὸ πῦρ (Heracl.) ἢ τούτων μὲν οὐδέν, ὁ δὲ ἐγκέφαλός ἐστιν κ. τ. λ. Ciceronis verba ita accipienda videntur, ut Empedocles non ipsum sanguinem animum esse statuerit, sed in sanguine animi sedem. V. *Tennemann.* Gesch. d. Philosoph. T. I. p. 253. (p. 309. ed. Wendt.) et *Davisius* ad h. l. Cf. infra c. 17. extr.

animi principatum tenere] Ἡγεμονικόν. Apposite *Orellius* contendit N. D. I. 15, 39: eius (animi) ipsius principatum, qui in mente et ratione versatur.

alii in corde, alii in cerebro] „Illud statuebant Stoici, Epicurei medicique nonnulli; hoc Erasistratus, Herophilus, Pythagorici. Vide sis Aeg. Menag. ad Laert. VII, 159. et ipsum Laertium VIII, 30. Athenaeum lib. II. p. 65. et XV. p. 687., denique Plutarch. Plac. Phil. IV, 5." *Davisius.*

Animum — alii animam] Lactant. de Opif. Dei c. 17. (a *Davis.* allat.) Nonnulli *animam* dixerunt esse *ventum*, unde anima vel animus nomen accepit, quod Graece ventus ἄνεμος dicitur.

ut fere nostri declarant nomine] Sic bene edidit *Wolfius* e coniectura, quam calculo suo probaverunt *Sch.*, *Or.*, *Kl.* Eadem coni. iam codicis Vind. 1. margini adscripta est. Plurimi codd. optimique, ut R. Vat. b. (de Gud. 1. tacet *Moser*), et paucae edd. vett. exhibent *ut fere nostri declarant nomen;* cod. *Fabricii* et multae edd. vett. *ut f. n. declarant nominari.* Quam quidem scripturae varietatem ex compendio vocabuli *nomine* profectam esse, non potest esse obscurum. Videri autem id compendium fuisse NOĪE, statuit *Klotzius* in Add. p. 211.; mihi veri similius videtur NOM̄E: quod facile confundi potuit aut cum compendio NOM̄, quod vere habent Gud. 2. et Duisb., unde nata est scriptura *nomen*, aut cum comp. NOM̄I, unde ortum est *nominari.* *Wolfii* coniecturam *Klotzius* apte confirmavit Plinii loco H. N. 33, 6: cuius licentiae origo *nomine ipso* in Samothrace id institutum *declarat.* Idem iure reiicit coniecturam *Davisii*, etiam a *Tregdero* receptam: *ut fere nostri. Declarat nomen;* nam primum ea non tam probabiliter e codicum vestigiis elici potest, quam *Wolfii;* deinde oratio nimis abrupta est, uti recte vidit *W.;* sed immerito idem seqq. verba: *nam et — sententia* uncis cinxit; neque probare possum *Moserum*, qui edidit: *ut fere nostri. Declarat nomen,* sed verbis: *Declarat nomen* et quae seqq. usque ad *sententia* uncos addidit, neque denique *Tregderum*, qui verba *et animosos et b. a. et ex a. sententia* uncis sepsit. Sententia est haec: Fuerunt philosophi, qui dicerent *animum* nihil aliud esse, nisi *animam:* eaque sententia confirmari videtur lingua Latina, quae multas habet locutiones, in quibus nomen *animae* idem significat, quod *animus.*

Zenoni — animus ignis videtur] *Ignis* intelligitur πνεῦμα ἔνθερμον. Diog. L. VII, 157: Ζήνων δὲ ὁ Κιτιεὺς (ἔφη) πνεῦμα ἔνθερμον εἶναι τὴν ψυχήν· τούτῳ γὰρ ἡμᾶς εἶναι ἐμπνόους καὶ ὑπὸ τούτου κινεῖσθαι. Plutarch. Plac. IV, 3. Cf. Acad. I. 11, 39. N. D. III, 14. ibique *Creuzer.* p. 543. et *Tennemann.* Gesch. d. Phil. T. IV. p. 59. *Tiedemann.* Syst. d. Stoischen Phil. II. p. 146 sq.

Cap. X. *Sed haec quidem — vulgo*] Quas adhuc attuli de animi natura opiniones, eas non modo singuli philosophi protulerunt, sed etiam vulgus sequitur; quas autem nunc in medium prolaturus sum, eae fere singulorum philosophorum propriae sunt. Ad v. *vulgo* supplendum est *opinantur.* Non placet *Wolfii* de h. l. sententia: *Vulgo* i. e. integrae philosophorum scholae; *singuli* i. e. eiusmodi philosophi, quorum sententiae non probantur aliis et minus etiam vulgo.

§. 20. *ut multi ante veteres*] Sic omnes codd. Vocabulum *ut* interpretor *exempli caussa*, *veluti* (so zum Beispiele): veluti

X. Sed haec quidem, quae dixi, cor, [sanguinem[1],] cerebrum, animam, ignem, vulgo; reliqua fere singuli. 20. Ut multi ante veteres[2], proxime autem Aristoxenus, musicus idemque philosophus, ipsius corporis intentionem quandam; velut[2] in cantu et fidibus quae harmonia dicitur, sic ex corporis totius natura et figura varios motus cieri, tanquam in cantu sonos. Hic ab artificio suo non recessit, et tamen dixit aliquid, quod ipsum quale esset, erat multo

1 Voc. *sanguinem* addidit Man. ex antiquo ut ait libro; sed quum in ceteris omnibus et scriptis et editis libris non legatur, vix dubium videtur, quin importatum sit a glossatore, qui memor erat verborum c. 9, 19: *Empedocles — sanguinem* et c. 11, 24: *si cor, aut sanguis, aut cerebrum est animus.* 2 v. Adn.

multi veteres philosophi suam quisque de animi natura protulerunt opinionem, proxime autem Ar. animum ipsius corporis intentionem quandam esse dicebat. Pari modo h. l. accepisse videntur *Ern.* et priores, qui locum sic distinxerunt: *reliqua fere singuli, ut multi ante veteres. Proxime* etc. Alii hunc locum sic intelligunt: *ut* multi ante veteres, *ita* proxime Ar. Quod si statuimus, redundat *autem*, et levis quaedam ἀνακολουθία statuenda est. *Wyttenbachius* ad Plat. Phaedon. p. 248. *at* pro *ut* legendum suspicatur, ut haec exeat sententia: *at* singulas singulorum opiniones commemorare longum est, itaque acquiescam in recensendis Aristoxeni, Platonis, Dicaearchi, Aristotelis sententiis. Tum vero *sed* exspectes, non *at*, uti recte monet censor Lipsiensis. *W.* de coni.: *Ut multa ante veteres; Bentl.* coni.: *Ut multo ante v.*, ut sententia sit: harmoniam Aristox. *proxime quidem*, sed non primus neque solus statuit; nam multo ante eum veteres ph. in eadem erant sententia; *Reisk.* coni.: *ut multi multa ante v.*, h. e. veluti multi veteres ante nostra tempora dixerunt multas diversas de animo sententias. Quibus coniecturis omnibus supersedere possumus, si locum ea quam nos inivimus ratione interpretamur.

corporis intentionem] Scil. animum esse censebat. Ad hunc locum recte intelligendum multum lucis redundat ex Lactant. Div. Inst. VII. 3, 9: Quid Aristoxenus, qui negavit omnino ullam esse animam, etiam quum vivit in corpore? Sed sicut in fidibus ex *intentione* nervorum effici concordem sonum atque cantum, ita in corpore ex compage viscerum ac vigore membrorum vim sentiendi exsistere. Cfr. idem de Opif. Dei XVI, 13 — 15. et Plat. Phaedon. p. 92, A. B: ψυχὴν δὲ ἁρμονίαν τινὰ ἐκ τῶν κατὰ τὸ σῶμα ἐντεταμένων ξυγκεῖσθαι. Ceterum in Aristoxeni rhythmicorum elementor. fragment. inedit. a *Morellio* Venetiis. 1785. 8. editis nihil reperiri, quod ad nostrum locum referri possit, docet ad h. l. *Orellius.* De Aristoxeno *Moser* laudat praeclarum *G. L. Mahnii* diatriben edit. Amstelod. 1793, ubi nostrum locum p. 200 sq. tractat, ibique allatum *Wyttenb.* ad Plutarch. S. N. V. p. 143., et *Astium* de Platon. vita et scriptis p. 163.

velut] *Wolfius* de *Reiskii* coniectura scripsit: *vel ut* pro vulgato *velut*, quod recte et retinuit et defendit *Orellius.* Particula *velut* indicat, verba *in cantu — sonos* tanquam appositionis loco adiuncta antecedentis sententiae explicationem continere; si vero divisim *vel ut* legitur, „nova similitudo ab *intentione* illa aliquantum diversa videtur inferri, quae tamen nulla potest esse," ut recte monet *Orellius.* Ceterum *Rathius* Praef. p. XI., quum intelligere non possit, quo referendum sit pronomen *quae*, locum corruptum censet. Miror sane, virum doctum fugere potuisse structuram tritam ac pervagatam, a grammaticis attractionis nomine notatam. Locus ita explicandus est: Arist. censet, *ut in cantu et fidibus* (ea), *quae harmonia dicitur* (die sogenannte Harmonie), cieatur, *sic ex corporis — cieri, tanquam in cantu sonos.* Cic. Top. 10: oratoribus et philosophis concessum est, ut aliquid, quod fieri nullo modo possit, augendae rei gratia dicatur aut minuendae, *quae hyperbole dicitur* (pro: quod h. d.). V. Adnotata in IV. 10, 23.

varios motus cieri] *Motus* recte *Kernius* interpretatur *Schwingungen.* Apposite *Moser* comparat N. D. 3, 11: natura omnia *ciens* et agitans *motibus* et

ante et dictum et explanatum a Platone. Xenocrates animi figuram et quasi corpus negavit esse, verum [3] numerum dixit esse, cuius vis, ut iam ante Pythagorae visum erat, in natura maxima esset. Eius doctor Plato triplicem finxit animum [4], cuius principatum, id est rationem, in capite, sicut in arce, posuit et duas partes ei parere [5] voluit, iram et cupiditatem, quas locis disclusit; iram in pectore, cupiditatem subter praecordia locavit. 21. Dicaearchus autem in eo sermone, quem Corinthi habitum tribus libris exponit, doctorum hominum disputantium, primo libro multos loquentes facit, duobus Pherecraten [6] quendam, Phthiotam senem, quem ait a Deucalione ortum, disserentem inducit, nihil esse omnino animum, et hoc esse nomen

3 Kl. in Add. p. VII. locum sic distinguendum censet: *neg. esse verum, numerum d. e.* At hac distinctione ieiuna atque inepta sententia efficitur; quomodo quaeso consociari possunt haec: *quasi corpus verum?* neque probandus est Tr., qui *verum*, omnium librorum auctoritate munitum, uncis inclusit. Pauci deteriores codd. et nonnull. edd. vett. habent *negav. esse ullum, verum:* unde Man., qui *verum* perperam pro adiectivo accepit, coni.: *neg. esse ullum, numerum d. e.* Pro *ullum* Vind. 2. Rehd. Gud. 2. habent *illum* 4 Sic coni. Bentl., neque aliter Rehd. Gud. 2. Vulgo male *animam.* 5 Sic D. in ed. 3. codicum ductu, ut ait. Scilicet *ei* latet in scriptura omnium (praeter Vat.) codicum et edd. vett. *partes separare* (*seperare* Marb. Rehd. Gud. 2.); Or. c. Vat. *et d. partes parere v.*, omisso *ei.* 6 Sic D. et ex Gud. 1. Mos. neque aliter R. ap. Wes.; Or. c. vulg. *Pherecratem.* V. ad c. 26, 65.

mutationibus suis. Univ. 7: orbis semper eodem *motu cietur.* De v. *motus* cf. ad c. 27, 67.

a Platone] qui in Phaedone (p. 92 sqq.) hanc de harmonia opinionem elevare studuit. *Moser* laudat hac de re disputantem *Wyttenbachium* in Lectionibus quinque a *Mahnio* editis p. 98 sq., eundemque ad Phaedon. p. 248 — 250 et *Creuzerum* ad Plotin. p. 207. E.

numerum dixit esse] Cf. Acad. II. 39, 124. I. 11, 39. Ἀριθμὸν αὐτοκίνητον. V. *Tennemann.* Gesch. d. Philos. T. I. p. 131. et T. III. p. 11. Cf. Macrob. in Somn. Scip. I, 14. p. 68 sqq. ed. Bip.: ubi variae philosophorum de animi natura sententiae recensentur.

Pythagorae] Plutarch. Decret. phil. IV, 2: Πυθαγόρας (ἀπεφήνατο τὴν ψυχὴν) ἀριθμὸν ἑαυτὸν κινοῦντα· τὸν δὲ ἀριθμὸν ἀντὶ τοῦ νοῦ παραλαμβάνει. V. *Tennemann.* Gesch. d. Philos. T. I p. 126. Adde Nemes. de nat. homin. p. 102. ed. Matth., a *Wolfio* allatum.

triplicem finxit animum] Haec de animo doctrina a Platone in dialogo, qui Timaeus inscribitur, fuse pertractatur. Cf. quos *Neidius* laudat, *Tennemannum* System d. Plat. Phil. T. III. p. 197 sq. et *Tiedemannum* in Argum. Dial. Plat. p. 334. Adde Apulei. de Habitud. Doctrin. Platon. I. p. 169. ed. Bip. Diogen. Laert. VIII, 30. et infra II. 21, 47: *Ratio* νοῦς (s. τὸ λογικόν, τὸ ἡγεμονικόν, Vernunft), *ira* θυμός (s. τὸ θυμικόν, Gemüth), *cupiditas* ἐπιθυμία (s. ἐπιθυμητικόν, Begierde, Leidenschaft.) Cf. *Stallbaum.* ad Plat. de Rep. IV. p. 439. D. et Adnotata in II. 21, 47.

in capite, sicut in arce] V. *Davisium* ad C. N. D. II. 56, 140: Sensus autem, interpretes ac nuntii rerum, in capite, tanquam in arce, mirifice ad usus necessarios et facti et collocati sunt. De praepositione in appositione repetita v. ad III. 16, 33.

§. 21. *duobus*] Scil. reliquis. Sermonem enim tribus libris exposuerat. De Dicaearcho v. Indicem histor. Adde *Hülsemannum* ad Acad. II. 39, 129. p. 547 sq. et quos *Creuzer*, a *Mosero* laudatus, ad Plotin. p. 458. affert, Sext. Emp. adv. Math. VII. §. 349. et Pyrrhon. Hypotyp. II, 31. ibique *Fabr.* p. 74. Plutarch. Plac. Phil. IV, 2. et Atticum ap. Euseb. P. E. XV, 9. p. 810 A. B. Ceterum cum Ciceronis de Dicaearcho verbis non plane conspirant ea, quae a Stobaeo Ecl. Phys. p. 796. et a Nemes. de nat. hom. p. 68. Matth. (Δικαίαρχος δὲ [sc. λέγει ψυχὴν εἶναι] ἁρμονίαν τῶν τεσσάρων στοιχείων, ἀντὶ τοῦ, κρᾶσιν καὶ συμφωνίαν τῶν στοι-

totum inane, frustraque[7] animalia et animantes appellari; neque in homine inesse animum vel animam, nec in bestia; vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis aequabiliter esse fusam nec separabilem a corpore esse, quippe quae nulla sit, nec sit quicquam, nisi corpus unum et simplex, ita figuratum, ut temperatione naturae vigeat et sentiat. 22. Aristoteles longe omnibus (Platonem semper excipio) praestans et ingenio, et diligentia, quum quattuor nota illa genera principiorum esset complexus, e quibus omnia orerentur[8], quintam quandam naturam censet esse, e qua sit mens. Cogitare enim, et providere, et discere, et docere, et invenire aliquid, et tam multa alia, meminisse, amare,

7 Sic plurimi codd., etiam R. Gud. 1. II. aliique meliores; Or. c. paucis deterioribus codd. et omnib. fere edd. vett. post *frustra* addit *et*. 8 V. Adn.

χείων) de eodem philosopho traduntur. Unde *Tennemann*. Gesch. d. Phil. T. III. p. 337. coniicit, Dicaearchi sententiam non satis recte a Cicerone expositam esse.

frustra H. e. sine caussa: quem huius vocabuli usum iniuria *Handium* ad Tursell. II. p. 747. a Cicerone abiudicare, recte monet *Madvigius* ad Fin. II. 12, 36.

animalia et animantes] Ubi *animalia* opponuntur *animantibus*, illa dicuntur de hominibus et bestiis, hi complectuntur etiam plantas. *Menkius* in Observv. ined. illud vocabulum comparat cum Graeco ζῶα, hoc cum ἔμψυχα. Vertere possumus *lebende Geschöpfe und belebte Wesen*. Cf. *Forcellin*. Thesaur. h. v.

animum vel animam Weder eine geistige, noch eine physische, von dem Leibe trennbare Seele, will Cicero sagen, ohne sich an das eine Wort ψυχήν zu halten, ut recte explicat *Orellius*.

temperatione] Sic infra IV. 13, 39: ut corporis *temperatio*, quum ea congruunt inter se, e quibus constamus, sanitas sic animi dicitur. Cf. I. 28, 68: *temperatio* corporum. IV. 1, 1: disciplina ac *temperatio* civitatis Leg. III. 5, 12: *temperationem* rei publicae, quae efficl non potuisset, nisi tali descriptione magistratuum. Supra c. I, 2: rem publ. — melioribus *temperaverunt* et institutis et legibus. Est nostrum *Organisation*.

§. 22. *quattuor — genera principiorum*] Sunt quattuor elementa, aqua, aër, ignis, terra. Academ. I. 7, 26: Ergo illa initia et, ut e Graeco vertam, elementa dicuntur: e quibus aër et ignis movendi vim habent et efficiendi; reliquae partes accipiendi et quasi patiendi, aquam dico et terram — quintum genus, e quo essent astra mentesque, singulare eorumque quattuor, quae supra dixi, dissimile Aristoteles quiddam esse rebatur.

orerentur] Sic scripsi c. optimo Gud. 1. et Dav. in ed. 2. pro vulg. *orirentur*: quod si in archetypo lectum esset, vix credibile est, a librario mutatum fuisse in rarissimam formam *orerentur*. Etiam infra V. 4, 10. D. in ed. 3 et tres praestantissimi codd. R. P. Gud. 1. exhibent *orerentur*. Hi duo loci praeterierunt diligentiam *C. L. Struvii* in libro: Über d. Lat. Decl. u. Conjug. Königsb. 1823. p. 201.

quintam quandam naturam censet esse, e qua sit mens] Infra c. 17, 41: (si animus est) quinta illa non nominata magis, quam non intellecta natura. c. 26, 65: sin autem est quinta quaedam natura, ab Aristotele inducta primum, haec et deorum est et animorum. c. 27, 66: singularis est igitur quaedam natura atque vis animi, seiuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita, quicquid est illud, quod sentit, quod vivit, quod viget, caeleste et divinum ob eamque rem aeternum sit necesse est. Acad. I. 7, 26: quintum genus, e quo essent astra mentesque, singulare eorumque quattuor, quae supra dixi, dissimile Aristoteles quiddam esse rebatur (ubi cf. *Hülsemann*. p. 369). Cf. Fin. IV. 5, 12. ibique *Madvigium* p. 501. Es his locis apparet, Ciceronem ea imbutum fuisse opinione, ut Aristotelem animum ex hac quinta natura ortum esse censeret; at res ipsa aliter sese habet. Non enim animum, sed caelestia tantum corpora ex illa quinta natura esse, animum autem nihil habere corporeae naturae, statuit Aristoteles. Diog. Laert. V, 32. de Aristotele: εἶναι δὲ παρὰ τὰ τέσσαρα στοιχεῖα καὶ ἄλλο πέμπτον, ἐξ οὗ τὰ αἰθέ-

odisse, cupere, timere, angi, laetari: haec et similia eorum in horum quattuor generum inesse nullo putat. Quintum genus adhibet vacans nomine; et sic ipsum animum *ἐνδελέχειαν* [9] appellat novo nomine, quasi quandam continuatam motionem et perennem.

XI. Nisi quae me forte fugiunt, hae [1] sunt fere [2] de animo sententiae. Democritum enim, magnum illum quidem [3] virum, sed levibus et rotundis corpusculis efficientem animum concursu quodam fortuito, omittamus. Nihil est enim apud istos, quod non atomorum turba conficiat. 23. Harum sententiarum quae vera sit, deus aliqui [4] viderit; quae veri simillima, magna quaestio est. Utrum igitur inter

9 Sic Mon. 1. et nonnullae edd. vett.; latinis litteris *endelecheian* R. Gud. 1. II.; alii codd. *endelechiam* aut *endelichiam;* Or. c. plerisque edd. vett. ἐντελέχειαν. 1 R. Gud. 1. Gud II. habent *haec,* neque aliter aliis locis. V. A. Fleckeisen. in Rhein. Mus. 1849. 2. Hft. p. 271 — 282. 2 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. 2. b. aliisque multis pro vulg. *hae s. fere omnium de a. s.* 3 Sic R. (e rec. Tr.) Marb. Vind. 2. Gud. 2. Mon. 1. et nonnull. edd. vett.; Or. c. vulg. *quidem illum;* aliae edd. vett. *D. e. illum, magnum quidem v.* V. Adn. in c. 3, 6. 4 Sic recte Or. c. R. Gud. 1. 2. et ed. D. pro vulg. *aliquis.* V. Adn. in IV. 16, 35.

ρια συνεστάναι· ἀλλοίαν δ' αὐτοῦ τὴν κίνησιν εἶναι· κυκλοφορητικὴν γάρ· καὶ τὴν ψυχὴν δὲ ἀσώματον. Cf. locos Aristotelis de Cael. I, 2 et 3. II, 7. V. *Madvigium* ad Fin. p. 501., qui, quum Stoici igneum animum facerent, ab Antiocho Aristotelem quoque inductum esse opinatur animum ex elemento aliquo fingentem. Ego vero Ciceronis errorem ex eo duco, quod, ut aliis locis Platonica decreta cum Stoicis (v. Adnot. in c. 24, 57.), ita in hac re Aristotelis sententiam cum Stoicorum coniunxit. Stoici enim sideribus divinitatem vel mentem divinam tribuebant. Atqui Aristoteles dicebat illam quintam naturam esse τῶν αἰθερίων, i. e. siderum aut coelestium corporum. Ex Stoicorum autem sententia τὰ αἰθέρια sunt mentes aut animi. Ita Cicero ex quinta illa natura esse mentes aut animos statuebat.

ἐνδελέχειαν] Sic ex codd. legendum est; v. Var. Scr. Apud Aristotelem animus dicitur non ἐνδελέχεια, sed ἐντελέχεια. Nisi veram scripturam iam antiquitus a librariis corruptam esse statuere malumus, facere non possumus, quin Ciceronem mirae negligentiae coarguamus. Permiscuit enim duo Graeca vocabula ἐνδελέχειαν et ἐντελέχειαν longe diversissima. Ἐνδελέχεια enim est *continuatio, perennitas,* ut ap. Choerilum: πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ; (v. *Naekium* de Choerilo Samio. Lips. 1817. p. 173 sqq. doctissime de his vocabulis disputantem;) ἐντελέχεια autem Aristotelis est *actus, vis efficax, principium agendi* (*die Wirksamkeit*), quo efficitur, ut res aliqua vere sit. Ex eius enim sententia tria sunt in quacunque re: ὕλη (i. e. materia), μορφὴ ἢ εἶδος (i. e. forma) et τὸ ἐκ τούτων· ἔστι δὲ ἡ μὲν ὕλη δύναμις (*Möglichkeit*), τὸ δὲ εἶδος ἐντελέχεια (*Wirksamkeit*), Aristotel. de Anima II, 1. Cf. Diog. Laert. V, 33. Suid. h. v. *Schneider.* et *Passov.* Lex. Gr. h. v. *Tennemann.* Gesch. d. Phil. III. p. 182 sq. *Moser.* Exc. I. p. 353 sqq. Etiam in eo lapsus est Cicero, quod Aristotelis ἐντελέχειαν interpretatus est *quasi quandam continuatam motionem et perennem.* Nam primum constat, hunc philosophum omnem *motionem* animo denegasse. V. Aristotel. de Anima I, 3. Excusare quidem Ciceronem *Ernestius* studuit, quod non motionem ille dixisset, sed quasi quandam motionem; sed vel sic obscuratur Aristotelis sententia. Deinde addit *continuatam* et *perennem*; at *continuationis* et *perennitatis* notio plane abhorret a vocabulo ἐντελεχείας. Videtur igitur Cicero duo diversissima vocabula ἐνδελέχειαν et ἐντελέχειαν confudisse vel certe utriusque nominis significationem in unam coniunxisse.

Cap. XI. *hae sunt fere*] *Haec fere,* ait *Handius* Tursell. II. p. 700., formula est, qua utitur is, qui plurima et potiora dixisse vel exposuisse se declarat. Male vulgo vertunt *diess ohngefähr*, aut expressam putant modestiam et dubitationem (= ut opinor, ni fallor). Cf. infra III. 4, 7.

levibus et rotundis] Male et contra

has sententias diiudicare malumus, an ad propositum redire? *A.* Cuperem equidem utrumque, si posset; sed est difficile confundere. Quare si, ut ista non disserantur, liberari mortis metu possumus, id agamus; sin id non potest, nisi hac quaestione animorum explicata, nunc, si videtur, hoc, illud alias. *M.* Quod malle te intelligo, id puto esse commodius. Efficiet enim ratio, ut, quaecunque vera sit [5] earum sententiarum, quas exposui, mors aut malum non sit, aut sit bonum potius. 24. Nam si cor, aut sanguis, aut cerebrum est animus; certe, quoniam est corpus, interibit cum reliquo corpore. Si anima est, fortasse dissipabitur; si ignis, exstinguetur;

5 Temere Tr. e coni. *est.* V. ad I. 46, 110.

codd. *Ern.* et *Sch.* scripserunt *laevibus;* ductum est enim a λεῖος. Idem error infra V. 26, 73, ubi v. V. Scr. De re cf. N. D. I. 24, 66: ista enim flagitia *Democriti* sive etiam ante Leucippi, esse *corpuscula quaedam levia*, alia aspera, *rotunda alia*, partim autem angulata, curvata quaedam et quasi adunca; ex his effectum esse caelum atque terram, nulla cogente natura, sed concursu quodam fortuito: ubi v. *Creuzerum* p. 105., qui idem p. 106. multa de Leucippo Democritoque, atomorum doctrinae auctoribus, contulit. Adde infra c. 18, 42. et *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 15. *Creuzer*, a *Mosero* laudatus, ad Plotin. p. 457. affert Aristotel. de Anima I, 2. Plutarch. Plac. Phil. IV, 3. Stob. Ecl. I, 52. p. 796. Heer. Diog. L. IX, 44.

apud istos] H. e. apud Democritum et qui eius de atomis rationem sequuntur. Democritus enim multos habebat sectatores, inter quos maxime eminuit Epicurus, qui eius de atomis decreta latius persecutus est. De plurali *istos* v. Adnotata in c. 6, 12.

§. 23. *inter has sententias diiudicare*] L. suspectum habet *inter*, pro quo El. I. 3. habent *in;* neque alibi reperitur haec constructio, nisi quod ea usus est, uti docet *Davisius*, Labeo Digg. IV. Tit. III. Leg. IX, 3. At optime *Moser* hanc locutionem sic explicavit: Cogitavit *iudices sedere*, *iudicium exercere*, *arbitrum esse*, ut Legg. I. 20, 53: ego vellem me arbitrum *inter* Academiam et Zenonem datum. *Iudicare inter* legitur de Or. I. 39, 176. Supplendum *litem*, *rem*, et *inter sententias* dictum quodammodo est pro inter eos, qui eas sententias impugnant.

si posset] Scil. *fieri.* Sic saepe *potest* pro fieri potest, ut *solet* pro fieri solet. Cf. 31, 77. IV. 18, 41. de Offic. II. 21, 72: danda opera est omnino, si *possit*, utrisque. Academ. II. 38, 121: negas sine deo *posse* quicquam. V. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 85. *Goerenz.* ad Academ. I. 7, 29. *Beier.* ad Offic. II. 19, 68. *Madvig.* ad Fin. V. 1, 1. et V. 28, 84.

confundere] H. e. utrumque coniungere, et inter eas sententias diiudicare, et propositam quaestionem, mortem non esse malum, persequi. *Confundere* enim exquisitiore usu nonnunquam ponitur pro *coniungere*, *consociare*, metaphora ducta a metallorum coctura. *Moser* comparat N. D. III, 8: agere *confuse.* pro Sest. 2, 5. in hac *confusa* atque universa defensione. Off. I. 27, 95. *Goerenz.* ad Fin. V. 23, 67. p. 617. Adde *Henrichsenum* ad de Or. II. 41, 177: verbis *confusa.* et *Beierum* ad Off. II. 3, 10. p. 22. Hinc dicitur Fin. V. 23, 67. *confusio virtutum.*

ut ista non disserantur] De *ut* concessivo v. ad II. 5, 14. Verbum *disserendi* nonnunquam cum accus. pronominum, rarius substantivorum construitur. N. D. III. 40, 95: *ea*, quae disputavi, *disserere* malui, quam iudicare. ad Fam. XII, 7: quod in senatu pluribus disserui. Tacit. Ann. I. 4, init.: pauci *bona* libertatis incassum *disserere.* Sall. Cat. V, 9: *instituta* maiorum — *disserere:* ubi v. *Kritzium.* Cf. *Goerenz.* ad Legg. III. 8, 19. p. 239. Sic *disputare* aliquid. V. 7, 18: congerunt omnia, etsi alio loco disputata sunt. V. nos in Gramm. L. §. 112. Not. 3.

aut malum non sit, aut sit b. p.] De verbo *sit* cum vi quadam repetita comparat *Klotzius* C. de Sen. 8, 26: videtis, ut senectus non modo languida atque iners non *sit*, verum etiam *sit* operosa et semper agens aliquid et moliens. Sed plerumque in priore tantum enuntiatione

si est Aristoxeni harmonia, dissolvetur. Quid de Dicaearcho dicam, qui nihil omnino animum dicat esse? His sententiis omnibus nihil post mortem pertinere ad quemquam potest; pariter enim cum vita sensus amittitur; non sentientis autem, nihil est, ullam in partem quod intersit. Reliquorum sententiae spem afferunt, si te hoc forte [6] delectat, posse animos, quum e corporibus excesserint, in caelum, quasi in domicilium suum, pervenire. *A.* Me vero delectat, idque primum ita esse velim; deinde, etiam si non sit, mihi persuaderi tamen [7] velim. *M.* Quid tibi ergo opera nostra opus est? num eloquentia Platonem superare possumus? Evolve diligenter eius eum librum, qui est de animo; amplius quod desideres, nihil erit. *A.* Feci mehercule, et quidem saepius; sed, nescio quo modo, dum lego, assentior, quum posui librum et mecum ipse de immortalitate animorum coepi cogitare, assensio omnis illa elabitur. 25. *M.* Quid hoc? dasne aut manere animos post mortem, aut morte ipsa interire?

6 Sic R. Gud. 1. II. 2. aliique et edd. vett. S. E. D.; Or. c. vulg. *si te forte hoc.* 7 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. aliisque et edd. vett. H. D. pro vulg. *tamen pers.* Verbum *persuad.* opponitur verbis *non sit.*

verbum ponitur; v. *Seyffert.* ad Lael. 4, 14. p. 79.

§. 24. *Aristoxeni — Dicaearcho*] V. c. 10, 20. et 21.

His sententiis] Ut dicitur: *meo iudicio, mea sententia* etc. pro *ex meo iud.* V. *Ramshorn.* Lat. Gramm. §. 145. *Kühner.* L. Gr. §. 115. Not. 10.

ullam in partem quod] V. ad III. 15, 32.

in caelum, quasi in domicilium suum] Apte *Klotzius* comparat C. de Sen. 23, 84: ex vita ita discedo tanquam ex hospitio, non tanquam e domo. Commorandi enim natura deversorium nobis, non habitandi locum dedit. Cf. infra c. 22, 51: quum (animus) exierit et *in liberum caelum, quasi domum suam,* venerit. De praepositione ad oppositionem aut repetita, aut omissa v. Adnotata in III. 15, 33.

Me vero delectat] Particula *vero,* maxime pronominibus addita, affirmandi aut asseverandi habet significationem. Cf. infra c. 23, 55: *Ego vero.* c. 32, 78: *Istos vero.* III. 4, 8: *Mihi vero.* I. 11, 25: Do *vero.* c. 43, 103: Multam *vero* operam frustra consumpsi. II. 5, 13: Nullum *vero* id quidem argumentum est. III. 6, 12: Et *vero* ita existimo. Off. III. 1, init.: Magnifica *vero* vox. Cf. *Moserum* ad Divin. II. 64, 132: Quid poëta nemo, nemo physicus obscurus? Illi *vero.* *Bremium* ad Corn. Nep. Conon. III, 4. p. 145. *Ruhnken.* Dictat. in Terent. Andr. I. 1, 37. Eunuch. III. 1, 12. *Kritzium* ad Sall. Cat. 37, 4. *Seyffert.* ad Lael. 9, 32. p. 220 sq. *Naegelsbach.* Lat. Stilist. p. 395. *Kühner.* L. Gr. §. 133, 2. A) a).

eius eum librum, qui est de animo] Phaedonem, qui Φαίδων ἢ περὶ ψυχῆς inscribitur. V. *Heindorf.* ad h. libr. p. 3. De coniunctione verborum *eius eum* laudat *Moser O. M. Müllerum* in Cur. sec. in or. pro Sest. p. 53. et *Menkius* in Observv. ined. *Reisigii* Vorles. d. lat. Sprachwiss. §. 288. p. 361.

nescio quo modo] Est plerumque formula dolentis: in qua explicanda exemplisque illustranda multus est *Beier* ad Offic. I. 41, 146. p. 292. Cf. infra c. 31, 77. Mil. 28, 76. Pari modo etiam *nescio quo pacto* dicitur. V. *Naegelsbach.* Lat. Stilistik. p. 171 sq. Apte *Menkius* l. d. comparat Gr. οὐκ οἶδ' ὅπως. De re bona cf. infra c. 15, 33.

posui librum] Infra I. 47, 113: veste *posita.* III. 28, 66: ad *ponendum* dolorem. Sed ibidem legitur: „si igitur *deponi* (dolor) potest, etiam non suscipi potest" ob oppos. V. 20, 69: tunicamque *poneret.* *Deponere* librum significaret: librum in certo quodam loco ponere. V. *Seyffert.* ad Lael. 10, 33. p. 231. De Platonicis immortalitatis animorum argumentis iudicium fecit *Wyttenbachius*, a *Mosero* laudatus, in supra

A. Do vero. *M.* Quid? si maneant? *A.* Beatos esse concedo. *M.* Sin [8] intereant? *A.* Non esse miseros, quoniam ne sint [9] quidem. Iam [1] istud coacti a te paullo ante concessimus. *M.* Quo modo igitur aut cur mortem malum tibi videri dicis? quae aut beatos nos efficiet, animis manentibus; aut non miseros, sensu carentes.

XII. 26. *A.* Expone igitur, nisi molestum est, primum, si potes, animos [1] remanere post mortem; tum, si minus id obtinebis, (est enim arduum;) docebis, carere omni malo mortem. Ego enim istud [2] ipsum vereor ne malum sit, non dico carere sensu, sed carendum esse. *M.* Auctoribus quidem ad istam sententiam, quam vis obtineri [3], uti optimis possumus: quod in omnibus caussis et debet et solet valere plurimum; et primum quidem omni antiquitate, quae quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat. 27. Itaque unum illud erat insitum pri-

8 Sic Or. c. R. Gud. 1. uno Ox. Marb. et edd. vett. S. E. D. pro vulg. *si.* 9 v. Adn. 1 Sic scripsi c. omnibus praeter Duisb. codd. et nonnull. edd. vett.; Or. c. Duisb. et plerisq. edd. vett. *nam* pro *iam.* XII. 1 Sic R. (Tregd.) Gud. 1. II. 2. aliique multi et multae edd. vett.; Or. c. vulg. *primum animos, si potes.* 2 Tr. c. R. et D. *istuc;* cf. V. Scr. c. 8, 16. 3 Quinque Oxx. et complures edd. vett. habent *obtinere.* Male; v. Adn. in V. 41, 118.

allata Comment. Veter. phil. sentent. de statu animor. post mortem, p. LII—LIV.

§. 25. *dasne*] Illud concedas necesse est, aut manere animos post mortem aut interire. Verbum *dandi* proprium est in philosophorum disputationibus pro *concedere.* Infra II. 12, 28. Fin. V. 28, 83: prima si dederis, danda sunt omnia. V. *Schütz.* Lexic. Cic. h. v.

quoniam ne sint quidem] Pro *sint* exhibent nonnulli deteriores codd. et edd. *sunt.* Male. Coniunctio *quoniam* (i. e. quum iam, ἐπειδή, *da ja, da nun einmal*), quae quum ad rem notam, factam, extra omnem dubitationem positam referatur, cum indicativo coniungitur; h. l. iuncta est coniunctivo, quia auditor haec verba e Ciceronis mente eloquitur.

Cap. XII. §. 26. *obtinebis*] „Philosophi (et oratores) *obtinent*, quod approbant aliis, quum vincunt, esse verum aliquid.“ *Ernesti.* Clav. h. v. Cf. infra V. 30, 85.

docebis] Eleganter et cum urbanitate quadam futurum vices sustinet imperativi, quum speramus, fore, ut id, quod ab altero fieri volumus, efficiatur. V. *Ramshorn.* Lat. Gr. §. 167. Not. 2. *Kühner.* L. Gr. §. 107, 9.

carere omni malo] V. ad c. 36, 88.

antiquitate quae — cernebat] Sententia est haec: Animos remanere post mortem, probare videtur antiquitas, quae hac persuasione imbuta erat et, quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc minus corrupta erat et idcirco ad vere cernenda magis apta. Legg. II. 11, 27: *quoniam antiquitas proxime accedit ad deos:* ubi plura ad rem pertinentia collecta sunt ab Interpretibus. p. 237 sq. Cr. Cf. *Stallbaumium* ad Plat. Phileb. p. 16. C. (p. 123. Goth.): οἱ μὲν παλαιοί, κρείττονες ἡμῶν καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες. Vocabulum *divina* non cum *Wolfio* etiam ad v. *ortu*, sed tantum ad v. *progenie*, referendum esse, vel collocatio verborum docet. *Progeniem* non de origine dici, sed de eis, qui nati sunt, itaque *ortum* illum quidem esse generis humani, *divina* autem *progenie* eos significari, qui ab ipsis diis nati sint, contra *Klotzium*, qui h. l. sic vertit: „von ihrem Ursprunge u. (somit) von d. göttlichen *Abkunft*“ monet *Keilius* in Progr. d. p. VII.

§. 27. *unum illud*] *Unum* pronominibus aliisque nominibus additum excellentiam quandam et in bonam et in malam partem significare, docet *F. A. Wolfius.* Ac vere quidem; nam quod est unum in aliqua re, id fere est singulare atque eximium. Cfr nostrum *einzig.* V.

scis illis, quos *cascos* appellat Ennius, esse in morte sensum, neque excessu vitae sic deleri hominem, ut funditus interiret; idque quum multis aliis rebus, tum e pontificio iure et e[4] caerimoniis sepulcrorum intelligi licet, quas maximis ingeniis praediti nec tanta cura coluissent, nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi haereret[5] in eorum mentibus, mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quandam quasi migrationem commutationemque

4 Sic R. El. 1. Bak.; Or. c. vulg. om. *e*. V. Adn. 5 Or. c. R. b. aliisque multis codd. (De Gud. 1. tacet Mos.) Vulgo *haesisset*. V. Adn.

Adnotata in II. 18, 43. Hac vi frequentissime hoc vocabulum coniungitur cum superlativis. V. Adnotata in II. 26, 64. In locis, ab *Orellio* allatis: Catull. 22, 8: Haec quum legas tu, bellus ille et urbanus Suffenus unus caprimulgus aut fossor Rursus videtur, et C. de Or. I. 29, 132: sicut unus paterfamilias his de rebus loquor, *unus* habet vim deminuendi: *nichts weiter*, als ein Ziegenmelker, *nichts weiter*, als ein Familienvater (bene *Klotzius:* als ein einzelnes Individuum). Nunquam *unus* simpliciter pro *aliquis* a veteribus scriptoribus dicitur. Fallitur *Ellendt* ad C. de Or. Vol. II. p. 76.

cascos appellat Ennius] Varro L. L. p 86 ed. Bip. (Lib. VII. p. 315. Spengel.): Et primum *cascum* significat vetus; eius origo Sabina, quae usque radices in Oscam linguam egit. *Cascum* vetus esse, significat Ennius, quum ait: *Quam primum casci populi genuere Latini.* Gellius N. A. I, 10: Adolescens *casce* nimis et vetuste loquens. *Moser* addit Pompei. Festum p. XXXI. ed. Scalig., *Klotzius C. Odofr. Mülleri* Etrusker. I. p. 41. et *Grotefend.* in Seebod. N. Arch. 1829. Nr. 31.

e pontificio iure et e caer. sep.] De sepulcrorum religione vide quae contulerunt *Creuzer* ad Cic. de Legg. I. 22, 55. p. 321. *Davisius* et *Moser* ad h. l. Ceterum *Davisius* e R. El. 1. Bak. legit *et e caer.:* quod recte probat *Handius* ad *Wopkens.* Lectt. Tull. III. 9. p. 385. Praepositio enim in singulis quae copulata sunt orationis membris repetitur, quum eorum unumquodque separatim cogitandum et cum vi quadam efferendum est, ut III. 4, 8: haec omnis, quae est *de* vita et *de* moribus, philosophia. c. 21, 50: ita, credo, *de* honore aut *de* dignitate contendimus. IV. 20, 46., ubi v. Adn. c. 30, 64: *de* morte et *de* dolore. c. 31, 65: *de* laetitia et *de* cupiditate. Contra in primo tantum membro ponitur, quum singula membra in unam quasi notionem coalescunt. Cf. *Ramshorn.* Lat. Gramm. §. 151, 2. *Kühner.* L. Gr. §. 117. Not. 2. *Kritzius* ad Sall. Cat. XLIX, 1. Sic semper in altero membro omittitur praepositio, quum id priori quasi explicationis caussa additum est. Infra V. 14, 41: *in labore ac dolore:* hinc semper *in fide et amicitia esse.* V. *Goerenz.* ad Acad. II. 35, 112: De praepositione *inter* infra ad IV. 14, 32. dicemus.

nec violatas — religione sanxissent] H. e. nec sanxissent, ut, si qui sepulcrorum caerimonias violassent, culpam, quae nullo piaculo solvi posset, contraxisse putarentur. *Religio* enim est culpa, quae, quum religiones violantur, contrahitur. N. D. II. 4: vir sapientissimus — peccatum suum — confiteri maluit, quam haerere in re publica religionem. C. Phil. I. 6, 13: ut inexpiabiles religiones in rem publicam inducerentur. V. *Ernestium* in Clav. h. v., *Schützium* in Lex. Cic. h. v., *Naegelsbach.* Lat. Stilist. p. 43 — 45, qui varias huius v. notiones enucleate exposuit.

haereret] Praegressis *coluissent* et *sanxissent*, exspectes *haesisset*, neque aliter vulgo legitur (v. V. Scr.); at male. Verba enim *nisi haereret* referuntur ad illud ipsum tempus, quo prisci Romani caerimonias summa cura colebant. Cf. c. 37, 89. Lael. 4, 13: (maiores nostri) mortuis tam religiosa iura tribuerunt: quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere *arbitrarentur.* pro Milone 17, 45: quam concionem —, nisi ad cogitatum facinus *approperaret*, nunquam reliquisset. Pari ratione imperfectum in apodosi ponitur, praegresso plpfecto in protasi. V. Adnotata in III. 22, 54: *mederetur.* Doctissime hunc grammaticae Latinae locum pertractavit *G. T. A. Krüger* in: *Untersuch. über d. lat. Spr.* II. Heft. Cf. *Ramshorn.* L. Gr. §. 193. *Kühner.* L. Gr. §. 154. Not. 7. *Ed. Wunder.* ad Plancian. p. 222. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 229. *Ruhnken.* ad Ter. Andr. I.

vitae, quae in claris viris et feminis dux in caelum soleret esse, in ceteris humi retineretur et permaneret tamen [6]. 28. Ex hoc et nostrorum opinione

Rómulus in caeló cum dís agit áevom,

ut famae assentiens dixit Ennius, et apud Graecos indeque perlapsus ad nos et usque ad Oceanum Hercules tantus et tam praesens habetur deus. Hinc Liber [7] Semela [8] natus eademque famae celebritate

6 Sic Or. c. R. b. Gud. II. aliisque multis codd. et plerisque edd. vett. Quid Gud. 1. habeat, non commemorat Mos.; nonnull. edd. vett. habent *retineret;* alii aliter; tres codd. Lamb. *retineret et permanerent tamen;* W. sic correxit: *quum ceteri humi retinerentur, ut permanerent tamen;* Or. *commutationem vitae* per *commutatam vitam* explicat: quae ratio et dura videtur et inelegans. Quid, si legatur: *quae, ut* (pro *in*) *claris v. et f. d. i. c. s. esse, ita* (pro *in*) *ceteros* (pro *ceteris*) *humi retineret, ut permanerent tamen?* Verba *ut permanerent tamen* etiam L 1584. habet. *Keilius* l. d. p. X sq. *quae* refert ad mortem, deinde sic Ciceronem scripsisse suspicatur: *ceteri humi retinerentur et permanerent tamen;* at haec structura durissima est neque defenditur locis allatis I. 10, 21. V. 13, 38. Ceterum cf. Adn. 7 Nonnulli codd. deteriores et edd. vett. post *Liber* addunt *deus.* 8 v. Adn.

5, 23. *Kritz* ad Sall. Iug. LIX, 3. p. 318 sq. Sic Graece: ὃ οὐκ ἂν ἐποίησαν, εἰ μὴ ἐνόμιζον κ. τ. λ.

quandam quasi V. ad II. 4, 11.

commutationemque vitae, quae etc.] Relativum *quae* cum *Davisio* et *Klotzio* referendum est non ad commutationem vitae, sed ad unum *vitae.* Vita e virtutis praeceptis acta dicitur esse dux in caelum: vita hominum vitiis ac voluptatibus deditorum dicitur humi retineri et permanere tamen, h. e. vita eiusmodi hominum etiam post mortem in his terris continuatur, quia eorum animi, terrestria amplexati, in caelum evolare non possunt, sed circum terram volutantur, ita tamen, ut ea non altera morte exstinguatur, sed permaneat. Si scriptura recepta vera est (v. V. Scr.), negari omnino non potest, orationem Ciceronis duram admodum esse atque impeditam. Ceterum sententiae huius loci clarissimam lucem affundit pulcherrimus qui est in Somnio Scipionis (de Rep. VI, 26. extr.) consignatus locus, ubi Cicero praeeunte Platone in Phaedone sic loquitur: Nam eorum animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt, earumque se quasi ministros praebuerunt, impulsuque libidinum voluptatibus obedientium deorum et hominum iura violaverunt, corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur, nec hunc in locum, nisi multis exagitati saeclis, revertuntur. De collocatione vocabuli *tamen* cf. V. 33, 95: ad animum referri *tamen.*

§. 28. *Ex hoc et* etc.] Hinc factum est, ut *et* nostrorum opinione — *et* apud Graecos etc. Perverse alii prius *et* cum verbis *ex hoc* coniungunt, quum aperte referendum sit ad sequens *et.*

Romulus] Ennii versus, uti tradit Servius ad Aen. VI, 764., ita conformatus erat: „Romulus in Caelo cum Diis *genitalibus* aevum Degit.“ Eundem respicit C. de Or. III. 38, 154. Sed constat inter omnes, veteres scriptores, aliorum dicta e memoria fere laudantes, non ipsa verba anxie pressisse, sed in sententia reddenda acquievisse.

perlapsus ad nos De Herculis cum Caco certamine v. Liv. 1, 7. Virg. Aen. 8. 194 sqq. Ovid. Fast. 1, 543 sqq. *Oceanum* intelligit mare Atlanticum: Gadibus enim Hercules colebatur, uti recte *Davisius* docet.

praesens — deus] Dii veteribus saepe dicuntur *praesentes*, utpote qui *praesentia* sua numen suum declarent: hinc ita dicuntur dii propitii, faventes, auxilium potentissimum et efficacissimum afferentes. *Moser* comparat C. Verr. IV. 49, 107: multis saepe in difficillimis rebus praesens auxilium eius (Cereris) oblatum est. V. *Mitscherlich.* ad Horat. Od. I. 35. princ. p. 316.

Semela] Sic recte Or. c. R. b. Duisb. edd. vett. Cam. D. pro vulg. *Semele* Graeca terminatione, quae Augustea demum aetate apud solutae orationis scriptores in communem usum venire coepit. *Orellius* laudat *Oudendorp.* ad Appuleium T. I. p. 96. et de Invent. I, c. 50. Cf. nos in Gr. L. §. 14. Not. 1.

famae celebritate] Sic pro Arch. III, 5: hac tanta celebritate famae quum esset iam absentibus notus: ubi *Stürenburg.* p. 54. affert Liv. XXVII. 33: *famamque*

Tyndaridae fratres, qui non modo adiutores in proeliis victoriae populi Romani, sed etiam nuntii fuisse perhibentur. Quid? Ino, Cadmi filia, nonne *Λευκοθέα* [9] nominata a Graecis, Matuta habetur a nostris? Quid? totum prope caelum, ne plures persequar, nonne humano genere completum est?

XIII. 29. Si vero scrutari vetera et ex iis [1] ea, quae scriptores Graeciae [2] prodiderunt, eruere coner; ipsi illi, maiorum gentium dii qui habentur, hinc a nobis profecti in caelum reperientur. Quaere,

9 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. aliisque pro vulg. *Leucothea.* V. ad c. 24, 57. 1 Sic Mon. 2. Rehd. S. E.; Or. c. vulg. *his.* V. ad c. 3, 5. 2 Sic Or. c. omnib. fere codd. omnib. edd. vett. et Lactant. Inst. I, 15. Recte; est enim: *scriptores, quos Graecia genuit;* Ern. aliique c. Guelf. Vind. 1. *Graeci.*

inter barbaros *celebrem* esse, Philippum occisum. De propria vi vocum *celebritas, celeber, celebro* v. Adnot. in V. 3, 9.

non modo adiutores] N. D. II. 2, 6: praesentiam saepe divi suam declarant, ut et apud Regillum bello Latinorum, quum A. Postumius dictator cum Octavio Mamilio Tusculano proelio dimicaret, in nostra acie *Castor* et *Pollux* ex equis pugnare visi sunt; et recentiore memoria iidem *Tyndaridae* Persen victum nuntiaverunt cett. (V. ibi *Davis.* ap. *Creuz.* p. 212 — 215. et ad h. l.) Ibid. III. 5, 11 — 13. De duplici genitivo *victoriae populi R.* ex v. *adiutores* suspenso v. ad II. 15, 35. Eleganter *Kernius* vertit: *Siegesgehülfen des R. Volkes,* sondern auch Siegesboten.

Ino — Matuta V. N. D. III, 15. et quae ibi docte adnotavit *Creuzer* p. 547. Cf. Indicem hist. v. *Ino.* Sententia: nonne Ino, Cadmi filia, divino honore fruitur?

humano genere completum] Recte *Moser* per breviloquentiam dictum statuit pro *diis ab hominum genere oriundis completum.*

Cap. XIII. §. 29. *Si — eruere coner — reperientur*] V. nos in Gramm. L. §. 154, 3. Cf. Off. III. 5, 23: cui (legi) parere qui *velit,* — nunquam *committet,* ut alienum appetat.

maiorum gentium dii qui] Sic Acad. II, 41. init.: „Cleanthes, qui quasi maiorum est gentium Stoicus." Hoc deorum nomen a patriciis translatum est. Constat enim, senatores illos centum, quos legit Romulus, appellatos esse *maiorum gentium*; centum illos, quos legit Tarquinius Priscus, *minorum gentium.* Intelliguntur h. l., uti recte *Davisius* docet, *Dii Consentes* apud Ennium: *Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,* || *Mercurius, Iovi', Neptunus, Volcanus, Apollo* (ap. Appulei. de deo Socrat. p. 121. T. 2. Oudendorp) De collocatione relativi *qui* v. ad II. 4, 12.

Quaere, quorum demonstrantur s. i. G.; reminiscere, q. e. i., quae tradantur m.] Omnes codd. et edd. vett. mordicus tenent indicativum *demonstrantur*; neque aliter legit Lactant. Div. Inst. I, 15.; at Augustin. de Cons. Ev. I, 23. habet *demonstrentur*, quod Ern. W. Tr. receperunt; coniunctivum *tradantur* exhibent optimi R. et Gud. 1. aliique multi libri et scripti et editi itemque Augustin. l. d.; Or. utroque loco c. vulg. et Lactantio l. d. edidit indicativum. Ego, quum et indicativus et coniunctivus in eiusmodi locis recte sese habeat, e librorum auctoritate *demonstrantur* et *tradantur* scribendum duco, nullam putans idoneam esse caussam, cur, si primum legatur *demonstrantur*, deinde necessario etiam *traduntur* legendum sit. *Quaere, quorum demonstrantur sepulchra* dictum est pro: quaere eos, quorum demonstrantur sepulchra. V. ad V. 41, 121. Quod autem paullo post non dixit: *reminiscere, quae traduntur mysteriis* (i. e. rem. ea, quae traduntur), sed obliqua oratione usus est; id ideo factum videtur, quod inter verbum *reminiscere* et relativum verba *quoniam es initiatus* interiecta sunt.

sepulcra] Cf. Cic. N. D. III. 22, 57., ibique *Davis.* p. 613. (Cr.), et Iul. Firmic. (ab *Orell.* allat.) p. 33. Münt. (ubi Ceres Eleusine humata commemoratur), in primis Callimach. Hymn. in Iov. v. 8. V. quem *Moser* laudat *Creuzer.* Symbol. u. Mythol. T. IV. p. 423 — 433. *Klotzius* addit *Lobeck.* Aglaoph. T. I. p. 138. T. II. p. 993. *C. Keil.* Analect. epigraph. et onomat. (Lips. 1842.) p. 4.

quae tradantur mysteriis] Cicero et

quorum demonstrantur [3] sepulcra in Graecia; reminiscere, quoniam es initiatus, quae tradantur [3] mysteriis: tum denique, quam hoc late pateat, intelliges. Sed qui nondum ea, quae multis post annis tractari coepta sunt [3], physica didicissent, tantum sibi persuaserant, quantum natura admonente cognoverant, rationes et caussas rerum non tenebant, visis quibusdam saepe movebantur, iisque [4] maxime nocturnis, ut viderentur ii, qui vita excesserant, vivere. 30. Ut

3 v. Adn. 4 Sic recte Or. c. R. b. Mon. 2. pro vulg. *hisque.*

ipse mysteriis initiatus ea compluribus locis summis effert laudibus. Legg. II. 14, 36: mihi quum multa eximia divinaque videantur Athenae tuae peperisse atque in vita hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem et mitigati sumus; initiaque ut appellantur, ita re vera principia vitae cognovimus, neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi: ubi v. *Davis.* et quos laudat *Creuzer.* p. 269. Cf. *Davis.* ad h. l. *Schütz.* Lex. Cic. v. *mysterium*, *Müller.* ad de Orat. III. 20, 75. p. 475. et quos *Moser* laudat *Sanctocrucium* Sur les mystères du paganisme. Paris. 1817. Ed. II. *Ouwaroffium* Sur les myst. d'Eleusis. Paris. 1816. ed. 3.

tum denique] Gravius, quam *tum demum.* Recte *Seyffertus* ad Lael. 22, 84. p. 489: „*tum denique, dann endlich*, bez. d. Resultat od. d. Schlufs einer Handlung od. eines Zustandes; dageg. *tum demum*, *dann erst*, heifst später, als es geschehen sollte od. könnte." Infra c. 31, 75. III. 31, 75: quae *tum denique* non appellatur recens, quum vetustate exaruit. Plura exempla collegerunt *Ochsner* Ecl. Cic. p. 70. *Moser* ad Legg. II, 4. p. 178. *Ellendt.* ad de Or. II. 72, 293. Vol. II. p. 318 extr. Mire lapsus est in his verbis *Joa. Bakius* ad Legg. II. 4, 10., qui legendum censet *tum demum.*

qui — didicissent] De coniunctivo v. *Ramsh.* L. Gr. §. 183. *Kühner.* §. 146, 3. e). De praemisso *ea* v. ad c. 3. init.

tractari coepta sunt] Sic c. Tr. de coniectura *Keilii* (l. d. p. XI.) et *Madvigii* (v. *Tregderi* praef. p. XVI.) scripsi. R. Gud. 1. II. Marb. Vind. 2. duo Oxx. exhibent *tractare coepissent;* Or. c. reliquis libris *tractari coepissent.* COEPTASVNT facile a librariis permisceri potuit cum COEPISSENT. Primum quid sibi velit coniunctivus *coepissent*, difficile est ad intelligendum; nisi forte propter sequens *didicissent* per attractionem quandam, de qua v. ad c. 16, 37., dictus statuitur: quae tamen ratio ab h. l., ubi res facta simpliciter commemoratur, alienissima videtur esse. Deinde vehementer offendit forma activa *coepissent* cum infinitivo passivi *tractari* consociata. V. *Ramshorn.* L. Gr. §. 168. Not. 3. *Kühner.* L. Gr. §. 127. Not. 3. Constanti enim usu Cicero infinitivum passivi coniungit cum perfecto passivo *coeptus sum.* Unus infinitivus *fieri* adsciscit perfectum activi *coepi*, quia verbum *fio* proprie non est passivum, C. Brut. 27, 106: Plura *fieri* iudicia coeperunt. Altera vero scriptura *tractare coepissent*, quum non aliud subiectum statui possit, nisi quod latet in *didicissent*, absurda est, neque quicquam lucramur *Klotzii*, qui eam recepit, Germanica interpretatione: *Weil man damals die Dinge, welche man erst viele Jahre nachher zu behandeln anfing, aus d. Physik noch nicht gelernt hatte;* nam si Cicero sententiam ad universum genus hominum referre voluisset, dubium non est, quin orationem longe aliter conformaturus fuerit. Recte vidit *Keilius* l. d., illud *qui* non ad omnes homines pertinere, sed ad eos tantum, qui tum erant, qui physica tractare nunquam coeperunt.

physica] H. e. philosophia aut ea philosophiae pars, quae posterioribus temporibus *metaphysica* vocitata est. *Physici* enim appellabantur antiqui philosophi, quia ii omnium rerum initia a natura (φύσει) ducebant, ut ab aqua, igne.

tantum — quantum] Haec vocabula saepe vim deminuendi adiunctam habent (*nur so viel*, *als*). II. 19, 44: Epicurus tantum monet, quantum intelligit. C. Fam. IV. 7. extr. (a *Mosero* allat.): gratia *tantum* possumus, *quantum* victi. V. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 101. De simili usu Gr. τοσοῦτος, ὅσος v. *Stallbaumium* ad Plat. Rp. X. p. 608. B. et *Fr. A. Wolfium* ad Demosth. Leptin. 467, §. 27. p. 313. De *tantum quod* c. coniunctivo iunctis v. ad V. 32, 91.

porro firmissimum hoc afferri videtur, cur deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit[5] immanis, cuius mentem non imbuerit deorum opinio: — multi de diis prava sentiunt; (id enim vitioso more effici solet;) omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur; nec vero id collocutio hominum aut consensus effecit[6], non institutis opinio est confirmata, non legibus; omni autem in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est; — quis est igitur, qui suorum mortem primum non eo lugeat, quod eos orbatos vitae commodis arbitretur? Tolle hanc opinionem; luctum sustule-

5 R. *fit.* V. Adn. 6 Sic Or. c. Rehd. Gud. 2. Duisb. Mon. 2. uno Ox. ed. vet. Bouh. pro vulg. *efficit*, quod Kl. recepit acriterque defendit, postea autem in Add. alteri scripturae iure postposuit.

§. 30. *firmissimum*] Idem argumentum ab omni gentium consensu petitum legitur de Legg. I. 8, 24. N. D. I. 16, 43. 17, 44. V. nos in l. d. *de Cic. in philos. merit.* p. 182. Coniunctio *quod* cum coniunctivo *sit* iuncta est, quia sententia ex alius mente prolata est. Inutilis est coniectura *Madvigii*, a *Tregdero* recepta: *tam est imm.*

deorum opinio] H. e. opinio de diis. V. nos in Gramm. Lat. §. 111, 9. Sic infra II. 26, 63: evenit, ut in vulgus insipientium *opinio* valeat *honestatis.*

multi de diis prava sentiunt; — putanda est] Totus hic locus παρενθετικῶς accipiendus est, ut sententiarum ordo ita constituatur: „Ut porro firmissimum hoc afferri videtur — cuius mentem non imbuerit deorum opinio: quis est, qui suorum mortem primum non eo lugeat, quod eos orbatos vitae commodis arbitretur?“ Adnotandum est autem, orationem ἀνακολούθως esse continuatam. Praegressae enim particulae *ut* respondere debebat particula correlativa *ita.* Omissum est igitur alterum comparationis membrum. Omnino tenendum, in veterum philosophorum, ut Platonis, ut Ciceronis, dialogis orationem non semper ad rectam dicendi normam conformatam esse. Hinc saepe factum est, ut orationis tenor interiectis quae ad alicuius rei inservirent explicationem sententiis interrumperetur, et alterum sententiae membrum vel plane omitteretur, vel alia atque ea, quam postulabat enuntiationis principium, verborum consecutione terminaretur. Quod quidem negligentius dicendi genus cave putes ex scriptorum imprudentia atque incuria ortum esse; immo vero dubitari vix potest, quin summi illi scriptores hanc negligentiam arte quadam ac dedita opera quaesiverint, eo quidem consilio, ut dialogorum rationem ad sermonum quales colloquentes inter se spargunt formam et veram naturam fingerent. Cf. eruditissimum *Ottonis* Excurs. III. ad Fin. p. 375 sqq. et Adnotata nostra in II. 1, 3. Sed redeamus ad rem! Huius igitur loci impeditioris sententia hoc modo expedienda erit: „Quemadmodum firmissimum hoc afferri videtur, cur deos esse credamus, quod omnes gentes vim esse et naturam divinam arbitrantur: ita animorum immortalitatem eadem ratione ex omnium gentium consensione probare possumus.“ Et sic infra c. 16, 36: Sed ut deos esse natura opinamur: — sic permanere animos arbitramur consensu nationum omnium. Porro ad verba ista, quae παρενθετικῶς interposita diximus, quod attinet, ea idcirco a Tullio videntur inserta, ut ad id, quod facile quispiam contradicere posset, responderet. Scilicet, esse deos, omnibus persuasum est. — At enim, quid est, cur non omnes homines eadem statuant de diis eorumque natura? — Quia mos vel natura hominum vitiosa vel imperfecta est. Quicquid igitur sentiunt homines de deorum natura, illud certe omnes arbitrantur, *esse deos*; neque vero haec de diis persuasio collocutione hominum aut consensu efficitur, neque institutis et legibus confirmatur; sed ita sentimus, natura duce, nulla ratione nullaque doctrina.

id enim] Supple: *neque id mirandum*; id enim etc. V. Adnotata in 6, 11. Paullo post *consensus* est sententia, de qua conventum est inter homines, conventio, pactum, συνθήκη. Aliam igitur h. l. vim habet, atque infra c. 15, 35.

quis est igitur] Sententiae sic se excipiunt: Omnibus hominibus de animorum immortalitate persuasum est. Id apparet ex eo, quod in omnibus genti-

ris. Nemo enim maeret suo [7] incommodo; dolent fortasse et anguntur; sed illa lugubris lamentatio fletusque maerens ex eo est, quod eum, quem dileximus, vitae commodis privatum arbitramur idque sentire. Atque haec [8] ita sentimus natura duce, nulla ratione nullaque doctrina.

XIV. 31. Maximum vero argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam iudicare, quod omnibus curae sunt, et maximae [1] quidem, quae post mortem futura sint [1]. *Serit arbores,*

7 Gud. 2. *sine incommodo;* Mich. Weber. coni. *suorum commodo.* 8 Or. c. b. (a pr. m.) Rehd. Gud. 2. uno Ox. Bak. et ed. vit. H. legit *hoc;* reliqui codd. et edd. vett. *haec.* 1 v. Adn.

bus nemo reperitur, qui suorum mortem non eo lugeat, quod eos orbatos vitae commodis arbitretur. Credunt igitur homines, amissorum vitae commodorum sensum ad mortuos pertinere, atque ita animos post mortem permanere. Quae opinio nisi in hominum animis haereret, ob mortuos maximum illum luctum non susciperent.

primum non eo lugeat, quod] Non sequitur *deinde*, interrupta oratione, quae sic orditur, ac si sequatur: *deinde, quod cum, quem dileximus, vitae commodis privatum se sentire, arbitremur.* V. Adnotata in IV. 35, 74. — De seq. imperativo *tolle* pro enuntiatione conditionali posito v. ad I. 22, 52. et II. 12, 28.

maeret] De hoc v. optime *Seyffertus* ad Lael. 3, 11. p. 55: „*Maeror* ist die *tiefe* Betrübnifs, die Wehmuth, die in Sympathie fur fremdes Ungluck wurzelt; fletus *maerens*, Thränen der Wehmuth. Allerdings giebt sich der *maeror* äufserlich zu erkennen, aber nur auf stumme und unmittelbare Weise in Miene, Körperhaltung und Sprache, während der *luctus* in lauter Jammerklagen oder konventionellen Zeichen der Trauer sich äufsert.“ Cf. infra IV. 8, 18. ad Attic. XII, 28. *maerorem* minui, *dolorem* nec potui, nec, si possem, vellem.

nulla ratione nullaque doctrina] Saepe *ratio* et *doctrina* iunguntur, ut *ratio* sit recta via, quam in discendis artibus insistimus, *doctrina* autem dicatur illa cognitio, quam discendo acquirimus. Sic infra III. 1, 2. de Offic. I. 26, 90. Sic graece λόγος καὶ παιδεία. V. *Wyttenbach.* Schol. in N. D. I. 3. p. 718. Cr. Similiter supra c. 1, 1. *ratio et disciplina:* ubi v. Adnot. Loco nostro consimilis est C. de Divin. I. 2, 4: quum duobus modis animi, *sine ratione et scientia*, motu ipsi suo, soluto et libero incitarentur.

Cap. XIV. §. 31. *tacitam*] Gravius pro *tacite* dictum esse, recte observat *Wolfius.* Cf. *Ramshorn.* L. Gr. §. 203. l. c. *Kühner.* L. Gr. §. 109, 5.

omnibus curae sunt, et maximae quidem] Sic Or. c. Gud. 1. 2. Duisb. Rehd. et nonnullis edd. vett. pro vulgata *maxime:* quae adversatur consuetudini Ciceronis, qui non dicit: aliquid mihi valde, magis, minus, maxime, minime curae est, sed: aliquid mihi magnae, maiori (etc.) curae est. *Moser* comparat or. ad Quir. p. Red. 9, 12: mihi maiori curae est. Verr. IV. 33, 73: magnae curae sibi fore. Fam. X, 1: mihi maximae curae est. Att. I, 1. prc.: summae curae esse.

quae post mortem futura sint] Pauci codd deteriores et nonnullae edd. vett. habent *sunt*, quod loci sententiae adversatur. Homines enim non curant ea, quae post mortem futura sunt, sed *quid p. m. futurum sit.*

Serit arbores, quae alteri seculo prosint] Si verborum *alteri* et *prosint* sedes permutetur, effici possit iambicus senarius: *Serit árbores, quae sécło prosint álteri.* Antique semper *seclum, vinclum* etc. dicitur, uti in optimis codd. legitur. V. *Goerenz.* ad Legg. II. 23, 59. p. 195. et *Ellendt.* ad de Or. I. 43, 194. Vol. I. p. 134.; quanquam etiam altera forma *vinculum* Cicero usus est, uti V. 29, 82. omnes libri habent *vincula.* Censor in Ephemer. Heidelberg. 1826. p. 984., praeeunte *G. Hermanno* in Ephem. Lips. 1819. p. 171., creticum versum (⏑–⏑–) constituit, verbo *serit* ad antecedentem versum tracto et *prosint* in *prosient*, quod in Cat. Mai §. 24. margini codicis R. seculi noni adscriptum est, mutato. Sed accedimus sententiae *Spengelii* (in edit. fragmm. Caecil. Stat. Monac. 1829. p. 50.), qui ad alios Statii versus, qui sunt N. D. I. 6, 13. haec addit: e nexu, quae ap. Caecil. erant, solvit Cicero et

quae alteri seculo prosint[1], ut ait[1] in Synephebis, quid spectans, nisi etiam postera secula ad se pertinere? Ergo arbores seret[2] diligens agricola, quarum adspiciet bacam ipse nunquam; vir magnus leges, instituta, rem publicam non seret? Quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptationes[3] filiorum, quid testamentorum diligentia, quid ipsa sepulcrorum monumenta, quid elogia[4] significant, nisi nos futura etiam cogitare? 32. Quid illud? num dubitas, quin specimen naturae capi deceat[5] ex optima quaque natura? quae est melior igitur[5] in hominum genere natura, quam eorum, qui se natos ad homines iuvandos, tutandos, conservandos arbitrantur? Abiit ad deos Hercules; nunquam abisset, nisi, quum inter homines esset, eam sibi viam munivisset. Vetera iam ista et religione omnium consecrata.

2 W. e coni. *serit;* at v. Adn. in II. 17, 39. 3 v. Adn. 4 R. Gud. 1. II. El. 3. Marb. Mon. 2. unus Ox. om. *quid* ante *elogia.* Hinc temere Tr.: *sepulcrorum* [*monumenta*] *elogia sign.* 5 v. Adn.

in usum suum vertit, ut, qui versus inde effingere velit, audacior esse videatur. Huc accedit, quod is, qui in Synephebis hunc versum pronuntiavit, prima persona usus est: *Sero arbores* etc.

ut ait in Synephebis] Sic scripsi c. D. Kl. Tr. ex R. b. (a pr. m.) uno Ox. Duisc. Pal. 4. Fabr. *Davisius* comparat N. D. I. 6, 13: Itaque mihi lubet exclamare, ut in Synephebis: Pro deum etc.; Or. e Gebh. coni. *ut ait ille in S.*, et sic legit Aug.; alii deteriores codd. et nonnullae edd. vett. habent partim *ut ait Statius*, partim *ut ait Ennius.* De optimo Gud. 1. Mos. tacet. — *Synephebi* comoedia erat Menandri, a Caecilio Statio in Latinam linguam conversa. V. *Davisium* ad N. D. I, 6. p. 25. Cr.

quid spectans] *Klotzius* comparat Graecorum τί ζητῶν κ. τ. λ. i. e. quo consilio. Similiter Fin. V. 29, 87. (Democritus) patrimonium neglexit, agros deseruit incultos, *quid quaerens* aliud, nisi vitam beatam? ubi v. *Madvigium* p. 774.

leges — seret] Venusta metaphora! Legg. I. 6, 20: *serendi* etiam mores, nec scriptis omnia sancienda. Similiter Graece: Plat. Phaedr. p. 276, E: ὅταν τις — φυτεύῃ τε καὶ σπείρῃ μετ' ἐπιστήμης λόγους.

adoptationes] Sic recte Or. c. R. Gud. 1. b. aliisque codd. pro vulg. *adoptiones.* Eadem scripturae varietas in Sall. Iug. XI, 7: ubi v. *Kritzium.* Forma *adoptatio* saepius apud Ciceronem oblitterata videtur. Restituit eam *Klotzius* pro Balbo 25, 57.

elogia] *Elogia* erant monumentorum inscriptiones, in quibus mortuorum nomina, honores, res gestae breviter consignata erant. de Fin. II. 35, 116: non *elogia* monumentorum id significant, velut hoc ad portam: *Uno ore cui plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum.* de Sen. 17, 61. Cf. *Schütz.* Lex. Cic. h. v. Recentiores saepe hoc vocabulo perperam utuntur pro laudatione. Ceterum *Orellius*, nomen *elogii* ex ἐλεγεῖον corruptum esse et post bella in Magna Graecia et Sicilia gesta in Latinam linguam migrasse, satis probabiliter statuit.

§. 32. *num dubitas*] Sententiae sic fere cohaerent: Omnibus hominibus innatas esse maximas curas eorum, quae post mortem futura sint, quum alia probant, e quibus nos futura etiam cogitare apparet, tum maxime ii, qui se natos ad iuvandos homines arbitrantur.

specimen naturae] Exemplum (Muster) cuiusque rei capi debet ex eis, quae optima sunt in quaque re. In hominum autem genere humanae naturae exemplum apparet maxime in eis, qui aliorum commodis iuvandis vitam suam consecrant. Ii vero non semper in laboribus et periculis viverent, nisi in eorum mentibus haereret spes immortalitatis. Ergo ex optima hominum natura optimum de animorum immortalitate duci potest argumentum.

capi deceat] Sic recte c. W. *Orellius*

XV. Quid in hac re publica tot tantosque viros, ob rem publicam interfectos, cogitasse arbitramur? iisdemne ut finibus nomen suum, quibus vita, terminaretur? Nemo unquam sine magna spe immortalitatis se pro patria offerret ad mortem. 33. Licuit esse otioso Themistocli, licuit Epaminondae, licuit, ne et vetera et externa quaeram, mihi; sed, nescio quo modo, inhaeret in mentibus quasi seculorum quoddam augurium futurorum, idque in maximis ingeniis altissimisque animis et exsistit maxime, et apparet facillime. Quo quidem dempto, quis tam esset amens, qui semper in laboribus et periculis viveret? 34. Loquor de principibus; quid poëtae? nonne post mortem nobilitari volunt? unde ergo illud?

Adspicite, o cives, senis Enni imaginis formam.
Hic vostrum panxit[1] *maxuma facta patrum.*

1 v. Adn.

restituit, quod est in libris fere omnibus. Duo tantum codd. deteriores et edd. *Wolf. Fr. Fabr.* habent *debeat*, quod *Ernestius* cum D. e *Lambini* coniectura recepit. Bene *Nissen.*: „Est dignitatis aliquid et decori in eo, ut ex optima quaque natura ipsa vis naturae intelligatur.“ Infra II. 3, 8: nobis videtur, quicquid litteris mandetur, id commendari omnium eruditorum lectioni *decere*. Sic saepe. V. *Goerenz.* ad Fin. IV. 11. p. 454 sq. et *Wopkens.* Lectt. Tull. p. 71 sq., ubi cf. *Hand.*: „*decere* non pro *debere* dicitur, sed de re congrua et apta aut quae bonis moribus conveniat et ipsa bona sit.“ Cum verbis *licet*, *decet*, *oportet* infinitivus passivi iungitur, quum refertur ad rem omnibus communem, activi contra, quum refertur ad eum solum hominem, de quo agitur. V. *Hand.* l. d. et nos in Gr. L. §. 129, not. 7. Supra c. 12, 27: intelligi licet. (Plura de verbo *licet* exempla dat *Wopkens.* l. d. p. 372.) Infra II. 3, 8: id commendari omnium eruditorum lectioni decere.

quae est melior igitur] Sic recte *Orellius* c. D. pro vulg. *quae est igitur melior*; receptam scripturam confirmant R. Gud. 1. 2. Vind. 1. 2. Mon. 1. Rehd. Duisb. ed. Rom. 1469., itemque *Goerenz.* ad Fin. I. 18, 61. probat, trium suorum codd. auctoritate nisus, comp. de Divin. I. 15, 26: Ille mihi videtur *igitur* vere augurari: ubi v. *Moserum* et *Giesium*. Ib. II. 3, 8: dicendum est mihi *igitur* ad ea. V. 23, 67: eius bono fruendum est *igitur*. Cf. infra II. 5, 12: nonne verendum est *igitur* (quod veteres sic pronuntiabant: nonne verendumst *igitur*; ergo tertio loco). V. nos in Gr. L. §. 138 a Not. 4. Alio est ratio I. 34, 82. Sic *enim*, *autem* quarto loco leguntur. V. Adnotata in IV. 38, 83.

Cap. XV. *ut terminaretur*] Exspectes propter antecedens *cogitasse*, ut sequatur *iisdem finibus terminatum iri*. Atque haec quidem verborum consecutio necessaria esset, si verbum *cogitandi* hic propriam suam vim haberet; at *cogitasse* h. l. significat *spectasse*, *consilium habuisse*. *Moser* comparat Corn. Nep. X. 9, 2: eamque (triremem) in portu agitari iubet, — *cogitans*, si forte consiliis obstitisset fortuna, *ut haberet*, quo fugeret. De collocatione coniunctionis *ut* v. ad I. 8, 16.

se — offerret ad mortem] Imperfectum *offerret* (pro quo frustra *Reiskius* legendum suspicatur *offeret*) recte retulit *Klotzius* ad eos viros, ad quos Cicero provocat. De locutione confer pro Sest. 1, 1: se et salutem suam *in discrimen offerre* pro statu civitatis. 28, 61: *obtulit in discrimen* vitam suam. Sic pro Arch. §. 14: nunquam me pro salute vestra *in tot ac tantas dimicationes atque in hos* profligatorum hominum *quotidianos impetus obiecissem*: ubi v. *Stürenburg.* p. 103 sq.

§. 34. *de principibus*] *Principes* κατ' ἐξοχήν dicuntur ii, qui reipublicae gubernacula tenent. Sic infra c. 42, 101.

imaginis] Pronuntiandum *imagini'*, ut paullo post *vivus* e *vu'*. V. ad 9, 18.

panxit] H. e. composuit. V. *Schütz.* Lex. Cic. h. v. Composuerat autem Ennius historiam Romanam, in XVIII li-

Mercedem gloriae flagitat ab iis, quorum patres affecerat gloria; idemque:

Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu
Faxit[2]. *Cur? Volito vivus per ora virûm.*

Sed quid poëtas? Opifices post mortem nobilitari volunt. Quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in clypeo Minervae, quum inscribere non liceret? Quid nostri philosophi? nonne in iis libris

2 Tr. c. R. et uno Ox. om. verba: *decoret, nec funera fletu Faxit.* Cf. Adn.

bros distributam. *Panxit* recte Or. restituit; legitur in sex Oxx. Gud. 2. Duisb. et mult. edd. vett. Alii, ut Ern. et nuper Tr., c. R. Gud. 1. quinque Pall. aliisque codd. et multis edd. vett. legunt *pinxit.* Ex quo quidem exemplo tironibus videre licebit, eandem metaphoram alio loco aptissimam esse et elegantissimam, alio ineptam plane et ridiculam. Editores, qui scripturam *pinxit* receperunt, comparant Graeca ποικίλλειν, διαδάλλειν. Sic *pictura* pro poesi, *pictores* pro poetis leguntur. Omnia festiva atque lepida, suo scilicet loco, h. e., ubi ex toto verborum ordine aut ex eis, quae illa vocabula comitantur, ea μεταφορικῶς accipienda esse patet. Si h. l. legeretur: „*Hic vestrum patrum facta versibus pinxit*," id et aptum et elegans esset; sin nude *pinxit* ponitur, nonne putabimus, illud monumentum, in quo ista inscripta sunt, in pictoris mortui honorem esse exstructum? Cf. *Bentleium* in Emend. ad h. l.

nec funera fletu faxit] „I. e. cum fletu funus celebret. Scalig. coni. *nec funera* (pro *praefica*) *fletum faxit.*" *Wolfius.* „Cf. *Burmanni* Anthol. Lat. II. p. 217. *Gernhard.* ad Caton. p. 140. *Heyn.* ad Aen. 9, 486: *nec te tua funera mater Produxi.* Scaligeri opinio, *funeram* Latinum esse vocabulum pro *praefica*, satis refutatur Tusc. I. §. 49. ubi *funera* similiter est pro num. singulari. §. 117. ut celebrent *funera* cum gemitu. Prop. II. 34, 90. miserae *funera* Quintiliae." *Orellius.*

Sed quid poetas?] *Bentleius* legendum coniecit: *Sed quid putas?* quod non solum Duisb. quinque Oxx. Marb. Gud. II., sed ipse Regius et Gud. I. prae se ferunt. Scriptura vulgata non est tentanda. Elliptica illa dicendi ratio in eiusmodi transitionibus frequentissima est. Geminus locus infra II. 17, 41: Pugiles caestibus contusi ne ingemiscunt quidem. *Sed quid hos?* — Gladiatores — quas plagas perferunt? Adde III. 18, 40: Sed non necesse est nunc omnia (sc. persequi, uti Nep. Att. XI, 3: difficile est omnia persequi). N. D. I. 8, 19: Longum est omnia: ubi v. Intpp. Ib. II. 1, 1: Sed ad ista alias; nunc Lucilium — audiamus. Plura congessit *Wopkens.* Lectt. Tull. I, 9. p. 72 sq. Cf. *Madvigium* ad C. Fin. I. 3, 9. p. 21 sq. et nos in Gr. L. §. 161. b.

Phidias] Absolutissimum Phidiae opus celebrabatur Minervae statua eburnea, cuius in clypeo caelaverat Amazonum praelium intumescente ambitu parmae, eiusdem concava parte deorum et gigantum dimicationem, uti auctor est Plinius H. N. XXXIV, 8. *Moser* conferre iubet *Boettigeri* libellum, qui inscribitur: Andeutungen zu 24 Vorlesungen über d. Archäologie p. 84—90. Atque in hoc clypeo imaginem sui similem incluserat, ut, si quis olim eam avellere voluisset, soluta compage, tota operis colligatio solveretur. V. Aristot. de Mundo c. VI. Valer. Maxim. VIII. 14, 6. De v. *speciem* pro imaginem posito comparat *Moser* de Div. I. 12. I. 36, 69.

sui similem speciem] *Gesner* Thes. L. L.: „Haec differentia Diomedis: „*Sum similis tui, moribus; similis tibi, figura*" non semper vera est, quia utrumque indifferenter reperitur." V. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 197. Aliter iudicat, sed mihi non satis probatur, *Otto* in Exc. XI. ad Fin. p. 418 sq. Structurae discrimen, praeeunte *Wesenbergio, Madvigius* ad Fin. V. 5, 12. ita ponit, ut, apud Ciceronem quidem et antiquiores scriptores, in animantium, praecipue hominum et deorum, similitudine notanda constanter genitivus, rarissime dativus, de rerum similitudine uterque casus promiscue usurpetur. Inde a Livio, addit *Madvigius,* dativi usum magis magisque etiam in personarum similitudine frequentant, poëtae quidem Augusteae aetatis adeo, ut ex Virgilio, Horatio, Ovidii Metamorphosibus vix unus locus adnotetur, in quo genitivus sit. At verius *M. Seyffertus* structurae discrimen non in personarum et rerum similitudine, sed in diversa significatione ponit, ut filius est

ipsis [3], quos scribunt de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt? 35. Quod si omnium consensus naturae vox est, omnesque, qui ubique sunt, consentiunt, esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui vita cesserint [4]: nobis quoque idem existimandum est. Et si, quorum aut ingenio, aut virtute animus excellit, eos arbitrabimur [5], quia natura optima sint [6], cernere naturae vim maxime: veri simile est,

3 Sic R. Gud. 1. II. Marb. Rehd. Mon. 2. Vind. 2. ed. D.; Or. c. vulg. *in his ipsis libris*: pro vulg. *his* ex Gud. Duisb. (*hiis*) et edd. S. E. scripsimus *iis*. V. Adn. in c. 3, 5. 4 Sic R. Gud. 1. aliique multi libri et scripti et editi; Or. c. vulg. *cesserunt*; alii *e vita c.*, ut Brut. §. 4.: *cessit e vita*. 5 v. Adn. 6 Sic R. Gud. 1. 2. Vind. 1. 2. et complures edd. vett.; Or. c. vulg. *sunt*.

patris similis sit: der Sohn ist *des Vaters Ebenbild*; filius *patri similis*, der Sohn ist *dem Vater ähnlich*, ihm verwandt, nicht gleich. Sic infra c. 33, 81: facie vel *patris*, vità *omnium perditorum* ita *similis*. Fin. V. 5. 12: quare teneamus Aristotelem et eius filium, Nicomachum, cuius accurate scripti de moribus libri dicuntur illi quidem esse Aristotelis, sed non video, cur non potuerit *patri similis* esse filius (dem Vater ähnlich, mit dem V. geistige Verwandtschaft habend)

quum inscribere non licerel scil. nomen suum. Solebant autem artifices operibus suis nomina sua insculpere, ut ΕΠΟΙΕΙ aut ΕΠΟΙΗΣΕ ΦΕΙΔΙΑΣ. *Davisius* provocat ad Plin. H. N. Praef. p. 9. Etiam apud Plutarch. in Pericl. c. 31. nihil de nomine inscripto commemoratur. Quaeritur autem, cur Phidiae non licuerit nomen suum inscribere, quum aliunde non constet, vetitam fuisse nominis inscriptionem artificibus. *Orellius* respondet in donis diis consecratis non licuisse, in operibus privatis licuisse. At ipse Phidias, uti testatur Pausanias V, 10. p. 397. extr., ad pedes Iovis Olympii haec inscripsit: Φειδίας Χαρμίδου υἱὸς Ἀθηναῖος μ' ἐποίησε. *Siebelisius*, a *Mosero* laudatus, in Indic. ad *Winckelmanni* Opera p. 352 sq. videri sibi Ciceronem dicit illud, non licuisse Phidiae inscribere nomen, ex coniectura tantum posuisse. *Klotzius* denique in Add. p. 21. haec habet: Man hat in neuester Zeit in Paris die Entdeckung gemacht, dafs mehrere antike Statuen die Namen ihres Verfertigers ganz innen verborgen gehabt haben, und zwar mit der Bemerkung, dafs dieselben ihren Namen nicht haben offen anbringen durfen ... Diese Notiz würde zu der Annahme berechtigen, dafs es wohl von dem Ermessen des Bestellers oder der beaufsichtigenden Behörde abgehangen haben möge, ob man dem Künstler irgend eine Aufschrift gestatten wollte oder nicht.

sua nomina inscribunt] pro Arch. XI, 26: „Ipsi illi philosophi etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt: in eo ipso, in quo praedicationem nobilitatemque despiciunt, praedicari de se ac nominari volunt." Eandem sententiam expressit Valer. Maxim. VIII. 14, 3. extr.

arbitrabimur] Sic c. Db Kl. Tr. e R. et Duisb. edidi pro vulg. *arbitramur*. Saepe enim apud Ciceronem futurum cum elegantia quadam vel urbanitate vices sustinet praesentis, ubi Graeci optativo c. ἄν uti solent; res enim praesens non ut ea, quae vere est, sed ut ea modo, quae certis quibusdam conditionibus fieri potest, profertur. Infra III. 5, 10: multoque melius haec notata sunt verbis Latinis, quam Graecis: quod aliis quoque multis locis *reperietur* (εὕροις ἄν, scil. si rem accuratius exquirere voles). Sic in sententiis generalibus, ut II. 13, 30: *excellet*. 15, 35: consuetudo enim laborum perpessionem dolorum *efficiet* faciliorem: uti restituimus. Cf. *Goerenz*. ad Legg. I. 14, 41. p. 63. *Ellendt*. ad Brut. L, 187. p. 134 sq. *Kühner*. L. Gr. §. 107, 9. Idem futuri usus in Graeca quoque lingua est. Plat. Phaedon. p. 78. A: ἀλλὰ ταῦτα μὲν δή, ἔφη, ὑπάρξει, haec igitur sic *erunt*, elegantius, quam ὑπάρχει, sunt. V. nos in ampliore Gr. Gr. T. II. §. 446, 4. p. 83. Huc accedit, quod exquisitius futurum ob praesentium (*excellit*, *sint*, *veri simile est*) vicinitatem facile in praesens mutari potuit, vulgare praesens in illud non item.

cernere naturae vim maxime] Verr. III. 15, 35: consistere in re frumentaria *maxime*. Sic saepe cum magna quadam vi adverbium in sententiae clausula ponitur. V. *Goerenz*. ad Legg. II. 26, 75. Cf. §. 33. et nos in Gr. L. §. 167, 1.

quum optimus quisque maxime posteritati serviat, esse aliquid, cuius is post mortem sensum sit habiturus.

XVI. 36. Sed ut deos esse natura opinamur, qualesque sint, ratione cognoscimus; sic permanere animos arbitramur consensu nationum omnium; qua in sede maneant qualesque sint, ratione discendum est. Cuius ignoratio finxit inferos easque formidines, quas tu contemnere non sine caussa videbare. In terram enim cadentibus corporibus, iisque humo tectis, e quo dictum est *humari*, sub terra censebant reliquam vitam agi mortuorum. Quam eorum opinionem magni errores consecuti sunt: quos auxerunt poëtae. 37. Frequens enim consessus theatri, in quo sunt mulierculae et pueri, movetur audiens tam grande carmen:

posteritati serviat] Infra V. 3, 9: alios *gloriae servire*, alios *pecuniae*. *Orellius* comparat C. Qu. Fr. I, 1. extr.: *valetudini* tuae — diligentissime *servias*. V. Lexica.

Cap. XVI. §. 36. *cuius ignoratio*] H. e. quae (sc. ratio) minus exculta. De voc. *ignorationis* v. *Goerenz.* ad Fin. I. 19, 64. *Formidines*, Schreckbilder, intelligendae sunt h. l. Cerberus, Cocytus, Acheron, reliqua, quae supra commemoravit c. 5. De plurali v. Adnot. ad IV. 2, 3. Apposite contulit *Billerbeckius* Fin. V, 11: quasdam post mortem *formidines* extimescant. I. 14, 40. 19, 63: liberamur mortis metu, non turbamur *ignoratione rerum, e qua ipsa horribiles exsistunt saepe formidines.*

consecuti sunt] H. e. hanc opinionem magni errores, *cum ea coniuncti*, secuti sunt. Id propterea monendum existimavi, quod recentissimis quoque temporibus haud paucos viros doctos perversa illa imbutos vidi opinione, ut composita verba saepe vices sustinere simplicium verborum statuerent. Quo in errore, ut alios omittam, versantur *Bremius* ad Corn. Nep. Themist. VII. 2. p. 47. Pelop. V. 1. p. 240. et *Ramshorn.* Lat. Gr. §. 206. In ipsa rei natura positum est, ut composita simplicium notionem habere non possint. Longe alia res est in simplicibus verbis, quae saepe a poetis, interdum etiam a pedestris orationis scriptoribus, compositorum loco ponuntur, ut *linquere* pro *relinquere*. Ad verbum *consequi* cf. infra c. 38, 91. et Adnot. in c. 40, 96. III. 2, 3. et 27, 64.

§. 37. *Adsum*] Ex Ennii Hecuba, fabula ad Euripideae Hecubae imitationem facta. In Graecae fabulae initio Polydori εἴδωλον ita:

ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
λιπών, ὅν' Ἅιδης χωρὶς ᾤκισται θεῶν.

Ceterum versus sunt trochaici tetrametri catalectici. Ed. Rom. 1469 legit *ab Acher.*, nulla cogente necessitate; nam *a* in *Acher.* producitur quoque, ut saepissime ap. Plaut. *Moser* laudat *G. Hermannum* ad Eur. Hec. p. 59 — 62. *Constat* apte comparat *Wolfius* cum Gr. συνίσταται. Ceterum *Moser* in Exc. II. p. 361. hos et seqq. versus ignoti cuiusquam poetae tragici Latini nequaquam ad Euripidis Hecubam pertinere existimat.

tantumque valuit error, qui — videtur] *Valuit* referendum est ad antiqua illa tempora, quibus rationis ignoratio finxit inferos, *videtur* ad illud ipsum tempus, quo Cicero loquitur, ut recte docet *Orellius*. Ille error mihi quidem iam sublatus (sc. in omnibus hominibus doctis) videtur.

quae sine corporibus nec fieri possent] *Ernestius* pro *possent* legendum coniecit *possunt*, quod etiam *Moser* probat. Nimirum enuntiatio *quae — possent*, si ipsam sententiarum rationem spectamus, non cohaeret cum verbo *fingerent*, sed Ciceronis iudicium significat de eis, quae homines superstitiosi finxerunt. Tamen linguae Latinae consuetudo optime tuetur illud *possent*. Solent enim Latini scriptores, in primis Tullius noster, enuntiationem secundariam per genus quoddam attractionis ad formam eius enuntiationis, cum qua consociata est, accommodare, licet sententiarum ratio in utraque enuntiatione diversa sit.

Homeri — νεκυία] Ita inscriptus est liber XI (Λ) Odysseae: in quo libro

Ádsum atque advenio Ácherunte[1] *víx, via alta atque árdua,*
Pér speluncas, sáxis structas ásperis, pendéntibus,
Máxumis, ubi rígida constat crássa caligo inferum,

tantumque valuit error, qui mihi quidem iam sublatus videtur, ut, corpora cremata quum scirent, tamen ea fieri apud inferos fingerent, quae sine corporibus nec fieri possent, nec intelligi. Animos enim per se ipsos viventes non poterant mente complecti: formam aliquam figuramque quaerebant. Inde Homeri tota *νεκυία*; inde ea, quae meus amicus Appius *νεκρομαντεῖα*[2] faciebat; inde in vicinia nostra Averni lacus,

Únde animae excitántur obscura úmbra, aperto[3] *óstio*
Áltae[4] *Acheruntis, fálso*[5] *sanguine, mórtuorum imágines*[6].

1 v. Adn. 2 R. NEPCYOMANTIA: hinc Tr. νεκυομαντεία. Varie corruptum est in codd. hoc nomen. Plerique νεκρομαντεία. Cf Adn. 3 R. *aperte hostio*; Gud 1. *apertae hostio*: etiam Rehd. Gud. 2. unus Ox. edd. H. et Ven. habent *hostio*: Madvigius acute suspicatur in scriptura *aperte hostio* latere *aperto ex ostio*: quod recepit Tr.: Vat. *apertae ostio*: unde Bentl. coni. *obscura umbra opertae ostio*, uti in uno Ox. legitur; W. c. Vossio e coni. *apertoque*, scil. ad vitandum hiatum, at v. Adn. 4 Sic scripsi e Kl. et Tr. ex R. Gud. 1. et uno Ox., qui habent *alte*. Nonius p. 191, 26. etiam femininum vocabuli *Acherons* usurpatum esse e Plaut. Capt. V. 4, 1. demonstrat: nonnulli deteriores codd. habent *ostio alto*. 5 v. Adn. 6 Sic Or. c. paucis codd. et edd. vett.; R. Gud. 1. b. aliique multi, sed deteriores codd. et pleraeque edd. vett. *imagines mortuorum*, adversante metro.

Ulixes inferos adisse et cum umbris colloquutus esse fingitur. Cf. N. D. III, 16. ibique *Davis.* p. 559. Cr. et *Nitzschium* ad Odyss. Vol III. p. 179 sqq.

quae — Appius νεκρομαντεῖα faciebat] de Divin. I. 58. 132: psychomantia (h. e. loca, ubi manes evocati responsa dant) —, quibus Appius amicus meus uti solebat. — Obscurius dictum est *quae νεκρ. faciebat*. Hinc *Bentleius consulebat*, *Davisius adhibebat*, *Orellius quam m. a. A. νεκρομαντείαν faciebat* (uti est in uno Ox; *quam* habent complures codd. et edd. vett.) legendum suspicabatur. Si statuimus, nomen νεκρομαντεῖα h. l. non tam loca significare, ubi manes evocati responsa dant, quam sacra, quae ad manes excitandos excitatosque consulendos instituuntur: omnis difficultas tollitur. *Kernius* vertit: *Geisterbeschwörungen*.

Averni lacus] „In Campania prope Cumas et Baias et Puteolos erat Avernus lacus, Proserpinae sacer, cuius aquae adeo putentes erant, ut supervolitantes aves deciderent mortuae. Ibi descensus ad inferos credebatur.“ *Neidius*, qui conferre iubet *Heynii* Exc. II. ad Aen. VI. et *Meyeri Darstellungen aus Italien* p. 464 sqq *Davisius* affert Maxim. Tyrium Diss. XIV. §. 2. ed. Lond. et Strabon. V. p 374. Adde *Vossium* ad V. Georg. T. II. p. 900. Lucret. VI, 740 et 819.

Unde animae] Sunt trochaici tetrametri catalectici. Verba *obscura umbra* *Wolfius* putat explicare antecedens *unde*, i. e. ex inferis, *Kernius* interpretatur *in der dunklen Nacht*, melius *Klotzius in dusterer Schattengestalt*: quacum interpretatione concinunt verba Procopii, a *Davisio* allata, in I. Reg. p. 86: Εἰώθεσαν ἐν ταῖς νεκυομαντείαις δαιμόνων ἀπάταις σκιοειδῆ βλέπειν φαντάσματα. In *aperto* littera *o* in thesi collocata ante sequentem vocalem Graeco more correpta est. V. *G. F. Grotefend.* Lat. Gr. T. II. §. 76, 2. Virg. Georg. I, 281 tér sunt cónati impónere *Pélio* 'Ossan. Il. α, 358. ἡμένῃ | ἐν βένθεσσιν. Il. β, 621. υἷες, ὁ μὲν Κτεά | του, ὁ δ' ἄρ' | Εὐρύτοῦ | Ἀκτορίωνος. V. nos in Gr. Gr. T. I. §. 60. c.

falso sanguine] Sic edidi c. Gud. 2 Rehd. aliisque codd. et plerisque edd. vett.; Or. c. R. Gud. 1. Guelph. uno Ox. et nonnullis codd. Gebhardi *salso*. Cui *sanguis salsus* dicatur, quum sit natura

Has tamen imagines loqui volunt, quod fieri nec sine lingua, nec sine palato, nec sine faucium, laterum, pulmonum [7] vi et figura potest. Nihil enim animo videre poterant; ad oculos omnia referebant. 38. Magni autem est ingenii, sevocare [8] mentem a sensibus et cogitationem ab [9] consuetudine abducere. Itaque credo equidem etiam alios tot seculis; sed, quod litteris exstet [1], Pherecydes Syrius primus dixit, animos esse hominum sempiternos, antiquus sane; fuit enim meo regnante gentili. Hanc opinionem discipulus eius, Pythagoras, maxime confirmavit: qui, quum Superbo regnante in Italiam venisset, tenuit magnam illam Graeciam quum honore et disciplina [2],

7 Sic Or. c. R. Gud. 1. aliisque plerisque codd. pro vulg. *sine f. laterum ve et pulmonum.* 8 v. Adn. 9 Sic Or. c. R. Gud. II. uno Ox. et ed. P. pro vulg. *a.* V. *Handii* Tursell. I. p. 5. 1 Aug. et multae edd. vett. *exstet probo:* unde Reisk. acute et maxime probabiliter coni. *exstet proditum;* nam in ceteris locis a Cic. dicitur: *exstare in*, uti Invent. I, §. 39. Verr. V., §. 148. de Or. III. 2, 5., uti demonstravit *Wesenberg.* Emend. I. p. 1., qui legendum censet *in litt.*, docens etiam II. 1, 1. III. 22, 54. V. 39, 114. in archetypo *in* omissum esse; sed his omnibus in locis *in* ob syllabarum similium vicinitatem excidere potuit. Or. *proditum* uncis cinxit. Quod *Stürenburg.* tentavit: *probe Ph. S.*, minime placet. Cf. Adn. 2 Sic Vind. 1. 2. Aug. Gud. 2. unus Ox. omnes ut videtur Gruteriani et plurimae edd. vett.; Or. c. L. 1. et uno Ox. *honore disciplinae;* Tr. [*honore*] *disciplina.* Quid Gud. 1 habeat, Mos. non commemorat.

sua dulcis, obscurum est. Sed etiam apud Macrob. VI, 2. ex Ennio et apud Non. p. 192. ex Attio legitur *salsus sanguis.* Ut autem recte dicatur salsus sanguis, tamen non intelligitur, quo modo mortuorum imagines salso sanguine praeditae fingi possint. Quare *Neidius salsum sanguinem* dictum putat, quia hostiae mola adspergerentur, quarum sanguis in sacrificiis, quae ad excitandos ab inferis mortuos ferebantur, in foveam fundebatur, comp. Odyss. λ, 35. Quum non solum *salsus sanguis* legatur, sed etiam Ennius ap. Lucret. I, 126. dixerit: *lacrimas* effundere *salsas* et Virgilius Aen. II, 173: *salsus*que per artus *Sudor* iit: *Orellius* colligit, esse hoc epitheton ornans succorum animalium fere omnium, *salsumque sanguinem* vel de sanguine effuso a vulneratis dici, vel de recenti cadaverum cruore. Itaque si haec scriptura retinetur, verba *salso sanguine* coniungenda sunt cum verbo *excitantur.* At haec verborum iunctura vix ferenda videtur. Quibus caussis ductus alteram scripturam: *falso sanguine*, tuendam existimavi: quam *Orellius* non recepit quidem, sed probavit, quanquam ei praeferenda videtur quam proposuit coniectura elegantissima *cassae sanguine. Bentleius* coni. *fuso sang.; Moser* aliquando coniecit *hausto s.*, sed quum id longius abeat a scriptura codicum, retinuit *fuso*, ut tamen neque id neque *salso* probet. *Falsus sanguis* i. e. quasi sanguis, quia mortuorum imagines sanguine non omni destitutae videntur, quanquam exsangues duntaxat umbrae sunt. Ceterum, ut dactylus (*sanguine*) in quarto pede vitetur (v. *Hermann.* Elem. doctr. metr. p. 87.), legi possit *sanguine falso;* sed, adversantibus omnibus libris, corrigere ausus non sum.

mortuorum imagines] Odyss. XI, 476: ἔνθα τε νεκροὶ | ἀφραδέες ναίουσι, βροτῶν εἴδωλα καμόντων.

§. 38. *sevocare mentem a sensibus*] *sevocare* pro vulgato *revocare* optime restituit Or. c. Davisio ex Augustino ad Volus. ep. 3. Etiam Eliens. tert. a prima manu habere videtur *sevocare.* Hoc verbum in hac re plane proprium est apud Ciceronem. *Davisius* et *Moser* comparant N. D. III. 8, 21: non quod difficile sit mentem ab oculis *sevocare*, sed quo magis *sevoco*, eo minus id, quod tu vis, possum mente comprehendere. Divin. I. 30, 63: quum ergo est somno *sevocatus* animus a societate et a contagione corporis. Infra 30, 72. 31, 75: quum a negotio omni *sevocamus* animum.

etiam alios] Scil. dixisse (quod ἀπὸ κοινοῦ ex subsequenti *dixit* supplendum est), animos hominum sempiternos esse. Eiusmodi ellipses non abhorrent

tum etiam auctoritate multaque secula post ea sic viguit Pythagoreorum nomen, ut nulli alii docti viderentur.

XVII. Sed redeo ad antiquos. Rationem illi sententiae suae non fere reddebant, nisi quid erat numeris aut descriptionibus explicandum. 39. Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognosceret, in Italiam venisse [1] et didicisse Pythagorea omnia primumque de animorum aeternitate non solum sensisse idem, quod Pythagoram [2], sed rationem etiam attulisse. Quam [3], nisi quid dicis, praetermittamus et hanc totam spem immortalitatis relinquamus. *A.* An tu [4], quum me

1 Post *venisse* in multis edd. vett. et nonnull. codd. haec adduntur: *et in ea quum alios multos, tum Archytam Timaeumque cognovisse.* Absunt a R. Gud 1. II. Vat. aliisque codd. Orellio ex Fin. V. 29, 87. et Rep. I, 10. illata videntur. 2 Sic Or. c. R. b. aliisque multis deterioribus codd. pro vulg. *Pythagoras.* V. Adn. 3 Sic Or. c. optimis et plurimis codd.; nonnulli *rationes etiam att. Quas.* Bene W.: *rationem* reddentes plures afferre possumus *rationes* aut argumenta. 4 v. Adn.

a negligentiore dialogorum dicendi genere.

quod litteris exstet] H. e. multi fuerint, qui animos immortales esse dicerent; sed *ita*, *ut id* in litteris exstet, primus Ph. S. dixit etc. Ad verbum *exstet* comparat *Moser* Brut. 15, 57: quem vero *exstet* et de quo sit memoriae proditum, eloquentem fuisse. At v. Var. Scr. Attendas ad hunc exquisitiorem coniunctivi cum *quod* consociati usum. de Legg. I. 8, 25: *quod* perspicuum *sit*, — esse ad usum hominum — procreatas (pecudes): h. e. ita ut hoc. V. *Goerenz.* ad h. l. p. 36. Cf. *Bremium* ad Corn. Nep. Eum. II, 1: mortuus erat Hephaestion, quem unum Alexander, *quod* facile intelligi *posset*, plurimi fecerat: h. e. eum ita plurimi fecerat, ut hoc f. i. p. Adde Curtium VIII. 2, 35: Lysimachi erat frater, tum primum adultus, et, *quod* facile *appareret*, indolis rarae. V. nos in Gr. L. §. 146. Not. 13.

meo regnante gentili Servio Tullio, a quo Cicero gentem suam ducebat. Cf. *Wyttenbach.* ad Legg. II. 1, 3. p. 159. ed. Cr. et Mos.

quum honore et disciplina, *tum etiam auctoritate* Verba *honore et disciplina* per figuram, quae dicitur ἐν διὰ δυοῖν, explicanda censet *Moser*, ut sint idem fere, quod *honore disciplinae*, uti *Or.* legit. Et sane commendat se haec scriptura eleganti verborum collocatione, qua duobus substantivis regentibus rectum potiori, quod primam sedem habet, addi solet, ut: Academ. I. 3, 9. latinis et litteris *luminis*, et verbis: ubi *Goerenz.* p. 18. comparat Cat. Mai. 13, 45: coetu *amicorum* et sermonibus.

Cap. XVII. *redeo ad antiquos*] Redit ad antiquos scil. Pythagoreos, respiciens verba *multaque saecula postea sic viguit Pythagoreorum nomen* etc.

numeris aut descriptionibus] Illud ad arithmetica referendum est, hoc ad formas geometricas (διαγράμματα). Sic *describere* proprie dicitur de geometrarum figuris vel delineationibus. Fin. V. 19, 50: (Archimedes) dum in pulvere quaedam *describit* attentius, ne patriam quidem captam esse sensit.

§. 39. *Platonem ferunt*] Sententiae sic se excipiunt: Antiqui illi rationem sententiae suae non fere reddebant, nisi quid erat numeris — explicandum; at ex eis Plato de animorum aeternitate non solum sensit idem, quod Pythagoras, sed rationem etiam attulit. Particulae adversativae saepe omittuntur. De Platonis itineribus v. quos laudat *Davisius* C. Fin. V. 29, 87. Valer. Max. VIII. 7, 3.

quod Pythagoram] Scil. sensisse ferunt. Fin. IV, 20: Negat Platonem, si sapiens non sit, eadem esse in caussa, *qua tyrannum Dionysium:* ubi e verbis *negat esse* elicienda sunt verba *esse dicit.* Tusc. IV. 20, 46: quum aut se non idem videat consecutum, *quod alium*, aut alium idem, *quod se.* V. *Krüger. Untersuchung. üb. d. Lat. Spr.* III. Heft. p. 286. *Kühner.* Lat. Gramm. §. 129, 14. Alia ratio habetur in eiusmodi exemplis, quale est de Senect. I, 1: te suspicor iisdem rebus, *quibus me ipsum*, interdum gravius commoveri: ubi *me ipsum* ob antecedens *te* per quoddam genus attractionis positum est pro *ego ipse.* Utrumque dicendi genus diversissimum confudit *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 313.

An tu] Or. e coni. Dav. *Ain' tu:* de

in summam exspectationem adduxeris, deseres?[4] Errare mehercule malo cum Platone, quem tu quanti facias scio et quem ex tuo ore admiror, quam cum istis vera sentire. 40. *M.* Macte virtute! ego enim ipse cum eodem ipso[5] non invitus erraverim. Num igitur dubitamus, an, sicut pleraque?[6] quanquam hoc quidem minime; persuadent enim mathematici, terram in medio mundo sitam ad universi caeli complexum quasi puncti instar obtinere, quod κέντρον illi vocant; eam porro naturam esse quattuor omnia gignentium corporum,

5 Pro *eodem ipso* Matthiaeus ad Manil. 16, 46. scribendum censet *eodem illo*, et Wesenberg. Em. I. p. 1. *eodem isto:* quod praeferendum. Ob anteced. *ipse* facile *isto* in *ipso* mutari potuit. 6 v. Adn.

qua formula v. ad V. 12, 35. Coniectura elegans, nec tamen necessaria. V. de hoc apud Tullium frequentissimo *an* particulae usu nos in Gr. L. §. 159, 2. Nostro loco geminus legitur in Academ. II. 19, 62: *An tu, quum* res occultissimas *aperueris* in lucemque *proluleris* ...; *negabis* esse rem ullam, quae cognosci, comprehendi, percipi possit? (ubi etiam *Goerenzius* e coni. dedit *Ain' tu?*) Futurum exactum necessario requirit futurum *deseres*, quod c. *Mosero* recepi ex uno Ox. Guelf. Vind. 1. 2. Rehd. Gud. 2. et duob. codd. Goerenzii ad Acad. l. d. p. 117. pro vulg. *deseris.*

quem tu quanti facias scio] Haec est solennis verbi, a quo pendet enuntiatio relativa, collocatio; raro ponitur inter duo relativa: *quem scio quanti tu facias.* Docte de hac re exposuit *Rud. Stürenburg.* pro Arch. p. 18 sqq.

cum istis] H. e. aliis philosophis, qui, a Platonis sententia discedentes, animorum immortalitatem negant.

§. 40. *Macte virtute*] Hanc locutionem bene *Orellius* ducendam putat a formula in sacris solenni: *Iupiter O. M., macte hac hostia esto;* ergo proprie: „*Sei gemehrt, beglückt durch deine Tugend!*" Cf. nos in L Gr. §. 115. Not. 5.

non invitus erraverim] Platonem quam vehementer admiratus sit Cicero, ex multis eius librorum locis apparet: quos omnes collegimus in l. d. *de Cic. in phil. mer.* p. 74 sq., ubi verba: *non invitus erraverim* haud nimis anxie premenda esse docui. Cicero enim, hac ab adversario oblata occasione arrepta, sententiam suam de Platone, imprimis in eius doctrina de animorum immortalitate, expromere voluisse videtur. Sic infra c. 21, 49. verba: *ut enim rationem Plato nullam afferret* (*vide, quid homini tribuam*) *ipsa auctoritate me frangeret* intelligenda sunt.

Num igitur, dubitamus, an, sicut pleraque? quanquam etc.] Sic plerique codd. et optimi, ut R. Gud. 1. II.; vulgo inter *pleraque* et *quanquam* verba *sic et hoc?* interiiciuntur. *Orellius* ea uncis cinxit, recte docens *et* sic positum non Ciceronianum videri, obnoxiumque fuisse hunc locum interpolationi demonstrare quattuor Oxx. Ven. Al. H. exhibentes: *pleraque sub dubitatione accipimus* (*accepimus* H. et unus Ox.). Etiam *Kl., Tr., Mos.* ea deleverunt. Negari quidem non potest, Ciceronem particula *et* pro *etiam* usum esse, sed raro (v. Adnotata in III. 13, 28.); at id praefracte negari potest, eum in hac verborum iunctura (*sicut* [*ut, quemadmodum*] — *sic* [*ita*]) vocabulis *sic* [*ita*] unquam addidisse *et.* Cf. Adnotata in III. 17, 37. Quos *Handius* in Tursell. Vol. II. p. 514. affert locos: de Or. II. 77, 314. Fin. V. 14, 40., ii nihil probant, quum scriptura nunc e codd. correcta sit. V. *Ellendt.* Vol. I. p. 402. et *Madvig.* p. 687. Particulam *an*, quae post *dubitamus* legitur, omnium librorum auctoritate fultam, auctore *Bentleio Ernestius, Moser, Tregder* deleverunt, *Orellius* uncis cinxit, nos cum *Klotzio* (qui tamen sic distinxit: *an sic, ut pleraque*) revocavimus. *Num* est Graecum μῶν (i. e. μὴ οὖν), quod ibi ponitur, ubi responsio exspectatur negans id, de quo erat interrogatum. Verte: *Wir zweifeln doch nicht?* V. nos in Gr. L. §. 158, 3. b.). Unde apparet, ineptam esse opinionem *Neidii* pro *num* legendum coniicientis *non.* Sententia igitur haec est: Num igitur dubitamus, quin terra — obtineat, an etiam hoc dubitamus, sicut Academicorum more plerasque res in dubitationem vocare solemus? Minime vero; nam de huius rei veritate nobis persuadent mathematici, qui nimirum nulli facile dubitationi locum relinquunt, sed, quicquid in eo-

ut, quasi partita habeant inter se ac[7] divisa momenta, terrena[8] et humida suopte nutu et suo pondere ad pares angulos in terram et in mare ferantur, reliquae duae partes, una ignea, altera animalis, ut illae superiores in medium locum mundi gravitate ferantur et pondere, sic hae rursum[9] rectis lineis in caelestem locum subvolent, sive ipsa natura superiora appetente, sive quod a gravioribus leviora natura repellantur. Quae quum constent, perspicuum debet esse, animos, quum e corpore excesserint, sive illi sint animales, id est spirabiles,

7 Sic Or. c. Gud. 1. II. aliisque pro vulg. *et:* quod etiam R. ap. Wes. III. habet. 8 Sic R. b. tres Oxx. Vind. 2. Marb. Rehd. Pall. et permult. edd. vett.; Or. c. vulg. *momenta, ut terrena;* c. Mos. inter *ut* et *quasi* comma posui. 9 v. Adn.

rum disciplinam cadit, ad liquidum perducere solent. *Klotzius* ad *sicut pleraque* e tota sententia eliciendum censet *dicimus*, quod mihi non placet. Quidni repetamus verbum *dubitamus?*

terram in medio mundo sitam] Nimirum e perversa veterum opinione. Cf. Somn. Scipionis 4. 5. N. D. II. 36, 39. et infra c. 28, 68. V. *Creuzerum* ad N. D. II, 36. p. 352. *Menkius* in Observv. ined. attulit Plin. H. N. II. 64. Diog. L. VII, 155. Ovid. Fast. I, 110. *Fischer.* ad Plat. Phaedon. c. 46. n. 15. Ceterum structura accusativi c. inf. *terram — obtinere* per attractionem quandam pendet a *persuadent*, non a *num* igitur *dubitamus;* nam tum dicendum erat: *quin terra — obtineat.* V. Adnotata in I. 36, 88.

ad universi caeli complexum] H. e. si terram comparamus cum universi caeli complexu. Praepositio *ad* eleganter inservit comparationi. Liv. 22, 22: homini non *ad* cetera punica ingenia callido. Infra c. 29, 70: nihil ad id, de quo agimus. V. *Ruhnk.* Dictata in Ter. Eun. II. 3, 69. *Müller.* et *Ellendt.* ad de Orat. II. 6, 25. *Hand.* Turs. T. I. p. 104 sq. *Kühner.* L. Gr. §. 119, 1.

quattuor — corporum] H. e. quattuor elementorum, e quibus omnia oriantur. Nostro loco lux affulget et Academ. I. 6, 24: De natura autem — ita dicebant, ut eam dividerent in res duas: ut altera esset efficiens, altera autem quasi huic se praebens, eaque efficeretur aliquid. In eo, quod efficeret, vim esse censebant: in eo autem, quod efficeretur, materiam quandam; in utroque tamen utrumque; neque enim materiam ipsam cohaerere potuisse, si nulla vi contineretur, neque vim sine aliqua materia; nihil est enim, quod non alicubi esse cogatur; sed quod ex utroque, id iam corpus et quasi qualitatem quandam nominabant: ubi cf. *Goerenz.* p. 40. et *Hülsemann.* p. 366 sq.

Momenta] Motus vel motus leges. N. D. II. 46. pr.: In aethere astra volvuntur, quae se et nixu suo conglobata continent, et forma ipsa figuraque sua momenta (*das Gleichgewicht*) sustentant.

suopte nutu et suo pondere] N. D. II, 39: terra — globosa et undique ipsa in sese *nutibus suis* conglobata: ubi *Wyttenbach.* in Select. Schol. p. 760. Cr. haec addit: *Nutus* a Graecis νεῦσις, ab hodiernis dicitur *tendentia*, quia omnes partes terrae in ipsam tendunt. In medio debent convenire earum pulsus et efficere earum vim centripetam, quam hodierni ita vocarunt. De voce *nutus* praeterea cf. de Fin. I. 6, 20. et de Orat. III. 45, 178. De pronomine *suo* cum enclitica *pte* v. nos in L. Gr. §. 36. Not. 3.

ad pares angulos] H. e. ad rectos angulos, ad perpendiculum.

illae superiores] Scil. terra et aqua, *hae* sc. ignis et aër.

rursum] *Or.* cum edd. vett. et nonnullis deterioribus codd. edidit *sursum;* sed plurimi codd. et optimi, ut R. Gud. 1. b., habent *rursum*, quam scripturam et ob codicum auctoritatem, et quia difficilior est, cum *Kl.* et *Tr.* praetuli. Neque omnino vocabulum *sursum* necessarium est, quum sequantur verba *in caelestem locum. Rursum* est *contra*, Gr. αὖ. Infra c. 20, 45: et habitabiles regiones, et *rursum* omni cultu — vacantes. III. 15, 33. IV. 31, 65. de Fin. III. 10, 34: quum aestimatio, quae ἀξία dicitur, neque in bonis numerata sit, neque *rursus* in malis: ubi v. *Goerenz.* Plura dat *Kritzius* ad Sall. Cat. LIII, 5. Iug. LIX, 2. p. 371.

ipsa natura] Scil. ignearum et animalium partium. De seq. *animos* et *corpore* v. ad II. 23, 54.

sive ignei, sublime[9] ferri. 41. Si vero aut numerus quidam sit[9] animus, quod subtiliter magis, quam dilucide dicitur, aut quinta illa non nominata magis, quam non intellecta natura: multo etiam integriora ac puriora sunt, ut a terra longissime se efferant. Horum igitur aliquid animus est, ne[9] tam vegeta mens[1] aut in corde cerebrove, aut in Empedocleo sanguine demersa iaceat.

XVIII. Dicaearchum vero cum Aristoxeno, aequali et condiscipulo suo, doctos sane homines, omittamus: quorum alter ne condoluisse quidem unquam videtur, qui animum se habere non sentiat; alter ita delectatur suis cantibus, ut eos etiam ad haec transferre conetur. Harmoniam autem ex intervallis sonorum nosse possumus, quorum varia compositio etiam harmonias efficit plures; membrorum

1 Th. Bentl. coni. *res.*

sublime ferri] Sic meliores libri, ut R. Gud. 1. b., aliique. Alii legunt *in sublime ferri.* Male; Cicero enim identidem *sublime* adverbialiter pro *in sublime* et *in sublimi* dixit. Divin. II. 31, 67: (scuta) *sublime* fixa. Infra 43, 102: *humine* an *sublime* putrescat. II. 10, 24: *sublime* avolans. N. D. II. 39, 101: (aër) *sublime* fertur. 56, 141: (sonus) natura *sublime* fertur: ubi v. *Creuzer.* p. 446. V. *Heindorf.* ad N. D. II. 39, 101. p. 213 sq. *Madvig.* ad Fin. V. 28, 84. p. 766. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 55. Cf. ad IV. 18, 42.

§. 41. *Si vero aut numerus quidam sit animus*] *Madvigius* ad Fin. III. 17, 58. p. 448. legendum censet *est* pro *sit.* Quam coniecturam nullo modo probare possum; nam quae antea de natura animi attulit, tanquam certa nec ulli dubitationi obnoxia posuit; (cf. verba: *Num igitur dubitamus?*) quae autem nunc de natura animi commemorat, non tanquam suam ipsius sententiam dicit, sed tanquam aliorum opinionem, quae subtiliter magis, quam dilucide dicatur, cum dubitatione quadam profert.

quinta illa] V. supra c. 10, 22.

non nominata magis, quam non intellecta natura] H. e. natura, quae nomine magis vacat, quam non intelligitur — quae minus nominari, quam intelligi potest — natura magis intellecta, quam nominata. Multas in huius loci et scriptura constituenda et sententia explicanda turbas excitaverunt interpretes, quorum omnium sententias examinavit *Klotzius* (Quaest. Tullian. Lib. I. Lips. 1830. p. 83—88.) et loci sententiam optime explanavit. Duplici scilicet negatione Cicero locutus est, ut hanc exprimeret sententiam: *natura illa*, quam non dixerim quidem prorsus intelligi posse, sed quae tamen mente magis comprehendi posse atque intelligi videatur, quam apto nomine appellari. Qualis sit quinta illa natura, licet plane perspicere non possimus, scimus tamen, divinam eam esse et caelestem et aeternam (v. Adnot. ad c. 10, 22.); sed quo nomine singularem illam naturam afficiamus, non habemus. Verte cum *Klotzio: jene eher unbenannte, als unbegriffene Natur*, vel cum *Kernio: jenes fünfte Grundwesen, welches sich mehr durch die Vernunft erkennen, als durch einen Namen aussprechen lässt. Orellius* a vero abit, quum locum sic explanat: „aeque non intellecta ac nominata," i. e. non tam intellecta, quam nominata dumtaxat, sc. ab Aristotele; confudit enim quintam illam naturam cum animo, qui ex ea constare dicitur. V. c. 10, 22: quintum genus adhibet, *vacans nomine*, et sic *ipsum animum* ἐνδελέχειαν appellat novo nomine. *Wolfius* cum uno Ox. scripsit: *non nom. magis, quam intellecta* (et sic Rehd. Vind. 2. unus ap. Verb.) et sic explicavit: „natura, cuius non magis nomen est, quam intellectus," adversante ipsa Ciceronis sententia. Pari modo lapsus est *Schützius*, qui de *Rathii* coniectura edidit: *illa nominata magis, quam intell.*

ne tam vegeta mens — iaceat] Sic recte *Or.* cum nonnullis edd. vett.; Gud. 1. b. et nonnull. edd. vett. *nec — iacet;* ed. Rob. Steph. *nec — iaceat;* ed. Asc. 1. et Med. *ne — iacet;* R. corrupte *animus nec tam veta mens —*

vero situs et figura corporis vacans animo quam possit harmoniam efficere, non video. Sed hic quidem, quamvis eruditus sit, sicut est, haec magistro concedat Aristoteli; canere ipse doceat. Bene enim illo Graecorum proverbio praecipitur:

Quam quisque norit ártem, in hac se exérceat.

42. Illam vero funditus eiiciamus individuorum corporum levium et rotundorum concursionem fortuitam: quam tamen Democritus concalefactam et spirabilem, id est animalem[1], esse vult[1]. Is autem animus, qui, si est horum quattuor generum, ex quibus omnia constare dicuntur, ex inflammata anima constat, ut potissimum videri video Panaetio, superiora capessat necesse est. Nihil enim habent haec duo genera proni et supera semper petunt. Ita sive dissipantur, pro-

1 v. Adn.

iaceat. E coniunctivo *iaceat* apparet, pro *nec* legendum esse *ne*. Scriptura autem *nec — iacet* multo minus elegans est. Significare vult Cicero, nisi horum aliquid animum esse statuamus, verendum esse, ne tam vegeta mens — iaceat. V. *R. Klotzium* in Quaest. Tull. Lib. I. p. 21. Quod *Wesenberg.* in Emend. I. p. 2. legendum suspicatur: *animus sit, nec — iaceat*, non placet.

in corde etc.] V. c. 9, 18. et 19.

Cap. XVIII. *Dicaearchum — cum Aristoxeno*] V. c. 10, 20. et 21. et c. 11, 24. *Condolescere* est vehementi dolore affici. Sic saepe *cum* verborum simplicium vim auget atque intendit, ut *collaudare, conniti.* — *ad haec* sc. ad res, quae in philosophia tractantur, ut paullo post *haec concedat magistro.*

Harmoniam — ex intervallis sonorum —, quorum varia compositio etiam harmonias efficit plures] Plato Phileb. p. 7. C. D.: ἐπειδὰν λάβῃς τὰ διαστήματα (*intervalla sonorum*) ὁπόσα ἐστὶ τὸν ἀριθμὸν τῆς φωνῆς ὀξύτητός τε πέρι καὶ βαρύτητος, καὶ ὁποῖα, καὶ τοὺς ὅρους τῶν διαστημάτων καὶ τὰ ἐκ τούτων ὅσα συστήματα (*variorum sonorum compositiones*) γέγονεν, ἃ κατιδόντες οἱ πρόσθεν ἡμῖν τοῖς ἑπομένοις ἐκείνοις καλεῖν αὐτὰ ἁρμονίας (*harmonias*): ubi cf. *Stallbaumium* p. 130—132. ed. Goth.

haec magistro concedat] H. e. philosophiam Aristoteli relinquat, ipse vero arti musicae operam det eaque alios imbuat.

Quam quisque norit] Est trimeter iambicus. Eadem sententia Graece expressa: Ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην. Aristoph. Vesp. 1422. (1431. Dindorf.) *Menkius* in Observv. ined. comparat Hor. Ep. I. 14, 44. Propert. II. 1, 46. Quint. Smyrn. I. 462 sqq. Athenaeum VIII, 44.

§. 42. *levium*] V. ad c. 11, 22.

concalefactam et spirabilem] H. e. igneis et aëriis partibus constantem. V. Aristot. de Anima I, 2. Cf. *Tennemann.* Gesch. d. Philos. T. I. p. 278 sq. et de Leucippo, qui in hac re cum Democrito consentit, p. 265 sq.

id est animalem] Haec verba *W.* uncis cinxit: quibus ea recte liberavit *Or.* „quia hoc significatu voc. *animalis* vix intrusisset glossator. Neutra vox quum satis per se placeret Ciceroni, utrumque posuit. Cf Fin. III. §. 13: Erit enim notius, quale sit, pluribus notatum vocabulis idem declarantibus. §. 55.“ Idem c. *D.* et *W.* pro vulg. *voluit* recte restituit *vult*, uti est in R. b. aliisque codd. Praesens in hac re optime sese habet. V. Adnotata in II. 21, 49.

Is autem animus] Expositis philosophorum de animorum natura opinionibus, Cicero suam sententiam expromere aggreditur. Particula *autem* inservit transitioni, et saepe ita, ut sententiarum contextum interruptum repetat. V. *Bremium* ad C. Nep. Dion. III, 5. p. 155. *Beier.* ad Cicer. Offic. I, 8. p. 55. *Hand.* Tursell. I. p. 564 sq. *Kühner.* L. Gr. §. 136, 2. 4). Cf. ad c. 21, 49. Sic Gr. δέ. V. *Pflugk.* ad Eur. Hec. 1211.

ex inflammata anima] Intelligitur πνεῦμα πυροειδές e Stoicorum sententia. V. de his et sequentibus verbis *Wyttenbachium* de Immortalitate animi. Sect. VIII. Opuscul. T. II. et *Wyttenb.* opusc. select. ed. *Friedemann.* Vol. II. p. 278—280. De Panaetio v. *van Lynden.* Disp. de Panaetio (Lugd. Bat. 1802.) p. 69.

Ita, sive dissipantur] Exspectamus *sive*

cul a terris id evenit; sive permanent et conservant habitum suum, hoc etiam magis necesse est ferantur ad caelum, et ab iis [2] perrumpatur et dividatur crassus hic et concretus aër, qui est terrae proximus. Calidior est enim vel potius ardentior animus, quam est hic aër, quem modo dixi crassum atque concretum: quod ex eo sciri potest, quia corpora nostra terreno principiorum genere confecta ardore animi concalescunt.

XIX. 43. Accedit, ut eo facilius animus evadat ex hoc aëre, quem saepe iam appello, eumque perrumpat, quod nihil est animo velocius; nulla est celeritas, quae possit cum animi celeritate contendere. Qui si permanet incorruptus suique similis, necesse est ita feratur, ut penetret et dividat omne caelum hoc, in quo nubes, imbres ventique coguntur, quod et humidum et caliginosum est propter exhalationes terrae. Quam regionem quum superavit animus naturamque sui similem contigit et agnovit, iunctis ex anima tenui et ex

2 Sic Mon. 2. Gud. 2. (*hiis*) edd. vett. S. E.; Or. c. vulg. *his*. V. ad c. 3, 5.

dissipatur, quia antecedit: *is autem animus*. *Klotzius*: „Genau genommen hätte man hier erwarten sollen: *sive dissipatur animus ex his constans;* allein C. dachte sich diess so: *oder zerstreuen sich diese Dinge, welche den Geist bilden.*“ Perperam; de ipsis enim animis agitur. A singulari numero, qui omnes animos complectitur, ad pluralem deflexit oratio, uti saepissime. Cf. ad II. 23, 54.

nihil habent haec duo genera proni] Nec ignis nec aër, quibus animus constare dicitur, deorsum suopte nutu et suo pondere feruntur.

calidior — ardore animi concalescunt] Haec omnia ex Stoicorum disciplina petita sunt. V. Adnotata ad c. 9. extr. De tertia sede voculae *enim* v. ad c. 27, 66.

ex eo — quia] Sic Legg. I. 15, 43: haec nascuntur *ex eo*, *quia* natura propensi sumus ad diligendos homines, quod fundamentum iuris est: ubi *Goerenz.* p. 67: *quia* pro *quod* positum putat, ut vitaretur repetiti *quod* vicinitas; sed hoc non cadit in nostrum locum. *Ex eo, quod* est nostrum *daraus, dass; ex eo, quia* autem *daraus, weil.*

Cap. XIX. §. 43. *Accedit ut*] H. e. praeterea fit, ut de Orat. II. 48, 198: *Accedebat, ut* haec tu adolescens pro re publica queri summa cum dignitate existimarere: ubi plura exempla congessit *O. M. Müller* p. 312 sq. Quid discriminis intercedat inter *accedit quod* c. indic. et inter *accedit ut* c. coniunctivo, facile ex nostro loco erui poterit. *Accedit, quod facilius animus evadit* rem designaret, quae vere esset vel certe iam cognita esset; *accedit, ut f. a. evadat* rem significat, quae non vere ita esse ponitur, sed quae ita cogitanda est, vel quae ut nova necdum cognita accedere intelligenda est. V. nos in Gr. L. §. 144. Not. 1. Cf. *Ramshorn.* L. Gr. §. 179, 3. Not. *). *Aug. Grotefend.* Commentar z. d. Material. Lat. Stylub. p. 141 sq. *Menkius* l. d. affert *Herzog.* ad Caes. B. G. III, 13. Qui autem particula *ut* post *accedit* sequi possit, exponemus ad V. 21, 62.

nulla est celeritas etc.] Mira orationis redundantia, quam Cicero, si ultimam his libris admovisset limam, sine dubio sublaturus fuit.

omne caelum hoc] *Caelum* hic est quae nunc vocatur atmosphaera nostra, in qua sunt nubes. Hinc etiam pro aëre ponitur. V. *Schütz.* Lex. Cic. h. v.

iunctis — ignibus insistit] Haec et quae sequuntur verba illustrantur Ciceronis loco N. D. II. 46, 118: „Sunt autem stellae natura flammeae: quocirca terrae, maris, aquarum vaporibus aluntur iis, qui a sole ex agris tepefactis et ex aquis excitantur: quibus altae renovataeque stellae atque omnis aether refundunt eadem et rursus trahunt indidem, nihil ut intereat aut admodum paululum, quod astrorum ignis et aetheris flamma consumat.“ Omnia, quae §. 43. consignata sunt, vix dubitari potest, quin ex Stoicorum fontibus mana-

ardore solis temperato ignibus insistit et finem altius se efferendi [1] facit. Quum [2] enim sui similem et levitatem et calorem adeptus est, tanquam paribus examinatus ponderibus, nullam in partem movetur, eaque ei demum naturalis est sedes, quum ad sui simile [3] penetravit, in quo nulla re egens aletur et sustentabitur iisdem rebus, quibus astra sustentantur et aluntur. 44. Quumque corporis facibus inflammari soleamus ad omnes fere cupiditates, eoque magis incendi, quod iis aemulemur, qui ea habeant [4], quae nos habere cupiamus: profecto beati erimus [5], quum, corporibus relictis, et cupiditatum et aemulationum erimus expertes; quodque nunc facimus, quum laxati curis sumus, ut spectare aliquid velimus et visere, id multo tum faciemus liberius totosque nos in contemplandis rebus perspiciendisque ponemus, propterea quod et naturâ inest in [6] mentibus nostris insatiabilis quaedam cupiditas veri videndi [7], et orae ipsae locorum illorum, quo pervenerimus, quo faciliorem nobis cognitionem rerum

1 Sic Gud. 1.; Or. c. vulg. *efferendi.* 2 Or. e coni. Bentl. (et c. Aug.) *Tum enim — adeptus, tamquam.* Omittitur *est* (post *adeptus*) in R. Gud. 1. II. 2. Vind. 2. Marb. et nonnull. edd. vett.: Rehd. Mon. 2. Vind. 1. ed. H. *est adeptus.* Ego cum Kl. revocandam iudicavi vulgatam, quum propter antiquam scripturam *adeptus*t verbum *est* facile excidere potuerit. 3 Sic Or. c. R. Gud. 1. b. aliisque codd. et complurib. edd. vett.: alii *similem.* 4 Nonnull. edd. vett. *habent — cupimus.* Male; v. nos in Gr. L. §. 140 b. c). 5 Sic Or. c R. Gud. 1. b. aliisque codd. et mult. edd. vett.: alii *profecto tunc erimus b.* 6 v. Adn. 7 Sic R. (Tregd.) Gud. 1. II. b. aliique multi; Or. c. vulg. *visendi.* V. Adn. ad: *visere.*

verint. Cf. Sext. Empir. c. Math. IX, 71 sqq.

tanquam paribus examinatus ponderibus „H. e. tanquam ad aequilibrium redactus, materiâ, quae eiusdem est gravitatis specificae, circumfusus." *Neudius.*

§. 44. *facibus*] V. Adnotata ad II. 25, 61.

iis aemulemur *Aemulari* h. l. Cicero cum dativo coniunxit, eo ut videtur consilio, ut hanc aemulationem non ex honesto studio, sed ex perturbatione mentis proficisci significaret. Est igitur. *leidenschaftlich nacheifern.* V. nos in Gr. L. §. 112, 4. p. 199. Cf. infra IV. 8, 17. Fallitur *Fr. Haasius* ad Reisigii Vorles. über Lat. Sprachw. p. 667., quum dicit, *aemulari* h. l. nihil aliud esse, nisi *nacheifern.* Alia res est ap. Quinctil. X. 1, 122 et Iustin. VI, 9., ubi *aemulari* c. dat. iunctum simpliciter significat *nacheifern.*

visere] Hoc verbum nunquam idem significat, quod *videre*, sed semper adiunctam habet notionem aliquid diligenter et accurate inspiciendi, explorandi, examinandi (*besichtigen*). Est enim verbum intensivum, ductum a verbo *videndi.* Sic pro leg. Man. 21, 61: eam quoque rem populus R. non modo *vidit,* sed etiam *omni studio visendam* — putavit. Egregie huius voc. vim propriam illustrat locus, qui infra V. 3, 9. legitur. Cf. *Bremium* ad Corn. Nep. Alcib. VI, 1. p. 113. Uti in hunc quem tractamus locum verbum *visendi* optime videtur quadrare; ita vehementer dubito, num paullo post „*cupidus veri visendi*" apte et e linguae Latinae ratione a *Wolfio* pro vulg. *videndi* repositum sit. Recte quidem dicitur *visere*, *quid verum sit;* sed vix credam, a probis scriptoribus dictum esse *visere verum.* Nuper etiam *Klotzius* in Add. p. 24. nostrae sententiae accessit. Etiam aliis locis *verum videre* dixit Cicero; cf. Off. I. 4, 13. Fin. II. 14, 46: quos locos attulerunt *Rathius* et *Moser.* Cf. *Goerenz.* et *Madvig.* ad Fin. l. d.

inest in mentibus] Sic recte *Or.* aliique cum R. Gud. 1. 2. II. b. aliisque pro vulg. *inest mentibus.* Constructio verbi *inesse* cum dativo apud Ciceronem rarissima est vel adeo dubia. N. D. I. 43, 120. *Heind.*, *Sch.*, *Moser* (in ed. min.) recte ediderunt: censet imagines divi-

caelestium, eo maiorem cognoscendi cupiditatem dabunt. 45. Haec enim pulchritudo etiam in terris patritam [8] illam et avitam (ut ait Theophrastus) philosophiam, cognitionis cupiditate incensam, excitavit. Praecipue vero fruentur ea, qui tum etiam, quum has terras incolentes circumfusi erant caligine, tamen acie mentis dispicere cupiebant.

XX. Etenim si nunc aliquid assequi se putant, qui ostium Ponti viderunt et eas angustias, per quas penetravit ea, quae est nominata Argo, quia Argivi in ea [1],

delecti viri,
Vecti, petebant péllem inauratam árietis;

8 v. Adn. 1 Or. versum a v. *Argivi* incipit, ita: *Argivi* in ea, *del. v. Stürenburg.* comment. d. p. 8. verba: *quae est nom. Argo, quia Argivi in ea* in unum versum coniunxit.

nitate praeditas *inesse in universitate* rerum. V. *Gernhard.* ad Cat. M. II. p. 11. In loco, a *Klotzio* allato: Off. I. 42, 151: „*quibus* autem *artibus* aut prudentia maior *inest*, aut non mediocris utilitas quaeritur, — eae sunt iis, quorum ordini conveniunt, honestae" hac structura usus est Cicero ob concinnitatem membrorum (quibus inest aut quaeritur).

§. 45. *Haec enim pulchritudo*] H. e. harum rerum caelestium pulchritudo. Pronomina enim et demonstrativa et relativa saepe ita se ad sequentia substantiva applicant, ac si in enuntiato antecedenti vel uno nomine vel toto enuntiato notio eius expressa esset, quanquam non est expressa. Pronomen igitur sequenti substantivo applicatum vel eo quasi attractum positum est pro genitivo. *Haec pulchritudo* ita dictum est, ac si iam in antecedenti enuntiatione pulchritudo commemorata esset; nec tamen quicquam aliud dictum est, nisi caussa pulchritudinis. Sic Terent. Andr. I. 1, 72: Omnes laudare fortunas meas. *Hac fama* impulsus Chremes ultro ad me venit (h. e. huius rei fama). Cic. pro Milone XXXVI. §. 108: Nullum unquam, iudices, mihi tantum dolorem inuretis, — ut obliviscar, quanti me semper feceritis. *Quae* si vos cepit *oblivio*, aut si in me aliquid offendetis, cur non id meo potius capite luitur, quam Milonis? pro: *cuius rei* oblivio. V. *Krüger.* Untersuchungen über d. Lat. Spr. III. p. 127 sq. *Ramshorn.* L. Gr. §. 158. p. 553 sq. *Kühner.* L. Gr. §. 145. Not. 16. Cf. *Kritz.* ad Sall. Iug. 54, 6. p. 300 sq. et *Madvig.* ad Fin. V. 15, 42. p. 691 sq.

patritam — excitavit] Sententia: Caelestium rerum pulchritudo caussa fuit, ut maiores, cognitionis cupiditate accensi, animum applicarent ad philosophiam. — Paullo audacius dictum *philosophia cognitionis cupiditate incensa* pro: *ph., quae orta est e cog. cupiditate*, nec tamen ita, ut scriptura a *Neidio*, qui legendum coni. *incensa*, sollicitanda esset. *Klotzius* apte comparat Off. I. 19, 64: *omnem morem* Lacedaemoniorum *inflammatum esse cupiditate vincendi.* — Pro vulg. *patriam* c. M. L. W. Kl. Tr. e Nonio p. 161. Merc. edidi *patritam* (et sic Vind. 205.), *Wolfius* suspicatur in loco Theophrasteo adiectiva πατρῷος καὶ παππῷος scripta fuisse, ut apud Demosthenem. *Orellius* revocavit vulg. *patriam*, quia adiungatur, *ut ait Theophrastus;* Latinus scriptor si laudaretur, ferendum fore; huc accedere, quod ne alibi quidem apud Ciceronem legatur voc. *patritus*, et in Verr. Act. I. 5, 13: *res patria et avita* (adde p. l. Manil. 8, 21: *regno patrio atque avito*) dicatur. Veruntamen quum primum vocabuli *patritus* forma nihil habeat, in quo offendamus, tum auctore Nonio Varro *patrito et avito more* dixerit; denique Nonius ad huius formae auctoritatem stabiliendam hunc ipsum quem tractamus locum attulerit: vix dubium est, quin legendum sit *patritam.* Cf. *Kritzium* in censura saepe iam laudata. In locis allatis e Verr. et p. l. Manil. alia atque in nostro loco videtur esse ratio.

dispicere] Huius verbi vim ea qua solet elegantia enodavit *Ernestius* Clav. Cic. h. v. Significat intendere aciem oculorum ad videndum. Hinc de Fin. IV. 23, 64. de catulis dicitur, quum primum oculos aperiunt et videre conantur, pa-

aut ii, qui Oceani freta illa viderunt,

Europam Libyamque rapax ubi dividit unda:

quod tandem spectaculum fore putamus, quum totam terram contueri licebit eiusque quum situm, formam, circumscriptionem, tum et habitabiles regiones, et rursum omni cultu propter vim frigoris aut caloris vacantes? 46. Nos enim ne nunc quidem oculis cernimus ea, quae videmus. Neque est enim [2] ullus sensus in corpore; sed, (ut non physici solum [3] docent, verum etiam medici, qui ista aperta et patefacta viderunt,) viae quasi quaedam sunt ad oculos, ad aures, ad nares a sede animi perforatae. Itaque saepe aut cogitatione, aut

2 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. 2. aliisque pro vulg. *neque enim est.* V. ad c. 27, 66.
3 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. 2. aliisque pro vulg. *solum phys.*

riterque de infantibus de Fin. V. 15, 41: quum autem dispicere coeperimus et sentire, quid simus.

Cap. XX *aliquid assequi se putant*] *Aliquid* est *quod operae pretium sit.* Infra 21, 49. cum ironia dicitur *praeclarum autem nescio quid adepti sunt.* III. 16, 35: Diceres *aliquid*, et magno quidem philosopho dignum. IV. 20, 46: *nihilne* tibi videntur, an *aliquid* dicere? V. 36, 104: eos *aliquid* putare esse universos. Pari modo Graeci dicunt τί. Plat. Symp. c. I. 4: ὑμᾶς τε τοὺς ἑταίρους ἐλεῶ, ὅτι οἴεσθέ τι ποιεῖν, οὐδὲν ποιοῦντες, h. e. magnum quiddam facere. Cf. *Wyttenbach.* ad Plat. Phaedon. p. 233. Sic Ovid. Trist. I, 2: Est *aliquid.* Sic *aliquis* et τὶς, eximius aliquis, aliquis magna auctoritate, dignitate, divitiis pollens. Theocrit. XI, 79: δηλονότ' ἐν τᾷ γᾷ κτηγών (sc. Cyclops) τις φαίνομαι ἡμεῖς. V. *Viger.* p. 152. ad eumque *Hermann.* p. 731. et *Reynders.* ad Platon. Sympos. p. 5. Quod autem *Wolfius* accuratius Ciceronem locuturum fuisse dicit, si scripsisset *assecutos*, in eo lapsus est. Saepe enim non solum in Latino, sed etiam in Graeco nostroque sermone praesens ita usurpatur, ut significet actionem ex tempore praeterito in praesens pertinere. V. nos in Gr. L. §. 107. Not. 2.

angustias] Scil. Hellespontum et Bosporum Thracium.

delecti viri] Sunt iambici trimetri acatalecti, ex Ennii Medea petiti, nonnihil immutati, qui ad Herennium II, 22. et ap. Priscian. de Metr. Com. p. 1325. ita leguntur:

Argó, qua vecti Argivi, delecti viri,
Petébant illam péllem inauratam árietis.

Expressi sunt autem hi versus ex Euripid. Medea, v. 5: ἀνδρῶν ἀριστέων, οἳ τὸ πάγχρυσον δέρος Πελίᾳ μετῆλθον. Sed Cicero, uti saepius, poetae versus minus ad verbum, quam ad sententiam protulit. De Ennii versibus cf. *H. Planck.* de Ennii Medea, Gotting. 1807. p. 75 sq.

Europam] Idem versus Ennii (Annal. II, 46. p. 51. ed. Sp.) laudantur N. D. III. 10, 24. Intelligitur autem fretum Herculeum s. Gaditanum inter Hispaniam et Africam.

habitabiles regiones — vacantes] Cf. infra c. 28, 69. N. D. I, 10. V. *Moserum* ad C. de Rep. VI. 19. 20. p. 494—497. et quem ad nostrum locum laudat *Vossium* ad Virg. Georg. I, 233. p. 33 sq. *Menkius* in Observv. ined. affert Plat. Theaet. §. 102. p. 184. Xen. Anab. I, 7, 6.

rursum] V. ad c. 17, 40.

§. 46. *cernimus — videmus*] *Cernere* (a Gr. κρίνειν ortum) est rem aliquam eiusque singulas notas perspicere et diiudicare (discernere). Apposite *Billerbeckius* contulit Mil. 29: ut ea *cernimus*, quae *videmus.* Acad. II, 25: ego Cumanam regionem *video*, Pompeianum non *cerno.*

ut non physici solum] *Davisius* in partes vocat Theodoret. Therap. I. p. 15: Κατὰ γὰρ τὸν Ἐπίγαρμον, τὸν Πυθαγόρειον, λέγω· Νοῦς ὁρᾷ καὶ νοῦς ἀκούει· τἆλλα κωφὰ καὶ τυφλά.

aperta et patefacta viderunt] H. e. qui ista corpore aperiendo et secando perscrutati sunt. *Orellius* laudat Celsum praef. L. I.

viae — perforatae] N. D. III. 4, 9: duo lumina ab animo ad oculos perforata. *Menkius* l. d. comp. Synes. de Prov. I, 18. p. 113. C: ἀκοὴ ξυντετρημένη ἐπὶ τὴν καρδίαν. Ad sequentia

aliqua vi morbi impediti apertis atque integris et oculis et auribus nec videmus, nec audimus, ut facile intelligi possit, animum et videre et audire, non eas partes, quae quasi fenestrae sint [4] animi; quibus tamen sentire nihil queat mens, nisi id agat et adsit. Quid? quod eadem mente res dissimillimas comprehendimus, ut colorem, saporem, calorem, odorem, sonum? quae nunquam quinque nuntiis animus cognosceret, nisi ad eum omnia referrentur, et is [5] omnium iudex solus esset. Atque ea profecto tum multo puriora et dilucidiora cernentur, quum, quo natura fert, liber animus pervenerit. 47. Nam nunc quidem, quanquam foramina illa, quae patent ad animum a corpore, callidissimo artificio natura fabricata est, tamen terrenis concretisque corporibus sunt intersaepta quodammodo; quum autem nihil

4 Sic R. Gud. 1. II. aliique; Or. c. vulg. *sunt.* Hic et sequentes coniunctivi ob orationem obliquam. 5 v. Adn.

Moser apposite comparat Plin. H. N. XI, 54. p. 617 sq.: Animo videmus, animo cernimus; oculi, ceu vasa quaedam, visibilem eius partem accipiunt atque transmittunt. Sic magna cogitatio obcaecat, abducto intus visu; sic in morbo comitiali aperti nihil cernunt, animo caligante.

nisi id agat] H. e. nisi animus ad rem attentus sit. Cf. infra c. 38, 91. Sic Terent. Andr. II. 5, 4: *hoc agam*, h. e. ad hoc attendam. Eleganter hanc formulam enucleavit *Ruhnken.* in Dictat. ad Ter. Andr. I. 2, 15: „haec formula, qua qui spectant vel audiunt attento animo esse iubentur, ex veterum sacris manavit. Nam sacerdos, antequam victima immolaretur, clamabat *hoc age*, monens populum, ut huic rei intentus esset," comp. Plutarch. Num. p. 69. et Coriol. p. 225. interpr. ad Suet. Calig. c. 58. Ter. Heaut. III. 2, 4. 7. Similiter usurpatur *id agitur, es handelt sich darum,* ut infra IV. 2, 3: paucis tamen utemur, quoniam non *id agitur* hoc tempore. Porro I. 49, 119: *agamus haec* h. e. studiose tractemus, in haec diligenter incumbamus. Cf. *Klotz.* Quaest. Tull. p. 14. Contra *alias res agere* est non attentum esse.

et is omnium iudex] Pro *et is*, quod R. Gud. 1. II. aliique et nonnullae edd. vett. tuentur, *W.* et *Or.* c. cod. Aug. et plerisque edd. vett. ediderunt *ut idem*, eleganter quidem, nam saepe *idem* pro *is idem* vel *is item* usurpatur, v. *Goerenz.* ad Fin. II, 5. p. 139. et nos in Gr. L. §. 123. 3., sed haec non est idonea caussa, cur optimorum codd. scripturam deseramus. Nonnulli codd. deteriores et ed. P. habent *et idem.*

Cap. XXI. §. 47. *Quamvis copiose*] H. e. *vel copiosissime*, proprie: *tam copiose, quam vis.* Vocabulum *quamvis* positivo vim superlativi addere dici potest, ita tamen, ut haec vis non ad eum, qui loquitur, sed ad eum, cum quo loquare, referatur. V. *Kritzium* ad Sall. Cat. XXIII, 6. Plerumque male per *valde, admodum* explicatur. Interdum etiam flectitur, prout loci ratio flagitat. Sic Cic. Verr. V. 5, 11: expectate facinus *quam vultis improbum.* Cf. *Ramshorn.* Lat. Gr. §. 194. Not. 2. *Kühner.* L. Gr. §. 155. Not. 5. Adde infra III. 30, 73: stultitiam accusare *quamvis copiose* licet. IV. 26, 57: de cuius excellentia multa quidem dici *quamvis fuse lateque* possunt. V. 16, 46: quivis, *quamvis indignus.* Cf. *Bremium* ad Corn. Nep. Datam. IV, 3. ad Cic. Fin. II, 18. p. 182. et *Beier.* ad Off. I. 25, 86. p. 197. Cur autem *Bakius* ad Legg. I. 14, 40. separatis vocabulis legendum censeat *quam vis,* non est idonea caussa. Quod sequitur pronomen *haec* quodammodo redundat; animum quasi intendit ad ea, quae secutura sunt.

§. 48. *philosophorum*] Epicurei intelligendi sunt, quorum disciplinam, ubicunque potuit, graviter reprehendit Cicero atque notavit. V. nos in libro d. *de Cicer. in philos. mer.* p. 78 sq. De eleganti verborum collocatione *nonnullorum insolentiam philosophorum* v. nos in Gr. L. §. 167, 6. Cum maxima vi vo-

erit praeter animum, nulla res obiecta impediet, quo minus percipiat[6], quale quidque sit.

XXI. Quamvis copiose haec diceremus, si res postularet, quam multa, quam varia, quanta spectacula animus in locis caelestibus esset habiturus. 48. Quae quidem cogitans soleo saepe mirari nonnullorum insolentiam philosophorum, qui naturae cognitionem admirantur eiusque inventori et principi gratias exsultantes agunt eumque venerantur ut deum. Liberatos enim se per eum dicunt gravissimis dominis, terrore[1] sempiterno et diurno ac nocturno metu. Quo terrore? quo metu? quae est anus tam delira, quae timeat ista, quae vos videlicet, si physica non didicissetis, timeretis?

6 Cod. Cantabr. *perspiciat*, ut coni. Bentl.: at vulgata optime sese habet.
XXI. 1 v. Adn.

cabulum *philosophorum*, in quo sententiae pondus positum est, reiectum est in clausulam enuntiationis, ut supra 6, 11., ubi v. Adn. Ceterum facile quis quaerat, quonam tanquam vinculo sententiae antecedentes cum eis, quae iam sequuntur, constrictae teneantur. Nimirum superiore disputatione inde a c. 18, 42. Tullius illud demonstrare conatus est, ex accurata et diligenti naturae cognitione animorum immortalitatem colligi posse. Etenim futurum esse, ut animi, quum e corpore excessissent, sublime ferrentur et in caelestibus regionibus naturam sui similem adepti subsisterent. Ad hanc opinionem naturae contemplatione quum aperte adducamur, profecto facere non possumus, quin miremur Epicureorum insolentiam, qui, tametsi naturae cognitione gloriantur eaque ab omni superstitione praeceptisque de statu futuro opinionibus liberatos se dicunt, tamen nihil aliud e naturae studio didicerunt, nisi se, quum tempus mortis venisset, totos esse perituros. Totam hanc de Epicureis digressionem ab hoc loco alienam quodam modo esse vel certe longius arcessitam, negari non potest; sed, quod paullo antea monuimus, Cicero, ubicunque occasio offertur, vana atque inania huius disciplinae decreta carpere et traducere studet.

eiusque inventori — ut deum Illustrando huic loco egregie inservit Lucretius V. 8 sq., ubi Epicurus divinis effertur laudibus:

— *Deus* ille fuit, *Deus*. — —
Qui princeps vitae rationem invenit eam, quae
Nunc appellatur sapientia; quippe per artem
Fluctibus e tantis vitam tantisque tenebris
In tam tranquilla et tam clara luce locavit.

Cfr. Cicero N. D. I. 16, 43.

principi] H. e. quasi τῷ κορυφαίῳ, ut Acad. II. 43, 132: (Zeno) inventor et princeps Stoicorum fuit.

terrore — metu] V. infra IV. 8, 19. Pro *terrore* hic et paullo post *Bentleius* legendum coniecit *errore*, non solum nulla cogente necessitate, sed etiam adversante quodammodo loci sententia, uti ex verbis subsequentibus clare apparet. Laudatur quidem Fin. I. 5, 14. Epicurus, quod maximis *erroribus* animos hominum liberaverit; sed huius loci rationem longe aliam esse ac nostri, verissime observavit *Klotzius*. Neque vero verba *gravissimis dominis* ad v. *errore* convenire videntur.

videlicet] H. e. videre licet, obscurum non est, utique. Uti h. l., sic saepe in sententia cum irrisione quadam dicta ponitur. Infra V. 36, 103: sed apud alios loqui *videlicet* didicerat (Demosthenes), non multum ipse secum. Cf. II. 4, 11. III. 12, 26. Idem cadit in particulas *scilicet*, *nimirum*, *nempe*, *quippe*. V. Indicem his vv. V. *Heindorf*. ad Horat. Sat. I. 10, 1. II. 3, 106. et alibi. *Ramshorn*. L. Gr. §. 172. *Kuhner*. L. Gr. § 133, 2. A) c).

Acherunsia[2] *templa alta Orci, . . . pallida leti, obnubila*[3] *tenebris loca.* Non pudet philosophum in eo gloriari, quod haec non timeat et quod falsa esse cognoverit? E[4] quo intelligi potest, quam acuti natura sint, quoniam[4] haec sine doctrina crediturí fuerunt! 49. Praeclarum autem nescio quid adepti sunt, quod[4] didicerunt, se, quum tempus mortis venisset, totos esse perituros. Quod ut ita sit[5], (nihil enim pugno;) quid habet ista res aut laetabile, aut gloriosum? Nec ta-

2 Sic R. (Tregd.) Gud. 1.; alii *Acheruntia, Acherontia;* Or. c. Vat. El. 2. uno Ox. Gud. 2. *Acherusia.* 3 Edd. vett. pleraeque *obnubila obsita tenebris;* sed voc. *obsita* multi codd., in eisque optimi, ut R. Gud. 1. II. Vat., non agnoscunt; pro *obnubila,* quod etiam confirmatur codice R., qui habet *onubila,* Or. c. multis codd., etiam Gud. 1., edidit *nubila.* Ceterum Or. poëtae verba in tres versus sic distribuit: 1) — *Acherusia t. a. Orci* . . . 2) — — — *pallida leti,* 3) *Nubila t. loca* . . 4 v. Adn. 5 Sic Or. c. plurimis codd. et edd. vett.; pauci deteriores codd. *quod ut sit:* quod recepit nuper Mos., qui comp. Fin. II. 31, 102: *sed ut sit*, et probavit Goer. ad Acad. II. 17, 54. 20, 66.; R. *quod ita sit.* Sed ob seq. *ita* facile *ut* excidere potuit, ut in illis *ita* ob praecedens *ut.* V. ad V. 6, 17.

Acherunsia] Hi versiculi petiti videntur ex Ennii Andromacha. *Lallemand.* e tribus codd. Regiis edidit: alta Orci *salvete infera:* quae ultima verba sine dubio a VV. DD. illata sunt e Varr. L. L. VI. c. 2. Scilicet Cicero sciens praetermisit, quippe quae nihil ad rem suam pertinerent, ut recte monet *Davisius.* Eadem de caussa cum *Klotzio* et *Tregdero* haec poëtae verba sine versuum distinctione scribenda curavi.

templa alta Orci] Lucret. I, 21 sq.: Etsi praeterea tamen esse *Acherusia templa* Ennius aeternis exponit versibus. — *Templum* enim prima ac propria significatione erat certum quoddam caeli spatium ab auguribus lituo descriptum, intra quod augurium agebatur vel alitum volatus observabatur. Deinde hoc nomen de quovis loco inaugurato et sancto ponebatur, ut h. l. de Orco. V. Varronem de L. L. VI. p. 287. Speng. p. 81. Bip. Cf. *Ernestii* Clav. Cic. h. v. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 241. *Moserum* ad h. l. et ad C. de Rep. VI, 15: deus, cuius hoc templum est omne, quod conspicis (sc. caelum). ad Legg. II. 10, 26. Divin. I. 20, 41: caeli caerula templa, et quos ibi *Giesius* laudat, *Ruhnken.* ad Ter. Eun. III. 5, 42. *C. O. Müllerum* Die Etrusker. T. II. p. 124 sqq.

in eo gloriari] H. e. in eo gloriam collocatam habere. *Moser* comparat N. D. III. 36, 87: *in virtute* recte *gloriamur.* Similiter in Catil. II. 9, 20: coloni, qui *se in insperatis repentinisque pecuniis* sumptuosius insolentiusque *iactarunt* (ubi codd. *in* omis. ob seq. *insp.*). Infra III. 11, 25: ut *in eo* rectum videatur esse *angi.*

e quo intelligi potest] Sic *Or.* c. R. Gud. 1. Mon. 2. ed. D. pro vulg. *ex quo.* Forma *ex* ante *q* apud Ciceronem frequentior est; sed utrum haec, an illa forma recipienda sit, diiudicandum est e codd. auctoritate. Sic Fin. II. 5, 15. recte legitur: *e quo efficitur:* ubi v. *Goerenz.* et *Madvig.*, sed infra I. 23, 55. III. 7, 15: *ex quo efficitur.* Cf. I. 24, 57. Recte ab *Orellio* reiicitur discrimen, quod inter praepositionis formas *e* et *ex* apud Ciceronem intercedere solere a viris doctis statuitur (v. *Goerenz.* ad Fin. II. 5, 15. p. 136. et ad Acad. I. 11, 42. et *Ramshorn.* L. Gr. §. 150.), ut altera *e* magis externam separationem notet, altera *ex* aliquid ex alicuius rei interioribus quasi partibus fluere significet.

quoniam haec — crediturí fuerunt] Sic cum *Davisio, Klotzio, Mosero, Tregdero* edidi, auctoritatem secutus optimorum codd. R. (is ap. *Tregd.* habet *quoniam — fuer'*) et Gud. 1. itemque Duisb. et duorum Oxx.; *fuerunt* etiam Marb. Mon. 1. Vind. 2. Gud. 2. Aug. duo alii Oxx. ed. H. habent. *Orellius* cum vulg. edidit *qui — crediturí fuerint*, comp. *Wopkens.* p. 28. ed. Hand. *Garat.* ad Milon. p. 105. Bon. Recte contra *Keilium* in Quaest. Tull. p. XI sq., qui vulgatam propterea tuendam censet, quod credibile non sit, coniunctionem *quoniam* ab aliquo glossatore per *qui* explicatam esse, monet *Klotzius* in Add. p. 26., *qui* pro *quoniam* non e glossemate, sed e compendio huius vocabuli (*qm̃* aut *quō*) perperam lecto ortum esse, ut saepe, comp. *Ed. Wunderi* Varr. Lectt. libror. aliquot M. T. Ciceronis ex cod. Erf. enotat. Lips. 1827. p. LXXVI. p. XCVI sqq., et vero

men mihi sane quicquam occurrit, cur non Pythagorae sit et Platonis vera sententia. Ut enim rationem Plato nullam afferret, (vide, quid homini tribuam;) ipsa auctoritate me frangeret; tot autem rationes attulit, ut velle ceteris, sibi certe persuasisse videatur.

XXII. 50. Sed plurimi contra nituntur animosque quasi capite damnatos morte multant; neque aliud est quicquam, cur incredibilis iis [1] animorum videatur aeternitas, nisi quod nequeunt, qualis

XXII. 1 Sic edd. S. E.; Or. c. vulg. *his*. V. ad c. 3, 5.

h. l. *quoniam* per compendium scriptum fuisse testari cod. Mon. 2., qui *quomodo* exhibet, e scriptura autem *qui* necessario secutam esse scripturam *fuerint*.

§. 49. *Praeclarum autem — adepti sunt*] Particula *autem* continuandi vim habet, et quidem ita, ut interruptam orationem repetat. Cf. ad 18, 42. 33, 80. et *Beier*. ad Offic. I. 4, 11. p. 26. *Bremium* ad Corn. Nep. Attic. V, 4. p. 366. Sententiarum enim ordo hic est: Quae quidem cogitans soleo mirari n. i. ph., qui — venerantur ut deum et praeclarum nescio quid adepti sunt. Verba *Liberatos — crediturí fuerunt* παρενθετικῶς interiecta sunt.

quod didicerunt] Sic Or. c. R. Gud. 1. II. aliisque codd. et nonnull. edd. vett. pro vulg. *qui did*. Quum ii, de quibus h. l. Cicero loquitur, superioribus verbis satis notati sint; non opus est nova expositione per *qui didicerunt* etc., uti recte vidit *Klotzius*, sed apte et cum ironia quadam affertur caussa, cur Epicurei praeclarum quiddam adepti dici possint. Scriptura *qui* orta est e compendio voculae *quod*. V. *Klotz*. ad Lael. II, 9. p. 102.

quod ut ita sit] Si concedamus, quod Epicurei philosophi dicunt, nos, quum tempus mortis venerit, totos esse perituros: nihil est, in quo isti glorientur. Nec tamen illud concedendum est. Nihil est enim, quod nos cogat, ut in hanc discedentes opinionem, nullis fultam rationibus, Pythagorae et Platonis sententiam (sc. *animos immortales esse*), quae firmissimis nititur rationibus, reiiciamus.

occurrit] H. e. animo meo obiicitur. *Moser* comparat de Or. II. 30, 132. 34, 147: omne, quod erit in re, *occurret* atque incidet (ubi v. *incidet* quasi explicat prius *occurret*). de Or. II 24, 103. Acad. II. 8, 25. (ubi plenius dicitur *animo occurrere*). Cum *Wolfio* monemus tirones, ut sibi caveant ab ista recentioribus saepe usurpata locutione: *hoc occurrit in libro aliquo* pro *legitur*. *Wolfii* observationi addit *Orellius*: „Sobald es den Begriff hat: *es tritt mir sehr auffallend oder meiner früheren Ansicht zuwiderlaufend entgegen*, so ist es ganz richtig, coll. de Rep. I, 35: in primo autem genere, quod hoc loco appellatur, *occurrit* nomen quasi patrium regis.“ Immo verbum *occurrendi* plane respondet nostro *entgegenkommen* semperque refertur ad dativum *personae* vel *rei*, quae personae vices sustinet, ut *animo*. Utrum autem ea res, quae dicitur occurrere, sit notabilis, insignis, mira, necne, nihil attinet. Cf. *K. W. Dietricium* in Ephem. discipl. antiq. 1845. p. 44 sq.

vide, quid homini tribuam] Gravius dictum pro *quid ei tribuam*. Cf. II. 27, 65: ut ut captus hominum. V. 21, 61. Fam. I. 2, 3: ita sum cum illo (sc. Pompeio) locutus, ut mihi viderer animum *hominis* (sc. Pompeii) ab omni alia cogitatione ad tuam dignitatem tuendam traducere. Sic *res* pro *id*, ut infra c. 37, 89: Quanquam quid opus est in hoc philosophari, quum *rem* non magno opere philosophia egere videamus? Cf. *Aug. Grotefend*. Comment. zu d. Mater. Lat. Stylub. Exc. XII. *Iordan*. ad or. p. Caecina 7, 19. p. 174 sq.

ipsa auctoritate me frangeret] H. e. me convinceret, a mea sententia in suam adduceret. V. *Ernestii* Clav. Cic. h. v. Locus fere geminus legitur Divin. I. 30, 62: Hunc ergo (sc. Epicurum) antepones Platoni et Socrati? qui ut rationem non redderent, auctoritate tamen hos minutos philosophos vincerent: ubi v. *Moser*. p. 150. De re ipsa cf. ad 17, 40.

videatur] Consulto h. l. post *attulit* Cicero posuit *videatur*, non *videretur*. Bene *Moser*: ut significetur non, quidnam fuerit eius consilium, sed quid allatis rationibus ita effectum sit, ut nobis etiam nunc *videatur* id sibi persuasisse. Ceterum cf. Adnotata in c. 4, 7.

Cap. XXII. §. 50. *quasi capite damnatos*] Iure Romano, si quis morte multandus erat, antea debebat capite damnari, uti bene docet *Wolfius*. Hunc

animus sit vacans corpore, intelligere et cogitatione comprehendere. Quasi vero intelligant, qualis sit in ipso corpore, quae conformatio, quae magnitudo, qui locus; ut, si iam possent in homine *vivo*[2] cerni omnia, quae nunc tecta sunt, casurusne in conspectum videatur animus, an tanta sit eius tenuitas, ut fugiat aciem. 51. Haec reputent isti, qui negant, animum sine corpore se intelligere posse; videbunt, quem in ipso corpore intelligant. Mihi quidem naturam animi intuenti multo difficilior occurrit cogitatio multoque obscurior,

2 v. Adn.

igitur iuris Romani usum Cicero facete h. l. transfert ad animos. *Capite* autem *damnari* dicitur civis Romanus, qui omnibus suis et libertatis et civitatis et familiae iuribus privatur. V. *Freundii* Lex. L. v. *caput*.

Quasi vero intelligant] Salsa ironia. Similiter pro Milone 31, 84. pulcherrime dicit Tullius: Est, est profecto illa vis; neque in his corporibus atque in hac imbecillitate nostra inest quiddam, quod vigeat et sentiat, et non inest in hoc tanto naturae tam praeclaro motu. *Nisi forte* idcirco esse non putant, quia non apparet nec cernitur: proinde quasi nostram ipsam mentem, qua sapimus, qua providemus, qua haec ipsa agimus ac dicimus, videre aut plane, qualis aut ubi sit, sentire possimus. Cf. Xen. Commentar. I. 4, 9. Cyr. VIII. 7, 17. De particulis *quasi vero*, quae in ironicis sententiis locum habent, v. *Beier.* ad Offic. III. 9, 39. p. 248.; *vero* habet vim confirmandi asseverandique, v. I. 11, 24. et *Kritz.* ad Sall. Cat. 52, 16. Sic infra c. 35, 85: *Quasi vero* ista vi quicquam tum potuerit ei melius accidere. c. 38, 92. III. 5, 11. Praeterea observandum est, antecedente tempore praesenti aut futuro *quasi* iungi solere cum coniunctivo praesentis et perfecti, licet agatur de re, quae non est vel fuit. V *Wolfium* ad h. l. et nos in L. Gr. §. 156. Not. 4.

si iam] ut nostrum *wenn schon* pro *wenn auch.* Sic IV. 31, 65. 35, 75. Cf. *Madvig.* ad Fin. IV. 24, 66. p. 589.

vivo] Sic pro vulgato *uno*, quod omnium codd. et edd. veterum auctoritate munitum est, legendum coniecit *Bentleius.* Scripturam vulgatam revocavit *Klotzius* eamque iam prius in Quaest. Tull. Lib. I. p. 88—92. sic fere defendit: Primum enim, non posse de homine cogitari mortuo, sed de eo, in quo insit animus ac vigeat, totus locus ita clara quasi voce loquitur, ut illud *vivo* plane redundare videatur. Tum ut MSStorum et edd. auctoritas collocatioque verborum, qua vocabula *uno* et *omnia* de Ciceronis more sibi opponuntur, ita ipsa sententia necessario videtur efflagitare vocabulum *uno.* Nam si quis vult intelligere, cadatne in conspectum animus, an oculorum aciem fugiat, is debebit omnia, quae nunc tecta sunt, aperta videre idque in homine *uno* (eodemque) unoque quasi obtutu, ut ne minima quidem pars, quo animus ab inspicientis oculis refugere queat, negligatur, atque ut, si ullo modo possit cerni, animus necessario appareat. Haec defensio ut quondam admodum mihi placuit, ita nunc, universo loco denuo accurate examinato, subtilior, quam verior videtur esse. Recte *Bentleius:* „Quorsum quaeso *uno?* Quî minus, si in *pluribus?* — *in hom. vivo:* quippe in homine mortuo iam excessit animus ex corpore neque ibi quaerendus est.“ Neque placet *Moseri* coni.: *in homine una* (= simul) *cerni*, aut: *in h. uno una c.* De vocula *iam* v. ad c. 41, 98.

casurusne in conspectum videatur] Cicero h. l. constructione inchoata excidit. Enuntiationem ita instituit, ac si dicere voluisset: *ita quidem, ut, si iam possent in homine uno cerni omnia, quae nunc tecta sunt, casurus in conspectum videatur animus;* tum vero, orationis forma repente mutata, enuntiationem conclusit per interrogationem directam, ita tamen, ut coniunctivum, quem prior constructio flagitabat, retineret. Cf. V. 27, 76: *ut* (= ita ut), ea qui adeptus sit, *cur* eum beatum modo et non beatissimum etiam *dixerim?* Probare non possum rationem *Ottonis* ad Fin. II. 16, 52. p. 131., qui verba sic construenda censet: ut (i. e. ita ut), si iam possent — cerni omnia, quae nunc tecta sunt, videatur (gesehen werde), casurusne in conspectum (sit) animus, an tanta sit eius ten. cett. *Hottinger* autem *ut* interpretatur: *zum Bei-*

qualis animus in corpore sit, tanquam alienae domui[2], quam qualis, quum exierit et in liberum caelum, quasi domum suam, venerit. Nisi[3] enim, quod nunquam vidimus, id quale sit, intelligere non possumus; certe et deum ipsum et divinum animum, corpore liberatum, cogitatione complecti possumus[4]. Dicaearchus quidem et Aristoxenus, quia difficilis erat animi, quid aut qualis esset, intelligentia, nullum omnino animum esse dixerunt. 52. Est illud quidem vel maximum, animo ipso animum videre; et nimirum hanc habet vim

3 Rehd. et mult. edd. vett. *si* pro *nisi*. 4 Sic Or. c. plurimis codd. et optimis, ut R. Gud. 1. b., pro vulgata *compl. non possumus*, quae repugnat sententiae. V. Adn.

spiel, comp. Part. Or. 19.; alii pro *ut* legendum coni. *at*; *Wesenberg* Em. II. p. 13. c. Lamb. scribendum censet *aut* sc. intelligant (sciant), comparans de *quasi* — *aut* p. Mil. 31, 84. p Quinct. §. 9. et 83. N. D. III. 4, 11. Fin. II. 3, 7. Fam. IX. 6, 3. et de *aut* cum *ut* confuso Tusc. IV. 17, 39 (R. P.) 23, 51. (R. P.) 28, 60. (R.) V. 37, 109. (archet.) At importunum quiddam mihi videtur inesse in sententia: quasi vero intelligant, casurusne in consp. videatur an., an — aciem.

fugiat aciem] Sic saepe *fugere*, φεύγειν, dicitur, ubi ex nostrae linguae consuetudine exspectes *effugere*, ἐκφεύγειν. Hinc: *id me fugit*. V. *Goerenz.* ad Fin. I. 10, 36. *Müller.* et *Ellendt.* ad de Or. III. 25, 99. Cf. infra Adn. in c. 24, 56. Saepe enim veteres scriptores simplicia verba arctiore significatione, quam recentiores linguae compositis verbis exprimere solent, usurpant. Apte *Klotzius* comparat c. 21, 49: nihil enim *pugno*: ubi exspectes *repugno*.

§. 51. *animum sine corpore*] V. ad II. 3, 7.

videbunt] *Kernius*: „mögen sie sehen, wie sie dieselbe im Körper selbst begreifen," quasi dictum sit *viderint*. Rectius sententiam loci intellexit *Orellius*: „haec ubi reputaverint, videbunt certe, se animum in ipso corpore non intelligere." *Videbunt* significat eventum antecedentis enuntiationis; ubi autem post imperativum aut coniunctivum, in quo inest imperativi vis, sequitur futurum, quod notat id, quod inde consequitur, Cicero futurum sine *et* subiicit, inferioris autem aetatis scriptores addunt *et*, uti etiam nos *und* praemittere solemus. Cf. *Madvig* opusc. Acad. altera p. 162., qui comparat Verr. I. 17, 45. II. 23, 57: attendite: iam intelligetis. Adde Tusc. I. 13, 30: tolle hanc opinionem; luctum sustuleris. IV. 24, 53: tracta —; intelliges. 54: remove —; iam videbuntur. Ibid. commove; senties. V. 34, 100: confer —; tum intelliges. pro Sulla 2, 5: recordare —; intelliges: ubi plura contulit *Halmius* p. 56. In imperativo aut coniunctivo inest vis conditionalis enuntiationis. V. ad II. 12, 28: Rogo hoc idem.

domui] Sic c. Klotzio edidi e plurimis optimisque codd., ut R. Gud. 1., et multis edd. vett.; Or. c. vulg. *domi*. De forma *domui* enucleate disputavit *Klotzius* in: Zeitschr. f. Alterthumsw. 1835. p. 737 sqq. Cf. nos in Gr. L. §. 26. Not. 5.

nisi enim — cogitatione complecti possumus] *Nisi enim intelligere non possumus* est: si enim intelligere possumus. Sententiam recte explicavit *Keilius* (Quaest. Tull. p. IX.): Si quicquam est, quod, quum nunquam viderimus, tamen, quale sit, possimus intelligere: certe — cogitatione complecti possumus. Cf. c. 28, 70. Ex hac huius loci interpretatione sponte patet, *Bouherii* particulam negativam post *intelligere* delendam et post *complecti* reponendam censentis opinionem, a *Neidio* probatam, perversam esse existimandam.

Dicaearchus quidem] De Dicaearcho et Aristoxeno v. c. 10, 20. c. 11, 24. c. 18, 41. De particula *quidem* in exemplis afferendis usurpata v. ad c. 48, 116.

nullum — esse] Gravius dictum pro *non esse*. Comparat *Moser* Divin. II. 67, 138: earum rerum, quae *nullae* sunt. de Or. I. 9, 38: rem publicam — iam diu *nullam* haberemus. Cf. nos in Gr. L. §. 109, 5. et §. 133. Not. 11.

§. 52. *nimirum*] Noli mirari, noli dubitare, h. e. certe, utique. Haec particula, nata e *ne* (quod in compositis transit in *ni*, ut in *nihil* et *mirum* scil.

praeceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat. Non enim, credo, id praecipit, ut membra nostra aut staturam figuramve noscamus. Neque nos corpora sumus; nec [5] ego tibi haec dicens corpori tuo dico. Quum igitur: *Nosce te*, dicit, hoc dicit: *Nosce animum tuum*. Nam corpus quidem quasi vas est aut aliquod animi receptaculum; ab animo tuo quicquid agitur, id agitur a te. Hunc igitur nosse nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cuiusdam animi praeceptum tributum deo [6]. 53. Sed si, qualis sit animus, ipse

5 Sic R. Gud. 1. II.; Or. c. vulg. *neque*. 6 R. Gud. 1. II. b. et ed. vet. H. habent *praeceptum tributum a deo sit hoc se ipsum posse cognoscere;* et sic fere, paucis mutatis, reliqui, ut Rehd. *agnoscere*, Duisb. *hoc ipsum se p. c.*, Aug. et Guelf. *hoc sit se i. p. agn.*, Vind. 2. *a deo trib. sit h. s. i. p agn.*, Cantabr. *a d. hoc s. i. cognoscere*, codd. Lall. om. *sit hoc*, Gud. 2. *a deo scilicet hoc* etc., Petr. *a deo scilicet se i. p. c.;* Norvic. unus *tributum deo scilicet hoc est s. i. p. c.;* Colon. *tributum deo sit hoc ipsum se p. c.;* Or. c. M. D. W. edidit *tributum deo sit*, deletis reliquis, nunc tamen probat additamentum, existimans, sine eo verborum comprehensionem nimis abruptam esse: Mos. *animi praeceptum*, *tributum ut deo sit.* [*hoc* (*est,*) *se ipsum* (*posse*) *c.;* (verba *sic ut* omisit c. trib. Oxx.;) Tr. post *praeceptum* notam corrupt. addidit. V. Adn.

sit, explicationem significat, quam quis ab altero *sine admiratione* concedi vult; hinc praecipue in sententiis cum ironia prolatis usurpatur. V. nos in Gr. L. §. 133, 2. A) c). Comparari potest comicorum *mirum ni* (Ter. Andr. III. 4, 19.). Infra c. 35, 86. ubi v. Adnot. c. 48, 116. III. 14, 30: et nimirum haec est illa praestans et divina sapientia: ubi v. Adn. III. 30, 74. 33, 79. V. 24, 69. Cf. *Beier.* ad Offic. II. 20, 71. p. 136. et supra ad 21, 48.

praeceptum Apollinis] Legg. I. 22, 58: ubi cf. *Turneb.* p. 593. Cr. Cf. Fin. V. 16, 44. Infra V. 25, 70. Plura dedimus in libro *de Cic. in phil. meritis* p. 211.

non enim, credo] *Credo, opinor, puto, spero, reor,* orationi ita inserta, ut nullam in enuntiationis structuram habeant vim, saepe habent vim ironiae. V. *Ruhnken.* in Terent. Andr. II. 1, 13. *Otton.* ad Fin. p. 10. *Wopkens.* Lectt. Tull. II, 2. p. 177. ed. Hand. *Kühner.* L. Gr. §. 129, 7. Infra c. 36, 87. et c. 38, 92. *opinor;* c. 39, 94. *reor;* c. 44, 105. *credo.* III. 17, 37. 21, 50. Interdum etiam praeposita verba illa reperiuntur. V. *Kritz.* ad Sall. Cat. LII, 13. p. 269. De Graecorum οἶμαι v. *Monk.* ad Eurip. Alcest. v. 363. et nos in Gramm. Gr. T. I. §. 192. p. 199., quosque ibi laudavimus viros doctos.

neque nos corpora sumus] Somn. Scip. 8. (de Rep. VI, 24.): Sic habeto, non esse te mortalem, sed corpus hoc; nec enim tu is es, quem forma ista declarat, sed mens cuiusque is est quisque, non ea figura, quae digito demonstrari potest: ubi v. *Moser.* p. 503.

quum igitur] Haec petita sunt e Platonis Alcib. I. p. 131. A: ψυχὴν ἄρα ἡμᾶς κελεύει γνωρίσαι ὁ ἐπιτάττων γνῶναι ἑαυτόν.

hunc igitur nosse] V. Plat. l. d. p. 129. A. Sententia est haec: Nisi cognitio sui divina (i. e. res maxima) esset, hoc praeceptum, *nosce te*, datum ab homine acrioris ingenii („uno aliquo septem sapientium, cf. Fin. III. 22, 73. Pausan. X. 24, 1. Plut. de Εἰ ap. Delph. 2, 17., sive Thaletis sive Chilonis, cf. Diog. L. Thales, Auson. Ludus VII. Sap., Ludius n. 1—3. Chilon n. 8—9.“ *Wesenb.* Emend. I. p. 2.) tributum non esset ipsi deo.

esset — esset] Infra II. 5, 12: nonne verendum *est* igitur, si *est* ita, ut dicis. 21, 47: si nihil *esset* aliud, nihil *esset* homine deformius. III. 15, 32: qui censet, necesse *esse* omnes in aegritudine *esse*. Fin. II. 19: Quod quidem eius factum nisi *esset* iure laudatum, non *esset* imitatus filius. Talem eiusdem post brevem verborum intercapedinem vocabuli repetitionem non raro vel elegantissimi veterum scriptores sibi indulsesunt. V. Adnotata nostra in III. 13, 28: *ita visum sit, ut — videatur. Kritz.* ad Sall. Cat. IX, 4. et LII, 23. p. 273. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 33. *Wopkens.* Lectt. Tull. I, 4. p. 26. H. et Indicem nostrum II. v. *Repetitio.* Saepe in hac ipsa repetitione magna vis posita est. V. ad c. 23, 54: neque nata certe *est* et aeterna *est.*

animus nesciet[7]; dic, quaeso, ne esse quidem se sciet? ne moveri quidem se? ex quo illa ratio nata est Platonis, quae a Socrate est in Phaedro explicata, a me autem posita est in sexto libro de Re publica:

XXIII. „Quod semper movetur, aeternum est; quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitatur alicunde[1], quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. Solum igitur, quod se ipsum movet, quia nunquam deseritur a se, nunquam ne moveri

7 Sic R. Gud. 1. II. 2. aliique codd. et nonnull. edd. vett.; Or. c. vulg. *nesciat.*
XXIII. 1 v. Ad.

praeceptum tributum deo] Sic edidi auctore *Wesenbergio* in Emendatt. I. p. 2. Ad hanc scripturam aperte ducunt hi ipsius Tullii loci: Fin. V. 16, 44: Quod praeceptum quia maius erat, quam ut ab homine videretur [ortum], idcirco *assignatum est deo.* et Legg. I. 22, 58: Haec enim (philosophia) una nos quum ceteras res omnes, tum, quod est difficillimum, docuit, ut nosmet ipsos nosceremus: cuius praecepti tanta vis, tanta sententia est, ut ea non homini cuipiam, sed *Delphico deo tribueretur.* Ex his locis apparet pro *a deo,* quod omnes fere codd. occupavit (v. V. Scr.), legendum esse *deo,* ut est in duobus libris (v. V. Scr.). Quod autem in omnibus fere optimisque codd. *a deo* legitur, id ex eo factum censet *Keilius* l. d. p. XII., quod librarii verba *tributum deo* non recte intellexissent nec praeceptum aliquod ab hominibus deo tribui posse putassent; *Wesenb.* illud *a* in archetypo ex *m* geminatis natum censet, ut I. 32, 78. IV. 16, 36. 31, 66. *animis* pro *nimis* legitur; quae autem in codd. sequuntur verba: *sit hoc se ipsum posse cognoscere,* pro glossemate habenda sunt. In verbis *sit hoc* latere *sc. hoc,* acute vidit idem *Wesenb.*, qui cum huius loci glossemate comparavit V. 9, 24., ubi verba *id est genus tormenti apud Graecos* inepte importata sunt, et ad huius loci formam sententiae verborumque collocationem illustrandam simillimum locum attulit de Rep. III. 8, 13: *nam si esset, — essent iusta et iniusta eadem omnibus.* Quam autem *Keilius* l. d. protulit coniecturam: *non esset hoc acr. c. a. praeceptum tributum deo: scilicet hoc est se ipsum posse agnoscere,* ea mihi non probatur. Nam verba *scilicet hoc est* a grammatico aliquo cadentis latinitatis proficisci potuerunt, a Cicerone non item. Omnino totum illud additamentum: *hoc s. i. p. c.* tam ieiunum atque inficetum mihi videtur esse tamque aperte glossatoris manum prodere, ut id Ciceronianum esse persuadere mihi non possim. Neque vero mirae codicum (v. V. Scr.) in his verbis turbae non satis testantur glossatorum malam sedulitatem. *Klotzius* quidem codicum scripturam: *sic ut tributum a deo sit hoc se ipsum p. cogn.* tuendam censet eamque sic interpretatur: *so dass diese Fähigkeit sich selbst kennen zu lernen von Gott gegeben zu sein scheint.* At verissime docet *Keilius* l. d. in hac scriptura hanc inesse sententiam ineptissimam: animum nosse nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cuiusdam animi praeceptum, sic ut *divinum illud sit.*

§. 53. *in Phaedro*] p. 245, C — E. Cf. Cic. de Rep. VI, 25. de Sen. XXI, 78. N. D. II. 12, 32. Ciceronis interpretationem cum Platonis verbis comparavit Muretus V. L. VIII, 3. Ceterum haec Platonis ratio accurate ab Aristotele refutata est, uti recte monet *Bouhierius.* Quod enim Plato de animo dicit, id soli deo convenit.

Cap. XXIII. *quodque agitatur alicunde*] Sic c. Kl. Mos. Tr. e R. Gud. 1. II. 2. aliisque codd. et nonnull. edd. vett. scripsi pro vulg. *aliunde.* Pari modo fluctuantur codd. de Rep. VI. 25, 27: ibi eadem verba leguntur. Aliis quoque locis haec duo vocabula in codd. confunduntur. V. *Wesenb.* Em. II. p. 14 sq., qui scribendum censet *alicunde,* neque, quia Platonis ἄλλο κινοῦν Ciceroni sit: *quod motum affert alicui,* idcirco necessе esse putat etiam ex ὑπ' ἄλλου fieri *alicunde;* rationis enim vim in duorum motuum, *externi* (*alieni*) et *interioris* (*sui*), inter se oppositione omnem inesse (v. §. 54. N. D. II. 12, 32.). Sic §. 54. Plat. μηδ' ἐξ ἑνός — ἔκ του — ἔκ του Ciceronem vertisse: nulla ex re *alia — aliunde — ab alio.*

ne moveri quidem] II. e., uti no-

quidem desinit, quin etiam ceteris, quae moventur, hic fons, hoc principium est movendi. 54. Principio autem nulla est origo. Nam e principio oriuntur omnia, ipsum autem nulla ex re alia nasci potest; nec enim esset id principium, quod gigneretur aliunde. Quod si nunquam oritur, ne [1] occidit quidem unquam. Nam principium exstinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se [2] aliud creabit, siquidem necesse est a principio oriri omnia. Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur; id autem nec nasci potest, nec mori; vel concidat omne caelum, omnisque natura [3] consistat necesse est, nec vim ullam nanciscatur, qua a primo [3] impulsa moveatur. Quum pateat igitur, aeternum id esse, quod se ipsum moveat; quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est

2 Sic Or. c. codd. Bentl. Gud. 2. Duisb. Aug. Vind. 1. codd. Somnii Scip. pro vulg. *a se*; *e se* unus Ox.; *de se* duo Oxx. Mon. 2. Rehd. ed. H.; *nec se* R. Gud. 1. duo Oxx. Plato l. d.: οὔτε ἄλλο ἐξ ἐκείνης γενήσεται. 3 v. Adn.

strates dicere solent, *etiam non*. V. ad 6, 11.

principium movendi] Τοῦτο πηγὴ καὶ ἀρχὴ κινήσεως, Plat. l. d. Multi, ut *Ochsner* Ecl. Cic. p. 265. *Bremius* ad Corn. Nep. Attic. IX, 2. p. 374. *Ramshorn*. Lat. Gr. §. 169. Not. 5., alii docent, gerundium non solum activam, sed etiam *passivam* vim habere. At errant VV. DD. Nunquam enim gerundium passiva significatione poni potest; subiectum, a quo actio proficiscitur, non expressum est, sed audienti legentive mente supplendum relinquitur. Nostro loco activa vis sponte patet: *etiam ceteris, quae moventur, hic fons, hoc principium est movendi* est *hic f., hoc pr. est, quod ceteris, quae moventur, motum affert*. Infra c. 28, 69: multitudinem pecudum *ad vescendum* i. e. mult. pec., nobis datam, ut *iis vesceremur*. N. D. I, 22: *deliberandi* sibi unum diem postulavit i. e. unum diem, quo deliberaret. Sic nos: ich schicke dir das Buch *zu lesen* i. e. dass du es lesest, et Graeci, ut ἄξιος θαυμάσαι i. e. ὥςτε ἡμᾶς αὐτὸν θαυμάσαι. Plat. Phaedon. p. 92. D: ὑπόθεσις ἀξία ἀποδέξασθαι; sic θαῦμα ἰδέσθαι. Enucleate illum Latini gerundii usum exposuit *Kritzius* in censura illa saepius iam laudata p. 907 sqq. et ad Sall. Iug. LXII, 8. p. 333 sqq. Cf. nos in Gr. L. §. 131. Not. 3. Quod autem Cicero de Sen. 21, 78. dicit: „quumque semper agitetur animus nec principium *motus* habeat, quia se ipse moveat, ne finem quidem habiturum esse *motus*, quia nunquam se ipse sit relicturus;" ex eo nihil contra eam quam proposuimus rationem concludi potest. Nam substantivum verbale *motus* et activam, et passivam vim habet. Quam autem *Madvigius* ad Fin. I. 20, 69. p. 130. ad eiusmodi gerundia explicanda ingressus est viam, ea mihi quidem nullo modo probatur.

§. 54. *ne occidit quidem*] Sic praestantissimus R. ap. *Wes*. Em. III. Praef. pro vulgari scriptura: *nec occidit quidem*, quae est contra constantem veterum scriptorum usum. Nuper enim *Madvigius* in Exc. III. ad Fin. p. 822 sqq. satis probabiliter demonstravit, veteres scriptores particularum *nec — quidem* iunctura prorsus abstinuisse, sive eae pro *et ne — quidem* acciperentur, ut *nec* copulandi vim haberet, sive pro *etiam ne — quidem*, ut *nec* gradationem significaret. Infra II. 13, 30. legitur in paucis deterioribus codd. *nec* malum *quidem*. ib. 31. Gud. II. et Rehd. exhibent: sine qua *nec* intelligi *quidem* ulla virtus potest. III. 10, 21. unus Ox. et Rehd.: ergo *nec* misereri *quidem*. IV. 38, 84. Gud. II.: sed *nec* sani *quidem*.

natura consistat] Hanc omnium codd. et edd. vett. scripturam *Orellius* recte restituit pro coniectura *terra cons.*, quae fluxit e corrupta apud Platonem scriptura γῆν pro γένεσιν, quod e codd. reduxit *Bekker*. Platonicus igitur locus (Phaedr. p. 245. E.) nunc sic legitur: οὕτω δὴ κινήσεως μὲν ἀρχὴ τὸ αὐτὸ αὑτὸ κινοῦν· τοῦτο δὲ οὔτ' ἀπόλλυσθαι οὔτε γίγνεσθαι δυνατόν, ἢ πάντα τε οὐρανὸν πᾶσάν τε γένεσιν συμπεσοῦσαν στῆναι κ. τ. λ. Οὐρανός, *coelum*, est rerum universitas, γέ-

enim omne, quod pulsu agitatur externo; quod autem est animal[4], id motu cietur interiore et suo. Nam haec est propria natura animi atque vis: quae si est una ex omnibus, quae se ipsa[5] semper moveat, neque nata certe est et aeterna est." 55. Licet concurrant omnes plebeii[6] philosophi, (sic enim ii, qui a Platone et Socrate et ab ea familia dissident, appellandi videntur:) non modo nihil unquam tam eleganter explicabunt, sed ne hoc quidem ipsum quam subtiliter conclusum sit, intelligent. Sentit igitur animus se moveri: quod quum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri, nec accidere posse, ut ipse unquam a se deseratur. Ex quo efficitur aeternitas; nisi quid habes ad haec. *A.* Ego vero facile sum passus[7], ne in mentem quidem mihi aliquid contra venire; ita isti faveo sententiae.

4 Frustra Or. c. Somn. Scip. auctore Beiero ad Off. I, 8. p. 58 edidit: *quod autem an. est.* 5 Sic Or. praeeunte Bentleio c. Marb. et ut vdtr. Oxx. itemque D. pro vulg. *se ipsam.* V. ad 30, 73. Quod sequitur *semper*, uncis includendum censet *Wes.* I. p. 3., quum et ap. Plat. et ap. Cic. de Rep. II. dd. non legatur; ex §. 53: *quod semper movetur* male repetitum ei videtur. Quo deleto, facile intelligitur, quo modo perversa scriptura *se ipsam moveat* oriri potuerit. 6 Sic R. Gud. 1. II. 2. aliique codd.; Or. c. vulg. *pleb. omnes.* 7 v. Adn.

νεσις autem, *natura*, generatio, qua, quaecunque illa continentur, oriuntur atque nascuntur, quaeque opposita est τῷ στῆναι, uti interpretatur *Stallbaumius.* Sic nobis: *Schöpfung* pro: *das Geschaffene*, πάντα τὰ γιγνόμενα. Sed paullo post: *hanc naturam* significat *Beschaffenheit.*

qua a primo impulsa moveatur] Verba Graeca ap. Plat. Phaedr. p. 245. C.: καὶ μήποτε αὖτις ἔχειν, ὅθεν κινηθέντα γενήσεται Cicero libere vertit, singula verba non premens, sed sententiam potius secutus. Ceterum *a primo* Orellius c. Rehd. Duisb. et aliquot libris ap. Macrob. Somn. Scip. edidit pro vulg. *qua primo impulsu*: *a primo* dicitur pro primitus, a principio. V. *Madvigium* ad Fin. III. 9, 32. p. 431. *Klotzius* in Add. p. 28. e R. Gud. 1. Vat. b. aliisque codd. et nonnull. edd. vett. scribendum censet *qua primo impulsu*; sed illud *a* facillime ab antecedenti *a* absorberi potuit. Vid. V. Scr. II. 1, 4. extr. IV. 21, 47. V. 25, 70. Cf. *Wesenb.* Em. III. p. 28.

quae si est una ex omnibus] H. e. si ex omnibus una animi natura hanc habet vim, ut se ipsa semper moveat.

neque nata certe est et aeterna est] De *neque — et* v. Adnotata in c. 4, 7. Verbum *est* paucorum intervallo verborum iteratum ἔμφασιν quandam habet; in primis hac repetitione utitur Cicero, ubi contraria orationis membra maiore vi efferre vult. III. 27, 64: ubi v. V. Scr. 30, 74. V. 1, 2. princ. et paullo post: famula fortunae *est*, nec tantarum virium *est*. c. 7, 18: mathematicorum iste mos *est*, non *est* philosophorum. Off. I. 19, 62: non modo enim id virtutis non *est*, sed *est* potius immanitatis. Tusc. IV. 22, 50: vide, ne fortitudo minime *sit* rabiosa, *sit*que iracundia tota levitatis.

§. 55. *tam eleganter*] H. e. subtiliter et acute et cum delectu quodam (*mit logischer Feinheit*). Sic Fin. II. 9, 26: in hac divisione *elegantiam* desidero. Hinc *elegantia* disserendi II. 2, 6. Fin. II. 9, 27: (Epicurus) contemnit disserendi *elegantiam*, confuse loquitur (*die wissenschaftliche Ordnung u. logische Richtigkeit der Erörterung*, uti commode vertit *Naegelsbach* L. Stylist. p. 18.). Accurate horum verborum vim enucleavit *Ernestius* Clav. Cic. hh. vv. *Elegans* dicitur is, qui *eligere* scit, qui accuratum ac diligentem rerum delectum habet. Sic Terent. Eun. III. 5, 18: *elegans* formarum spectator. V. *Ruhnken.* in Terent. Eun. III. 1, 18. et *Scheller.* Praecept. Stili Lat. T. I. p. 10.

nisi quid habes ad haec] Fin. I. 8, 28: Sed ad haec, nisi molestum est, habeo quae velim: ubi cf. *Madvig.* p. 61.

Ego vero facile sum passus] D. Kl. Tr. c. R. Gud. 1. Duisb. Marb. Mon. 1. 2. trib. Oxx. codd. Bentl. Med. Ball. ediderunt *sim passus*, coniunctivum perfecti deponentis *passus sim* eadem vi dictum rati, qua coniunctivus perf. act., uti *concesserim*, frequentissime usurpatur.

XXIV. 56. *M.* Quid? illa tandem num leviora censes, quae declarant inesse in animis hominum divina quaedam? quae si cernerem quemadmodum nasci possent, etiam, quemadmodum interirent, viderem. Nam sanguinem, bilem, pituitam, ossa, nervos, venas, omnem denique membrorum et totius corporis figuram videor posse dicere, unde concreta et quo modo facta sint; animum[1] ipsum, si nihil esset in eo, nisi id, ut per eum viveremus, tam naturâ putarem hominis vitam sustentari, quam vitis, quam arboris; haec enim etiam dicimus vivere. Item si nihil haberet animus hominis, nisi ut appeteret aut fugeret[1], id quoque esset ei commune cum bestiis. 57. Ha-

XXIV. 1 v. Adn.

Ego c. W. Or. Mos. retinendum putavi *sum passus*, quod reliqui codd. et omnes (praeter D.) edd. vett. exhibent, primum quod ille dubitativus usus perfecti (*concesserim*) sententiae huius loci repugnare videtur; nam auditor non dubitanter respondet, sed asseveranter potius affirmat, se ad Platonica verba non modo nihil habere quod dicat, sed gratum etiam sibi fuisse, quod, quum ea audiret, ne in mentem quidem sibi aliquid contra veniret. Verba: *ita isti faveo sententiae* auditoris mentem tam simpliciter tamque aperte declarant, ut, quomodo cum dubitativo illo coniunctivo conciliari possint, difficile sit ad intelligendum. Altera caussa, cur scripturam *sim passus* reiiciendam censeam, in eo posita est, quod hic usus dubitativus coniunctivi perfecti pass. aut deponentis nusquam alibi apud Ciceronem reperitur. V. nos in Gr. L. §. 108, 5, a). E Terent. quidem *Klotzius* in Praef. p. VIII. excitavit Andr. I. 2, 32: Ubivis facilius *passus sim* quam in hac re me deludier; adde quos *Madvigius* in Opuscc. academ. alt. Hauniae 1842. p. 109. attulit locos: Vell. Paterc. I, 18: neque ego hoc magis *miratus sim*. Liv. 22, 59: ne illi quidem . . se nobis merito praetulerint *gloriatique sint*. 30, 14: *gloriatus fuerim*. Sed quem e Cicerone *Klotzius* in Add. p. 28. protulit locum: Brut. 5, 18., eo nihil potest probari, quum ibi e codd. *ausim* pro *ausus sim* legendum sit. De confusione verborum *sum* et *sim*, *sunt* et *sint*, *sumus* et *simus* cf. ad III. 3, 5. IV. 23, 51. V. 10, 30. 27, 76. 41, 121. Nuper etiam *Wessenberg*. Em. II. p. 15. defendit *sum passus*.

Cap. XXIV. §. 56. *Quid? illa tandem num* etc.] Sic recte Or. verba distinxit. Vulgo: *Quid illa tandem? num* etc. Sic infra c. 25, 61: Quid? illa vis quae tandem est? Divin. I, 27: Quid? illa duo somnia ... quis tandem potest contemnere? Acad. II. 27, 68: Quid? hoc nonne videtur contra te valere. Cf. *Goerenzium* ad Fin. II. 22, 74. *Seyffert.* ad Lael. 7, 25. p. 168. *Iordan.* ad or. p. Caecin. 17, 49. p. 217 sq. Alia ratio fuit supra c. 14, 32: *Quid illud? num* dubitas, quin etc.

sanguinem, bilem — videor posse dicere, unde concreta sint] Est constructio, attractionis nomine nota, qua subiectum enuntiationis secundariae fit obiectum enuntiationis primariae, uti h. l. pro: *sanguis, bilis — videor posse dicere unde concreta sint.* Haec constructio frequentissima est apud Plautum et Terentium, apud posterioris aetatis scriptores rarior est. Verba autem, in quibus id attractionis genus usurpari solet, imprimis sunt ea, quae *intelligendi, dicendi, optandi, metuendi* notationem habent. Cicer. N. D. I, 26: *Istud* quasi *corpus* et quasi *sanguinem*, quid sit, intelligis? ubi multus est *Davisius* in hoc usu exemplis e Latinis et Graecis scriptoribus petitis illustrando. Fam. VIII. 10, 3: Nosti *Marcellum*, quam tardus sit. Thucyd. VII, 76: τοὺς μέλλοντας ἀπ' αὐτῶν λόγους (δείσαντες) μὴ ὑμᾶς πείσωσιν. Doctissime subtilissimeque hunc et Graecae et Latinae grammaticae locum persecutus est et illustravit *Krüger* in: *Untersuch. über d. Lat. Sprachl.* III. Heft §. 58—74. p. 133—179. Cf. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 42 sq. *Kühner.* L. Gr. §. 164, 1.

animum ipsum] Sic Or. c. D., sicut legitur in omnibus ut videtur codicibus pro vulg. *per animum ipsum*; at praepositio *per* sine dubio a glossatore addita est ad accusativum explicandum. *Ramshorn.* Lat. Gr. §. 132. Not. hunc accusativum pro absoluto habitum ex-

bet primum memoriam, et eam infinitam rerum innumerabilium: quam quidem Plato recordationem esse vult vitae superioris. Nam in illo libro, qui inscribitur *Μένων* [1], pusionem quendam Socrates interrogat quaedam geometrica de dimensione quadrati. Ad ea sic ille respondet, ut puer; et tamen ita faciles interrogationes sunt, ut gradatim respondens eodem perveniat, quo si [2] geometrica didicisset. Ex quo effici vult Socrates, ut discere nihil aliud sit, nisi recordari. Quem locum multo etiam accuratius explicat in eo sermone, quem habuit eo ipse die, quo excessit e vita; docet enim, quemvis, qui

2 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. 2. Rehd. Guelf. quatt. Oxx. edd. vett. H. et Car. Steph. marg. Goth. HWolf. D. Lall. pro vulg. *quasi*. Cf. IV. 36, 77.

plicat: *quod attinet ad*. Ego vero, nostro loco accuratius examinato, ad eam magis inclino sententiam, ut hunc accusativum antecedentis enuntiationis conformatione quasi attractum et ad eam conformatum esse putem. Exempla a *Davisio* e Latinis scriptoribus ad *absoluti accusativi* usum illustrandum collecta a re longe sunt alienissima. Eadem attractionis ratio statuenda videtur infra II. 16, 37: *Militiam vero*, ubi v. Adnotata, et Odyss. α. 275. μητέρα δ', εἴ οἱ ϑυμὸς ἐφορμᾶται γαμέεσϑαι, ἄψ ἴτω εἰς μέγαρον: ubi accusativus μητέρα quasi attrahitur antecedentis versus constructione: μνηστῆρας μὲν ἐπὶ σφέτερα σκίδνασϑαι ἄνωχϑι. Cf. nos in Gr. Gr. T. II. §. 566, 1.

haec enim] V. Adnotata in III. 4, 7. De verbo *vivere* cf. Fin. V, 14: Earum enim rerum quas terra gignit educatio quaedam et perfectio est, non dissimilis animantium: itaque et *vivere* vitem et mori dicimus, arboremque et novellam et vetulam, et vigere et senescere.

fugeret] Sic legunt omnes fere codd., etiam R. Gud. 1.; edd. contra vett. fere omnes *refugeret*. Quum agitur de universa illa animi facultate, qua alias res appetimus, alias aversamur, verbum simplex *fugere* locum habere solet; quum autem graviora mala, quae evitare studemus, commemorantur, verbum compositum *refugere* poni solet. Cf. Fin. V, 10: *appetenda — fugienda, fugere — appetere*. N. D. III, 13: omne animal *appetit* quaedam et *fugit* a quibusdam. Contra N. D. II, 47. ut a pestiferis et nocentibus *refugere* dicuntur. Sed de eadem re saepius et simplex et compositum dici posse, per se patet. Cf. Adnotata in c. 22, 50. N. D. III, 13: omne animal appetit quaedam et *fugit* a quibusdam: quod autem *refugit*, id contra naturam est, et Fin. I, 12: appetendi et *refugiendi* initia. De re *Menkius* in Observv. ined. comp. N. D. II. 12, 34.

§. 57. *Habet primum*] His respondent 25, 61: Quid? *illa vis* etc. V. ad IV. 35, 74.

libro] *Liber* est quodcunque vel minimi ambitus scriptum. V. *Bremium* ad Corn. Nep. Lysand. IV, 2. p. 96.

Μένων] p. 82 sq. Μένων scripsi c. Kl. et Tr., ut est in ed. praestantissima P. Eodem ducit Mon. 1., in quo est Μερνων (i. e. Μένων) et scriptura omnium fere codd., etiam optimorum, ut R. Gud. 1., et edd. vett. *Menon*. Constat enim, nomina Graecis litteris scripta saepe a librariis Latinis litteris scripta esse, uti supra c. 12, 18. optimi codd. recte exhibent Λευκοϑέα, quum alii deteriores habeant *Leucothea;* idque h. l. eo probabilius est, quod vix dubium est, quin, si Cicero hoc nomen Latine proferre voluisset, id Latina forma *Meno*, uti L. W. Or. ediderunt, scripturus fuerit. Rarissime enim in eiusmodi Graecis nominibus Cicero Graecam terminationem retinet, uti ad c. 47, 113. docebimus.

geometrica] Cf. quod recte restituit *Madvigius* Fin. I. 6, 20: *geometrica* discere: sed paullo post: homini erudito in *geometria*que perfecto. V. 25, 63: *musicorum* (neutro genere dictum) vero perstudiosum de Or. I. 42, 187: in *musicis* numeri et voces et modi; in geometria lineamenta —; in *grammaticis* etc.

nisi recordari] V. Plat. Men. p. 81. Phaedr. p. 249. C sqq. Cic. de Sen. 21, 78. et quem *Moser* laudat, *Heusdium* in Initiis Philos. Platon. Vol. II. 1. p. 29 sq. ib. 3. p. 202.

in eo sermone] in Phaedone p. 72. E. et 73.

omnium rerum rudis esse videatur, bene interroganti respondentem declarare, se non tum illa discere, sed reminiscendo recognoscere [3]; nec vero fieri ullo modo posse, ut a pueris tot rerum atque tantarum insitas et quasi consignatas in animis notiones, quas ἐννοίας vocant [3], haberemus, nisi animus, antequam in corpus intravisset, in rerum cognitione viguisset. 58. Quumque nihil esset, ut omnibus locis a Platone disseritur: (nihil enim [4] putat esse, quod oriatur et intereat, idque solum esse, quod semper tale sit, quale [5] ἰδέαν appellat ille,

3 V. Adn. 4 Sic recte Kl. Mos. Tr. c. R. trib. Oxx. Vind. 1. et nonnull. edd. vett.; Or. c. vulg. *nihil enim ille p.; ille* a glossatore additum esse, vel ex eo apparet, quod Rehd. et Mon. 2. habent *putat ille.* 5 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. 2. b. aliisque pro vulg. *qualem:* quod iniuria probat *Bakius* ad Legg. I. 7, 22. V. ad IV. 10, 23. Ern. susp. *quam ideam.* Cf. Adn.

reminiscendo recognoscere] Tr. ex Gud. collatoris de R. silentio, 2 Oxx., ed. Ven., Erasm. edidit *rem. cognoscere,* i. e. idem, quod §. 58: tum agnoscit illa reminiscendo. Nam *recognoscere*, inquit ille in Praef. p. XVII., semper est *recensere*, ut ex eis locis omnibus recte intellectis apparet, quos *Freundius* in lex. alterius significationis firmandae caussa attulit. Apud Cassium tamen (Cic. Fam. XII. 12, 1.) pro *amorē recognovi* legendum censet *amorem cognovi. Tregderi* ratio probatur *Klotzio* in Add. p. VIII., mihi non item. Nam licet Cicero verbum *recognoscendi* significatione *recensendi* aliis locis usurpaverit; tamen nihil obstat, quominus in hac de Platonica recordatione doctrina huic verbo eam vim tribuerit, quae, si illius originationem spectamus, eius propria est. Quo autem rarior est haec huius verbi significatio, eo facilius id a librariis in verbum *cognoscendi* mutari potuit. Nuper etiam *Wessenbergius* Em. II. p. 16. contra Tr. exortus primum monet, e Bergeri, Bentleii, Davisii, Krarupii de cod. R. silentio apparere, in eo legi *recognoscere;* dein verbum *recognoscendi* non semper habere vim *recensendi* demonstrat, sed nonnunquam etiam *agnoscere,* comp. Verr. I. 12, 32. Att. VIII, 11. E. Ovid. Fast. IV, 418.

notiones, quas ἐννοίας vocant] Sc. philosophi Graeci. Unus Ox. *vocat* (sc. Plato); edd. E. S. *vocant Graeci.* Utraque scriptura aperte glossatoris manum prodit. *Beier* ad Offic. III. 19, 76. ex hoc loco et e Divin. I. 57, 191. ex. intelligi posse censet, Stoicis probatam fuisse Platonis illam ἀνάμνησιν, de qua conferre iubet *Stallbaum.* Prolegg. in Phileb. p. XXVI. LXXIII. Quod mihi quidem non sane probabile videtur; nam in his Tusculanis multis locis Cicero decreta Platonica Stoicis admiscuit. Quare cum magna cautione versari debemus in Stoicorum sententiis ex his libris libandis. Scilicet et Plato et Stoici, notiones innatas esse, a deo mentibus nostris inditas esse, statuerunt; sed Plato ita, ut eas e priore vita in hanc vitam ab ipso nascenti homine afferri censeret, Stoici, eas oriri ex perceptionibus rerum externarum, per corporis sensus factis: quas vocabant ἐννοίας. V. *Wyttenbach* ad Legg. I, 22. p. 143. Cr. Hoc igitur loco videtur Cicero Platonis de ideis doctrinam cum Stoicorum de notionibus innatis quodammodo consociasse. *Madvigio* ad Fin. V. 21, 59. p. 720. Cicero Antiochum secutus videtur, Antiochus autem Platonicae doctrinae de ideis et ἀναμνήσει particulas cum Stoica doctrina coniunxisse.

§. 58. *Quumque nihil esset*] *Ernestius* c. *Davisio* e parenthesi supplent: *quod oriretur et interiret;* sed rectius *Olivetus* verba *quumque nihil esset* per se intelligenda censet verbumque *esset* non vulgari, sed Platonis sententia accipiendum; is enim nihil *esse* (i. e. vere esse) docebat, nisi ideas. Imperfectum *esset* sic explicari potest: quamdiu animus in corpore erat, nihil percipiebat, quod vere esset. *Keilius* l. d. p. XIV. hunc locum sic vertit: Und da Nichts, was die Seele im Leben vorfand, wahrhaft *war:* — so konnte sie das, was sie weifs, nicht während ihrer Eingeschlossenheit im Körper erkennen. Verissime idem Ciceronem Platonis locum (Phaedon. c. 19 sqq. ed. Stallb.) sine dubio exprimere voluisse iudicat, sed non satis luculenter expressisse. Platonica argumentatio est fere haec: Id solum dici potest *esse* (*vere esse,* ὄντως εἶναι), quod

nos speciem;) non potuit animus haec in corpore inclusus agnoscere, cognita attulit: ex quo tam multarum rerum cognitionis admiratio tollitur. Neque ea plane videt animus, quum repente in tam insolitum tamque perturbatum domicilium immigravit; sed quum se collegit atque recreavit, tum agnoscit illa [6] reminiscendo. Ita nihil est aliud [7] discere, nisi recordari. 59. Ego autem maiore etiam quodam modo memoriam admiror. Quid est enim illud, quo meminimus? aut quam habet vim? aut unde naturam [8]? Non quaero, quanta memoria

6 Tr. ex Gud. collatoris R. silentio, et ex Vind. 1. et plerisq. edd. vett. *ea:* quod improbat *Wes.* Em. II. p. 17., docens ex ceterorum collatorum silentio patere, R. habere *illa,* idque etiam Ps. Boëthii fragmento ab Hasio in cd. sec. XII. invento p. 391. ed. Orell. Cic. Scholiastt. confirmari. 7 Sic R. Gud. 1. aliique; Or. c. vulg. *nihil aliud est.* 8 v. Adn.

semper tale est, quale est, semper idem, nulli mutationi obnoxium; tales autem sunt non res ipsae, quae sub sensus cadunt, sed ideae, i. e. notiones rerum; quae autem res non semper eaedem sunt, sed oriuntur et intereunt perpetuaeque mutationi obnoxiae sunt, eae *vere esse* dici non possunt; ergo quum ideae sempiternae sint, non potuit animus haec, quae vere sunt, tum demum cognoscere, quum in corpore inclusus est, sed cognita ea ex priore vita in hanc vitam attulerit necesse est.

quod semper tale sit, quale ἰδέαν appellat ille] Brevius dictum pro: quod semper tale sit, quale est: quod (seu quam) ἰδέαν appellat ille. Cf. Academic. I. 8, 30: „quia (mens) sola cerneret id, quod semper esset simplex et uniusmodi et *tale quale esset:* hanc illi ideam appellabant — nos vero speciem possumus dicere.“ Unde *Keilius* l. d. acute legendum suspicatur: *quod semper sit tale* [immo *tale sit*], *quale sit, quam ἰδέαν appellat ille.*

agnoscere, cognita attulit] *Agnoscere* h. l. idem valet, quod *cognoscere. Agnoscere* proprie dicimur res, quarum cognitionem vel notionem ante perceptam habemus; *cognoscere* omnino res, in quarum notitiam primum venimus. V. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 48. et *Kritz.* ad Sall. Cat. 17, 3. Verum haec duo vocabula non solum a librariis (v. *Gernhard.* ad Lael. c. I, 5. p. 12.), sed ab ipsis veteribus scriptoribus saepe confusa sunt atque permixta, et quidem saepius *cognoscere*, quod generaliorem habet significationem, pro *agnoscere*, quam hoc pro illo positum reperitur. Cf. *Bremium* et *Madvig.* ad Fin. II. 26, 82. Paullo post recte dictum est *agnoscit illa reminiscendo.* Supra c. 8, 15: Iam *agnosco* Graecum: ubi v. Adn. Infra c. 48, 116. II. 11, 26.

neque] H. e. neque vero, nec tamen. Lael. 5, 18: Sed hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse. *Neque* id ad vivum reseco. Cf. *Bremium* ad Nepot. Ages. I, 4. p. 243. V. Adnotata in c. 2, 4: *iacentque ea semper.*

§. 59. *memoriam*] Duplicem sententiam nomini *memoriae* Cicero tribuit. Primum enim intellexit eam discendi facultatem, quae secundum Platonem constat in recordatione earum rerum, quas animus, antequam in corpus intravit, cognitas habuit et e priore vita in hanc attulit; tum eam animi facultatem, quae vulgo hoc nomine comprehendi solet, qua, quae in hac vita discimus, custodimus et, ubi opus est, revocare possumus.

naturam] Sic plurimi et optimi codd., ut R. Gud. 1. II. b., omnesque fere edd. vett.; Or. c. duob. codd. ap. D. scripsit *natam;* neque aliter Tr.; Mos. c. W. [*natam*]; Guelf. *ñtam;* duo codd. ap. D. et quatt. Oxx. *natum:* quod probat *Holtinger*, dicens, id quaeri in tota hac disputatione, num animi et idcirco memoriae, quae est animi facultas insignis, origo ad corpus aut rem ullam corpoream possit referri. Non male quidem, sed quum in scriptura, quam plurimi optimique libri exhibent, sententia sana insit, ego cum *Klotzio* eam revocandam duxi. Primum universe quaeritur: *quid est memoria?* dein accuratius: *aut quam habet vim? aut unde duxit naturam suam?* Quod autem infra c. 25, 60. legatur: *Quae sit illa vis et unde sit,* id nihil obstare scripturae *naturam,* recte observat *Klotzius,* quum illo loco, ubi eadem interrogatio breviter repetitur, res paucioribus verbis expediri potuerit. De v.

Simonides fuisse dicatur; quanta Theodectes; quanta is, qui a Pyrrho legatus ad senatum est missus, Cineas, quanta nuper Charmadas; quanta, qui modo fuit, Scepsius Metrodorus; quanta noster Hortensius: de communi hominum memoria loquor, et eorum maxime, qui in aliquo maiore studio et arte versantur; quorum quanta mens sit, difficile est existimare; ita multa meminerunt.

XXV. 60. Quorsus [1] igitur haec spectat oratio? Quae sit illa vis et unde sit, intelligendum puto. Non est certe nec cordis, nec cerebri, nec sanguinis, nec atomorum; anima sit ignisve [1], nescio; nec me pudet, ut istos, fateri nescire, quod nesciam; illud, si ulla alia de re obscura affirmare possem, sive anima, sive ignis sit ani-

XXV. 1 v. Adn.

naturae comparat in Add. (p. 31.) c. 29, 70., et de consociatis verbis *vis* et *natura* affert *Davisius* supra c. 23, 54. de Or. I, 38. Fin. I, 16. Scriptura *natam* orta est e compendio vocabuli *naturam*.

Simonides] artem memoriae primus tradidisse dicitur. Cf. Quinctil. Inst. Or. XI. 2, 11. ibique *Spalding*. Plin. H. N. VII, 24. Aelian. V. H. VI, 10. Cic. de Divin. I, 27. de Orat. II. 74, 299: ubi plura suppeditavit *Müller* p. 385.

Theodectes] Quinctil. l. d. §. 51: „Quin semel auditos quamlibet multos versus protinus dicitur reddidisse Theodectes:" quem memoriae artem tenuisse, auctor est Aelian. V. H. VI, 10. Cf Indic. hist. — *Cineas*. Senec. Controv. Prooem. „Cineas —, missus a Pyrrho legatus ad Romanos, postero die novus homo et senatum et omnem urbanam circumfusam plebem nominibus suis persalutavit." Cf. Plin. H. N. VII, 24. — De *Charmada*, *Scepsio Metrodoro* v. C. de Or. II. 88, 360. Quinctil. XI. 2, 26. et X. 6, 4. Plin. H. N. VII, 24. Cf. Indic. histor. De *is, qui* v. ad c. 3, 5: *eum — Catonem*.

Hortensius] Brut. 88, 301: (Hortensius) memoria tanta, quantam in nullo cognovisse me arbitror, ut, quae secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet, quibus cogitavisset. Hoc adiumento ille tanto sic utebatur, ut sua et commentata et scripta et, nullo referente, omnia adversariorum dicta meminisset. Cf. Senec. Controv. Prooem. Quintil. X. 6, 4. XI. 2, 24.

Cap. XXV. §. 60. *Quorsus*] Quid Cicero de animorum natura senserit, exposuimus in libro d. *de Cic. in phil. merit.* p. 210—214. Pro vulg. *quorsum* recte Or. c. R. Gud. 1. b. aliisque multis edidit *quorsus:* quae forma a Cicerone praefertur, v. *Gernhard* ad Off. III. 17. pr. et ad Cat. M. XII. p. 76. *Beier.* ad Off. III. 16. p. 306. et intpp. ad Legg. I. 24. p. 150. Cr. Sed non est corrigenda forma *quorsum*, v. *Madvig.* ad Fin. I. 6, 19. p. 41. *Goerenz.* ad IV. 17, 46. p. 478 sq. *Seyffert.* ad Lael. 12, 42. p. 281. Sic *rursum* et *rursus* ap. Ciceronem leguntur, v. exempla ad I. 17, 40.

quae sit illa vis] „non memoriae solum, sed totius mentis atque animi. Nam oratio a parte ad totum descendit." *Nissen.* — *intelligendum puto* scil. ex hac oratione. Supersedere igitur possumus coniectura *Klotzii: et unde sit, sic int. p.;* neque placet, quod W. Mos. Tr. c. b. et ed. vet. H. dederunt: *et unde, sic int. p.* Hoc *sic* mihi admodum ieiunum videtur. Etiam *Wesenb.* Em. II. p. 17. nuper reiecit hanc scripturam, de duplici *sit* comp. Fin. II. §. 7. IV. §. 29. et 69. V. §. 54. N. D. III. §. 17.

anima sit ignisve] Revocavi hanc scripturam, quam omnes fere codd. habent; edd. vett. exhibent *anima sit animus ignisve;* Or. c. L. et W. edidit *anima sit ignisne*, uti etiam in Gud. 2. Marb. Rehd. legitur. Scripturam *anima sit ignisne* non recte sese habere, apparebit ex eis, quae de hac interrogationis forma in Gr. Lat. §. 158. Not. 15. exposuimus. Contra aptissime dicitur h. l. *anima sit ignis v e:* quae verba eandem plane vim habent, quam sequentia *sive anima, sive ignis sit animus.*

ut istos] Scil. pudet, qui, quid sit animus, intelligere se dicunt. Ad verbum *nescire* supple *me*. Pronomina *me, te, se, eum, eos,* quum non magna quae-

mus, cum iurarem esse divinum. Quid enim? obsecro te, terrane tibi hoc [2] nebuloso et caliginoso caelo aut sata, aut concreta videtur tanta vis memoriae? Si, quid sit hoc, non vides; at, quale sit, vides; si ne id quidem, at, quantum sit, profecto vides. **61.** Quid igitur? utrum capacitatem aliquam in animo putamus esse, quo, tanquam in aliquod vas, ea, quae meminimus, infundantur? Absurdum id quidem. Qui enim fundus, aut quae talis animi figura intelligi potest? aut quae tanta omnino capacitas? An imprimi, quasi ceram, animum putamus, et esse memoriam [3] signatarum rerum in mente vestigia? Quae possunt verborum, quae rerum ipsarum esse vestigia? quae porro tam immensa magnitudo, quae illa tam multa possit effin-

2 Sic R. Gud. 1. II. 2. Gryph. aliique et ed. vet. H.; Or. c. vulg. *tibi aut hoc n.* V. Adn. ad III. 16, 34: adversis casibus. 3 Sic R. Gud. 1. II. 2. aliique permulti codd. et ed. vet. H.; Or. c. vulg. *et memor. esse.*

dam vis in eis posita est, in constructione quae dicitur accusativi c. inf., saepe omissa esse, in vulgus notum est. V. *Ramshorn.* Lat. Gr. §. 168. Not. 10. *Kühner.* L. Gr. §. 128. Not. 4 *Ochsner.* l. d. p. 50. *Krüger.* D. Attract. in d. Lat. Spr. p. 337 sqq. *Madvig.* ad Fin. V. 11, 31. p 669 sq. *Wunder.* ad Plancian. p. 166. *Otton.* ad Fin. II. 27, 88. p. 164., et, qui huius omissionis diversa genera accurate distinxit, *Hand.* ad Wopkens. Lectt. Tull. p. 13. A Cicerone haec pronominum omissio non facile admissa videtur, nisi ubi infinitivus pendet a verbis *dicendi*, *fatendi*, *existimandi*, *opinandi*, *negandi*, similibus. Infra II. 17, 40: Iovem Olympium, eum ipsum, cui se exercebit, implorabit, *ferre non posse clamabit:* ubi tamen Wolfius satis probabiliter correxit: *non posse se.* Hoc quidem loco pronominis *me* omissio eo minus potest offendere, quod praecedit *me pudet.* Locum nostro geminum attulit *Moser:* N. D. I. 39, 109: *puderet me* dicere non *intelligere* (sc. *me*), si vos ipsi intelligeretis. In aliis exemplis infinitivus cum verbo simpliciter coniungitur, ut pronomen non requiratur, veluti post verba *sperandi*, *desperandi*, *diffidendi*, alia. Acad. II. 20, 64: ei respondere posse diffiderem.

sive anima, sive ignis sit] Particulae *sive — sive*, quae cum indicativo iunguntur, h. l. ob coniunctivos *possem* et *iurarem* cum coniunctivo copulatae sunt. III. 6, 12: sensus *adsit, sive secetur* quid, *sive avellatur* a corpore. Sic ob orationem obliquam I. 17, 40. 43, 104. III. 15, 32. V. nos in Gr. L. §. 154. Not. 20. et §. 140b, b) c). At pro *sit* h. l. ob imperfecta *possem* et *iurarem* ex eis, quae supra ad c. 5, 9: *quibus moriendum esset* exposuimus, exspectes *esset;* nam enuntiatio „*sive anima, sive ignis sit animus*" arcte cohaeret cum periodo conditionali. At nonnunquam deflexit Cicero ab illa regula. Fin. I. 7, 25: *si concederetur*, etiam *si* ad corpus nihil *referatur*, ista sua sponte et per se esse iucunda, per se *esset* et virtus et cognitio rerum — expetenda: ubi v. *Madvig.*, qui addit: „Videtur ipsam rem controversam universius eloqui velle. N. D. II. 1, 2: *mallem* audire Cottam, dum, qua eloquentia falsos deos sustulit, eadem veros *inducat.*

§. 61. *absurdum id quidem*] Supra c. 8, 17: superbum id quidem est. N. D. II, 53: At id quidem absurdum est. III, 17: At id quidem repudiandum. V. *Ochsner.* l. d. et Adnotata nostra in II. 13, 30: Optare *hoc quidem* est.

imprimi, quasi ceram, animum] *Moser* comparat ad Fam. V. 20, 5: *Quae* quum viderem *tot vestigiis impressa*, pro *quibus tot vestigia impressa.* Adde Phil. 2, c. 24: horum flagitiorum iste (Antonius) *vestigiis omnia municipia*, *praefecturas*, *colonias*, *totam* denique *Italiam impressit.* Frequentior est apud Ciceronem haec structura in verbo *inscribi*, uti docuit idem V. D. comp. Verr. II. 69, 167: statuae, *quas* tu *inscribi* iussisti.

magnitudo, quae — possit effingere] Vocabulum *effingere* suspectum videbatur *Davisio;* non enim, inquit, magnitudo res ullas effingit, sed in illa hae effinguntur: quapropter legendum coniicit *excipere.* Immo mihi elegantissime dictum videtur *effingere.* Memoria com-

gere? Quid? illa vis quae tandem est, quae investigat occulta, quae inventio atque excogitatio dicitur? ex hacne tibi terrena mortalique natura et caduca concreta ea videtur? 62. aut qui primus, quod summae sapientiae Pythagorae visum est, omnibus rebus imposuit nomina? aut qui dissipatos homines congregavit et ad societatem vitae convocavit? aut qui sonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis litterarum notis terminavit? aut qui errantium stellarum cursus, praegressiones[4], institiones[5] notavit? Omnes magni; etiam superiores, qui fruges, qui vestitum, qui tecta, qui cultum vitae, qui praesidia

4 Sic Or. c. R. et El. 2. pro vulg. *progr.*, comp. N. D. II, 20., ubi de eadem re *antecedunt* et *antecedendo* dicuntur; D. coni. *regressiones* ob v. *cursus*. 5 v. Adn.

paratur cum tabula cerea, cui res imprimuntur. Multo vividius ipsa tabula res ei impressas effingere et quasi ex sese efferre dicitur, quam res in tabula effingi. Sic accipiendus locus, a *Wolfio* allatus, de Divin. II. 45, 94: Quis enim non videt, et formas et mores et plerosque status ac motus effingere a parentibus liberos? Cui adde ibid. I. 13, 23: Aspersa temere pigmenta in tabula oris lineamenta effingere possunt. *Bakius* ad Legg. I. 9, 26. legendum censet *in qua illa t. m.* etc.: quae coniectura satis invenusta est.

Quid? illa vis quae tandem est] Sic recte verba ab Or. distincta sunt. V. ad c. 24, 56.

quae investigat —, quae — dicitur] H. e. illa occulta investigans vis, quae inventio atque exc. dicitur. De duplici pronomine relativo, ad idem substantivum relato, *Orellius* confert Legg. I. §. 27. III. §. 38. N. D. III. §. 70. Divin. II. § 92. Cat. §. 59. Offic. II. §. 81. Plura collegit *Otto* ad Fin. I. 2, 4. p. 6. Adde infra II. 3, 7. 13, 30. Accuratius rem exposui in Gr. L. §. 145, 14.

§. 62. *aut qui primus*] Aut qui primus omnibus rebus nomina imposuit, eiusne tibi animus ex hac terrena natura concretus videtur? — Eadem verborum consecutio Divin. I, 11: Quid vero Phoebi fax? — Aut quum —? Aut quum —?

quod summae sapientiae Pythagorae visum est] H. e. id quod summam sapientiam declarare Pythagorae visum est. De re ipsa *Davisius* laudat praeter alios Theodot. in Eclog. ex Script. Prophet. c. 32: Πυθαγόρας ἠξίου μὴ μόνον λογιώτατον, ἀλλὰ καὶ πρεσβύτατον ἡγεῖσθαι τῶν σοφῶν τὸν θέμενον τὰ ὀνόματα τοῖς πράγμασιν. Theophil. ad Autolyc. Lib. II. c. 18. ed. Wolf. p. 140: καὶ τὸ μὲν φῶς ὁ θεὸς ἐκάλεσεν ἡμέραν, τὸ δὲ σκότος νύκτα· ἐπεί τοι γε ἄνθρωπος οὐκ ἂν ᾔδει καλεῖν τὸ φῶς ἡμέραν, ἢ τὸ σκότος νύκτα· ἀλλ' οὐδὲ μὲν τὰ λοιπά, εἰ μὴ τὴν ὀνομασίαν εἰλήφει ἀπὸ τοῦ ποιήσαντος αὐτὰ θεοῦ. *Davisius*, hunc locum eruditissime pertractans: „Inde nata est," inquit, „haec opinio, quod nomina vim cuique rei insitam declarare censuerint, adeoque non hominum institutione, sed natura significare decreverint." Audiamus Gellium N. A. X. 4: „Nomina verborum non positu fortuito, sed quadam vi ratione naturae facta esse P. Nigidius — docet, rem sane in philosophiae disquisitionibus celebrem; quaeri enim solitum apud philosophos, φύσει τὰ ὀνόματα sint an θέσει." Ac priorem quidem sententiam Plato in Cratylo mirifice amplexatus est itemque Stoici. Cf. locos a *Davisio* prolatos. De Pythagorae sententia doctissime disseruit *Laur. Lerschius* in libro, qui inscribitur: Die Sprachphilos. der Alten. Bonn. 1838. p. 25—29.

praegressiones, institiones] Cf. V. Scr. Egregie hunc locum illustravit *Ernestius* in Clav. v. *institio*. Planetae enim non solum *progredi*, sed interdum etiam *insistere* (h. e. stare; cf. N. D. II. 20, 51: ubi v. *Schoemann.* et 40, 103.) videntur: unde *stationes planetarum* dicuntur, et ipsi *planetae stationales* ap. Plin. II. 15. 16. Ceterum alio loco non legitur *institiones*, quod ingeniose coniecit *P. Manutius* legiturque in Gud. II. Rehd. itemque, ut videtur, aliquot Oxx., et in ed. vet. H., quae habet *institionesque*. Reliqui codd. exhibent *institutiones* (sic Gud. 1. aliique) vel *institutionesque* (etiam R. ap. Tr. ex Gud. collatoris de R. silentio; sed ex ceterorum collatorum silentio R. sine dubio omis. *que*, v. *Wesenb.* Em. II. p. 17.).

contra feras invenerunt: a quibus mansuefacti et exculti a necessariis artificiis ad elegantiora defluximus. Nam et auribus oblectatio magna parta est, inventa et temperata varietate et natura sonorum; et astra suspeximus, quum[6] ea, quae sunt infixa certis locis, tum illa non re, sed vocabulo errantia. Quorum conversiones omnesque motus qui [animus][7] vidit, is docuit, similem animum suum eius esse, qui ea fabricatus esset in caelo. 63. Nam quum Archimedes lunae, solis, quinque errantium motus in sphaeram illigavit, effecit idem, quod ille, qui in Timaeo mundum aedificavit Platonis deus, ut tarditate

6 Sic D. sine dubio e codd., etiam duo Oxx. habent *cum illa;* Or. c. vulg. *tum.* V. ad V. 25, 72. 7 v. Adn.

superiores] H. e. qui prioribus temporibus fuerunt, non, ut *Neidius* vult, *qui supra, antea commemorati sunt*, ut referantur ad illos, qui dissipatos homines congregaverunt et ad societatem convocaverunt.

ad elegantiora defluximus] Venuste dictum pro vulgari: ad magis lecta, exquisitiora artificia, ut musica, philosophiam, mathematica, sensim delapsi sumus. De v. *elegantiora* v. *Ernestium* in Clav. h. v. De verbo *defluendi* cf. N. D. II. 31, 79: quodsi inest in hominum genere mens, fides, virtus, concordia, unde haec in terras, nisi a superis, *defluere* potuerunt? Eodem similiter, sed in malam partem, utitur Cic. Lael. 26, 100: nescio quo pacto ab amicitiis perfectorum hominum — ad leves amicitias *defluxit* oratio (uti ex optimis codd. legendum): ubi v. *Seyffert.* p. 547. Quinctil. Inst. Or. I. 8, 9: in omnia deliciarum vitia dicendi quoque ratione *defluximus.* *Moser* addit X. 1, 126: tantum ab illo *defluebant*, quantum ille ab antiquis descenderat.

varietate et natura sonorum] V. Adnotata in II. 4, 12.

non re, sed vocabulo errantia] Vocabantur illae stellae, quae circa solem simul cum terra moventur, ab antiquissimis πλανῆται, h. e. errantes, quia motus eorum nullis legibus obnoxius esse videretur, uti docet *Neidius.* Platonici contra docebant, stellas errantes non vago motu, sed certis legibus agitari. Hinc Cicero N. D. II. 20, 51: „Maxime vero sunt admirabiles motus earum quinque stellarum, quae falso vocantur *errantes;* nihil enim errat, quod in omni aeternitate conservat progressus reliquosque motus constantes et ratos.“ Eandem nostri quoque astronomi sequuntur sententiam. V. quae de planetis elegantissime disseruit *Alex. ab Humboldt.* in Kosmos Vol. III. p. 420 sqq.

qui [*animus*]] Sic *Orellius*, qui vocabulum *animus* inculcatum esse iudicat a glossatore, qui significare vellet, verba *qui vidit* non ad astrologum quendam, sed omnino ad humanum animum referenda esse. Tr. v. *animus* plane delevit. Bouhierius coni. *qui primus v.;* Man. ex Maffei libro legendum censet *qui animo vidit*, neque aliter legitur in ed. vet. H. et ut videtur in aliquot Oxx.: sed recte *Moser* monet, *animo* esse otiosum. *Klotzius* vocabulum *animus* germanum habet, id pro homine dictum esse ratus. Comparat Off. I. 23, 80: „Fortis vero *animi* et constantis est, non perturbari in rebus asperis nec tumultuantem de gradu deiici, ut dicitur, sed praesenti *animo* uti et consilio:“ sed hic locus nihil plane similitudinis habet cum eo, quem nunc tractamus; primum enim verba *praesenti animo* longe remota sunt a v. *animi;* deinde verba *praesens animus* singularem quandam habent significationem; denique, quod nuper *Wessenberg.* Em. II. p. 18. monuit, subiectum infinitivi *uti* non est *animum*, sed pronomen indefinitum *aliquem* mente supplendum. Idem vocabulo *animus* corruptelae notam addidit, sed dubitat, utrum aberrando ex seq. *animum* natum sit, an accommodatione quadam ex *animo* (comp. Acad. I. §. 125.) corruptum, an ex *primus* (comp. init. h. §.) ortum errore, praesertim paullo ante *animum*, non incredibili. Inepte mihi dictum videtur: *qui animus vidit astrorum motus, is docuit*, etiamsi non subsequatur *animum.*

Archimedes] Haec sphaera erat machina, in qua planetarum conversiones repraesentarentur. Cf. N. D. II, 35. Rep. I, 14. p. 65. Mos. Lactant. II, 5.

et celeritate dissimillimos motus una regeret conversio. Quod si in hoc mundo fieri sine deo non potest, ne in sphaera quidem eosdem motus Archimedes sine divino ingenio potuisset imitari.

XXVI. 64. Mihi vero ne haec quidem notiora et illustriora carere vi divina videntur, ut ego aut[1] poëtam grave plenumque carmen sine caelesti aliquo mentis instinctu putem fundere, aut eloquentiam sine maiore quadam vi[2] fluere, abundantem sonantibus verbis uberibusque sententiis. Philosophia vero, omnium mater artium, quid est aliud, nisi, ut Plato[3], donum, ut ego, inventum deorum? Haec

XXVI. 1 v. Adn. 2 Sic Or. c. R. aliique codd. et complur. edd. vett.; alii (ut Gud. 1.) *sine quadam vi maiore.* 3 Sic R. Gud. 1. aliique multi pro vulg. *ut Plato ait; Moser*, qui tamen c. Or. *ait* uncis cinctum retinuit, comp. N. D. I. 35, 97: *ut Ennius.* et II. 2, 4.

Sext. Empir. IX, 15. p. 329. Claudian. Epigr. 18. a Wolfio allat. Eleganter Ovidius Fast. VI, 277:

Arte Syracosia suspensus in aëre clauso
Stat globus immensi parva figura poli.

Quod si — fieri non potest, ne — potuisset imitari] Attendas ad singularem conditionalis enuntiationis formam, qua in protasi praesens indicativi, in apodosi plusquamperfectum coniunctivi positum est: cuius generis exempla licet rariora sint, eorum tamen ratio rectissime sese habet. Scilicet conditio in protasi ut certa indicativo profertur; quae autem ex hac simpliciter posita conditione efficitur consecutio exprimitur ita, ut certis quibusdam conditionibus futura fuerit. Sententia igitur huius loci aliis verbis ita potest exhiberi: Quod si pro certo ponimus, hoc in mundo fieri sine deo non posse; sequitur, ut Archimedes, *nisi divinum ingenium habuisset*, eosdem motus non potuisset imitari. Graece hic locus sic exprimi potest: εἰ μὲν οὖν τοῦτο ἐν τούτῳ τῷ κόσμῳ ἄνευ θεοῦ γίγνεσθαι οὐ δύναται, οὐδ' ἂν ἐν τῇ σφαίρᾳ τὰς αὐτὰς κινήσεις Ἀρχιμήδης ἄνευ θείου νοῦ μιμεῖσθαι ἐδυνήθη. De verbo *imitandi*, quod h. l. idem fere est, quod exprimere, consequi, v. *Bakium* ad Legg. II. 7, 18.

Cap. XXVI. §. 64. *ut ego aut poëtam — putem*] *Davisius* aut cum El. II. *ut ego haud poëtam*, aut *ut ego aut poëtam — non putem f.*, *Rathius et ego aut poëtam — putem* legendum suspicatur. At nihil mutandum. Negatio *ne — quidem* enuntiationis primariae vim suam exercet etiam in secundariam. Optime *Boggius* in Progr. p. 22. rem exemplo illustravit. Fac, inquit, aliquem dicere: „Non videtur mihi haec via periculis carere, ut tuto per eam iter facere putem licere.“ Ecquis non videt, non putare hominem, tuto iter facere licere, sed multo magis negari, id fieri posse?

grave plenumque]. *Grave* referendum videtur ad sententiarum vim atque ubertatem, *plenum* ad modorum (rhythmi) suavitatem. Sic dicitur *plena vox* pro canora. Cf. de Or. III. 37, 150: in quibus (verbis) *plenum* quiddam et *sonans* inesse videatur. —

poëtam — fundere] pro Arch. c. 8: poëtam natura ipsa valere, et mentis viribus excitari, et quasi divino quodam spiritu inflari. de Or. II. 46, 194: saepe audivi poëtam bonum neminem — sine inflammatione animorum exsistere posse et sine quodam afflatu furoris. Praeclare cecinit Ovidius Fast. VI, 5:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacrae semina mentis habet.

Alia suppeditat *Davisius* ad h. l. et ad Divin. I. 37, 80. Praeclare Plato in Phaedr. p. 245. A: ὃς δ' ἂν ἄνευ μανίας Μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται, πεισθείς, ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανὸς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε καὶ ἡ ποίησις ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἠφανίσθη. Ad verbum *fundendi*, de versibus proprie dictum, *Moser* comparat de Or. III. 50, 194. Tusc. I. 44, 107. Fin IV. 4, 10. Divin. II. 54, 110. Adde de N. D. I. 16, 42: (ubi v. *Schoem.*) 24, 66.

donum — deorum] Plat. Timaeus p. 533. D: τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν. Cf. Cicer. de Univ. c. 14. de Legg. I, 22: ubi cf. *Davis.* Academ. I. 2, 8. ibique *Goerenz.* p. 14. Infra II. 5, 13. III. 3, 6. V. 1—4.

nos primum ad illorum cultum, deinde ad ius hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam magnitudinemque animi erudivit; eademque ab animo, tanquam ab oculis, caliginem dispulit, ut omnia: supera infera, prima ultima media videremus. 65. Prorsus haec divina mihi videtur vis, quae tot res efficiat et tantas. Quid est enim memoria rerum et verborum? quid porro inventio? profecto id, quo ne in deo quidem[1] quicquam maius intelligi potest. Non enim ambrosia deos, aut nectare, aut Iuventate pocula ministrante laetari arbitror; nec Homerum audio, qui Ganymeden[1]

ius hominum] opponitur iuri *civili*. De *iure hominum* apposite *Orellius* comparat Legg. I. 5, 16., monens, Ciceroni ibi nondum in mentem venisse hanc commodam locutionem.

eademque] Particula affixa *que* saepe vim colligendi habet, ut idem fere valeat, quod: ut paucis complectar (*kurz*). V. *Goerenz.* ad Legg. II. 7, 15. p. 125. et nos in Gr. L. §. 135, 2. p. 336 sq. ed. 2. Infra c. 34, 82: Ut credam ita esse, quam est id exiguum! at falsum esse arbitror; et fit plerumque sine sensu, nonnunquam etiam cum voluptate; *totumque* hoc leve est, qualecunque est; fit enim ad punctum temporis. c. 43, 104: *totaque* de ratione humationis unum tenendum est etc. c. 49, 118: Nos vero —; *nihilque* in malis ducamus cett. IV. 15, 34: ex ea proficiscuntur honestae voluntates, sententiae, actionesque *omnisque* recta ratio, et saepe alibi.

supera infera, prima ultima media] V. Adnotata in V. 39, 114.

§. 65. *ne in deo quidem quicquam*] Sic ediderunt *Klotzius* et *Tregder*, legiturque in Vind. 1. Col. Duisb. pro vulg. *nec in deo quidquam*. Optime. Ad veram scripturam etiam ducunt R. Gud. 1. II. Marb., qui exhibent *ne in deo quicquam* (aut *quidquam*). Vocabulum *quidem* ante *quicquam* facile excidere, eoque facto *ne* in *nec* mutari potuit. V. *Madvigium* ad Fin. I. 11, 39. p. 82 sq. et in Exc. III. ad Fin. p. 818., qui eandem quam dedimus scripturam unice veram censet demonstratque usum particulae *nec* pro *ne — quidem* apud Ciceronem eiusque aequales valde dubitandum vel potius negandum esse. Infra c. 29, 71. pro vulg. *nec interire igitur* recte legendum censet *ne interire quidem igitur*, quum optimi codd. *ne* pro *nec* legant. *Iordanus* ad or. p. Caecin. 24, 68: *nec* hoc debent dicere: quod omnes paene codd. exhibent, improbata Madvigii sententia, hunc particulae *nec* usum ex Ciceronis scriptis exterminandum non esse censet et inter *nec* et *ne — quidem* id discriminis intercedere statuit, ut illud nostrum *auch nicht*, hoc nostrum *nicht einmal* notet.

Iuventate pocula ministrante] *Iuventas* est Graeca Ἥβη, Iovis et Iunonis filia, quae ante Ganymedem in caelum raptum pocula diis ministrabat. Iliad. δ, princ. Οἱ δὲ θεοὶ παρ Ζηνὶ καθήμενοι ἠγορόωντο Χρυσέῳ ἐν δαπέδῳ, μετὰ δέ σφισι πότνια Ἥβη Νέκταρ ἐωνοχόει. Verbum *ministrandi* in hac re proprium (*serviren*). Cf. infra V. 21, 61. N. D. I. 40, 112: Ganym. pocula *ministrantem*. Hinc subst. *ministratores* infra V. 21, 62.

nec Homerum] Iliad. υ, 233. ἀντίθεος Γανυμήδης, Ὃς δὴ κάλλιστος γένετο θνητῶν ἀνθρώπων· Τὸν καὶ ἀνηρείψαντο θεοὶ Διΐ οἰνοχοεύειν, Κάλλεος εἵνεκα οἷο, ἵν' ἀθανάτοισι μετείη. Cf. quos *Bornemann* ad Xen. Symp. VIII, 30. p. 205. et *Herbstius* p. 144. laudant.

Ganymeden] Sic scripsi c. D. et Tr. ex optimis codd. R. Gud. 1., quibus accedit Duisb., pro vulg. *Ganymedem*. In his rebus scriptura diiudicanda est ex codicum auctoritate; nam dubitari non potest, quin Cicero in his Graecis nominibus utraque forma, et ea, quae in *em*, et ea, quae in *en* exit, sed hac (in *en*) rarissime, usus sit. Sic infra III. 4, 8. *Socraten*; 14, 29. *Euripiden*; IV. 3, 5. *Diogenen* optimi codd. tuentur. I. 10, 21. D. et optimus Gud. 1. habent *Pherecraten*. Etiam I. 5, 10. legendum c. Dav. *Demosthenen*, quod etiam R. ap. Mos. Berg. Krar. (*Wesenb.* Em. II. p. 2.) habet. Alia exempla e Cicerone collegit *Ellendt* ad de Or. II. 74, 299. Vol. I. p. 392 sq. Cf. *Ruddimann.* Inst. Gr. L. I. p. 76. Stallb. *K. L. Schneider.* L. Formenl. I. p. 43.

ab dis[4] raptum ait propter formam, ut Iovi bibere ministraret; non iusta caussa, cur Laomedonti tanta fieret iniuria. Fingebat haec Homerus et humana ad deos transferebat; divina mallem ad nos. Quae autem divina? Vigere, sapere, invenire, meminisse. Ergo animus, qui[5], ut ego dico, divinus est[6], ut Euripides dicere audet[7], deus; et quidem, si deus aut anima aut ignis est, idem est animus hominis. Nam ut illa natura caelestis et terra vacat et humore, sic

4 Sic Gud. 1. Duisb. ed. D.; *ab his* R. ap. Tr. (sed correct. in *ab dis*); *ab diis* Gud. II. Mon. 2. Rehd. SE; Or. c. vulg. *a diis*: de *ab* ante litteram *d* posito *Moser* laudat *Goerenz.* ad Fin. V. 1, 1. *Hand.* Turs. I. p. 5. 5 v. Adn. 6 Sic R. b. Vind. 1. 2. Aug. Rehd. Duisb. Mon. 2. octo Oxx. omnes ut vdtr. Gruteriani et edd. vett. L. Vict. Rob. Steph. D.; Or. c. vulg. *est* post v. *deus* habet. 7 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. 2. b. aliisque pro vulg. *audet dicere.*

bibere ministraret] E Graeca constructione dictum pro: potum ministraret. *Menkius* in Observv. ined. comp. Liv. 40, 47: ut *bibere* sibi iuberet dari. V. *Ruhnken.* in Terent. Andr. III. 2, 4: *dari bibere* (Bentl.).

cur Laomedonti tanta fieret iniuria] Tullium h. l. memoria lapsum esse, adnotant interpretes. Non enim Laomedonte prognatus erat Ganymedes, sed Troe, qui quidem secundum Homerum tres filios habebat, Ilum, Assaracum, Ganymedem. Ili filius erat Laomedon. Verum ut de raptore, sic de patre Ganymedis magnae sunt inter veteres (cf. Pindar. Ol. I., qui Ganymedem post Pelopem demum in caelum sublatum dicens non magis, quam Cicero, Homerum sequitur; v. *Dissenium* p. 11 sq. ed. Goth. Eurip. Troad. 822. Hygin. fab. 224. et 271. Lucian. Charidem. T. II. p. 784. Cycli scriptor ap. Schol. in Eur. Or. 1392. Tzetz. ad Lycophr. 34.) discrepantiae, uti docet *Davisius*, qui in partem vocatis ll. dd. multus est in defendendo Cicerone.

humana ad deos transferebat] Apposite *Davisius* in partes vocat Longin. περὶ ὕψους §. 9: Ὅμηρος γάρ μοι δοκεῖ, παραδιδοὺς τραύματα θεῶν, στάσεις, τιμωρίας, δάκρυα, δεσμά, πάντα πάμφυρτα, τοὺς μὲν ἐπὶ τῶν Ἰλιακῶν ἀνθρώπους, ὅσον ἐπὶ τῇ δυνάμει, θεοὺς πεποιηκέναι, τοὺς θεοὺς δὲ ἀνθρώπους.

Ergo animus, qui] Tres Oxx. om. *qui*, reliqui omnes habent, Or. aliique deleverunt, nuper etiam *Wesenb.* Em. II. p. 18. delendum censuit, quia *divinum* esse animum concludere Cicero *ipse* voluisset, *Euripidem deum* dicere ausum esse data occasione addidisset. Ego retinendum puto, quia difficile est ad intelligendum, quomodo a librariis intrusum sit. Ipsi Ciceroni vitium orationis tribuendum puto; videtur enim primum orationem sic conformaturus fuisse: Ergo animus, qui, ut ego dico, divinus est, ut E. d. a., deus, si deus aut anima aut ignis est, idem est (h. e. aut anima aut ignis est); deinde autem inchoatam structuram mutavit, quo maiore vi animum hominis efferret. Certe in his libris, quibus ultima lima a Cicerone non est admota, eiusmodi ἀνακόλουθος structura non admodum potest esse offensioni.

Euripides] Exstat fragmentum Eurip. 188: θεός γάρ τις ἐν ἡμῖν. *Davisius* attulit Theon. Progymn. c. V. p. 79: Εὐριπίδης, ὁ ποιητής, τὸν νοῦν ἡμῶν ἑκάστου εἶναι θεόν. In eiusmodi sententiis Euripidem sequi praeceptorem Anaxagoram *F. A. Wolfius* docet. Multi alii quoque eandem consignaverunt sententiam, ut ipse Cicero e Platone in Somn. Scip. de Rep. VI, 24: Deum te igitur scito esse: siquidem deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit. *Menkius* l. d. conferre iubet Schol. ad Pindari Nem. VI, 7. Iulian. or. VI. p. 196. D. et p. 197. B. Menandr. ap. Plutarch. Quaest. Platon. I, 1. p. 999. E.

quinta quaedam natura Scil. ἐντελέχεια. V. supra c. 10, 22.

in Consolatione] V. nos in l. d. *de Cic. in philos. merit.* p. 50 sq. Commemoratur etiam c. 34, 83. III. 28, 70. Ceterum Cicero apte usus est verbo *expressimus*, quia Aristotelis locum non ad verbum vertit, sed tantum sententiam eius secutus est.

Cap. XXVII. § 66. *Nihil enim est*] *Moser*, Lactantii de Ira c. 10. secutus auctoritatem, edidit *Nihil est enim*; Rehd. et nonnullae edd. vett. omitt. *enim*; Gud. 2. et Mon. 2. om. *est.* Ego non sum ausus recedere ab omnium fere optimorumque librorum scriptura; nam licet in hac verborum iunctura verbum *est*

utriusque harum rerum humanus animus est expers. Sin autem est quinta quaedam natura ab Aristotele inducta primum [8], haec et deorum est et animorum. Hanc nos sententiam secuti his ipsis verbis in Consolatione hoc [9] expressimus:

XXVII. 66. „Animorum nulla in terris origo inveniri potest. Nihil enim est in animis mixtum atque concretum aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur; nihil ne aut humidum quidem, aut

8 Sic recte Or. c. M. et D. distinxit orationem pro vulg. *inducta*, *primum* etc. V. *Hand.* ad Wopkens. p. 73 sq. 9 Sic R. Gud. 1. quatt. Oxx unus Leid. Mon. 2.; Or. c. vulg. *haec*. Acute et probabiliter *Wes.* I. p. 4. delendum *hoc* suspicatur, ut additum ab aliquo librario, qui structuram illam, qua obiectum definito verbo cum participio commune plerumque semel tantum ponitur, sive ignoraverit, sive explicare voluerit. Offendit etiam eum verbum *expressimus*, quod addito *hoc* nihil aliud significaret, nisi *diximus:* qua vi nunquam hoc verbum a veteribus scriptoribus usurpatum esse statuit.

(*sunt*) apud Ciceronem tertio loco legitimam suam sedem habeat, tamen non desunt loci, in quibus hic verborum ordo neglectus sit. Sic c. 36, 87. in omnibus libris et scriptis et editis legitur: *Triste enim est* nomen ipsum carendi. c. 39, 94. in optimis aliisque codd.: *Nihil enim est.* IV. 1, 2. optimi aliique codd. exhibent: *Quis enim est* etc.? 16, 35. omnes libri conspirant in scriptura: *Quid autem est* non miserius etc.? ubi cf. Adnot. Scilicet particulae *enim*, *autem*, *igitur*, quae secundo enuntiationis loco poni solent, post v. *est*, *sunt* tertium enuntiationis locum occupant: a) ubi *praedicatum primam sedem habet*, neque verbum *est* (*sunt*) a praedicato remotum est, ut I. 18, 42: calidior est *enim* animus. I. 5, 9: necesse est *enim*. Ibid.: moriendum est *enim* omnibus. I. 23, 54. c. 41, 97. II. 1, 1. et 3. c. 15, 35. c. 18, 43. c. 24, 58. III. 5, 9. V. 18, 53: satis est *enim* certe in virtute, ut fortiter vivamus. I. 27, 66: singularis est *igitur* quaedam natura. II. 18, 43. III. 23, 56. IV. 24, 53. III. 33, 81: tractatum est *autem*; — b) ubi *subiectum quidem primum locum obtinet*, *praedicatum autem relativa enuntiatione expressum sequitur*, ut N. D. II. 53, 133: Ratio est *enim*, *quae* praestet omnibus. Tusc. II. 22, 52. Fin. I. 13, 43: sapientia est *enim* una, *quae* etc.; — c) ubi enuntiatio exorditur a *non* (*neque*) *est* (*sunt*), sive subiectum praedicato, sive hoc illi antecedit, ut infra c. 20, 46. recte Or. restituit: neque est *enim* ullus sensus in corpore; — d) ubi vel demonstrativa *hic*, *haec*, *hoc*, *is*, *ea*, *id*, vel interrogativa *quis*, *quae*, *quid*, vel negativa *nullus*, *nemo*, *nihil*, subiecti munere fungentia, enuntiationem incipiunt, ut c. 8, 16: id est *enim* perveniendum esse ad id etc. III. 15, 31. IV. 38, 83: in eo est *enim:* ubi v. Adn. I. 6, 11: Quis est *enim* tam excors? (ubi tamen scriptura fluctuatur.) I. 26, 65. c. 39, 93: quid est *igitur* etc.? III. 29, 71. V. 23, 67: quid est *autem* in homine sagaci etc.? I. 11, 22: nihil est *enim*. V. 17, 50. c. 31, 87. Cf. nos in Gr. Lat. §. 138. a Not. 3. Multi quidem hac de re disputarunt, ut *Beier* ad Off. I. 38, 137. p. 278. ib. 29. p. 226. *Ochsner* Ecl. Cic. p. 201. *Ph. Krebs.* in Anleitg. z. Lateinschr. §. 520. *Hand.* Tursell. I. p. 578 — 580. II. p. 400 — 403. *Madvig.* ad Fin. I. 13, 43. *Seyffert.* ad Lael. 5, 17. p. 97 sq.: sed in caussa huius collocationis aperienda inter se dissident. Aperte falluntur ii, qui in *est* (*sunt*) secundo loco posito asseverationem inesse existimant; immo si quid discriminis statuendum erit, *Seyfferti* potius opinioni (ad Lael. l. d.) accedam, qui verbum *est* (*sunt*) tertium locum occupare censet, ubi sit copula, secundum, ubi praedicativi verbi (*vere est*, *es existirt*, *gibt*) vim habeat; at multi sunt loci, qui huic praecepto renitantur. Mihi quidem ea ratio et simplicissima et verissima videtur esse, quam proposuit *Madvigius* l. d.: „elata voce in primo vocabulo, quo gravissima notio continetur, obscuratur enclitica (*est*, *sunt*).“ Vocabulum primarium quasi attrahit encliticam et cum ea quasi in unum coalescit. Alia ratio est, ubi post aliud verbum atque encliticam illae particulae tertium tenent locum. V. ad I. 6, 12. De *igitur* in quarta sede collocato v. ad I. 14, 32. *Ellendt* ad C. de Or. III. 30, 119. Vol. II. p. 406., incredibili quadam sedulitate omnibus e Cicerone exemplis collectis, demonstrare

flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat, quod et praeterita teneat, et futura provideat, et complecti possit praesentia: quae sola divina sunt, nec invenietur unquam, unde ad hominem venire possint, nisi a deo. Singularis est igitur quaedam natura atque vis animi, seiuncta ab his usitatis [1] notisque naturis. Ita, quicquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vivit, quod viget, caeleste et divinum [2] ob eamque rem aeternum sit necesse est. Nec vero deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens, ipsaque praedita motu sempiterno." 67. Hoc e genere atque eadem e natura est humana mens. Ubi igitur aut qualis est ista mens? — Ubi tua aut qualis? potesne dicere? an, si omnia ad intelligendum

XXVII. 1 v. Adn. 2 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. 2. Gr. b. aliisque codd. et edd. vett. P. Bouh. vet. D. pro vulg. *divinum est.*

conatus est, utramque illarum particularum collocationem pari fere testimoniorum numero firmari, ut in altera utra eligenda sola librorum esset spectanda auctoritas; sed rem magis conturbavit, quam illustravit, quum et omnes verbi *esse* formas respexit, nec diversa huius collocationis genera distinxit.

in naturis] H. e. his in corporibus, elementis. N. D. II, 57: quod in his *naturis* relatus amplificatur sonus. III, 14: concreta est ex pluribus *naturis.* II, 33: *naturis* his, ex quibus omnia constant.

quae sola divina sunt] H. e. quae solam divinam originem habent. Vocabulum igitur *sola* non cum *quae*, sed cum *divina* coniungendum est. N. D. I, 34: quae *sola* divina natura sunt. Contra II, 58: quae hominum *solum* auribus iudicantur. V. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 41. Cf. nos ad IV. 7, 15.

usitatis notisque naturis] Pro *usitatis Bentleius* et *Davisius* legendum coniecerunt *visitatis.* Immerito sane; nam loci, in quibus vocabulis *usitatus* et *inusitatus* res significantur, quae frequenter aut raro videntur, sunt innumerabiles. V. *Wopkensium* (Lectt. Tull. III, 8. p. 375 sq. ed. H.), qui idem recte observavit, verba *visitatus*, *invisitatus* et *visitare* pro saepius videre apud Tullium nusquam inveniri, resque eiusmodi, quae oculis haud raro usurparentur, aliis locis apud nostrum aliosque optimae Latinitatis auctores dici *saepe usu venire* vel *in usu quotidiano versari, collocatas, positas ante oculos esse.*

quod viget] Verbo *vigendi* continetur notio motus, mutationis, crescendi. Hinc proprie dicitur de floribus, plantis. Cf. infra V. 13, 37. N. D. II, 15: aether semper agitatur et *viget.* Corn. Nep. Alcib. V, 5: qui paullo ante victores *viguerant:* ubi cf. *Bremium.* V. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 42. *Menkius* in Observv. ined. comp. Divin. I. 30, 63: iacet enim corpus dormientis, ut mortui; *viget* autem et *vivit animus.*

ob eamque rem] De pronominis *is* collocatione v. Adnotata in V. 1, 1.

Nec vero deus ipse] Locus pulcherrimus ac plane Platonicus. Quam praeclare ac magnifice Cicero de divina natura senserit, exposuimus in l. d. *de Cic. in phil. mer.* p. 177 sqq. et 188 sqq.

§. 67. *Ubi igitur* etc.] Ern. immerito huic interrogationi praefixit *A;* nam saepe ita Tullius ipse sibi aliquam interrogationem opponit, ut id, quod sententiae suae obiici possit, elevet.

quae habere vellem] *Ernestius* pro *vellem* legendum suspicatur *velim*, quod probat *Rathius.* Frustra; immo *velim* abhorret ab huius loci sententia, quae recte sic ὑποθετικῶς expressa est, ut, si enuntiatio plena esset, sequeretur, *si fieri posset* (At fieri non potest. Ergo nec velle possum). Graece ἠβουλόμην ἄν; contra *velim* βουλοίμην ἄν. Constat enim, in enuntiationibus conditionalibus praesens vel perfectum coniunctivi poni de re, quae fieri potest vel potuit; imperfectum vel plusquamperfectum coniunctivi de re, quae fieri non potest vel potuit. Supra c 11, 23: *Cuperem equi-*

non habeo, quae habere vellem, ne iis quidem, quae habeo, mihi per te uti licebit? — Non valet tantum animus, ut se ipsum ipse [3] videat; at ut oculus, sic animus, se non videns, alia cernit. Non videt autem, quod minimum est, formam suam; fortasse! quanquam id quoque; sed relinquamus; vim certe, sagacitatem, memoriam, motum, celeritatem videt. Haec magna, haec divina, haec sempiterna sunt. Qua facie quidem sit aut ubi habitet, ne quaerendum quidem est.

XXVIII. 68. Ut quum videmus speciem primum candoremque caeli, dein [1] conversionis celeritatem tantam, quantam cogitare non possumus; tum vicissitudines dierum ac noctium commutationesque temporum quadripartitas ad maturitatem frugum et ad temperationem corporum aptas, eorumque omnium moderatorem et ducem solem,

3 v. Adn. XXVIII. 1 Sic R. Gud. 1. II. Mon. 2.: Moser, qui item *dein* recepit, comp. Divin. I. 27, 57. N. D. II, 42. (*dein* ante *c, qu.*); Or. c. vulg. *deinde.*

dem utrumque, si posset; sed est difficile confundere. c. 33, 81: *vellem adesse posset Panaetius* (at Panaetius iam mortuus est). c. 41, 95: *equidem saepe emori, si fieri posset, vellem.* V. 7, 20: *Nos vellem praemio elicere possemus.* Contra III. 20, 48: *Nolim*, inquit, mea bona, Gracche, tibi viritim dividere libeat. V. nos in Gr. L. §. 154, 3.

ut se ipsum ipse videat] Sic scripsi c. Mos. e R. Gud. 1. II. 2. b. multisque aliis codd. et nonnull. edd. vett.; *se ipsum videat ipse* Rehd.; *se ipsum s. v.* Mon. 1.; Vind. 1. et ed. vet. H. om. *ipse;* Or. c. edd. vett. *sese ipse videat;* „at vero *sese ipse* legi ap. Cic. negat *Goerenz.* in Iahnii Annal. 1826. II. p. 304. accedens *Gernhardo* ad C. Lael. 9, 32. p. 75: cum quibus ita consentit *C. Beier* ad eundem l., ut cum praepositione ita dici posse concedat, veluti N. D. III. 14, 36: *ex sese ipse.*" *Moser.* Cf. nos ad c. 30, 73: se ipsa intuens. Tregd. e coni. Bentl., etiam Wesenbergio Em. I. p. 20. probata, *se ipse v.;* Klotzius in Add. p. 33., reiecta scriptura a se recepta *sese ipse v.*, scripturam *se ipsum ipse* e διττογραφίᾳ ortam putat. Hinc ego legam *se ipsum v.;* nam sententia loci est: non valet tantum animus, ut, sicut *alia* extra se posita, ita *se ipsum* videat. V. Adnotata in c. 30, 73.

fortasse! quanquam] H. e. fortasse formam suam non videt; quanquam id quoque fieri potest, sc. ut animi forma aliqua mente comprehendatur. *Wolfius* ad verba: *quanquam id quoque* supplet *dubitari potest:* quod recte reiicitur ab *Orellio,* qui haec addit: „Mir wenigstens schien diess immer eine poetische Phantasie: doch auch diess ist möglich, sich den Geist unter einer bestimmten Gestalt vorzustellen, z. B. unter dem Bilde eines jener Genien der griech. u. etrusk. Kunstwerke, einer Psyche z. B. Gleichsam aus Scheu vor solch einer Schwärmerei ruft er unmittelbar aus: sed relinquamus. Vgl. de Offic. III. §. 39: Negant id fieri posse. Quanquam potest id quidem; sed quaero cett." In altera ed. *Wolfius* e coni. scripsit: *formam suam: quanquam fortasse id quoque; sed:* quam quidem coniecturam etiam *Wes.* Em. I. p. 20. probavit, scilicet in eo lapsus, quod ad *fortasse!* supplet *animus videt formam suam*, quum simul negatio *non* ex antecedentibus repetenda fuerit.

motum] „Die innere Beweglichkeit der Seele, als einer *res vegeta.*" *Wolfius.* „Die Empfänglichkeit der Seele für jeden Eindruck." *Orellius.* Cf. ad 10, 20. Frustra *Bentleius* legendum suspicatur *motus celeritatem*, comp. c. 28, 70.

Cap. XXVIII. §. 68. *Ut quum videmus*] Particulae *ut* respondet §. 70. *sic mentem hominis* etc.

commutationesque — quadripartitas] V. N. D. II, 19.

ad maturitatem frugum] Vocabulum *maturitatis* Wolfius comparat cum nostro *Reife*, quod saepe pro *Zeitigung* usurpamus.

ad temperationem corporum] V. Adnotata in I. 10, 21.

moderatorem] Somn. Scip. 4 Sol — dux et princeps et *moderator* luminum

lunamque accretione et deminutione[2] luminis quasi fastorum notantem et significantem[2] dies; tum in eodem orbe, in duodecim partes distributo, quinque stellas ferri eosdem cursus constantissime servantes disparibus inter se motibus; nocturnamque caeli formam undique sideribus ornatam; tum globum terrae eminentem e mari, fixum in medio mundi universi loco, duabus oris distantibus habitabilem et cultum, quarum altera, quam nos incolimus,

Sub áxe posita ad stéllas septem, unde[3] *hórrifer*
Aquilónis stridor gélidas molitúr nives,

altera australis, ignota nobis, quam vocant Graeci *ἀντίχθονα;* 69. ce-

2 v. Adn. 3 Nonius p. 348; 18. habet *ubi;* sed *unde* exquisitius dictum. Bene Or: *woher* Aq. den Schnee *herbewegt*, *herweht.*

reliquorum, mens mundi et temperatio: ad quem locum v. Macrob. I, 20.

deminutione] Sic recte Or. c. R. Gud. J. Marb. et edd. vett. L. D. pro vulg. *diminutione. Diminui* enim dicuntur res, quae in diversas partes minuuntur, h. e. dissecantur, discinduntur atque ita destruuntur; *deminui* autem res, quae decrescunt quidem et attenuantur, sed ita, ut non plane dissolvantur. V. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 10. (qui laudat *Oudendorp.* ad Sueton. Caes. c. 5.) et *Herzog.* ad Caes. B. G. VII, 32.

luminis, quasi fastorum, notantem et significantem dies] Iunge: *quasi fastorum dies, gleichsam die Tage im Kalender.* Vocabulum *fastorum* a regente *dies* diiunctum est, quo gravius efferretur; nam in eo comparationis vis posita est. V. nos in Gr. L. §. 167, 6. *Klotzius* iunxit sic: dem. *luminis, quasi fastorum,* notant., verba *quasi fastorum* appositionem voc. *luminis* esse existimans, improbatus a *Wesenberg.* Em. II. p. 18 sq. *Fasti* erant enumeratio et descriptio dierum, quod posteris temporibus *calendarium* vocabatur. *Orellius* recepit *Ernestii* coniecturam: *luminis quasi fastorum notis signantem dies*, elegantem illam quidem, sed non necessariam neque codicum auctoritate stabilitam. Nam *notis* pro *notantem et* in nullo cod. legitur; *signantem* pauci tantum deteriores codd. (El. 2. Vind. 1. duo Lall.) habent. Etiam *Davisius* recepit *signantem* comparatque Manil. I, 594. Senec. Cons. ad Marciam c. 18., ubi de eadem re *signare* dictum est; sed quum verbum *significandi* eandem vim habeat, verbumque *signandi* hac vi dictum magis poëtarum et posterioris aetatis scriptorum proprium esse videatur, omnis correctionis caussa tollitur. *Tregd.* inter verba *fastorum* et *notantem* posuit notam corruptelae.

orbe] N. D. II, 20. dicitur *orbis signifer.* Divin. II, 42: Vim quandam esse aiunt signifero in orbe, qui graece ζωδιακὸς dicitur. — Huius orbis duodecim partium nomina redacta sunt in hos versus:

Sunt aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo,
Libraque, scorpius, arciteneus, caper, amphora, pisces.

quinque stellas] Planetas, Saturnium, Iovem, Martem, Venerem, Mercurium.

in medio mundi loco] V. Adnotata in c. 17, 40. *Globus terrae* i. e. circulus aut orbis, qui κύκλος Graece dicitur, ut loquitur N. D. II. 18, 47.

duabus oris distantibus] Scil. media inter has duas temperatas zonas erat torrida. Zonarum brevem et elegantem descriptionem dedit Ovidius Metam. I, 48. ss. (Sunt quinque plagae vel zonae)

Quarum quae media est, non est habitabilis aestu;
Nix tegit alta duas; totidem inter utramque locavit
Temperiemque dedit, mista cum frigore flamma.

Moser addit Virg. Georg. I, 233—239. ibiq. Vossium, et sua ad C. de Rep. VI, 20. p. 495 sq. *Menkius* in Observv. ined. C. N. D. I. 10, 24. Tibull. IV. 1, 152 sqq.

Sub axe posita] Sunt trimetri tragici, ex Accii Philoctete (v. Nonium p. 346. Merc.) petiti. Disputat de eis *G. Hermannus* in Opusc. Vol. III. p. 127 sq. De *Aquilonis* sine *s* pronuntiando v. ad c. 9, 18.

stellas septem] Septentriones (ursam

teras partes incultas, quod aut frigore rigeant, aut urantur calore; hic autem, ubi habitamus, non intermittit suo tempore

Caelúm nitescere, árbores frondéscere,
Vités laetificae pámpinis pubéscere,
Rami bacarum ubértate incurvéscere[4],
Segetés largiri frúges, florere ómnia,
Fontés scatere[4], *herbis práta convestírier;*

tum multitudinem pecudum partim ad vescendum, partim ad cultus agrorum, partim ad vehendum, partim ad corpora vestienda, hominemque ipsum quasi contemplatorem caeli ac deorum cultorem atque

4 v. Adn.

minorem). N. D. II, 41: Quas nostri septem soliti vocitare Triones.

ἀντίζυγα] Somn. Scip. 6. (de Rep. VI, 20.) cingulus, in quo qui insistunt, adversa nobis urgent vestigia.

§. 69. *incultas*] V. ad c. 20, 45.

Caelum nitescere] Iambici senarii, quos *Hermannus* (Opusc. Vol. III. p. 128.) ex Ennii Eumenidibus, *Beier* ex Accii Philoctete petitos putat. Eleganter dicitur *caelum nitescere*. Lucret. I, 9: Tibi (Veneri) suaveis daedala tellus Summittit flores, tibi rident aequora ponti, Placatumque *nitet* diffuso lumine caelum.

Vites laetificae] Lucret. II, 1157: vineta *laeta*. Adiectiva in *ficus* exeuntia imprimis antiqui sermonis propria sunt in eoque saepe eadem vi usurpantur, qua postea simplicia. II. 9, 22. *vastificus*, 10, 25. *luctificus*, III. 19, 44. *regifice*, IV. 16, 36. *labificus*. de Or. III. 39, 157. *largificus*: ubi *Ellendt* Vol. II. p. 423 sq. addit *tristificus* (Cic. in Arateo carm. Divin. I, 7. et in carm. de consol. I, 12.), *ingratificus* (Accius ap. C. Sext. 57, 122.), *delenificus* (Lucil. ap. Fulgent. p. 567.). Cf. *Ochsner*. Ecl. Cic. p. 13. Pauca tamen, ut *magnificus*, *munificus*, *beneficus*, *honorificus*, in communi usu permanserunt. Etiam adiectiva in *fer* exeuntia antiqui sermonis propria sunt. Sic infra II. 9, 21. *anxifer*. 22. *aurifer*.

pubescere] N. D. I. 2, 4: caelique mutationes, quibus omnia, quae terra gignat, maturata *pubescant*. Ib. II. 15, 41. Virgil. Georg. III, 126. et Aen. IV, 514: *pubentes* herbae. Sic Theocrit. V, 109: Μή μευ λωβάσησθε τὰς ἀμπέλος· ἐντὶ γὰρ ἅβαι (h. e. ἡβῶσαι καὶ ἀκμάζουσαι): ubi v. Interpretes.

bacarum] *Bacae* saepe dicuntur de quovis arborum frugum genere. Supra c. 14, 31. Cat. 2: in arborum *bacis* terraeque frugibus.

incurvescere] Sic recte Or. c. plurimis codd. optimisque, ut R. Gud. 1., et plurimis edd. vett. Antiqui poëtae in deliciis habent ὁμοιοτέλευτα. Cf. infra c. 35, 85. Pauci codd. et edd. vett. cum Nonio p. 122. habent *incurviscere*: quod etiam *Ellendt* de Or. III. 38, 154. recepit adversantibus codicibus.

scatere] *Beier* ad Off. II, 3. p. 29. *herbis* pro gloss. habet; sed recte *Or.* monet, *scatere* hic paenultimam corripere. *P. Manutius* comp. Lucret. 5, 597. 950. Sic *fervo*, *strido*, *tergo*, alia, quae postea in *ferveo*, *strideo*, *tergeo* transierunt. V. quem *Moser* attulit, *K. L. Struvium* „Über d. Lat. Decl. u. Conj. p. 190 — 192.

ad vescendum] V. Adnot. in c. 23, 53.

contemplatorem caeli ac deorum cultorem] Sic scripsi e coniectura *Bouhierii*, probata etiam *Wesenbergio* Em. I. p. 32. et confirmata Rehd. Mon. 2. uno Ox. Ad eam scripturam ducunt R. Gud. 1. Vind. 2., in quibus legitur *ac deorum eorum cult.*; *eorum* natum est e geminatione antecedentium syllabarum: cuius in codd. frequentissimi erroris multa exempla collegit *Wes.* l. d. Ex prave addito *eorum c.* postea ortum est *eorumque c.*: quod legitur in Gud. II. 2. octo Oxx. Duisb. Mon. 1. Marb. Aug. et edd. vett. H. et D. et receptum est a Mos., Tr., Kl. in Add. p. 34. Or. c. reliquis paucissimis codd., sed omnibus fere edd. vett. edidit *ac d. ipsorumque c.*; at et *eorumque* et *ipsorumque* absurdum est; nam quomodo homo deos contemplari dici potest? Scriptura *ipsorumque* etiam Latinitati adversatur. Etiam vocabulo *deorum* offensus est *Bentleius*. Nam esse deos nondum probavit Cicero, sed ex hominis demum natura probaturus est. Quod quum acute perspexisset *Bentleius*, locum sic emendandum censuit: *cont. c.*

hominis utilitati agros omnes et maria parentia[4]: 70. haec igitur et alia innumerabilia quum cernimus, possumusne dubitare, quin iis[5] praesit aliquis vel effector, si haec nata sunt, ut Platoni videtur, vel, si semper fuerunt, ut Aristoteli placet, moderator tanti operis et muneris? Sic mentem hominis, quamvis eam non videas, ut deum non vides, tamen, ut deum agnoscis ex operibus eius, sic ex memoria rerum et inventione et celeritate motus omnique pulchritudine virtutis vim divinam[6] mentis agnoscito.

XXIX. In quo igitur loco est? Credo equidem in capite et, cur credam, afferre[1] possum. Sed alias, ubi sit animus[1]; certe quidem in te est. Quae est ei natura? Propria, puto, et sua. Sed

5 Sic pauci deteriores codd. et edd. vett. S. E.; Or. c. vulg. *his*. V. ad c. 3, 5. 6 Sic Or. c. Gud. 1. et reliquis codd. fere omnib. itemque plurimis edd. vett., R. unus Leid. unus Ox. Vind. 1. et aliquot edd. vett. *divinae:* quod Kl. a se receptum multis verbis defendit, postea tamen (Add. p. 35.) deseruit, ac iure quidem. Etiam *Ellendt.* ad de Or. I. 45, 199. Vol. II. p. 114. in defendenda scriptura *divinae* lapsus est. XXIX. 1 v. Adn.

ac terrarum cultorem. Voc. *deorum* oriri potuit ex compendio vocabuli *terrarum* male intellecto; mutato autem *terrarum* in *deorum*, addi necesse erat *eorumque.* Cf. N. D. II. 39, 99. (a *Klotzio* in Add. p. 35. allat.): Quid iam de hominum genere dicam? qui quasi *cultores terrae* constituti non patiuntur eam nec immanitate efferari, nec stirpium asperitate vastari. *Klotzius* l. d. legendum suspicatur: *c. caeli agrorumque cultorem.* Praeposterum quiddam inesse in verbis *ac deorum cultorem*, concedo quidem; sed huius rei culpam festinationi potius, qua Cicero hos libros scripsit, quam librariorum incuriae tribuendam existimo.

hominis utilitati agros omnes et maria parentia. Eleganter dictum. Bene *Orellius:* sie fugen sich, sind dienstbar dem Nutzen des Menschen. Paucissimorum codd. scriptura *patentia* non modo ieiuna est, sed etiam falsa; nam tum sine dubio Cicero scripsisset *usui* pro *utilitati*, uti recte monet *Orellius.*

§. 70. *effector*] V. nos in libro d. *de Cic. in philos. merit.* p. 181 sqq.

si haec nata sunt — si semper fuerunt] Sic Or. c. R. Gud. 1. II. 2. b. aliisque permultis et edd. vett. H. D.; *fuerint* habent omnes fere edd. vett. Sic utrobique indicativus legitur, utrique et Platonis et Aristotelis sententiae Cicero idem pretium statuisse censendus est; si vero legitur *fuerint*, Aristotelis de mundi aeternitate opinionem ut dubiam sibique non probatam proponere voluisse videtur: quae ratio sane habet, quo se commendet. De re ipsa cf. Acad. II. 37, 118: Plato ex materia in se omnia recipiente mundum esse factum censet a deo sempiternum. Aristoteles neque ortum esse unquam mundum cett. Ibid. 38, 119. Cf. supra c. 25, 63.

muneris] Verbum *muneris* proprie dicitur de ludis et spectaculis gladiatoriis, quae aediles populo praebent. Apte *Moser* comparat N. D. I. 9, 22: Quid autem erat, quod concupisceret deus mundum signis et luminibus tanquam *aedilis* exornare. H. l. eleganter mundus dicitur *munus dei*, h. e. quasi aedificium magnificum spectaculis aut oblectationi destinatum. *Kernius* vertit: *Schaugebäude.* V. *Ernestii* Clav. Cic. h. v. N. D. II. 35, 90: sic philosophi debuerunt — intelligere, inesse aliquem non solum habitatorem in hac *caelesti ac divina domo*, sed etiam rectorem ac moderatorem, et tanquam architectum tanti operis tantique *muneris.* *Orellius* comp. N. D. I. 8, 19: ministri tanti *muneris* (sc. mundi). *Seyffertus* ad Lael. 6, 22. p. 140. *munus* h. l. interpretatur *abgeschlossenes Revier.*

vim divinam mentis agnoscito] Quum iam antecesserit *mentem hominis*, verba *vim divinam mentis* quodammodo redundant. Cf. de h. l. quae congessimus in l. d. p. 182. 8).

Cap. XXIX. *afferre*] *Lambinus* legit *multa aff.*, nulla cogente necessitate; neque codicum Duisb. et Col. scriptura *rationem afferre* probanda est; saepe enim

fac igneam, fac spirabilem: nihil ad id, de quo agimus. Illud modo videto, ut deum noris, etsi eius ignores et locum et faciem, sic animum tibi tuum notum esse oportere, etiam si ignores et locum et formam. 71. In animi autem cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod quum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest, ne interire *quidem*[1] igitur. Est enim interitus quasi discessus et secretio ac diremptus earum partium, quae ante interitum iunctione aliqua tenebantur. His et talibus rationibus adductus Socrates nec patronum quaesivit ad iudicium capitis, nec iudicibus supplex fuit adhibuitque liberam contumaciam, a magnitudine

verbum *afferendi* absolute ponitur. Infra III. 23, 55: tantum modo *affert*, nihil evenisse, quod non opinandum fuisset. V. *Wopkens.* Lectt. Tull. III, 3. p. 344. H. et *Moserum* ad Divin. I, 30. p. 153.

alias, ubi sit animus] Sic R. Gr. Gud. 1. 2. H. b. multique alii codd. et ed. vet. H.: quam scripturam etiam recentiores editores iure receperunt et Or. quoque in ed. 1829. probat. Post *alias* supplendum est *dicemus;* hoc quidem certum est, animum esse in te. Or. in ed. priore c. multis edd. vett. legit *alias: nunc, ubiubi sit animus.* Sed *ubiubi* apud Ciceronem alibi non legitur; certe cum indicativo constructum esse debebat, ut apud Plaut. Asin. II. 2, 21. Casin. III. 4, 3. Terent. Enn. II. 3, 4. V. *Ramshorn.* Gr. L. §. 165. Not. 2. *Kühner.* Gr. L. §. 140, b) a). Adnotata ad IV. 17, 37. Aliae edd. vett. et Mon. 1. itemque, ut videtur, aliquot Oxx. exhibent: *Sed de hoc alias; nunc, ubi sit animus, certe* etc.; alii: *Sed alias; nunc ubi sit an.*

certe quidem] V. Adnotata in V. 20, 60.

propria et sua] Sic infra V. 7, 19: *propriis* enim et *suis* argumentis tractanda quaeque res est. I. 45, 109. ex *Lambini* emendatione: *suis* et *propriis* bonis. pro Caecin. 18, 51: *suis* certis ac *propriis* vocabulis: ubi v. *Iordan.* p. 221. In Sestiana 7. 15. etiam: *suis propriis periculis:* ubi v. interpretes.

§. 71. *plumbei*] obtusi, tardi. V. *Schütz.* Lex. Cic. h. v. Fin. IV. 18, 48: o *plumbeum* pugionem! (h. e. argumentum omni acumine destitutum). Ter. Heautontim. V. 1, 4: Quae sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, *plumbeus.*

nec secerni — nec distrahi] Haec vocabula, quae eandem fere vim atque potestatem habere videntur, respondent antecedentibus: *concretum, copulatum* etc.: quae et ipsa tenui notionum discrimine inter se differunt. Cf. *Goerenz.* ad Fin. I. 15, 50. p. 69.

ne interire quidem igitur] Sic c. Tr. de sententia *Madvigii* ad Fin. p. 818. scripsi pro vulg., quam recepit Or.: *nec interire igitur.* R. et Gud. 1. habent *ne* (Gud. 2. *ni*) *interire igitur.* V. Adnotata nostra in c. 26, 65: ne in deo quidem quicquam. Eadem conclusionis forma reperitur c. 34, 82: *ne in animo quidem igitur* sensus remanet. c. 36, 88: *ne carere quidem igitur* in mortuo est. Fin. V. 30, 91: *ne seges quidem igitur* est: ubi v. *Goerenz.* p. 647. Cf. ad c. 14, 32. N. D. III. 17, 43: *ne nymphae quidem deae igitur.* Num autem *ne* pro *ne — quidem* a veteribus scriptoribus dictum sit, post ea, quae disputavit *Madvigius* ad Fin. I. 11, 39. p. 82 sq., vehementer dubitandum est. Cf. *Gernhard.* ad Cat. M. p. 319.

nec patronum] V. de Orat. I. 54, 231: ubi v. *O. M. Müllerum*, et quae affert *Davisius* ad h. l.

nec patronum quaesivit —, nec iudicibus supplex fuit adhibuitque] Particula *que* non respondet antecedentibus *nec — nec*, sed adiungit tantum orationis membrum. Alia ratio est, ubi dicitur *nec — et*, aut *et — nec*, de quibus v. ad c. 4, 7. Ubi semel *nec* antecedit, deinde *que* sequitur, oratio ἀνακόλουθος est. V. *Madvig.* ad Fin. V. 22, 64. p. 730.

liberam contumaciam] Nobis: *edler Trotz, Stolz.* Comparat *Moser* Tac. H. I, 3: *contumax* etiam adversus tormenta fides. Quinctil. II, 4: maxima est in-

animi ductam, non a superbia, et supremo vitae die de hoc ipso multa disseruit et paucis ante diebus, quum facile posset educi e custodia, noluit, et tum paene in manu iam mortiferum illud tenens [1] poculum locutus ita est, ut non ad mortem trudi, verum in caelum videretur ascendere [1].

XXX. 72. Ita enim censebat itaque disseruit: duas esse vias duplicesque cursus animorum e corpore excedentium. Nam qui se humanis vitiis contaminavissent et se totos libidinibus dedissent [1], quibus caecati vel [2] domesticis vitiis atque [3] flagitiis se inquinavissent,

XXX. 1 v. Adn. 2 Sic Or. c. D. de egregia Bentleii coni. pro vulg. *velut*. 3 Verba *vitiis atque* Tr. uncis inclusit, quia ineptum sibi videretur repeti, quod iam in universum dictum esset: *qui se humanis vitiis contaminavissent*. At, inquit *Wes.* Em. II. p. 19., quoniam generalis illa sententia iis, quae sequuntur (*et — concepissent*), explicatur et dividitur, nihil est, cur Cic. non potuerit priorem partem *humanorum vitiorum* rursus partiens leviora ac *minus turpia* (ut avaritiam, luxur., al.) a *flagitiis* distinguere (cf. geminum loc. Consolat. p. 490. ed. Or. *vitiis et sceleribus contaminatos*) atque *vitiorum* nomine in angustius contracto appellare. Cf. Fin. II. §. 93: in flagitiosa atque vitiosa vita.

nocentiae *contumacia*. *Doederlin*. Lat. Synon. u. Etym. IV. p. 180. Aliis locis haec vocabula in malam partem accipiuntur. *Wolfius* comparat Socratis μεγαληγορίαν, a Xenophonte Apol. §. 1. commemoratam.

de hoc ipso] Scil. de animorum immortalitate. Sic apud Graecos αὐτὸ τοῦτο de eo, in quo disputationis cardo versatur. V. nos ad Xenoph. Commentar. III. 12, 2.

et tum — tenens] Sic c. Kl. scripsi e R. et Gud. 1.: neque aliter Gud. II. Aug. Duisb. unus Ox., nisi quod *cum* pro *tum* habent; Gud. 2. Marb. unus Ox. ed. vet. H. et *paene — tenens;* reliqui *et quum p. — teneret*, uti Or. edidit; Tr. *tum* uncis seclusit. At firmissime stant *tum* et *tenens*. Participium enim additum est tanquam ἐπεξήγησις adverbii *tum*. Lael. 15, 53: quod Tarquinium ferunt, *tum exsulantem* se intellexisse, quos fidos amicos habuisset: ubi v. *Seyffert*. p. 348. Pluribus exemplis hunc participii usum persecutus est *Car. Halmius* ad or. p. Sull. 7, 21. p. 73.

ascendere] Or. recentioresque edd. c. D. scripserunt *escendere*, quod est in R. et Gud. 1., pro vulg. *ascendere:* quod huic loco multo magis convenit. *Escendere* enim et propria et tropica significatione est nostrum *ersteigen*, quod locum habet, quum de altitudine et virium contentione agitur; *ascendere besteigen, aufsteigen*. V. *Bremium* ad Cornel. Nep. Themist. VIII, 6. p. 53. Sic de Amic. XXIII, 88: *Si quis in caelum ascendisset*. Parad. I. 2, 11: *ascendit in caelum:* quae scriptura etsi tantum non omnium librorum est, tamen *Orellius* edidit *escendit:* quanquam, ut ipse dicit, loco certo de Legg. II, 8. legitur: *adscensus in caelum*. Cf. *Ochsner*. Ecl. Cic. p. 226. *Moser* h. l. *escendere* ob opposit. *ad mortem trudi* recepit. Recte infra V. 9, 24. in optimis libris legitur: in rotam beatam vitam non *escendere*. Quanquam complures apud veteres scriptores reperiuntur loci, in quibus, si scriptura vera est, verbum *escendendi* pro verbo *ascendendi* positum videatur. Cf. *Beier*. ad Off. III. 20, 80. p. 334.

Cap. XXX. §. 72. *Ita enim censebat*] Omnes quae hic proferuntur Socratis sententiae petitae sunt et expressae ex Platonis Phaedone aliisque eiusdem philosophi scriptis. Comparatu dignissima sunt quae idem Cicero in eandem rem in Somnio Scipionis disputavit, ut sub fin. (c. 9. de Rep. VI, 20.): Nam eorum animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt earumque se quasi ministros praebuerunt impulsuque libidinum voluptatibus obedientium deorum et hominum iura violaverunt, corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur nec in hunc locum, nisi multis exagitati saeculis, revertuntur. Cf. *Stallbaum*. ad Platon. Phaedon. p. 62. B.

itaque disseruit] De imperfecto *censebat* et de perfecto *disseruit* disputat *Moser* sic: ita *semper* sentiebat; sed tum, supremo vitae die, *semel* ita locutus est. Quam rationem ego quidem probare non possum. Immo res sic expedienda videtur. Quum hanc sententiam *sequeretur*,

vel re publica violanda fraudes inexpiabiles concepissent, iis devium quoddam iter esse, seclusum a concilio deorum; qui autem se integros castosque servavissent, quibusque fuisset minima cum corporibus contagio, seseque ab iis[4] semper sevocavissent[5] essentque in corporibus humanis vitam imitati deorum: his[6] ad illos, a quibus essent profecti, reditum facilem patere. 73. Itaque commemorat, ut cygni, qui non sine caussa Apollini dicati sint[7], sed quod ab eo divinationem habere videantur, qua[8] providentes, quid in morte boni

4 Sic scripsi c. edd. S. E.: Or. c. vulg. *his*. V. ad c. 3, 5. 5 Sic R. Gud. 1. II. 2. multique alii et mult. edd. vett.: Or. c. vulg. *sevocassent*. 6 Tr. perverse edidit *iis*. V. ad c. 3, 5. 7 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. 2. aliisque permultis pro vulg. *sunt*. 8 Edd. vett. multae *quia*; D. coni. *quasi — moriuntur*. Frustra; v. Adn.

ita *disseruit*. Imperfectum secundariam, perfectum primariam rem significat. Cf. ad c. 2, 4: *floruerunt discebantque*, c. 35, 86. et nos in Gr. L. §. 107, 7. *Itaque* est *et ita*. Cf. Lael. 6, 22: ubi v. *Seyffert*. p. 141. de Fin. III. 2, 10: Sed resideamus, inquit, si placet; *itaque* fecimus. Sic saepius *itaque* pro *et ita* apud Ciceronem legitur. V. *Stürenburg*. ad or. pro Arch. §. 31. p. 188.

humanis vitiis] Plato Phaedon. p. 84. B: ἀνθρωπίνοις κακοῖς, h. e. quibus homines plerique pro naturae suae imbecillitate sunt obnoxii. Cicer. Fragm. 88. Hortensii p. 486. Or.: „quominus se (animi) admiscuerint atque implicuerint *hominum vitiis* atque erroribus." *Orellius* comparat Velleium II. 25, 2. de Catone: omnibus *humanis vitiis* immunis. De seq. *animorum — corpore* v. ad II. 23, 54.

se totos libidinibus dedissent] Sic cum *Mosero* edidi ex omnibus fere codd. optimisque, ut R. Gud. 1., et nonnullis edd. vett.; Or. c. vulg. *dedidissent*. Utrumque recte dicitur; utrum igitur praeferendum sit, e codd. decernendum est. Bene *Klotzius* in Add. p. 37. *se dare* vertit *sich hingeben*, *se dedere sich ergeben*. Illud sine dubio minus grave est, quam hoc. Si scriptura *dedidissent* maiore codicum auctoritate niteretur, lubenter praetulissem, quia Cicero hoc verbo in eadem re utitur de Rep. VI, 26: se corporis voluptatibus *dediderunt*. Cat. M. 13, 43. scriptura fluctuatur inter: quum se voluptatibus *dediderunt* et inter *dederunt*. Infra V. 39, 115. plurimi et optimi codd. habent: huic discendi quaerendique divinae delectationi toto se animo *dedissent*.

domesticis vitiis] H. e. in rebus privatis, in vita privata. Paullo post *fraudes* sunt facinora, flagitia, scelera vel sceleris impie commissi noxa. Divin. I. 4, 7: impia *fraude* obligari. Legg. I. 14, 40: angore conscientiae *fraudisque* cruciatu. De verbo *concipiendi* comparat *Moser* Legg. III. 14, 32: vitia *concipiunt*. Off. I. 34, 123: senectus *concipit* dedecus.

quibusque fuisset — contagio seseque — sevocavissent] Dictum pro: *quique* sese — sevocavissent. Pronomen *qui* ex antecedenti *quibus* repetendum est. Infra II. 25, 61: „Posidonius, quem et ipse saepe vidi et id dicam, quod solebat narrare Pompeius" pro: et *de quo* id dicam etc. V. *Madvig*. Opusc. Acad. alt. p. 177. et nos in Gr. L. §. 145, 14.

in corporibus humanis — deorum] Expende elegantissimam verborum collocationem. V. ad 6, 11.

§. 73. *ut cygni*] Platon. Phaed. p. 84. E. et p. 85. B: οἱ κύκνοι — τοῦ Ἀπόλλωνος ὄντες μαντικοί τέ εἰσι καὶ προειδότες τὰ ἐν ᾅδου ἀγαθὰ ᾅδουσί τε καὶ τέρπονται ἐκείνην τὴν ἡμέραν διαφερόντως ἢ ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ. De cygnorum in morte cantu, antiquitus maxime celebrato, multos e veteribus scriptoribus testes excitavit *Davisius* ad h. l. *Heindorf*. ad Plat. l. d. p. 124. laudat doctam *I. H. Vossii* disputationem in *Mytholog. Br.* T. II. p. 98 sqq.

Apollini dicati] Hinc apud Platon. l. d. cygni audiunt Apollinis θεράποντες: ubi v. quae contulit *Heindorf*. p. 124. *Menkius* in Observv. ined. laudat *Spanhem*. ad Callimach. H. Apoll. 5.

qua providentes] Exspectabas *qua provident*. Verba enim sequentia *cum cantu et voluptate moriantur* referenda sunt ad praegressa verba: *ut cygni*. Cicero igitur structura excidit: quam Lambinus restituturus legendum coniecit *ut cygnis:*

sit, cum cantu et voluptate moriantur; sic omnibus bonis et doctis esse faciendum. Nec vero de hoc quisquam dubitare posset, nisi idem nobis accideret diligenter de animo cogitantibus, quod iis saepe

quae tamen emendatio ab huius loci sententia alienissima est. Saepe enim fit, ut enuntiationis quae alia interpositione interrumpitur continuatio hac interpositione quasi attrahatur eiusque formae adaptetur. Similiter Brut. 27, 105: hunc qui audierant prudentes homines, *in quibus familiaris noster L. Gellius — canorum oratorem fuisse dicebat* pro *in quibus Gel. fuit, — dicebant.* V. *Krüger.* Untersuchungen a. d. Gebiete d. Lat. Sprachl. III. Heft. §. 165. p. 451 sq. *Kühner.* L. Gr. §. 164, 2. *Wopkens.* Lectt. I, 7. p. 39 sq. et Adnotata nostra ad c. 36, 88.

bonis et doctis] *Wyttenbachius* ad Plat. Phaedon. p. 225. bene observavit *doctos* intelligendos esse h. l. *philosophos* (vel potius *sapientes*).

quod iis saepe usu venit] H. e. quod iis saepe accidit. Pro *usu venit* Duisb. habet *usu evenit:* quo item ducit unus Ox., qui exhibet *visu evenit.* De locutionibus *usu venire* et *usu evenire* multi viri docti disputarunt saepeque vehementer sunt inter se digladiati. Ut alios omittam, profero *Goerenzium* ad Fin. V. 2, 4. p. 534., *Gernhardum* ad Cat. Mai. III, 7., *Beierum* ad Offic. III. 3, 15. p. 206., *Ellendt.* ad Brut. XLIV, 229. p. 166., *Bremium* ad Corn. Nep. Hann. XII, 3. p. 346., *F. Lindemannum* in *Seebod.* Archiv für Philol. 1826. I. 5, 6. p. 139. et ad calcem edit. librorum ad Herenn. p. 699—703., *Ottonem* in Exc. ad Cat. M. p. 224 sqq., denique eum, qui de illis locutionibus omnium eruditissime acutissimeque exposuit, *Orellium* ad h. l. in ed. hor. libr. peculiari ad *F. A. Wolfii* scholas p. 354 sqq. Excussis virorum doctorum disputationibus, delibare mihi inde liceat in iuventutis studiosae gratiam, quae de iis scitu sunt digna. Significatio non est dubia. Saepe enim, ut h. l., *usu venire* et *accidere* ita a Cicerone iunguntur, ut eandem plane significare videantur notionem variandaeque orationi inservire. Cf. N. D. I, 21: quod in illo mihi *usu* saepe *venit*, idem modo, quum te audirem, *accidebat.* Adde de Inv. I. §. 80. pro Sex. Roscio §. 42. Cat. Mai. §. 7. Ubi futurum in *urus* adhibendum erat, locutio *usu venire* commodiorem formam (*usu venturum*), quam verbum *accidere* (*fore, ut accidat*) suppeditabat. Hinc ad Famil. III, 8: quum praesertim mihi *usu venturum* non putarem. Antiquiores scriptores, ut Plautus, Terentius, dicebant *usus venit*, es kommt der Gebrauch, der Fall (accidit, ut opus sit, Cato de R. R. IV, 2: si quid usus venerit). Et sic etiam apud Ciceronem reperitur *si usus fuerit.* Sed in locum locutionis *usus venit* Ciceroniana aetate succedebat *usu venit* pro accidit. Transitum ab hac ad illam locutionem videmus apud Terentium Phorm. I. 2, 23: Dav. O Geta, provinciam cepisti duram. G. *Mi usus venit hoc*, scio cett. „mich traf einmal das Loos.“ Quae dicendi ratio quum durior haberi coepta esset, Ciceroniana aetas, fortasse iam prius suppressa in pronuntiatione littera finali *s* decepta, pro *usus* dicebat *usu venit* i. e. experientiâ offertur, casu fit. Sic *Orellius* iudicat. *Otto* contra *usu venire* ortum esse putat ex *usui venire;* dativum enim IV. declinationis antiquitus terminari in *u;* ablativi vim (durch den Gebrauch, bei dem Gebr. kommen) apte explicari non posse, quum haec formula significet *es kommt für den Gebrauch, zum Gebr., usui se offert, venit rei usus, accidit.* Pro *usu venire* in veterum scriptorum exemplaribus saepe legitur *usu evenire;* inter utramque locutionem *Goerenz.* l. d. id statuendum censet discrimen, ut *usu venire* dicantur, quae certis quibusdam conditionibus semper fere et certa quadam ex regula eveniant, quod secus esse in verbo composito. Verum quum primum plurimis locis *usu venire* sine varianti scriptura *usu evenire* reperiatur, tum non paucis quidem locis, sed in recentioribus tantum et deterioribus MSS. haec scripturae varietas compareat, scriptura *usu venire* contra optimorum codd. auctoritate munita sit, nullus denique locus excitari possit, in quo *usu evenire* ab omnibus codd. exhibeatur: vix dubitandum videtur, quin scriptura *usu evenire* ex interpretatione locutionis *usu venire* per adscriptum vocabulum *evenire* profecta sit. Adde, quod aliis quoque locis in MSS. permutantur *venire* et *evenire* et, ut eleganter docet *Orellius*, in locutione *usu venire* Italicis librariis eo facilior fuit corruptela, quod Italice *questo avvien per uso*, neque *questo viene per uso* dicitur. De collocatione denique *Orellius* docet, rarius dici *venire usu*, quam *usu v.* (ap. Cic. tantum ad Att. VII, 26.), itemque *usu v.* nonnunquam

usu venit, qui quum[9] acriter oculis deficientem solem intuerentur, ut adspectum omnino amitterent; sic mentis acies se ipsa[1] intuens nonnunquam hebescit, ob eamque caussam contemplandi diligentiam

9 Oxx. aliq. et complures edd. vett. om. *quum*: quod probat Wes. I. p. 32., qui *intuerentur* frequentativum coniunctivum esse dicit: quod probare non possum; v. Adn. 1 v. Adn.

interiectis aliis vocabulis dirimi: quod fuerunt qui negarent. Cf. de Orat. I. §. 183: quod usu memoria patrum venit. N. D. I. §. 59: mihi usu saepe venit. Fin. V, 4: usu hoc venire.

qui quum acriter — intuerentur] Haec ad verbum paene expressa sunt e Platonis Phaedone p. 99. D: μὴ πάθοιμι, ὅπερ οἱ τὸν ἥλιον ἐκλείποντα θεωροῦντες καὶ σκοπούμενοι· διαφθείρονται γάρ που ἔνιοι τὰ ὄμματα, ἐὰν μὴ ἐν ὕδατι ἤ τινι τοιούτῳ σκοπῶνται τὴν εἰκόνα αὐτοῦ. Ceterum si huius loci scriptura, qualis in edd. vulgo exhibetur, vera est, Cicero coeptam verborum consecutionem deseruit. Dicendum enim erat: *quod iis saepe usu venit*, qui *acriter — intuentur, ut adspectum omnino amitterent* vel *quod iis saepe usu venit, qui, quum — intuerentur, adspectum omnino amiserunt.* Cf. V. Scr.

se ipsa intuens] Sic Or. c. R. Gud. 1., vetere cod. Lambini, El. 1. Exspectamus h. l. *se ipsam*, quod vulgo legebatur; nam nominativus *ipsa* ponitur, ubi subiectum subiecto opponitur. Supra c. 23, 54. recte Bentleius correxit *quae se* ipsa — *moveat* pro vulg. *ipsam*. Animus enim *ipse* (non alius) se movet. Cf. c. 11, 24. Ubi autem obiectum obiecto opponitur, *ipse* in eodem quo obiectum casu ponitur, cf. IV. 33, 71: quid denique homines lectissimi et summi de *se ipsis* et *carminibus* edant. V. 12, 36: ubi v. Adn. 26, 73. At observandum est, haud paucos reperiri locos, in quibus, etiamsi sententiae ratio postulet, ut obiectum obiecto opponatur, tamen nominativus *ipse* ponatur. Quae fuit caussa, ut praestantissimorum codicum auctoritatem h. l. sequendam ducerem. Cf. ad Famil. I. 1, 1: ego omni officio ac potius pietate erga te *ceteris* satisfacio *omnibus*, *mihi ipse* nunquam satisfacio. IV. 17, 37: *sibi ipse* placatus. V. nos in L. Gr. §. 122. Adnot. 14. Itemque semper nominativus *ipse* ponitur, quum pronomini reflexivo praemittitur, ut Fin. V. 10, 28: si quis *ipse* sibi inimicus est: ubi v. *Madvig*. p. 663. Ibid. 29: *ipsi* sibi bellum indixissent. 30: *ipse* se oderit. Quare infra II. 4, 11. legendum est: qui obtemperet *ipse* sibi, quamvis optimi codd. R. et Gud. 1. adversentur. Ubi enclitica *met* aut *te* pronomini personali adhaeret, Cicero semper fere pronominis *ipse* formam illius formae accommodavit; ac recte quidem, quandoquidem tum oppositionis vis in obiecto posita est. Cf. I. 34, 83: *nosmet ipsos* — consolati sumus. 46, 111: ne *nosmet ipsos* amare videamur. II. 21, 47: ne *nobismet ipsis* imperemus. III. 3, 6: ut *nosmet ipsi* nobis mederi possimus. 29, 73: *nosmet ipsos* amemus. Pauci apud Ciceronem contrarii reperiuntur loci, ut Off. I. 32, 115., ubi fluctuatur quidem scriptura, sed sententia requirit *nobismet ipsi*, uti recte edidit *Beier*. (Apud alios scriptores res aliter se habet, ut Sall. Iug. 18, 7: *semet ipsi* Numidas appellavere. V. *Kritz*. ad Sall. Cat. 20, 6. p. 100.) Idem valet de forma *sese*. Hinc supra c. 27, 67. scriptura *sese ipse* a nobis reiecta est. Exemplorum in quibus *ipse* recto casu ponitur nubem coegerunt *Cortius* ad Sallust. Catil. 20. *Oudendorp*. ad Caes. B. G. II, 25. *Vesterhov*. ad Terent. Andr. III. 1, 15. *Burmann*. ad Ovid. Metam. X, 523. alii. Sed hi plerique omnes magnis in erroribus versantur. Nostra demum memoria utriusque structurae discrimen recte constitutum est. Ut alios omittam, in primis comparandi sunt *Ernestius* Clav. v. *ipse*. (cum quo cf. *Schütz*. Lex. Cic.) *Bremius* ad Cic. de Fato c. 11. p. 47 sqq. *Ochsner* Ecl. Cic. p. 33 sq. *Beier* ad Offic. I. 32, 115. p. 246 sq. *Kritzius* ad Sall. l. d. *Ramshorn*. L. Gr. §. 157. *Kühner* L. Gr. §. 122, 8.

sic mentis acies etc.] Etiam haec enuntiatio negligentius adiuncta est. Oratio ad grammaticae normam sic composita esse debebat: *quod iis saepe usu venit, qui acriter oculis deficientem solem intuentur. Nam ut hi adspectum amittunt, sic mentis acies* etc. Quem *Klotzius* e *Ramshorn* L. Gr. §. 208. attulit locum: Fin. III. 11, 38., alius generis est. Cicero per *sic* orationem continuavit, quanquam non enuntiatio comparativa praemissa est, sed comparatio tantum ipsa in antecedentibus verbis latet. Haec saepius est caussa orationis ἀνακολούθου.

amittimus. Itaque dubitans, circumspectans, haesitans, multa adversa reverens [2], tanquam in rate [3] in mari immenso, nostra vehitur oratio [1]. 74. Sed haec et vetera, et a Graecis. Cato autem sic abiit e vita, ut caussam moriendi nactum se esse gauderet. Vetat enim dominans ille in nobis deus iniussu hinc nos suo demigrare; quum vero caussam iustam deus ipse dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, saepe multis: nae ille, mediusfidius, vir sapiens laetus ex

2 Sic Or. c. L. 1566. et El. 3. Med. pro vulg. *revertens;* Ern. coni. *refugiens;* v. Adn. 3 Sic R. Gud. 1. II. 2. b. Gr. aliique multi et nonnull. edd. vett.; Or. c. aliis *tanquam rate;* alii *tanquam ratis.*

multa adversa reverens] Rariore significatione pro *verens*, uti dicitur: vereor reprehensionem, periculum (v. Lexx.); sed compositum rem gravius significat, quam simplex, cf. *fugio* et *refugio* periculum. Terent. Phorm. II. 1, 5: simultatem *revereri*. Cic. de Orat. II. 28, 122: dicam enim non *reverens* assentandi suspicionem. V. *Orellium* ad h. l. et *Forcell.* Thes. Lat. v. *reverens*. Ceterum cf. V. Scr. Uti tota comparatio, e Platonis Phaedon. p. 85. D. ducta, est poëtica, ita oratio poëticum quendam colorem prae se fert, ut exstiterint, qui in his verbis veteris alicuius poëtae versum latere suspicarentur.

tanquam in rate in mari immenso, vehitur oratio] In hac quoque comparatione Tullius noster Platonis vestigia pressit. Phaedon. p. 85. D: δεῖ — τὸν γοῦν βέλτιστον τῶν ἀνθρωπίνων λόγων λαβόντα καὶ δυςξελεγκτότατον ἐπὶ τούτου ὀχούμενον, ὥςπερ ἐπὶ σχεδίας, κινδυνεύοντα διαπλεῦσαι τὸν βίον. Omnino maxime blandita est veteribus scriptoribus haec imago, quam variis modis expresserunt. V. locos e Latinis poëtis a *Davisio* excitatos, et *Stallbaum.* ad Plat. l. d. *Menkius* in Observv. ined. comp. Plat. de Rep. III. p. 394. D: ὅπῃ ἂν ὁ λόγος ὥςπερ πνεῦμα φέρῃ, ταύτῃ ἰτέον. *Ast.* ad Plat. Legg. X, 6. p. 893 B. Animadv. p. 480. Ceterum W. de Lamb. coni. pro *oratio* dedit *ratio*, uti etiam in R. (*Tregd.*) legitur. At Graecum λόγος et *rationem* et *orationem* significat. Oratio rationis notionem quasi involutam habet. Assentior *Mosero*, qui acute vidit Platonicum λόγον a Cicerone intellectum esse orationem, ut persona quaedam ei et quasi ὑπόστασις tribueretur. De verborum *rationis* et *orationis* in codd. confusione v. eundem ad N. D. I, 37. p. 167. III, 1. p. 495. ad Legg. I. 28, 48. p. 116.

§. 74. *et a Graecis*] Praepositio *a* significat id, quod proficiscitur (ducitur) ab aliquo. Cf. de Or. II. 70, 285: *ab hoc* vero *Crasso* nihil facetius. Ibid. I. 13, 55: Sed vide, ne hoc, Scaevola, totum sit *a me:* ubi v. *Ellendt.* Vol. II. p. 40 sq. V. *Hand.* Tursell. Vol. I. p. 16 sqq. et nos ad II. 3, 7: qui sunt ab ea displina.

Cato autem sic abiit e vita], M. Porcius Cato Uticensis, disciplinae Stoicae addictus, in bello civili, Pompeium inter et Caesarem gesto, Pompeianas partes secutus, quum Caesar summa rerum potitus esset, Uticae, Africae urbe, perlecto antea Platonis de animorum immortalitate libro, qui *Phaedo* inscribitur, manum sibi intulit (46 a. Chr.). Multae enim veterum philosophorum, ut Pythagoreorum, Platonicorum, Stoicorum, scholae statuerunt, nisi iusta caussa ab ipso deo data, hominibus non licere e vita demigrare. Pulcherrime de eadem re e Platonis sententia Cicero disserit in Somn. Scip. de Rep. VI. 15. Cf. de Senect. c. 20. 21. Alia comparavit *Davisius* ad hunc locum. De Stoicorum sententia v. *D. Tiedemannum* in: System d. Stoisch. Phil. III. p. 309 sq.

dominans ille in nobis deus] Cf. *Ovidii* locum supra ad c. 26, 64. laudatum. Adde Adnotata ad §. 65: *Euripides.* Ceterum toto hoc loco usque ad §. 76. Tullius noster Platonis (Phaedon. p. 61. E. usque ad p. 68.) vestigiis institit.

quum vero — dederit — nae ille — excesserit] Duplex futurum exactum a veteribus scriptoribus ponitur, quum res in apodosi expressa eodem quo altera in protasi expressa temporis puncto eventum habere dicitur. V. *Matthiaeum* ad IV. or. in Catil. 6, 11. *Beierum* ad Offic. III. 6, 30. p. 232. Cf. infra II. 6, 16: quam quis ignominiam non *pertulerit*, ut effugiat dolorem, si id summum malum esse *decreverit?* pro Milone 36, 99: praeclare enim *vixero*, si quid mihi *acciderit* prius, quam hoc tantum mali *videro*. V. nos in Gr. L. §. 107. Not. 11.

his tenebris in lucem illam excesserit. Nec tamen illa vincla carceris ruperit, (leges enim vetant;) sed tanquam a magistratu aut ab aliqua potestate legitima, sic a deo evocatus atque emissus exierit. *Tota* enim *philosophorum vita*, ut ait idem, *commentatio mortis est.*

XXXI. 75. Nam quid aliud agimus, quum a voluptate, id est, a corpore, quum a re familiari, quae est ministra et famula corporis, quum a re publica, quum a negotio omni sevocamus animum? quid,

Adde *Madvig.* Opusc. ac. alt. p. 83 sqq.

saepe multis] *Saepe multi* est: multi alius alio tempore. de Amic. I, 2: Cum saepe multa, tum memini — in eum sermonem illum incidere. V. *Gernhard.* ad Offic. I. 22, 74. *Beier.* ad Off. II. 6, 20. p. 47. Sic Graeci dicunt πολλὰ πολλάκις.

nae ille] Observent tirones, particulam affirmativam *nae* ab aureae aetatis scriptoribus cum pronomine iungi solere. Infra c. 42, 99: *nae ego.* III. 4, 8: *Nae ista* gloriosa sapientia non magno aestimanda est. V. *Forcellin.* Thes. Lat. h. v. *Wolfium* ad h. l. *Ruddimann.* Inst. L. L. II. p. 312. *Kühner.* L. Gr. §. 133, 2, A) a). — *mediusfidius* i. e. *me dius* (i. e. Διός) *fidius* (i. e. *filius;* cf. *dacrima* pro *lacrima* etc.) iuvet. Cf. *K. L. Schneider.* Lat. Elementarl. I. p. 254 sq.

illa vincla carceris] *illa* recte *Moser* explicat ea, quibus adstrictus in corpore tenetur. Pro *carceris Bentleius* legendum coniicit *corporis*, ut Divin. I, 49: disiunguntque se a societate divina, *vinclis corporis* impediti. *Moser* addit Lael. 4, 14: evolet tanquam e custodia *vinclisque corporis.* de Rep. VI, 14: qui ex *corporum vinclis*, tanquam e carcere, evolaverunt. Coniecturam illam sane quam elegantem esse, quis neget? At omnium librorum scriptura firmissimo pede stat, quam *Moser* paucis his verbis optime tuetur: Nostro loco breviloquentia Tullius utitur, non peiore ea, qua illis duobus locis usus est, copia. *Menkius* l. d. comparat Lucan. VI, 721. claustra carceris.

tanquam a magistratu —, sic a deo] Infra V. 5, 13: *tanquam* levia quaedam vina nihil valent in aqua, *sic* Stoicorum ista magis gustata, quam potata delectant. Sic: *quasi — sic*, ut infra V. 3, 9. de Sen. 19, 71: ubi v. *Gernhard.* p. 135. V. nos in Gr. L. §. 155, 1. De *aliqua* v. ad III. 14, 29.

tota enim philosophorum vita, ut ait idem, commentatio mortis est] Sententiae sic cohaerent: vir sapiens, a deo evocatus, ex his tenebris in lucem illam excedet animo laetissimo; nam per totam vitam id egit, ut secerneret a corpore animum, h. e. mori disceret. *Commentatio* proprie dicitur de oratorum meditatione. V. *Schütz.* Lex. Ciceron. h. v. Tum vero ad aliarum quoque rerum cogitationem v. meditationem ante exercitationem transfertur. Eleganter *Kernius: Todesbetrachtung.* Sic infra II. 18, 42: de exercitatione et consuetudine et *commentatione* (sc. ferendi doloris) dixi. Cf. III. 16, 34: *commentatio* parendi. II. 18, 42. non de animo, sed de corpore dicitur, ut de Or. III. 23, 86: Magister hic Samnitium (i. e. gladiatorum) summa iam senectute est et quotidie *commentatur:* ubi tamen *Ellendt.* (Vol. II. p. 394.) tecte significari putat leges et rationem artis suae magistrum gladiatorum dictatis, quae vocabantur, docuisse. Est Graecum μελέτη, μελέτημα. V. *Passov.* Griech. Lexik. h. v. Verba ipsius Platonis, quem respexit Cicero, sunt in Phaedon. p. 67. D: Τὸ μελέτημα αὐτὸ τοῦτό ἐστι τῶν φιλοσόφων, λύσις καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος; cum quo loco multa contulit *Davisius* ad h. l.

Cap. XXXI. §. 75. *a voluptate, id est, a corpore*] Exspectamus potius *a corpore, id est, a voluptate;* nam de corpore agitur; sed saepius Cicero primo loco ponit rem novam, deinde per *id est* adiungit rem notam vel commemoratam. V. *Madvigium* ad Fin. I. 10, 33: „similique sunt in culpa, qui officia deserunt *mollitia animi, id est, laborum et dolorum fuga.*“ Ibi antea non mollitia animi, sed laborum et dolorum fuga commemorata erat. Eadem ratio est, ubi primum Latinam interpretationem, deinde Graeca ponit, uti III. 27, 65: Quid ille Terentianus *ipse se poeniens, id est* ἑαυτὸν τιμωρούμενος. Eadem fere vi aliis locis a Cicerone usurpantur verba *id est enim.* V. ad V. 3, 9. De seqq. *id est, consuescamus mori* v. ad III. 13, 27.

inquam, tum agimus, nisi animum ad se ipsum advocamus, secum esse cogimus maximeque a corpore abducimus? Secernere autem a corpore animum, nec quicquam aliud, est mori discere[1]. Quare hoc commentemur, mihi crede, disiungamusque nos a corporibus, id est, consuescamus mori. Hoc et, dum erimus in terris, erit illi caelesti vitae simile, et, quum illuc ex his vinclis emissi feremur, minus tardabitur cursus animorum. Nam qui in compedibus corporis semper fuerunt, etiam, quum soluti sunt, tardius ingrediuntur, ut ii, qui ferro vincti multos annos fuerunt. Quo quum venerimus,

XXXI. 1 Sic Or. e Bentl. coni., quam confirmant Gud. 1. II.; eodem ducunt R. ex coll. Kr. et antiquissimus cod. Bentl., in quibus est *nec quidquam* (*quicquam*) *aliud emori discere;* vulgo (etiam R. ex coll. Gud.) *nec q. aliud est quam emori d.;* duo Oxx. Gud. 2. Aug. habent *nisi* pro *quam; mori* pro vulg. *emori* etiam b. et Marb. exhibent; Tr. e coni. *animum ecquid aliud est quam emori d.?* Ex comp. *ē* (= *est*, uti IV. §. 80. in RP sanabile *ē*. V. §. 50. quae *ē* eadem) facile illud *e* in *emori* nasci potuit. Tisch. e coni. *animum e i q u i d n a m aliud est quam emori discere?* Tregderi coni. probatur *Wesenbergio* Em. II. p. 19., nisi quod *mori* praefert. Cf. Adn.

nec quicquam aliud] Asseverandi vi haec verba interiecta sunt: *id, inquam, nec quicquam aliud est mori discere.* Ante oculos habuit Platon. Phaedon. p. 64: χωρὶς δὲ τὴν ψυχὴν τοῦ σώματος ἀπαλλαγεῖσαν αὐτὴν καθ' αὑτὴν εἶναι, ἆρα μὴ ἄλλο τι ἢ ὁ θάνατος ἢ τοῦτο: *Orellius* comparat Legg. III. 1, 3: quod quum dico, legem a me dici, *nihil aliud*, intelligi volo: ubi *Goerenzius* verba *nihil aliud* immerito cancellis coërcuit; *Moser* attulit Lactant. Epit. Inst. 41: Nam deum verum colere, id est, *nec aliud quicquam*, sapientia. Sed fateor, male me habere illa *nec quicquam aliud.* Quid, si legatur: *num quid aliud est, quam mori discere?* Quae verba plane respondent Graecis. Alii alias coniecturas protulerunt. V. V. Scr. De transposito *quam* v. *Wesenberg.* Em. I. p. 20 sqq., ubi multae in archetypo transpositiones commemorantur.

mihi crede] Formula asseverandi, ἐμοὶ πιθοῦ, πιθοῦ μοι. Observanda est autem haec verborum collocatio, quam firmiter Cicero tenuit, ut evitaretur exitus pentametri *crede mihi.* Cf. infra c. 43, 103. II. 4, 10. Fin. II, 34. V, 30. Divin. II, 16. V. *Beier.* ad Off. III. 19, 75. p. 324. Cf. *Ramshorn.* Lat Gr. §. 197. 2. *Kühner.* Gr. L. §. 166. Not. 9. Alii scriptores etiam *crede mihi* dicebant, quod ap. Ciceronem non legitur, nisi ad Att. VI. ep. 6. VIII. ep. 14. *Klotzius* hoc *crede mihi* magis familiare; illud *mihi crede* magis rhetoricum esse censet. Fuse de his formulis agit *Fr. Ed. Raschigius* de Antibarbaro ab I. Ph. Krebsio edito. Zwickav. 1837. p. 27 sqq.

Hoc et, dum erimus —, simile, et] Ut pronomen *hoc*, in quo sententiae pondus positum est, maiore vi efferretur, prius *et* traiectum est et demonstrativo illi postpositum. Alia traiectionis ratio est infra IV. 14, 32: sic illi in morbum *et* incidunt tardius, *et* recreantur ocius: ubi verba *in morbum* praemissa sunt, quia uni notioni *morbi* non solum verbum *incidunt*, sed etiam *recreantur* subiectum est. V. *Wopkens.* Lectt. Tull. I, 7. ibique *Handium* p. 46.

qui in compedibus corporis etc.] *Menkius* in Observv. ined. comp. simillimum locum Plutarch. de educ. puer. IX, 17. p. 6. E: ὥσπερ οἱ πολὺν χρόνον δεθέντες, κἂν λυθεῖεν ὕστερον, ὑπὸ τῆς πολυχρονίου τῶν δεσμῶν συνηθείας οὐ δυνάμενοι βαδίζειν, ὑποσκελίζονται.

Quo quum venerimus — vita mors est] Geminus locus legitur in Somnio Scipion. de Rep. VI. 14: Immo vero ii — vivunt, qui ex corporum vinculis tanquam e carcere evolaverunt; vestra vero quae dicitur vita, mors est: ubi cf. Mai. p. 319. Adde *Davisium* ad h. l.

§. 76. *has res*] Δεικτικῶς expressum pro: res in his terris, hanc vitam. *Menkius* l. d. comp. Gr. τὰ ἐνθάδε.

et sive retractabis, sive properabis] Sententia horum verborum videtur esse haec: sive invitus hac vita excedes, sive tempus mortis cupide exspectabis. *Retractare* est recusare, tergiversari. Infra V. 29, 82: sine *retractatione* libere dicere. V. *Ernestii* Clav. Ciceron. h. v. et *Forcellini* Thes. Latin. h. v. In verbo *properandi* inest notio expetendi, concu-

tum denique vivemus. Nam haec quidem vita mors est, quam lamentari possem, si liberet. 76. *A.* Satis tu quidem in Consolatione es lamentatus: quam quum lego, nihil malo, quam has res relinquere; his vero modo auditis, multo magis. *M.* Veniet tempus, et quidem celeriter, et sive retractabis[2], sive properabis; volat enim aetas. Tantum autem abest ab eo, ut malum mors sit, quod tibi dudum videbatur, ut verear, ne homini nihil sit non malum aliud, certe * sit *[3] nihil bonum aliud potius, si quidem vel dii ipsi, vel cum diis futuri sumus. *A.* Quid refert? *M.* Adsunt enim, qui haec non

2 Codd. aliq. deteriores et complures edd. vett. *retardabis:* quod iniuria probaverunt Wopk. et Hand. p. 74. V. Adn. 3 v. Adn.

piscendi, exoptandi. Sic Tac. Ann. II, 31: nisi voluntariam mortem properavisset. Virg. Aen. IX, 401: an sese medios moriturus in hostes Inferat, et pulchram properet per vulnera mortem? Ad particulam *et* repetendum esse verbum *veniet*, verissime docuit *Moser*, idemque collato *Herzogio* ad Quintil. X. p. 95. optime monuit, illud *et* h. l. inservire gradationi.

Tantum autem abest ab eo] *Ernestius* verba *ab eo* delenda censuit; sed optimo iure ea tutati sunt *Scheller* in Lex. v. *absum*, *Beier* ad Off. I, 14. p. 107., *Orellius* et recentissimi editores, comp. Caes. 5, 2: neque multum *abesse ab eo*, quin — possent. Liv. 25, 6: tamen *tantum abfuit ab eo*, ut ulla ignominia iis exercitibus quaereretur. Adde Brut. 42, 156: *tantum abest ab obtrectatione invidiaque —, ut* ea non modo non exulcerare vestram gratiam, sed etiam conciliare videatur. Sine dubio sententia multo gravius effertur additis, quam omissis verbis *ab eo*. Sententiae autem sic se excipiunt: Quoniam Cicero supra animorum immortalitatem argumentis demonstrare et falsas de animorum natura opiniones refellere conatus est, sequitur, ut redeat ad quaestionem propositam: *mortem non esse malum*. Sed antequam eam pertractare aggreditur, Stoicorum, qui animos diu quidem post mortem permanere, sed non semper, statuerunt, sententiam refutandam putat. Quo facto, oratio (cap. 34.) revertitur ad propositum.

quod tibi dudum videbatur] H. e. quod tibi modo vel paullo ante videbatur. V. *Schütz*. Lexic. Ciceron. v. *dudum*.

ne homini nihil sit non malum aliud, certe sit nihil bonum aliud potius] Sententia horum verborum haec est: mors non solum malum nullum est; immo praeter mortem alia omnia mala sunt, certe nihil aliud bonum praestabilius est, quam mors, si quidem vel dii etc. Cf. c. 46, 110: in qua (sc. morte) aut summum bonum, aut nullum malum esse cognovimus. Verte: weit gefehlt, dass der Tod ein Uebel sein sollte, möchte ich vielmehr glauben, es sei alles Andere (ausser dem Tode) für den Menschen ein Uebel, wenigstens gebe es für ihn kein vorzüglicheres Gut. Quam huius loci et distinctionem et scripturam exhibui, ea accepta refertur acumini *Wesenbergii*, qui in Emendatt. I. p. 4. primum comma, quod vulgo post *certe* positum erat, post *aliud* transposuit, deinde pro *sed*, quod in omnibus codd. legitur, *sit* scripsit. Ita omnis sententiae difficultas, ad quam expediendam Orellius, Klotzius (in Add. p. 38.), alii contortas ac perversas excogitaverunt interpretationes, tollitur. Particula *certe* plane significat, minus aliquid dici et quod certius affirmari possit; quare *certe* non prioris, sed posterioris enuntiationis sit necesse est: quod fit, si *sed* mutatur in *sit:* quod remedium lenissimum sine dubio praeferendum est violentae vocabuli *sed* omissioni, ab Hottingero propositae, a Wolfio receptae. Ad enuntiationis formam verborumque collocationem *Wes.* comparat III. 17, 36: Quae (fortuna) pervellere te forsitan potuerit et pungere, non potuit *certe* vires frangere. 30, 73. Repetitum autem *sit* post ea, quae ad I. 23, 54. contulimus, offensioni non potest esse. Quam facile denique *sit* mutari potuerit in *sed* (*set*), testantur loci a *Wes.* allati: I. 7, 14: *alios et* pro *alios si*. II. 1, 2: *sed non* pro *si non*. 22, 52: *si tactum* pro *sed fac totum*.

Quid refert?] Sc. utrum dii ipsi, an cum diis futuri simus; nam utrumque praeclarum est.

Adsunt enim] *Ernestius* verba: *Adsunt*

probent. Ego autem nunquam ita te in hoc sermone dimittam, ulla uti ratione mors[4] tibi videri malum possit. 77. *A.* Quì potest, quum ista cognoverim? *M.* Quì possit, rogas? Catervae veniunt contra dicentium, nec solum Epicureorum, quos equidem non despicio, sed nescio quo modo doctissimus quisque contemnit[5], acerrime autem deliciae meae, Dicaearchus, contra hanc immortalitatem disseruit. Is enim tres libros scripsit, qui Lesbiaci vocantur, quod Mytilenis sermo habetur, in quibus vult efficere, animos esse mortales. Stoici autem usuram nobis largiuntur, tanquam cornicibus; diu mansuros aiunt animos, semper, negant.

4 Sic h. l. legit et distinxit P. Man. pro vulg. *ulla uti ratione, ut mors;* originem erroris ex eo ducit, quod lector vocabulum *uti* infinitivum verbi *utor* esse opinatus cum superiore orationis membro coniunxerit ob eamque rem *ut* ante *mors* addiderit, ut adverbium ita haberet, quo referretur. Tr. corr. *ulla ratione ut mors* etc. 5 v. Adn.

— *probent* auditoris personae tribuit. *Lambinus*, *Bentleius*, *Davisius* utramque personam tollunt, ut verba: *Quid refert?* — *possit* Marci personae adscribantur. Harum turbarum caussa fuit sine dubio part. *enim*, quae post interrogationem posita, ut Gr. γάρ, vim confirmandi habet. *Quid refert?* M. *Refert; adsunt enim* etc. V. ad IV. 26, 56. et ad I. 6, 11. Cf. *Wesenberg.* Em. II. p. 20.

te in hoc sermone dimittam] Nihil opus est *Lambini* coniectura *ex h. s.*; nam *in hoc s.* est *dum in hoc sermone versamur.*

ulla uti] V. ad I. 8, 16.

§. 77. *Qui potest — Qui possit*] Scil. fieri. V. ad c. 12, 23.

nec solum Epicureorum] V. nos in l. d. *de Cic. in ph. mer.* p. 78 sq.

quos equidem non despicio, sed — doctissimus quisque contemnit] *W.*, *Sch.*, *Or.* abiecerunt verbum *contemnit*, quod unus cod. Manut. omittit, ut sententia exprimatur haec: nec solum Epicurei, quos equidem non despicio, sed, quod peius est, etiam doctissimi Peripatetici contradicunt. *Moser* v. *contemnit* uncis inclusit; etiam *Wesenberg.* Em. II. p. 21. exterminandum censet, quia, eo omisso, recte Epicureis parum doctis doctissimi philosophi (Peripatetici), in quibus Dic., adiungantur. At in tanto librorum consensu quicquam movere periculosum ratus cum *Klotzio* restitui *contemnit.* Oratio est ἀνακόλουθος pro: *Catervae veniunt contra dicentium, nec solum Epicureorum —, sed etiam aliorum philosophorum, et quidem inter hos acerrime Dicaearhus contra h. i. disseruit.* Pro *despicio* W. e coni *Bouhierii* dedit *respicio,* quod iure reiecit *Or.*, verbum *despicio* εἰρωνικῶς accipiendum censens, ut infra II. 3, 7. legitur: *quos* (Epicureos) *non contemno equidem, quippe quos nunquam legerim.* Etiam in sequentibus verbis ironia aliqua inest. Verte locum: d. Epikureer, die ich freilich nicht gering schätze, die aber — es thut mir leid — gerade die Gebildetesten verachten. De formula *dolendi* v. ad c. 11, 24: quam h. l. *Klotzius* sic interpretatur: ich weiss es nicht, warum; aber sie müssen doch wol selbst die Schuld davon haben. Idem totum locum non εἰρωνικῶς, sed proprie accipiendum censet.

deliciae meae, Dicaearchus, — disseruit] V. nos in Gramm. Lat. §. 103, 5.

Dicaearchus] Supra c. 10, 21. c. 11, 24. c. 18. init. c. 22, 51.

vult efficere, animos esse mortales] Frequentius est *efficere* (i. e. probare) *ut.* Supra I. 8, 16: mors ut malum non sit, efficies. 24, 57. V. 38, 110: effici, ut. N. D. III, 12: ita efficitur, ut omne corpus mortale sit: ubi v. quae laudat *Creuzer.* p. 535. N. D. III. 13, 34 acc. c. inf. Legg. I. 8, 25. Cf. nos in Gr. L. §. 142, 6.

Stoici autem usuram nobis largiuntur] Usura proprie dicitur de rebus, quae nobis usui vel fructui commodantur. Hinc eleganter hoc loco dicitur de Stoicis, qui post mortem corporis superstitem animum dicunt, sed non in aeternum. V. *Ernestii* Clav. h. v. Sic infra c. 39, 93: At ea (natura) dedit usuram vitae, tanquam pecuniae, nulla praestituta die: ubi cf. Adnotata. Simili modo dicitur *usuram lucis dare et eripere, exigui temporis usuram postulare.* Cuius

XXXII. Num non vis[1] igitur audire, cur, etiam si ita sit[2], mors tamen non sit in malis? *A.* Ut videtur; sed me nemo de immortalitate depellet. 78. *M.* Laudo id quidem, etsi nihil nimis[3] oportet confidere. Movemur enim saepe aliquo acute concluso, labamus mutamusque sententiam clarioribus etiam in rebus; in his est enim aliqua obscuritas. Id igitur si acciderit, simus armati. *A.* Sane quidem; sed, ne accidat, providebo. *M.* Numquid igitur est caussae, quin amicos nostros Stoicos dimittamus? eos dico, qui aiunt manere animos[4], e corpore quum excesserint, sed non semper?

XXXII. 1 v. Adn. 2 R. Gud. 1. duo Oxx. habent *etiam si ista sit;* Duisb. *etiam si sit;* cod. Schott. *etiam si ista sint:* quod recepit Kl. comp. 6, 10: *ut ista esse credam.* Lael. 2: *Sunt ista.* At hi duo loci diversi sunt a nostro. 3 v. Adn. 4 Sic R. (ap. Wes. Em. II. p. 21.) Gud. 1. 2. Gr. Bentleii omnes aliique, cf. 30, 77; Or. c. vulg *an. m.*

generis exempla permulta suppeditat *Forcellini* Thes. Latin. h. v. Adde *Sylv.* ad or. pro Sulla 32, 90. Stoici autem alii statuebant, cunctorum animos post mortem diu mansuros, alii stultorum brevi, sapientium vero mentes cum mundo simul interire. V. quos ad h. l. laudat *Davisius* et *Tiedemann.* System d. Stoischen Philos. T. II. p. 152—155. et *Wyttenbach.* de animorum immortalitate in eius opusc. select. ed. Friedemann. p. 275.

tanquam cornicibus] Cornices enim novem saecula vivere, opinio erat antiquitus late sparsa. Hinc ap. Hor. C. III. 17, 13: annosa cornix. *Davis.* comp. Hesiodum ap. Plutarch. de Orac. def. p. 415. Ovid. Amor. II. 6, 35. et Plin. H. N. VII, 48. Cf. Adnot. ad III. 28, 69.

Cap. XXXII. *Num non vis* Sic scripsi c. Tr. e R. Gud. 1. aliisque multis pro vulg. *num vis;* Or. e codd. Schott. *numne vis.* At neque hoc neque illud ferri potest. Errat vir doctus, *numne vis?* a *visne?* nihil differre existimans, nisi quod illud paullo dubitantius rem efferat, quam hoc. Cui opinioni etiam *Klotzius* accessit. Immo et *num* et *numne* semper ita ponuntur, ut exspectetur responsio negativa, nec ulla alia re inter se differunt, nisi quod *numne* ἐνεργητικωτέρως interrogationem effert. *Num* est Gr. μῶν, i. e. μὴ οὖν, *doch nicht? numne* μῶν μή, *doch nicht etwa?* N. D. I. 31, 88: quid? deum ipsum *numne* vidisti? cur igitur credis esse? Etiam Lael. 11, 36. ex optimis codd. *Klotzius* legendum censet: *numne* si Coriolanus habuit amicos, ferre contra patriam arma illi cum Coriolano debuere? num Viscellinum amici regnum appetentem, num Sp. Maelium debuerunt iuvare? Cf. nos in Gr. L. §. 158, 3. b) et Not. 9. *Num non vis audire?* est: *du verschmähst doch nicht?* De *num non* cf. infra III. 9, 19.; de *num non vis* (a *nolo*) de Or. III. 38, 154.

de immortalitate depellet] per breviloquentiam dictum pro: de immortalitatis opinione depellet (uti ad Famil. I, 7. post med. pro Ligar. 9, 26. [quos locos attulit *Moser*] dixit *depellere de sententia*). V. supra ad I. 8, 16.

§. 78. *nihil nimis*] Sic Oxx. aliq. Rehd. itemque multae edd vett. pro *nihil animis:* quod ineptum est. Verte: *keineswegs zu sehr.* Cf. infra V. 33, 93: *non nimis* fortasse subtiliter (*nicht eben, nicht sonderlich*). N. D. I. 25, 70: *nihil nimis* callide: ubi v. *Schoemannum.*

in his est enim] Cogitatione supplenda est sententia aliqua: Mutamus sententiam clarioribus etiam in rebus; multo igitur facilius mutabimus sententiam in his rebus; nam eae non clarae sunt, sed obscurae. De quo particulae *enim* elliptico usu modo §. 76. mentionem fecimus. De sede particulae *enim* v. supra Adnot. in c. 4, 8.

Numquid igitur — , quin] Sic Cic. Agrar. III. 1: *Numquid* est caussae, *quin* illa criminatione vestram diligentiam — despexerit? Interrogatione sublata, sententia est haec: cur amicos nostros non deseramus, nihil videtur caussae esse. *Quin* positum est, quia in *numquid* negatio latet: Es ist *doch wol kein* Grund da, dass wir unsere Freunde nicht verlassen sollten?

amicos nostros Stoicos] Stoicorum enim disciplinam in multis philosophiae locis mirifice amplexatus est Cicero. V. quae diximus in l. d. *de Cic. in phil. mer.* p. 76 sq. —

A. Istos vero, qui, quod tota in hac caussa difficillimum est, suscipiant, posse animum manere corpore vacantem; illud autem, quod non modo facile ad credendum est, sed, eo concesso, quod volunt, consequens idcirco [5], non dant, ut, quum diu permanserit, ne intereat. *M.* Bene reprehendis, et se isto modo res habet. 79. Credamus igitur Panaetio a Platone suo dissentienti? Quem enim omnibus locis divinum, quem sapientissimum, quem sanctissimum, quem Homerum philosophorum appellat, huius hanc unam sententiam de immortalitate animorum non probat. Vult enim, quod nemo negat, quicquid natum sit, interire; nasci autem animos, quod declaret eorum similitudo, qui procreentur [6], quae etiam in ingeniis, non solum in corporibus appareat. Alteram autem affert rationem: nihil esse, quod doleat, quin id aegrum esse quoque possit; quod autem in mor-

5 v. Adn. 6 *declaret*, *procreentur* recte Or. c. R. Gud. 1. II. 2. Gr. b. aliisque pro vulg. *declarat* — *procreantur*.

Istos vero] H. e. est profecto, cur dimittamus Stoicos; nam sibi non constant. *Vero* h. l. propriam suam vim habet. Cf. ad c. 11, 24.

suscipiant] Scil. defendendum. *Moser* comparat Divin. II. 40, 84: quae si *suscipimus*, pedis offensio nobis — et sternutamenta erunt observanda. De coniunctivo post *qui* illato v. nos in Gramm. L. §. 146. e). Coniectura Davisii *suscipiunt*, cui etiam Vind. 1. et Duisb. favent, inutilis est. Quod autem post *suscipiant* usus est indicativo *non dant*, id recte monet *Wolfius* non debere offendere, quum in oratione commotiore obliqua oratio saepe in rectam transeat.

consequens idcirco] Hanc omnium fere codicum optimorumque, ut R. Gud. 1. Vat. Gr., et nonnullarum edd. vett. scripturam, praeeuntibus *Davisio* et *Mosero*, revocavimus. Or. edidit *consequens*, *id certe n. d.*, uti ante D. vulgo legebatur; sed haec scriptura nihil aliud est, nisi antiqua correctio: quam si admittimus, primum observanda est pronominis *id* post *illud* repetitio, de qua v. ad III. 8, 18., deinde ironicus particulae *certe* usus, de quo v. *Hand.* Turs. Vol. II. p. 22 sq. *Klotzius* in Add. p. 39. coniecit pro *idcirco* legendum esse *id vero*; *Orellius* suspicatur *id cur non dant* —? *Tregder* de *Madvigii* coni. edidit *consequens*, *id non concedant*: quod etiam *Wes.* Em. I. p. 20. probat. At hae coniecturae minime probabiles sunt; quare acquiescendum putavi codicum scriptura, in qua dura quidem videtur collocatio verbi *idcirco*, sed in artificiosiore huius loci verborum iunctura fortasse a Cicerone de industria quaesita est.

illud — non dant, ut — ne intereat] Infra V. 11, 34: *demus hoc* sane Bruto, *ut* sit beatus semper sapiens. 12, 34: apud quem saepe *haec* oratio usurpata est, *ut* nihil praeter virtutem diceretur bonum. N. D. I. 34, 95: retinendum *hoc* esse, deus *ut* beatus sit. V. de hoc explicativo *ut*, ad pronomen demonstrativum relato, nos in Gr. L. §. 142, 5. a). Pro *ut ne* exspectamus *ut non*; sed verbum *dandi* notioni concedendi (einräumen) h. l. adiunctam habet notionem permittendi (zulassen).

§. 79. *Panaetio*] V. *F. G. van Lynden.* de Panaetio Rhodio p. 70. et p. 60.

huius hanc] Ne pro *huius* requiras *eius*, v. ad c. 3, 5; neve offendare verborum *huius hanc* iunctura, cf. pro Sulla 2, 6: quis *his horum* adfuit? ubi v. *Halmium* p. 58.

nasci autem animos — appareat] H. e. animos non esse, sed nasci vel procreari demum, declarat non solum corporum, sed etiam ingeniorum similitudo, quae intercedit inter homines procreatos et parentes.

id aegrum esse quoque] Recte observat *Klotzius* vocabula *aegrum esse* in unam notionem (*aegrotare*) coaluisse, ob eamque caussam non *aegrum quoque esse*, sed *aegrum esse quoque* dictum esse: quod monendum, ne quis credat verbum *esse* ob sequens *quoque* maiore vi efferendum esse.

Cap. XXXIII. §. 18. *semotas a mente et disclusas putat*] Plato enim rationem

bum cadat, id etiam interiturum; dolere autem animos; ergo etiam interire.

XXXIII. 80. Haec refelli possunt. Sunt enim ignorantis, quum de aeternitate animorum dicatur, de mente dici, quae omni turbido motu semper vacet, non de partibus iis, in quibus aegritudines, irae libidinesque versentur, quas is, contra quem haec dicuntur [1], semotas a mente et disclusas putat. Iam similitudo magis apparet in bestiis, quarum animi sunt rationis expertes; hominum autem [2] similitudo in corporum figura magis exstat, et ipsi animi magni refert quali in corpore locati sint. Multa enim e corpore exsistunt, quae acuant mentem, multa, quae obtundant. Aristoteles quidem ait, omnes ingeniosos melancholicos esse, ut ego me tardiorem esse

XXXIII. 1 Sic Or. c. Gud. 1. uno Ox. Rehd. Mon. 1. edd. vett. H. HWolf. marg. Lambb. Goth. Verb. pro vulg. *dicantur:* quod iniuria revocavit Kl. 2 v. Adn.

ponit in capite, iram in pectore, cupiditatem subter praecordia. V. Adnotata in c. 10, 20.

aegritudines, irae, libidinesque] De nominum abstractorum forma plurativa v. ad IV. 2, 3.

Iam similitudo] Iam Cicero redit ad Stoicorum conclusionem, qua animos interire demonstrare conabantur. Scilicet dicebant, quicquid natum esset, interire; animos autem nasci, ergo etiam interire. Hanc Stoicorum conclusionem confutare studet Cicero, quum argumentum, quo minorem syllogismi, quem vocant, *animos nasci* probare studebant, repetitum illud ex procreatorum hominum cum eorum parentibus similitudine, non solum in corporibus, sed etiam in ingeniis apparente, aggreditur. Hominum enim inter se similitudo magis apparet in corporum figura, quam in animorum habitu; nam animi procreatorum et parentium saepe sunt dissimillimi. Negari quidem non potest, corporis temperationem magnam vim habere ad habitum mentis; at inde non necessario sequitur, ut animi nascantur et procreentur.

hominum autem] *Lambinus* legendum suspicatur *item*, quod recte improbatum est a *Wopkensio* Lectt. Tull. I, 2. p. 11. H. Saepe enim *autem* idem fere notat, quod *item*, *etiam*, *praeterea*, ita tamen, ut aliquam oppositionem involvat. Sic infra IV. 29, 63. ubi scriptura vulg. *est autem utilis* frustra a VV. DD. est tentata. Cf. nos ad c. 18, 42. c. 21, 49. et in Gr. L. §. 136. 2, 4). et *Handium* in Tursell. p 563. Pari modo et multo saepius apud Graecos δὲ inservit continuandae orationi.

similitudo — exstat] idem est, quod antecedens *apparet*. Cf. quos locos attulit *Moser*, de Or. I. 16, 72: tamen *apparet* atque *exstat*, utrum simus earum (artium) rudes, an didicerimus. III. 26, 101: quo magis id, quod erit illuminatum, *exstare* atque *eminere* videatur.

et ipsi animi] Hominum similitudo in corporum figura magis exstat, et, si in ipsis animis similitudo deprehenditur, ea efficitur non simili animorum habitu, sed simili corporum temperatione, ut, quum inter filium et parentem similitudo aliqua mentium intercedit, inde concludi non possit, hanc similitudinem inde exstitisse, quod filio a parente non solum corpus datum, sed simul animus ingeneratus esset. Nam etiam haec animorum similitudo nata est ex simili corporum temperatione; multa enim e corpore exsistunt etc.

magni refert] De hac rariore locutione *Moser* comparat ad Att. IV. 1. ubi verba Caesaris laudantur: *magni refert*, hic quid velit. Ter. Heaut. III. 1, 58: *permagni refert.*

Aristoteles] Problem. 30, 1. Quaest. I. Cf. Senec. de Tranq. c. 15: Aristoteli nullum magnum ingenium sine mixtura dementiae fuit. Phavorin. ap. Gell. N. A. XVIII, 7: scitote — intemperiem istam, quae μελαγχολία dr., non parvis nec abiectis ingeniis accidere, ἀλλὰ εἶναι σχεδόν τι τὸ πάθος τοῦτο ἡρωϊκόν. V. *Davisius* ad h. l.

quidem] V. Adnotata in c. 22, 51.

me tardiorem esse] Interpretes Ger-

non moleste feram. Enumerat multos, idque quasi constet, rationem, cur ita fiat, affert. Quod si tanta vis est ad habitum mentis in iis, quae gignuntur in corpore; (ea sunt autem, quaecunque sunt, quae similitudinem faciunt [2];) nihil necessitatis affert, cur nascantur animi, similitudo. 81. Omitto similitudines [2]. Vellem adesse posset Panaetius; vixit cum Africano; quaererem ex eo, cuius suorum similis fuisset Africani fratris nepos, facie vel [3] patris, vità omnium perditorum ita similis, ut esset facile deterrimus; cuius etiam similis P. Crassi, et sapientis et eloquentis et primi hominis nepos, multorumque aliorum clarorum virorum [4], quos nihil attinet nominare,

3 V. L. Lall. om. *vel.* 4 Sic Or. c. R. aliisque multis codd. et edd. vett. pro vulg. *vir. cl.*

manici verbum *tardiorem* ad sanguinem trahentes vertunt, ac si Cicero hanc sententiam exprimere voluerit: ut ego me tardiorem sanguinem habere, h. e. me melancholicum esse, non moleste feram. At haec interpretatio duplici ratione videtur reiicienda: primum, quod vocabulum *tardus* (βραδύς) de sanguine aliis locis dici non memini; tum, quod sententia exit fatua et insulsa. Vix enim credi potest, Ciceronem, quamvis magnifice de se et ingenii sui virtutibus senserit, tam illepide de se praedicare et ingeniosis se adnumerare voluisse. Itaque ego arbitror, verbum *tardiorem* propriam quidem suam habere vim, inesse tamen in tota sententia ironiam quandam. Aristoteles quidem, inquit Cicero, ait, omnes ingeniosos melancholicos esse. Ego vero non sum melancholicus, ergo non ingeniosus; nec tamen moleste id fero; nam ego paullo tardiore, h. e. hebetiore, ingenio sine melancholia malo esse, quam ingenii praestantia excellere, melancholia laborans. Tali modo miram Aristotelis opinionem confutare voluisse videtur Cicero, quum sibi persuasisset, a nullo sibi ingenium tardum tributum iri. Iam etiam illud intelliges, cur addita sint verba: enumerat multos; *idque quasi constet*, rationem, cur ita fiat, affert. Nunc ex *Moseri* editione video, etiam *Diezium*, *Büchlingium*, *Olivetum* recte hunc locum intellexisse. Apte *Orellius* comparat Theophr. morum notat. 14: ἡ βραδύτης τῆς ψυχῆς. *Menkius* in Observv. ined. Plat. de Rep. VII. p. 526. B: ὀξεῖς — βραδεῖς et de v. *tardus* C. de Fat. V, 9. Ter. Heaut. IV. 5, 28.

ut ego — non moleste feram] *Orellius* et *Moser* coniunctionem *ut* pro *ita ut* positam esse dicunt. Verti quidem potest illud *ut* per nostrum *so dass*, sed aliquid differt, utrum dicas *ut*, an *ita ut*, uti recte monet *Klotzius*. Illud significat simplicem consecutionem, hoc autem gradus vel conditionis notionem adiunctam habet. Exempla illius *ut* collegerunt *Moser* ad C. de Rep. I. 33. p. 132. et, quem laudat, *Goerenzius* ad Fin. II. 32, 105. p. 278. II. 5, 16. p. 139.

ea sunt autem —, quae similitudinem faciunt] Sic Or. c. Bonh., Lamb., W. et cod. Vind. 2.; Tr., Mos., Klotz. ex ceteris cod. et edd. vett. receperunt *faciant*. Coniunctivum explicat *Moser:* ea sunt autem *ita comparata* (vel *eā naturā*), *ut — faciant;* at id ab h. l. alienum est: nam verba *quae similitudinem faciunt* subiecti vices sustinent et verba *ea* (quae in corpore gignuntur) *sunt*, *quaecunque sunt* praedicatum significant, ut haec verba plane respondeant antecedentibus §. 80.: *hominum similitudo* (= ea, *quae similitudinem* hominum *faciunt*) *in corporum figura exstat* (= *sunt ea*, quae in corpore gignuntur). Uti indicativus *gignuntur* recte se habet, ita necessarius est ind. *faciunt*. A verbis autem *quaecunque sunt* nullo modo pendere potest coniunctivus; nam nihil aliud significant, quam quaecunque ea sunt, quae in corpore gignuntur. Quam saepe autem indicativi et coniunctivi terminationes vel in optimis codd. confundantur, satis constat. V. *Wessenberg*. Em. II. p. 21 sq. I. p. 17.

cur nascantur animi, similitudo] Sic recte ex Lambini emendatione, quae Venet. 1. 2. Med. 1. tribus Oxx. confirmatur, edidit *Orellius*, docens, haec verba referri ad superiora illa: *nasci autem animos, quod declaret eorum similitudo, qui procreentur:* quod quum fugeret non solum librariorum, sed etiam

nepotes et filii. Sed quid agimus? oblitine sumus, hoc nunc nobis esse propositum, quum satis de aeternitate dixissemus, ne si interirent quidem animi, quicquam mali esse in morte? *A.* Ego vero memineram; sed te de aeternitate dicentem aberrare a proposito facile patiebar.

XXXIV. 82. *M.* Video te alte spectare et velle in caelum migrare. *A.* Spero fore, ut contingat id nobis. Sed fac, ut isti volunt, animos non remanere post mortem: video[1] nos, si ita sit, privari spe beatioris vitae. *M.* Mali vero quid affert ista sententia? Fac enim sic animum interire, ut corpus: num igitur aliquis dolor aut omnino post mortem sensus in corpore est? Nemo id quidem di-

XXXIV. 1 v. Adn.

criticorum aciem, enata est scriptura: *cur nascatur animi similitudo:* quam scripturam, commate post *nascatur* posito, multis verbis *Klotzius* defendit ita, ut verbi *nascatur* subiectum esse statuat *animi similitudo;* postea tamen in Add. p. 40., reiecta artificiosa sua codicum scripturae defensione rediit ad Lambini emendationem. Si vero ad *nascatur* intelligas *animus* ex seq. *animi similitudo,* perversa exit sententia. Non enim vult, uti recte docet *Moser,* animi similitudinem nihil afferre necessitatis, cur nascantur animi; sed omnem similitudinem nihil afferre necessitatis, cur nascantur animi.

§. 81. *Omitto similitudines*] Hanc omnium librorum scripturam pro coniectura Bentl., ab Or. recepta, *dissimilitudines* restitui, praeeunte *Klotzio,* qui de h. l. sic disputat: Cicero will, nachdem er behauptet hat, dass die Aehnlichkeit des Geistes nicht entstehe, sondern nur durch Aehnlichkeit des Körpers bei dem Einflusse, den der Körper auf die Seele äussere, herbeigeführt werde, nicht mehr von jenen Aehnlichkeiten sprechen, sagt also: „Doch genug von jenen Aehnlichkeiten, die vom Körper an den Geist kommen," und bricht nun davon ab. — Im Folgenden will C. auch noch beweisen, dass die Aehnlichkeit des Körpers auf den Geist oftmals auch gar keinen Einfluss gehabt habe, also eine solche Aehnlichkeit, wie er oben angenommen hatte, gar nicht vorhanden sei; er spricht also gar nicht mehr im vorigen Sinne über d. *similitudines,* sondern bestreitet nur ihre Exsistenz und spricht genau genommen nur über *dissimilitudines.*

Panaetius: vixit cum Africano] Sc. cum Scipione Africano maiore, cum quo arto amicitiae vinclo coniunctus erat Panaetius. V. *van Lynden.* de Panaetio Rhodio §. XI. p. 38 sq. et aliis locis.

Africani fratris nepos] „Scil. Quinti Fabii Maximi Aemiliani Cos. u. c. 608. (144 a. Chr.) L. Aemilii Paulli filii nepos est Q. Fabius Maximus Allobrogicus Q. Fabii Maximi Aemiliani Allobrogici Cos. u. c. 632. (120 a. Chr.) filius, de quo homine perdito v. Val. Max. III. 5, 2." *Orell.*

facie vel patris] Ad vocabulum *vel* supplendum videtur *simillimus.*

primi hominis] H. e. primarii. *Moser* comparat p. 387. Verr. III. 71, 168: primorum hominum atque honestissimorum. *Orellius* Topic. §. 26: definitionum duo genera sunt prima. Adde Verr. II. 17, 37: a Lysone —, primo homine. *Madvig.* ad Fin. I. 3, 9. et *Ernestii* Clav. Cic. h. v.

nepos] Qui eodem nomine usus est P. Licinii Crassi. *Orellius* laudat *Rupertii* Tabul. geneal. p. 113.

Cap. XXXIV. §. 82. *alte spectare*] Somn. Scip. 7. (de Rep. 6, 23.): *Alte spectare* si voles atque hanc sedem et aeternam domum contueri. Plures edd. vett. habent nostro loco *alta sp.,* sed *alte sp.* recte dicitur de eo, qui ad sublimiora, maiora tendit.

Spero fore — vitae] Etiam haec verba, ut antecedentia et sequentia, Ciceroni (M.) tribuenda censet *P. Manutius.*

video] Hanc omnium librorum scripturam recte restituit *Klotzius,* sed in eo vehementer fallitur, quod primam singularis personam saepius ita usurpari opinatur, ut nostro pronomini indefinito *man* respondeat: quod nunquam fit nec fieri potest. *Or.* de coni. *Wolfii vides* edidit.

cit, etsi Democritum insimulat Epicurus, Democritii [1] negant. Ne in animo quidem igitur sensus remanet; ipse enim nusquam est. Ubi igitur malum est, quoniam nihil tertium est? an, quoniam [2] ipse animi discessus a corpore non fit sine dolore? Ut credam ita esse, quam est id exiguum! Et [3] falsum esse arbitror, et fit plerumque sine sensu, nonnunquam etiam cum voluptate, totumque hoc leve est, qualecunque est; fit enim ad punctum temporis: 83. illud angit vel potius excruciat, discessus ab omnibus iis, quae sunt bona in vita. Vide, ne a malis dici verius possit. Quid ego nunc lugeam vitam hominum? Vere et iure possum. Sed quid necesse est, quum id agam, ne post mortem miseros nos putemus fore, etiam vitam efficere deplorando miseriorem? Fecimus hoc in eo libro, in quo nosmet

2 *quoniam* om. edd. H. Lamb. Fr. Fabr.; Tr. uncis inclusit. Ego c. *Wes.* I. p. 6. delendum censeam; male enim *quoniam* respondet antecedentibus verbis: *Ubi igitur malum est?* E praegresso *quoniam* repetitum videtur, oculo librarii aberrante: cuius generis errores frequentissimi sunt in codd. V. locos a *Wes.* l. d. collectos. 3 v. Adn.

Democritum insimulat Epicurus] Respexisse videtur *Davisio* Epicurus *reviviscendi promissam a Democrito vanitatem:* de qua Plinius H. N. VII, 56.

Democritii] Sic *Or.* de *Bentleii* sententia edidit, quo ducunt duo Oxx. et Aug., in quibus est *Democriti,* dicens in his Graecas flexiones servasse videri Ciceronem. Reliqui codd. *Democritici.* Cf. infra II. 22, 52: de Anaxarcho *Democritio;* cf. *Ellendt.* ad de Or. I. 10, 42: ubi *Democritii* edidit, quanquam plurimi codd. *Democritici* habent. Etiam *Wesenberg.* Em. II. p. 23. *Democritii* legendum censet, comp. Fin. I. 6, 17: *Democritia* (ex Erl.). III. 2, 10: *Aristotelios. Madvig.* ad V. 6, 16. Tusc. III. 15, 33: *Epicurii* ex opt. codd. Fam. XIII. 1, 2., ubi Or. ex Med. dedit *Epicurius. Davisius* in ed. 2. scripsit *Democriteï:* quae forma per se non est spernenda. Cf. N. D. I. 26, 73: *Democriteo* et *Democritea.* Divin. II. 13, 31: *Democritea.* V. *Ellendt.* ad de Or. I. 21, 98. Vol. I. p. 67 sq.

Ne in animo quidem igitur] V. ad c. 29, 71: *ne interire quidem igitur.*

nihil tertium] Scil. praeter corpus et animum.

quam est id exiguum] Pronomen *id* ad totam antecedentem sententiam spectat. Sic paullo post: *illud* angit —, *discessus:* ubi v. Adn.

Et falsum esse arbitror] *Or.* de Bouh. coni. pro *et* edidit *at.; Wesenb.* Em. II. p. 23. suspicatur *sel* (*sed*), comp. II. §. 47: *Sed* praesto est. I. §. 49: Nec *tamen.* et: tot *autem.* Si quid mutandum sit, malim *At et;* sed nulla videtur necessitas cogere. Nam *et* in initio enuntiationis positum habet vim affirmandi, ut idem fere sit, quod *et profecto.* V. *Goerenz.* ad Legg. II. 3, 7. p. 114. et III. 10, 24. et *Kritz.* ad Sall. Iug. 86, 3. p. 470.

et fit plerumque — cum voluptate] *Beroaldus* comparat Platon. Timaeum p. 82. Steph.: ὁ δὲ μετὰ γῆρας ἰὼν (θάνατος) ἐπὶ τέλος κατὰ φύσιν ἀπονώτατος τῶν θανάτων καὶ μᾶλλον μεθ' ἡδονῆς γιγνόμενος ἢ λύπης.

§. 83. *illud angit*] Pronomen *illud* cum vi quadam praemittitur, ut auditorem attentum faciat ad sententiam subsequentem. Pari modo apud Graecos saepe neutrum pronom. demonstr. praemittitur, nulla ratione habita generis nominis subsequentis. Od. α, 159: τούτοισιν μὲν ταῦτα μέλει, κίθαρις καὶ ἀοιδή. In *illud* vis inest ex oppositione: in qua forma *sed* omitti solet. Fin. II. 34, 114: Cyrenaici quidem non recusant. Vestri haec verecundius; *illi* fortasse constantius: ubi v. *Goerenz.* p. 291.

Vide, ne] Formula urbana monendi et dubitandi, veteribus scriptoribus maxime frequentata, quae respondet Graeco ὅρα μή. In primis Ciceroni familiaris est haec locutio. Infra II. 18, 43. IV. 22, 50. Etiam *videamus, ne* III. 6, 13. V. 15, 45. V. *O. M. Müller.* in Cicer. de Orat. I. 13, 55. p. 42. *Moser.*

ipsos[4], quantum potuimus, consolati sumus. A malis igitur mors abducit, non a bonis, verum si quaerimus. Et quidem hoc[5] a Cyrenaico Hegesia sic copiose disputatur, ut is a rege Ptolemaeo prohibitus esse dicatur illa in scholis dicere, quod[6] multi, iis auditis, mortem sibi ipsi consciscerent. 84. Callimachi quidem epigramma in Ambraciotam Cleombrotum est: quem ait, quum ei nihil[7] accidisset adversi, e muro se in mare abiecisse, lecto Platonis libro. Eius autem, quem dixi, Hegesiae liber est, Ἀποκαρτερῶν, quod[8] a vita quidam per inediam discedens revocatur ab amicis, quibus respondens vitae humanae enumerat incommoda. Possem id[9] facere, etsi minus, quam ille, qui omnino vivere expedire nemini putat. Mitto alios: etiamne nobis expedit? qui, et domesticis et forensibus sola-

4 D. de Bentl. coni. *nosmet ipsi*. Male; v. Adn. in c. 30, 73. 5 Sic Or. c. omnibus Bentl. codd. uno cod. Lamb. Duisb. Colon., eodemque ducunt B., in quo est *ecquideo hoc*, Gud. I., in quo *ecquidem hoc*. Gud. II., in quo *equidem hoc*. Vulgo *Hoc quidem*, omisso *et*. 6 Pro *quo* Gud. I. Gud. II. nonnullique deteriores codd. itemque multae edd. vett. habent *quo:* unde Gul. coni. *quom;* at saepius *quod* et *quo* in codd. confundumtur. 7 Sic Or. c. B. Gud. I. aliisque pro vulg. *nihil ei*. 8 Mos. e coni. Bentl. *in quo* (pro *quod*): quam coni. etiam *Wes.* Em. I. p. 1. in nota probat, quia caussam inscriptionis afferri nullo modo conveniat. Antecedens ν facile absorbere potuit *in:* quo facto, *quo* mutatum est in *quod*. Cf. V. Scr. §. 83. 9 Or. de coni. Ern. *idem* pro *id*.

ad Divin. II. 4, 12. *Ottonem* ad II. 5, 15. p. 93. *Ramshorn*. Lat. Gramm. §. 182. *Kühner*. L. Gr. §. 142. Not. 16.

Vere et iure possum] V. ad II. 19, 45.

in eo libro] qui inscriptus erat *Consolatio:* de quo supra ad c. 26, 65.

verum si quaerimus] Infra c. 47, 112: verum si loqui volumus. c. 42, 100: mors si est misera. V. ad II. 4, 12.

a Cyrenaico Hegesia] Valer. Maxim. VII. 9, 3: „Hegesias Cyrenaicus sic mala vitae repraesentabat, ut, eorum miseranda imagine audientium pectoribus inserta, multis voluntariae mortis oppetendae cupiditatem ingeneraret. Ideoque a rege Ptolemaeo ulterius hac de re disserere prohibitus est.“ Hinc πεισιθάνατος dictus est. V. *Davisius* ad h. l. et *Tennemann*. Grundriss d. Gesch. d. Phil. §. 128. p. 90. et Gesch. d. Phil. T. II. p. 130 sq.

§. 84. *Callimachi epigramma*] Est ep. XXIV. his verbis:

Εἶπας, Ἥλιε χαῖρε, Κλεόμβροτος ὠμβρακιώτης
Ἧλατ' ἀφ' ὑψηλοῦ τείχεος εἰς ἀΐδην
Ἄξιον οὐδὲν ἰδὼν θανάτου κακόν, ἀλλὰ Πλάτωνος
Ἓν τὸ περὶ ψυχῆς γράμμ' ἀναλεξάμενος.

Lucem nostro loco affundit Nonnus ad Gregorii Nazianzeni Stelit. I. 16: Κλεόμβροτος Ἀμβρακιώτης ἐντυχὼν τῷ Φαίδωνι, τῷ περὶ ψυχῆς διαλόγῳ Πλάτωνος, καὶ μαθών, ὡς ἄμεινόν ἐστι τῇ ψυχῇ ὁ χωρισμὸς τοῦ σώματος, ἔρριψεν ἑαυτὸν ἀπὸ τοῦ τείχους καὶ τέθνηκεν. V. *Davisium*, qui nostrum locum docte illustrare studuit. Cf. *Stallbaum*. ad Plat. Phaedon. p. 59. C.

Ἀποκαρτερῶν] Hoc vocabulo significatur is, qui cibo abstinet, ut a vita per inediam discedat. De hoc v. *Camerarius* comparat Plutarch. Pericl. c. 16. Symp. p. 856.

Possem id facere] at nolo. V. Adnotata in c. 27, 67: *quae habere vellem*. Supra §. 83: vere et iure *possum*, h. e. facere possum, simulatque voluero, uti exposuit *Orellius*. V. ad II. 19, 45. Pro coniunctivo *possem* multo frequentior est indicativus *poteram*. V. ad III. 4, 7.

domesticis et forensibus solatiis ornamentisque] *Domesticis* spectat ad *solatiis*, *forensibus* ad *ornamentis*. Alterum ad Tulliae mortem, alterum ad illud tempus referendum est, quo, republica per Caesarem oppressa, Ciceroni omnis adempta erat civitatis gubernandae potestas. Cf. ad Fam. V, 15: quod enim mihi poterat esse perfugium *spoliato et domesticis et forensibus ornamentis atque solatiis*.

tiis ornamentisque privati, certe, si ante occidissemus [1], mors nos a malis, non a bonis abstraxisset.

XXXV. 85. Sit igitur aliquis, qui nihil mali habeat, nullum a fortuna vulnus acceperit: Metellus ille honoratis [1] quattuor filiis; at quinquaginta Priamus, e quibus septendecim [2] iusta uxore natis [3]. In utroque eandem habuit fortuna potestatem, sed usa in altero est. Metellum enim multi filii, filiae, nepotes, neptes in rogum imposuerunt; Priamum tanta progenie orbatum, quum in aram confugisset,

1 v. Adn. XXXV. 1 v. Adn. 2 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. b. aliisque pro vulg. *decem et septem;* Gebh. aliique *septem et decem.* 3 v. Adn.

qui — abstraxisset] Nescio, cur h. l. *Orellius* orationem ἀνακόλουθον esse putet. Notum est illud attractionis genus, quo enuntiatio relativa conformatur ad enuntiationem sibi subiectam. N. D. III. 14, 35: *qui* quoniam quid diceret intelligi noluit, omittamus. Infra c. 43, 102: *cui* quum Lysimachus — minaretur: Istis quaeso, inquit (pro: qui, quum —) III. 31, 76: *cui* quum dictum esset, — respondit. IV. 19, 43. V. 10, 30: *Quos* si titulus hic delectat —, inducant animum etc. pro Flacco 36, 90: ergo is, *qui* si aram tenens iuraret, crederet nemo, per epistolam quod volet iniuratus probabit. V. *Wopkens.* Lectt. Tull. II, 15. p. 296 sq. *Klotz.* Quaest. Tull. I. p. 17 sq. *Ottonem* ad Fin. II, 3 p. 84. *Stürenburg.* ad or. pro Arch. §. 25. p. 138 sqq., qui rem enucleatissime pertractavit, *G. T. A. Krüger* in: Untersuchg. a. d. Geb. d. lat. Spr. III. Heft. §. 96. p. 239 sqq. *Kühner.* Gr. L. §. 145, 10. Sic Graeci. Isocr. de Pace c. 16: αὐτομόλους, οἷς ὁπόταν τις πλείονα μισθὸν διδῷ, μετ' ἐκείνων ἐφ' ἡμᾶς ἀκολουθήσουσι. V. nos in Gr. Gr. T. II. §. 751. p. 516 sq. (Gr. schol. §. 332, 9.)

si ante occidissemus] Gud. 2. Mon. 1. et multae edd. vett. *obissemus*, quod non solum languidum, sed, omisso *mortem*, ne Ciceronianum quidem est.

Cap. XXXV. §. 85. *honoratis quattuor filiis*] Fin. V. 27, 82: Q. Metellus tres filios consules vidit, e quibus unum etiam et censorem et triumphantem, quartum autem praetorem. Alii scriptores Metello sex fuisse filios narrant. V. locos a *Davisio* allatos. *Menkius* l. d. affert Plutarch. de Fortuna Rom. p. 318. B. Scripturam *honoratis* pro vulg. *honoratus Orellius* dedit ex optima coniectura *Bentleii*, quae auctoritate praestantissimi cod. Gud. 1., cui accedunt Gud. II, Duisb., ed. vet. H., firmatur. Recte *Moser* monet Metellum illum satis per se honoratum fuisse, etiamsi nullos habuisset filios, neque Latine dici *honorari filiis*, sed proprie contra dici *honoratum*, qui honoribus sit functus. *Klotzius* vulgatam *honoratus*, in qua aliquid absurdi inest, recepit, sed nunc in Add. p. 41. deseruisse videtur. Ablativi *honoratis quattuor filiis* et *quinquaginta* (*filiis*) sunt ablativi qui appellantur qualitativi.

quinquaginta] V. II. VI, 244. Virgil. Aen. II, 503: Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum.

septendecim iusta uxore] legitima uxore, Hecuba; ceteros filios Priamus e pellicibus procreaverat. At Cicero memoria lapsus est. V. Homer. Il. 24, 495. Etiam Theocritus (15, 139.) dissentit ab Homero. V. *Kiessling.* ad h. l. p. 441. Ceterum facile aliquis quaerat, cur Metelli exemplum hoc loco a Cicerone allatum sit. Metellus enim usque ad mortem maxima quae ei contigit felicitate perfruebatur. Scilicet sententiae ita inter se cohaerent: Si quis, inquit Cicero, mihi obiicere velit, mortem idcirco in malis esse censendam, quod ea omnibus eis, quae sunt bona in vita, privemur: respondeo, mortem a malis nos abducere, non a bonis. Nam vita humana referta est innumerabilibus incommodis. At concedamus, esse, qui nihil mali habeant, nullum a fortuna vulnus acceperint; et hac quidem felicitate usus est Metellus; at tales fortunati homines sunt paucissimi; eis opponi possunt multi homines, qui, antea in rebus florentissimis collocati, posthac maximis agitati sunt calamitatibus, ut Priamus. Ergo, si discesseris a paucis illis fortunatis, certissimum poni potest, mortem nos a malis, non a bonis abducere.

natis] Sic scripsi c. Kl. et Fr. ex omnibus fere codd. et optimis (R. Gud. 1.); Or. c. b. Marb. et multis edd. vett. edidit *nati.* Ablativus *natis* referendus est ad antecedentes ablativos *honoratis q. fi-*

hostilis manus interemit. Hic si vivis filiis incolumi regno occidisset,

— adstánte ope bárbaricá,
Tectis caelátis, laquéatis:

utrum tandem a bonis, an a malis discessisset? Tum profecto videretur a bonis. At certe ei melius evenisset, nec tam flebiliter illa canerentur:

Haec ómnia vidi inflámmari,
Priamó vi vítam evítari,
Iovis áram sánguine túrpari.

Quasi vero ista *vi*[3] quicquam tum potuerit ei melius accidere!

liis et *quinquag.* et *e quibus* quasi pro *ex eisque* dictum est. *Klotzius* comparat notissimum illud: *centum milites amisimus, in quibus sex tribunos.*

In utroque — usa in altero est] Liv. V. 11, 16: minime convenire, quibus iratos quisque deos precatus sit, *in eis* sua potestate, quum liceat et oporteat, non *uti*. *In* c. abl. respondet nostro *bei*, c. acc. nostro *gegen*. Cf. *Bakium* ad C. Legg. p. 529.

in aram] Jovis Hercei. *Moser* comparare iubet interpretes ad Virg. Aen. II. 513. Ovid. Ibis 284. *Creuzer.* Symb. u. Mythol. II. p. 510 sq. 515–520.

hostilis manus] Pyrrhi seu Neoptolemi, Achillis filii. Pulcherrime Priami caedem descripsit Maro Aen. II. 550 sq.

adstante] Hi (cf. III. 19, 44.) et sequentes (cf. de Orat. III. 58, 217.) versus petiti sunt ex Ennii Andromacha. Sunt autem anapaestici dimetri: de quibus v. *Hermanni* Element. doctr. metr. p. 385 sq. p. 389.

ope barbarica] Virgil. Aen. II. 504: „*Barbarico* postes *auro spoliisque* superbi Procubuere." *Barbarica* h. e. Phrygia, uti Servius quidem ad Virg. l. d. explicat πᾶς μὴ Ἕλλην βάρβαρος; nam etiam Homerus Phryges barbaros appellat.

tectis caelatis, laqueatis] *Tecta caelata*, quibus signa arte illigata sunt, ut aut tota aut dimidiata emineant. V. *Ernestii* Clav. v. *caelatus*. *Tecta laqueata* vel *laquearia* vel *lacunaria* intelliguntur tricliniorum, cubiculorum tecta. *Lacunar* enim (Graece φάτνωμα) dicitur interstitium tignorum in caelo (an der Decke) cubiculi aut alterius aedium membri, quod cameratum (gewölbt) non sit; ex eo dictum, quia inter tignum et tignum veluti lacuna est: item ipsum caelum seu tabulatum, sive contignatione constat sive tabulis suffixis et inter plana intervalla cavitates seu lacus habentibus, sive etiam aequato opere coagmentatis. Huiusmodi lacunaria picturis aliisque ornamentis apud divitiores — expoliri solebant. Vitruv. VII, 2. extr. *Forcellin.* in Thes. Latin. v. *lacunar*. Cf. *Ernestii* Clav. Cicer. h. v. et Interpp. ad Horat. Carm. II. 16, 11. et ad Cic. de Legg. II. 1. p. 155 sq. Cr. et Mos.

evitari] Verbum antiquum a *vita* ductum, significans: *vitam eripi*. *Bouhierius* comparat Appulei. Metam. III. p. 187. b. Oudend. Nec enim veri simile est hominem solitarium tres tam validos *evitasse* iuvenes. Plaut. Casin. III. 6, 21: gladium ancilla Casinam habere ait, qui me atque te *invitet*. ib. Rud. III. 5, 31. Cf. *Doederlin.* Lat. Syn. u. Etym. III. p. 192. Sic infra IV. 8, 19. ex Ennio: *sapientiam ex animo expectorare*. In *vi vitam evitari* observanda est παρήχησις, vel quae hodie *allitteratio* dicitur, quam antiqui Romanorum poëtae admodum frequentabant. Cf. c. 44, 105: *Vidi, videre* etc. II. 17, 39. ex Accio: paratam pestem ut participet parem. Ibid. acrem aciem inclinatam. III. 19, 44. ex Ennio: ex opibus summis opis egens; ib. auxilio exsili; ib. urbe orba sum; ib. fana flamma deflagrata; ib. o pater, o patria, o Priami domus. IV. 36, 77: maior mihi moles, maius miscendum malum. De universa παρηχήσεως ratione v. *Naekium* in: Rhein. Mus. 3. Iahrg. 3. Heft. p. 324 sqq. De Ciceronis παρηχήμασι v. ad IV. 17, 38. De ὁμοιοτελεύτῳ horum trium versuum v. ad c. 28, 69.

Quasi vero] V. Adnotata in c. 22, 50. — Sententiae huius obscurioris loci sic connectendae videntur: Mors recte dici potest nos a malis, non a bonis abducere. Saepe quidem a bonis nos abducere videtur; at videtur tantum. Luculentissimum huius rei exemplum est Priamus, qui si in florentissimis rebus constitutus occidisset, profecto hominibus videretur discessisse a bonis. Et tamen melius actum fuisset de eo, si in amplis-

Quod si ante occidisset, *talem*[4] eventum omnino amisisset; hoc autem tempore sensum amisit malorum. 86. Pompeio, nostro familiari, quum graviter aegrotaret[5] Neapoli, melius est factum; coronati Neapolitani fuerunt; nimirum etiam Puteolani; vulgo ex oppidis publice gratulabantur. Ineptum sane negotium et Graeculum, sed tamen fortunatum. Utrum igitur, si tum esset exstinctus, a bonis rebus, an a malis discessisset? Certe a miseris. Non enim

4 *talem* est coni. Bentleii, etiam Mosero et Wesenbergio I. p. 33. probata; Or. c. vulg. *tamen:* quod sententiae repugnat. Pauci deteriores codd. *tum*, quod Goer. ad Fin. II. 15, 49. probat; Tr. ante *tamen* posuit notam corruptelae. V. Adn. Idem Tr. paullo post pro *occidisset* ex R. scripsit *accidisset*, repugnante sententia. Haec duo verba etiam III. 19, 44. permutata sunt. 5 Sic omnes fere libri, etiam R. (ap. Tregd.) et Gud. 1.; Or. c. ed. vet. Bouh. H. Lall. *aegrotasset.* V. Adn.

simis fortunis diem supremum obisset; nam tum expertus non esset ista mala, quae ei impendebant, nec eius totiusque gentis ac regni interitus tam flebiliter a poëtis caneretur. Quanquam haec poëtarum lamenta inepta sunt iudicanda; nihil enim melius Priamo potuit accidere, quam *ista vis*, qua vita privatus est (*Priamo vi vitam evitari*). Melius quidem ei fuisset, si iam antea in omni rerum felicitate ac prosperitate exstinctus esset; nam tum *talem eventum omnino amisisset*, h. e. nam tum omnino non tot tam gravia mala expertus esset neque tam acerbam mortem occubuisset; sed *hoc tempore*, h. e. eo tempore, quo Troia ab hostibus capta ac diruta est, nihil potuit ei melius accidere, quam mors, qua *sensum amisit* malorum, h. e. qua factum est, ut non iam sentiret mala, quae ei acciderant. In verbis *eventum amittere* et *sensum amittere* inest lusus quidam verborum. Vocabulum autem *eventus* etiam de tristi rerum exitu usurpari, in vulgus notum. Geminum nostro locum excitavit *Hottinger:* Divin. II. 9: quae enim vita fuisset Priamo, si ab adolescentia scisset, quos *eventus* senectutis esset habiturus? *Wesenbergio* Em. I. p. 33. Cicero verborum quodam lusu *amittere* in *misero* eventu dixisse videtur similiter, atque *carere* in *malis* etiam dicatur (cf. §. 88.). Ceterum totus hic locus multis coniecturis a VV. DD. tentatus est ac vexatus. *Petri Crassi* coniecturam *ista vi*, quae ab *Orellio* et ceteris fere omnibus editoribus recepta, mihi quoque ob antecedentia: *vi vitam evitari* egregie probatur, reiicit *Klotzius* in Quaest. Tull. I. p. 93 sqq. vulgatamque scripturam *ista vel quicquam* tuendam censet et sic explicandam: „*gleich als ob dieses* (quae poëtae maxime lamentantur) *oder auch nur das Geringste damals hätte können für ihn einen bessern Ausgang nehmen.* De voc. *quicquam* (*auch das Geringste*, oder *nur irgend Etwas*) confert *nihil quicquam* (de Orat. I. 30, 134. *Beier.* Exc. ad Lael. II. p. 231.). Sed mihi non solum sententia ipsa obscura videtur esse atque inficeta, sed etiam oratio a Ciceronis elegantia plane abhorrere. *Moser*, qui varias interpretum de h. l. opiniones peculiari exc. Vol. III. p. 361 sqq. examinavit, recepit *Hottingeri* coniecturam: *talem* (pro *tum*) *eventum omnino non habuisset.*

§. 86. *melius est factum*] H. e. convaluit, uti nos dicimus: *es ist besser mit ihm geworden.* Imperfectum *aegrotaret* recte explicavit *Wolfius* sic: aegrotantes convalescere solent *inter aegrotandum.* Cf. Adnotata in c. 2, 4: (Themistocles) *quum* in epulis *recusaret* lyram, *est habitus* indoctior. De ipsa re *Menkius* l. d. comp. Plutarch. Pompei. c. 57. Dion. Cass. 41, 6.

coronati — fuerunt] Scilicet ad laetitiam suam de recuperata Pompeii valetudine testificandam. III. 18, 43: *sertis redimiri* iubebis et rosa. Plura contulit *Pflugk.* ad Eurip. H. F. 781.

nimirum] H. e. noli mirari, etiam Puteolani coronati fuerunt. Ridet Puteolanorum imitandi studium, quo idem sibi faciendum existimabant, quod cives Neapolis, Campaniae capitis, facerent. De ironica, quae in v. *nimirum* inest, vi diximus ad c. 22, 52. Ceterum facile quis offendi possit temporum enallage; primum positum est perfectum *fuerunt*, iam sequitur *gratulabantur:* sed hac temporum permutatione Cicero aptissime usus est. Res primaria significatur perfecto *fuerunt*, secundaria imperfecto

cum socero bellum gessisset; non imparatus arma sumpsisset; non domum reliquisset; non ex Italia fugisset; non, exercitu amisso, nudus in servorum ferrum et manus incidisset; non liberi defleti [6]; non fortunae omnes a victoribus possiderentur. Qui, si mortem tum obisset, in amplissimis fortunis occidisset, is propagatione vitae quot, quantas, quam incredibiles hausit calamitates!

XXXVI. Haec morte effugiuntur, etiam si non evenerunt [1],

6 V. Adn. XXXVI. 1 Sic R. Gud. 1. II. aliique multi codd. et ed. vet. H.; Or. c. vulg. *evenerint:* quod minus aptum.

gratulabantur, quasi dictum sit: *coronati N. fuerunt, dum vulgo ex opp. p. gratulabantur.* Cf. ad I. 2, 4.

vulgo — gratulabantur] H. e. omnia vel saltem pleraque oppida gratulabantur. Caes. B. C. I. 28: *vulgo* ex tectis significabant: ubi v. *Held.* p. 39. Corn. Nep. Alcib. VI. 3: coronis aureis aeneisque *vulgo* (h. e. passim, a magna parte) donabatur: ubi v. *Bremium* p. 115. *Moser* comparat N. D. III. 17, 44: quem (Saturnum) *vulgo* maxime colunt ad occidentem. ad Att. XVI, 10: *vulgo* loquebantur. Ibid. I, 1: negant *vulgo*. Cf. nos in Gr. L. §. 124. Not. 13. b). De re ipsa Vellei. Paterc. II, 48.

Ineptum sane negotium et Graeculum] Graeculum negotium contemptim dicitur de summo Graecorum Pompeio placendi et adulandi studio. *Fortunatum negotium* est res bonam alicuius fortunam significans vel simpliciter res felix, res fausta. *Kernius* vertit: *indessen doch von guter Bedeutung. Orellius* prius explicabat: Sed tamen et sanatio Pompeii et gratulatio ista fortunae tribuebatur; sed in ed. 1829. adstipulatur sententiae *Hottingeri*, qui vocabulum *fortunatum* delendum censet, ut ironica quaedam ἀποσιώπησις existat: *Graeculum; sed tamen!* (Francogallice: *mais enfin!*), ut N. D. I, 33: „meretricula etiam Leontium contra Theophrastum scribere ausa sit? Scito illa quidem sermone et Attico, *sed tamen!*" Quae ratio mihi non probatur.

cum socero] C. Iulio Caesare, cuius filia Iulia Pompeio nupta (59. a. Chr.), sed iam post 5 annos mortua (54.) erat.

non liberi defleti] Or. c. D. in ed. 1. e cod. Urs. duob. Oxx. et Duisb. reposuit *deleti* pro vulgata *defleti*, quam egregie tutatus est *Bentleius* et restituerunt *Davisius* in edd. seqq., *Ernestius*, nuper *Tregder*, probavit etiam *Klotzius* in Add. p. 42 sq. Rectissime. Enimvero Cicero h. l. loquitur de eis calamitatibus, quas ipse hausit Pompeius. At filii Pompeii, Gnaeus et Sextus, post obitum patris demum deleti sunt: quorum alter, Sextus Pompeius, Ciceroni ipsi superstes fuit et per multos annos rerum gestarum gloria floruit. Hinc intelligitur, scripturam *deleti* a Ciceronis manu proficisci non potuisse. Contra *defleti* sententiam huic loco praebet accommodatissimam. *Defleti* enim sunt a Pompeio liberi, utpote iam omnibus praesidiis nudati et ruinis patris sine dubio obruendi. Sententiam autem non satis apto loco prolatam esse, caede scilicet iam commemorata Pompeii, id quidem largior, sed in his festinanter conscriptis libris non admodum curandum existimo. *Orellius* de scriptura *deleti* haec addit: „dici hoc poterat de Cn. Pompeio, filio interfecto, de Sexto tunc omnibus opibus spoliato." *Reiskius* legendum coniicit *non liberi essent deleti:* quod probat *Wesenb.* Em. II. p. 24. Infra 37, 90: „odiosum (sc. *esset*), si id esset carere" haec ellipsis non offendit, at in hac periodo, in qua est summa membrorum concinnitas, apud *Ciceronem* quidem maxime offendit. V. nos in Gr. L. §. 101. Not. 3. Nam apud Tacitum non raro in altera enuntiationum copulatarum *esset* omittitur. *Wesenb.* comp. A. I, 32: quod neque *disiecti* (sc. essent) nec *ardescerent.* 65. XII, 40. H. I, 40. 79. all. Omitti autem potuit h. l. *essent* ob quinquies repetitam terminationem — *esset.*

hausit calamitates] Eleganti metaphora verbum hauriendi dicitur de doloribus et calamitatibus, quae subeuntur et perferuntur. Cicer. Sest. 29, 63: luctum nos hausimus maiorem, dolorem ille animi non minorem. *Moser* addit: pro Coel. 24, 50. pro Dom. 11, 30: haurire me unum indignissimam calamitatem. V. *Ernestii* Clav. Ciceron. h. v. *Davis.* ad h. l. Aliis locis hac vi ponitur verbum compositum *exhauriendi*, ut Livius 21, 21: quies inter labores aut iam exhaustos, aut mox exhauriendos renovavit corpora. Sic Graeci dicunt

tamen, quia possunt evenire; sed homines ea sibi accidere posse non cogitant. Metelli sperat sibi quisque fortunam: proinde[2] quasi aut plures fortunati sint, quam infelices, aut certi quicquam sit in rebus humanis, aut sperare sit prudentius, quam timere. 87. Sed hoc ipsum concedatur, bonis rebus homines morte privari; ergo etiam carere mortuos vitae commodis, idque esse miserum? Certe ita dicant necesse est. An potest is, qui non est, re ulla *carere?* Triste enim est nomen ipsum *carendi*, quia subiicitur haec vis: habuit, non habet, desiderat, requirit, indiget. Haec, opinor, incommoda sunt carentis: caret oculis, odiosa caecitas; liberis, orbitas. Valet hoc in vivis; mortuorum autem non modo vitae commodis, sed ne vita quidem

2 v. Adn.

ἀντλεῖν, ἐξαντλεῖν πόνον, τύχην, βίον: unde manavit Latinum *labores exanclare*, ut c. 49, 118 (ubi v. *Davis.*). II. 8, 20. Acad. II. 24, 108 (ubi v. *Goerenz.*). V. *Valcken.* ad Eurip. Hippol. 1048. et *Pflugk.* ad Eur. Med. 79. Sic Eurip. Cyclop. 10: ἐξαντλῶ πόνον. Cf. 281. et aliis locis. Ob litteram *c* verbum *exanclare* duci solet ab *anculando, anculo, ancula* (*ancilla*); sed haec caussa inanis est. Coniunctio litterarum *antl* quum Romanorum ori molestior esset, mutata est in *ancl*, cf. *periclum*, *periculum*, *subligaclum*, *subligaculum* pro peritlum, subligatlum. V. *Muret.* Varr. Lectt. XIII, 17. p. 313. Ruhnk. *Goerenz.* ad Acad. II. 34, 108. Aliter iudicat *H. Stephanus* in Castigg. in Cic. p. 33 — 37. ap. *Moser.* Vol. III. p. 370 sqq.

Cap. XXXVI. *proinde quasi*] Sic plurimi codd. et optimi, ut R. Gud. 1; Or. c. aliis edidit *perinde quasi.* Ubivis fere particulae *perinde* et *proinde* confunduntur in codd. *Proinde* proprie significat consecutionem *idcirco, deswegen, demzufolge*, et quidem in adhortationibus; poni tamen videtur interdum pro *perinde, haud aliter ac si.* Iam Ciceronis aetate non solum *perinde*, sed etiam *proinde* significatione *gleichwie, so sehr als* usurpatum fuisse, luculentissime demonstrat lex iudiciaria Galliae Cisalpinae Col. 1. lin. 17. PROINDE ATQVE (in qua tabula aenea corruptela accipi nullo modo potest), uti ad V. 2, 6. docet *Orellius*, qui etiam adnotata sua ad Milonianam Garatonii p. 58. Lips. conferre iubet. Sed quin utriusque vocabuli significatio ususque aliquid differat, dubitari non potest. *Perinde* semper in comparatione nec unquam ea vi usurpatur, ut consecutionem (*deswegen*) significet; deinde in simplici comparatione nunquam *proinde*, sed semper *perinde* dici, ut *perinde haberi*, optime observavit *Kritzius* ad Sall. Iug. IV, 8. p. 425. Rectissime *Ellendtus* ad de Or. III. 20, 74. Voll. II. p. 390. intellexit *pro* in adverbio eam potestatem retinere qua diceretur in formulis *pro portione, pro virili, pro tua humanitate* significareque aliquam rei cum iudicandi modulo convenientiam; *inde* autem non cum *Ellendto pro re nata* s. *ex ea rei lege et ratione* interpretandum, sed simpliciter nostro *daher* respondere puto. Praeter viros doctos, quos laudavi, cf. *Bremium* ad Corn. Nep. Lysand. II. 2. p. 93. *Ruhnken.* in Rutil. Lup. I. p. 31. et Dictat. in Terent. Heautont. I. 1, 13. *Beier.* ad Cicer. Offic. III. 33, 121. p. 417. *Matthiaeum* ad or. pro Milone in not. crit. p. 384. *Moser.* ad h. l. et quos laudat, ad N. D. II. 38. p. 360. ad Legg. II. 19. p. 310. ad Divin. II, 42. p. 452. *Herzog.* ad Caes. B. G. 7, 66. p. 490. *Kritz.* ad Sall. Cat. 12. p. 25. Cf. infra c. 39, 94: *perinde* ut cuique data sunt pro rata parte. III. 26, 62: *perinde* — quasi. At V. 2, 6: *proinde* ac de hominum est vita merita.

§. 87. *Triste enim est*] Exspectamus *triste est enim.* V. ad c. 27, 66. De seq. *an* v. ad I. 17, 39.

non modo — sed ne — quidem] Infra V. 33, 93: Epicurus cupiditates quasdam, quod essent plane inanes, *neque* necessitatem *modo*, *sed ne* naturam *quidem* attingerent, funditus eiiciendas putavit. *Doederlinius* Comment. de brachyl. sermon. Gr. et Lat. Erlang. 1831. p. 6. acute docet, alterius orationis membri negationem ἀπὸ κοινοῦ positam atque ideo prioris membri communem, et ob eam caussam in talibus exemplis comma omit-

ipsa quisquam caret. De mortuis loquor, qui nulli sunt. Nos, qui sumus, num aut cornibus caremus, aut pennis? *Ecquis *[3] id dixerit? Certe nemo. Quid ita? Quia, quum id non habeas, quod tibi nec usu, nec natura sit aptum, non careas, etiam si sentias te non habere. 88. Hoc premendum etiam atque etiam est argumentum[4], confirmato illo, de quo, si mortales animi sunt, dubitare non possumus, quin tantus interitus in morte sit, ut ne minima quidem suspicio sensus relinquatur; hoc igitur probe stabilito et fixo, illud excutiendum est, ut sciatur, quid sit *carere*, ne relinquatur aliquid erroris in verbo. *Carere* igitur hoc significat: egere eo, quod habere velis. Inest enim velle in carendo, nisi quum sic tanquam in febri

3 Sic D. e coni., quam etiam Tr. recepit et Wes. III. p. 8. probavit, pro vulg. *num aut si cornibus c. a. p. sit qui id d.?* Etiam Ern. c. ed. Iunt. delevit *si*. Or. c. b. Gud. II. marg. Lamb. Goth. D. 2. (ex El. 2.) *num, etsi* (pro *num aut si*); Kl. in Add. p. 43. *num aut c. c., a. p.? Quis id dixerit?* 4 Sic Gud. 1. et sex Oxx.; reliqui *arguendum:* quod sine dubio ex compendio scripturae ortum est.

tendum esse, ne distinctionis signis ea, quae voce et mente artissime copulantur et uno tenore continuantur, scriptura violenter divelli videantur. Hinc apparet, *non modo — sed ne — quidem* pro *non modo non — sed ne — quidem* dici non posse, nisi ubi duae enuntiationes commune habeant praedicatum, idque in posteriore demum enuntiatione ponatur. Cf. II. 14, 34: quorum *non modo nemo exclamavit* unquam, *sed ne ingemuit quidem.* V. nos in Gr. L. §. 135, 7. Alii aliter de hac structura sentiunt. Cf. *Ramshorn.* L. Gr. § 190, 4. *Beier.* ad Off. I. 21, 71. p. 165 sq. et ad III. 29, 105. p. 352 sq. De *non modo — sed*, quae pro *non modo non — sed* dicta videntur, v. ad II. 5, 14.

§. 88. *Hoc premendum — argumentum*] Scil. nos eo non carere, quod nobis nec usu nec natura sit aptum, vel mortuos, quia nulli sunt, aliqua re carere non posse. Locutione *argumentum premere* alibi Cicero non est usus, sed supra 7, 12. similiter dictum est: quoniam me verbo *premis:* ubi v. Adnotata. Metaphora in utroque loco sine dubio a re militari ducta est, ut *premere, urgere hostem, instare hostibus* dicitur. *Moser* comparat Quinctil. VII. 2, 40. confessionem *premere* (sed ibi legitur *crimen premere*), et Cic. de l. agr. I. 5, 16., ubi *premere* atque *urgere*, ut συνώνυμα, copulata sunt.

confirmato illo] Sc. argumento, tantum interitum in morte esse, ut ne minima quidem suspicio sensus relinquatur. Adnotandum est, post *confirmato illo* sequi debuisse accusativum c. inf., positum autem esse *quin* c. coniunctivo, perinde ac si enuntiatio, per hanc particulam inserta, penderet ab enuntiatione interiecta, *de quo dubitare non possumus.* Constat igitur haec structura in attractionis quodam genere, quo ad antecedentem interpositionem enuntiationis secundariae, quae enuntiationis primariae rectioni subiecta esse debebat, constructio accommodatur. Cf. c. 17, 40: Num igitur *dubitamus*, an, sicut pleraque? quanquam hoc quidem minime; persuadent enim mathematici, *terram — obtinere* pro *quin terra — obtineat.* Similiter, sed non mutata structura, paullo post: illud excutiendum est, ut sciatur, *quid sit carere.* Cuius modi exempla satis multa collegit diligentia *G. T. A. Krügeri* Untersuchg. a. d. Gebiete d. Lat. Sprachl. III. Heft. p. 458. 461. Cf. *Wesenberg.* Adn. Tusc. I. p. 21. nos in Gr. L. §. 164, 2. et ad c. 30, 73. *Hoc igitur probe stabilito*, sc. mortuos nullum sensum habere. De particula *igitur* post παρένθεσιν vel παρεμβολὴν aliquam interruptam orationem recipiente v. *Goerenz.* ad Fin. III. 5, 17. p. 331.

tanquam in febri] ad Fam. XVI. 15: Mihi nuntiavit te plane febri carere. Fin. I, 11: carere dolore. Infra III. 13, 27: miseria carere. 18, 40: malo carere. 41: dolore carere. Sic carere morbis, suspicione, metu, malis, culpa, libidinibus etc. Cf. *Kritz.* ad Sall. Cat. XIII, 4. et *Doederlin.* Lat. Syn. u. Etym. III. p. 114.

dicitur alia quadam notione verbi. Dicitur enim alio modo etiam *carere*, quum aliquid non habeas et non habere te sentias, etiam si id facile patiare. *Carere* in morte [5] non dicitur; nec enim esset dolendum; dicitur illud: bono *carere*, quod est malum. Sed ne vivus quidem bono caret, si eo non indiget. Sed in vivo intelligi tamen potest, regno te [6] carere; dici autem hoc in te satis subtiliter non potest; posset [7] in Tarquinio, quum regno esset expulsus; at in mortuo ne intelligi quidem [8]; carere enim sentientis est, nec sensus in mortuo; ne [9] carere quidem igitur in mortuo est.

XXXVII. 89. Quanquam quid opus est in hoc philosophari, quum rem non magno opere philosophia egere videamus? Quoties non modo ductores nostri, sed universi etiam exercitus ad non dubiam mortem concurrerunt [1]! Quae quidem si timeretur, non L. Brutus, arcens eum reditu tyrannum, quem ipse expulerat, in proelio concidisset; non cum Latinis decertans pater Decius, cum Etruscis filius,

5 Sic R. Gud. 1. II. aliique multi codd.; Vat. aliique multi *Carere enim in morte;* Or. c. b. et edd. vett. S. E. *Carere in malo;* paucae edd. vett. *Carere enim in malo;* aliae paucae *Carere enim malo;* Tr. e coni. Madvig. [*malo*] *carere in morte:* quod probat *Wes.* I. p. 15.; Keil. l. d. p. XVII. coni. *iam carere malo in morte:* quod Kl. in Add. p. 44. sic mutare malit: *Carere malo in morte.* Coniectura non est opus. V. Adn. 6 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. 2. b. aliisque multis codd. Vulgo *te* omitt., quod probant iniuria Wopk. et Hand. p. 75. 7 Ern. de coni. *potuisset.* Frustra. V. ad c. 12, 27. 8 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. 2. b. multisque aliis codd.; sed omnes fere edd. vett. *quidem potest.* 9 Immerito Mos. scripsit *nec* c. Gud. I. II. 2. Aug. Marb. aliisque mult. codd. et multis edd. vett. pro vulg. *ne*, quod etiam R. tuetur. V. ad c. 29, 71. XXXVII. 1 v. Adn.

carere in morte non dicitur] *In morte* est *si quis mortuus est.* Sententia igitur haec est: In mortuos non cadit verbum carendi; nam si mortui dici possent carere, eos dolere necesse esset, quia carere hoc significat: egere eo, quod habere velis, aut, quod idem est, bono carere; carere autem bono id est malum; atqui mortui nihil sentiunt; ergo ne carere quidem mortui dici possunt. Displicet ratio, qua *Orellius* verba *in morte* explanari posse censet: „Nemo facile dixerit *morte careo*, eo ipso sensu, quo minus proprie dicimus *febri careo;* quippe quum mors ne eo quidem sensu malum sit, neque igitur dolendum, morte non carere, ut febri non carere.“ (At Hor. C. II. 8, 12: *Divos morte carentes* alia sententia.) Iniuria hic locus variis coniecturis a VV. DD. est tentatus. Vid. V. Scr.

Sed ne vivus] Paullo post recurrit *sed:* quod male nos habere non debet. Sic repetitur de Fin. V. 29, 89: ubi *Goerenz.* p. 645. comp. de Offic. I. 18, 60. Cf. ad c. 22, 52. et Indicem v. *Repetitio.*

ne intelligi quidem] Ex antecedentibus repetendum *potest*, quod edd. vett. male addunt. V. *Goerenz.* ad Fin. I. 18, 58. ad Acad. II. 32. p. 185. II. 14, 44.

Cap. XXXVII. §. 89. *quum rem*] V. ad 21, 49: vide, quid homini tribuam.

non modo ductores nostri, sed universi etiam exercitus] Ob v. *universi* exspectes fortasse *non modo —, sed*, omisso *etiam* (v. nos in Gr. L. §. 135. Not. 14.); sed recte additum est *etiam*, quia ductoribus (singulis) opponuntur *universi exercitus.*

concurrerunt] Cod. Ursini, unus Ox., nonnull. edd. vett. legunt *cucurrerunt*, nonnull. edd. vett. *cucurrere.* Praestat sine dubio compositum, quod *Handius* ad Wopkens. Lectt. Tull. I. 9. p. 76. recte explicat *de concursu proelii in via ad non dubiam mortem.* Eandem rem commemorat infra 42, 101: ubi v. Adnotata.

si timeretur — concidisset] V. ad c. 12, 27.

cum Pyrrho nepos] Sic Fin. II. 19, 61: „neque porro ex eo natus, cum Pyrrho bellum gerens, consul cecidisset in proe-

cum Pyrrho nepos se hostium telis obiecissent; non uno bello pro patria cadentes Scipiones Hispania vidisset, Paullum et Geminum Cannae, Venusia Marcellum, Litana[1] Albinum, Lucani[1] Gracchum. Num quis horum miser hodie? Ne tum quidem post spiritum extremum. Nec enim potest esse miser quisquam, sensu perempto. 90. At id ipsum odiosum est, sine sensu esse. — Odiosum, si id esset carere. Quum vero perspicuum sit, nihil posse in eo esse, qui ipse non sit; quid potest esse in eo odiosum, qui nec careat, nec sentiat? Quanquam hoc quidem nimis saepe; sed eo, quod in hoc inest omnis animi contractio ex metu mortis. Qui enim satis viderit, id quod est luce clarius, animo et corpore consumpto totoque animante deleto et facto interitu universo, illud animal, quod fuerit, factum esse nihil: is plane perspiciet, inter Hippocentaurum, qui nunquam fuerit, et regem Agamemnonem nihil interesse; nec pluris nunc facere M. Camillum hoc civile bellum, quam ego, illo

lio seque e continenti genere *tertiam* victimam rei publicae praebuisset." Ceterum tertii Decii, qui se devoverit, ceteri scriptores nullam mentionem faciunt; unus Zonaras Annal. VIII, 5. ed. H. Wolf. Basil. 1557. T. II. p. 47 sq. auctor est, Decium tertium se devovere voluisse; et ipse Cicero aliis locis duo tantum Decios commemorat. Cf. de Offic. III. 4, 16. Parad. I. 2, 12. p. Sestio 21, 48. Caton. Mai. 20, 75. Rem enucleare conatus est *Goerenz.* ad Fin. l. d. p. 214., qui conciliari recte sic posse Ciceronem cum Zonara putat, si consilium Decio se devovendi fuisse statuamus, sed, pugna in felicius versa, id esse intermissum; tam cupide tamen hunc pugnasse, ut in proelio caderet. Adde *Beier.* ad Offic. l. d. p. 208. *Moser.* ad h. l. et ad Divin. I. 24, 51. *Ferratium* ad or. p. Sest. l. d.

Litana Albinum] Sic edidi e certissima coniectura *Menkii* pro vulg. *Latini Albinum.* Livius 23, 24.: Silva (in Gallia Cispadana) erat vasta — *Litanam* Galli vocabant —, qua exercitum traducturus erat. — Ibi Postumius (Albinus) omni vi, ne caperetur, dimicans occubuit. De Litana silva cf. praeterea 34, 22. et 42. Vellei. Paterc. II. 14, 2. S. Iulii Frontini Strategematic. I. 6, 4: Boii in silva *Litana*, qua transiturus erat noster exercitus, etc.: ubi hic idem noster L. Postumius Albinus commemoratur, itemque complures codd. habent *Latina*, ut nostro loco. Verae scripturae vestigia comparent in Gud. 1. II. uno Ox., qui exhibent *Latinia*, in R., qui habet *Latina*, in Rehd., in quo est *Albinum Latina.* — Pro *Lucani Orellius* c. Rehd. *Lucania* legendum censet, neque aliter legitur in Gud. II. et duobus Oxx. Acute monet *Moser*, qui recepit *Lucania*, veri esse simillimum, librarios, postquam a *Litana* ad *Latini* aberravissent, regionis *Lucaniae* nomen concinnitatis scilicet caussa in gentis nomen mutandum existimavisse.

§. 90. *Odiosum, si id esset carere*] H. e. odiosum *esset*, si etc. *Wesenb.* Em. II. p. 25. comparat Fin. II. 28, 93: Nec tamen miser *esse* — *videbatur.* At miser (sc. esse videretur), si — affluereet. Plura dedimus in Gr. L. §. 162, 1. a).

quanquam — nimis saepe] Sc. a me dicitur; sed hac de caussa id saepe dico. *Klotzius* comparat I. 17, 40: Num igitur dubitamus? an sic, ut pleraque? quanquam hoc quidem minime; persuadent enim etc. Particulae *quanquam* (*etsi*) — *sed* saepe ita iunguntur. Infra c. 42, 99. (*etsi*) III. 22, 52. V. 19, 55. N. D. III, 36: Quanquam Pythagoras, quum in geometria quiddam novi invenisset, Musis bovem immolasse dicitur; sed id quidem non credo. V. *Goerenz.* ad Academ. II. 23, 74. p. 137. *Beier.* ad Offic. III. 9, 39. [p. 249. 33, 121. p. 417.

animi contractio] V. ad IV. 31, 66.

Agamemnonem] qui olim fuerit.

nec pluris facere] H. e. nec magis nunc Camillo curae esse hoc civile bellum, quam Camilli aetate mihi, qui tum non-

vivo [2], fecerim Romam captam. Cur igitur et Camillus doleret, si haec post trecentos et quinquaginta fere annos eventura putaret? et ego doleam, si ad decem milia annorum gentem aliquam urbem nostram potituram putem? Quia tanta caritas patriae est, ut eam non sensu nostro, sed salute ipsius metiamur.

XXXVIII. 91. Itaque non deterret sapientem mors, quae propter incertos casus quotidie imminet, propter brevitatem vitae nunquam potest longe [1] abesse, quo minus in omne tempus rei publicae suisque consulat, ut [2] posteritatem ipsam, cuius sensum habiturus non sit, ad se putet pertinere. Quare licet etiam mortalem esse animum [3]

2 Edd. vett. fere omnes *illo vivo ego*: Tr. e R. *ego vivo illo*. XXXVIII. 1 Sic R. Gud. II. Mon. 1. Duisb. duo Oxx. omnes Bentl. ed. v. H.; Or. c. reliquis codd. et edd. vett. *longe potest ab*. 2 Sic R. Gud. 1. II. Gryph. aliiq. multi codd.; Or. c. vulg. *et*: quod si pari codicum auctoritate niteretur, optime se haberet. 3 v. Adn.

dum natus fuerim, curae fuerit Roma a Gallis duce Brenno capta.

Cur igitur et Camillus doleret etc.] Sententiae sic se excipiunt: Mortui nulli sunt nec sentiunt quicquam: v. c. Camillus nunc non magis afficitur hoc civili bello, quam ego Camilli aetate affectus fuerim Roma a Gallis capta. Quodsi igitur, animo et corpore consumpto, nullum iam habituri sumus sensum; quomodo fieri potest, ut hac imbuti opinione res moliamur, quae non ad nos nostraque commoda spectant, sed ad posteritatem, cuius sensum habituri non sumus, pertinent? An putas (ut eisdem, quae modo in medium protuli, exemplis utar), et Camillum, si sibi persuasisset, se post mortem totum deletum iri, dolituruum fuisse, si post obitum rem publicam bello civili vexatum iri putasset, et me, eadem imbutum persuasione, doliturum esse, si post obitum a gente aliqua urbem nostram captum iri putem. Profecto et Camillus doliturus fuisset, et ego dolerem. Etenim sapiens, quamvis mortalem esse animum iudicet, tamen non gloriae, sed virtutis cupiditate agitatus res aeternas molietur. De coniunctivis *doleret* et *doleam* v. nos in Gr. L. §. 108, 6. a) β).

urbem nostram potituram] Sic legitur in R. Gud. 1. II. 2. b. quatt. Oxx. Vind. 1. 2. Mon. 1. et edd. vett. tantum non omnibus. Pauci codd. et edd. vett. praeferunt *urbe nostra*: quod nunc ab *Orellio* quoque probari miror. Tenendum est enim verbum *potiendi* aurea aetate saepius construi cum accusativo loci, quem quis expugnat vel capit. Sine dubio haec structura multo erat frequentior, quam nunc in edd. legitur. Non pauci enim reperiuntur loci, qui librariorum ignorantia interpolati sunt. V. *Bremium* et *Moserum* ad Cicer. de Fato c. 7, 13: Africanum Carthaginem potiturum. *Bremium* ad Corn. Nep. Miltiad. II, 1. *Beier.* ad Offic. II. 23, 81: urbem est potitus. *Kritz.* ad Sall. Iug. 25, 10. p. 153. *Kühner.* L. Gr. §. 115. Not. 9. Aliter iudicat *Ramshorn.* Lat. Gr. §. 142. Not. 2. Etiam *Wesenb.* Em. II. p. 25., hanc constructionem (*potiri aliquid*) a Ciceronis eiusque aetatis scriptorum consuetudine abhorrere arbitratus, recipiendam censet scripturam *urbe nostra*, multis allatis locis, in quibus littera *m* in optimis codd. addita est. Nec κακοφωνία illa, quae ex syllabarum *um*, *em*, *am* repetitione oritur, caussa idonea existimanda est scripturae, quae codd. auctoritate fulta est, mutandae. Delicatiores saepe aures veterum scriptorum habent interpretes, quam ipsi veteres. Sic Tullius non dubitavit scribere: Acad. 1, 7: quoniam quibusnam quisquam enuntiare. et N. D. I, 29: quam tibi illam nostram Sospitam, quam tu nunquam cett. V. *Wopkens.* Lectt. Tull. I, 5. p. 30 sqq.

Cap. XXXVIII. §. 91. *licet etiam — iudicantem*] H. e. τὸν γιγνώσκοντα, eum, qui iudicet mortalem esse animum. Infra IV. 32, 68: haec laetitia quam turpis sit, satis est diligenter *attendentem* (τὸν νοῦν ἐπέχοντα) penitus videre. Hinc patet, *Bentleii* coniecturam, ab *Ernestio* et *Davisio* receptam: *quam sensurus non sis* inanem esse. Cf. *Seyffert.* ad Lael. 16, 50. p. 371. De structura verbi *licet* c. acc. cf. infra V. 15, 44: quibus *abundantem licet* esse miserrimum. de Fato c. 15: similiterque superiora *repetentem*

iudicantem aeterna moliri non gloriae cupiditate, quam sensurus non sit, sed virtutis, quam necessario gloria, etiam si tu id non agas, consequatur. Natura vero se sic[4] habet, ut, quo modo initium nobis rerum omnium ortus noster afferat, sic exitum mors. Ut nihil pertinuit ad nos ante ortum, sic nihil post mortem pertinebit. In quo quid potest esse mali, quum mors nec ad vivos pertineat, nec ad mortuos? Alteri nulli sunt; alteros non attinget[3]. 92. Quam qui leviorem faciunt, somni simillimam volunt esse: quasi vero quisquam ita nonaginta annos velit vivere, ut, quum sexaginta confecerit, reliquos dormiat. Ne sues quidem id velint, non modo ipse.

4 Sic R. Gud. 1. II. aliique codd. et nonnull. edd. vett.; Or. c. vulg. *sic se*.

regredi infinite *licet*. Fin. V. 9, 26: ubi v. *Ottonem*, Off. I. 26, 92: haec praescripta *servantem licet* magnifice animoseque vivere. Accusativus semper ponitur, ubi *licet* non ad certam personam refertur, sed ad indefinitam, quae latet in participio. V. nos in Gr. L. §. 129, 12. Sic Graece, ut Xen. Comment. III. 12, 8: ταῦτα δὲ οὐκ ἔστιν ἰδεῖν ἀμελοῦντα. V. nos in Gramm. Gr. Vol. II. p. 645. et 647 sq. (Gr. schol. §. 307. Not. 3.) et ad Xen. Comment. I. 1, 9. p. 48. Nec offensioni esse debet tertiae et secundae (*agas*) personae permutatio. Sic infra III. 27, 65: Ergo in potestate est abiicere dolorem, quum *velis*, tempori *servientem*. N. D. I. 30, 84: quam bellum erat, Vellei, confiteri potius, nescire quod *nescires*, quam ista effutientem nauseare atque *ipsum sibi* displicere. Legg. II, 18. V. *Wopkens*. Lectt. Tull. p. 181 sq. et p. 349 sq. H. *Kühner*. L. Gr. §. 124. Not. 13.

mortalem esse animum] Mirum est, optimos codd., R. et Gud. 1., aliosque pro *animum* exhibere *animam*; sed magis mirandum est, hanc perversam scripturam probari *Klotzio* in Add. p. 45, qui eam sic defendit: „*Anima* drückt den edleren Theil des Menschen etwas materieller aus, als *animus*, und ist um desswillen gerade hier ganz passend.“ At nunquam ita locutus est Cicero.

consequatur] Apte *consequatur* ob v. *necessario*. V. Adnot. in c. 16, 36. De locutione *id agere* v. ad c. 20, 46.

Alteri nulli sunt, alteros non attinget] Sic c. Kl. et Tr. e R. Gud. 1. II. 2. aliisque codd. et nonnullis edd. vett. scripsi pro vulg. *attingit*. Futurum cum ironia aliqua mihi videtur positum esse, ut haec fere vis insit: *alteros c r e d o non attinget mors*. C. pr. Caecin. 15, 42., quem locum *Klotzius* attulit, cum *Iordano* legendum est: *relinquunt*.

§. 92. *Quam qui leviorem faciunt*] Sententiarum nexus ita animo informandus videtur: Sunt, qui, quum mortem leviorem facere vel lenire velint, eam somni simillimam esse dicant. At falluntur; nemo enim ita nonaginta annos volet vivere, ut, quum sexaginta confecerit, triginta reliquos dormiat. Ne stupidissimum quidem animal id velit, multo minus homo, qui, ratione praeditus, non dormiendo, sed agendo aliquid vitam transigere cupit. Sed omissa hac quaestione, utrum recte isti hac imagine leniverint mortem necne; hoc certe concedendum est, somnum imaginem mortis esse. Ponamus aliquem dormientem. Num igitur eum curare aliquid censes? Veluti Endymionem, aeterno consopitum somno, eumne curare censes, quum Luna laboret? Certe non. Ergo sicuti in simulacro mortis sensum videmus esse nullum, ita multo facilius intelligi potest, in morte ipsa sensum esse nullum. — Cur autem Endymionis potissimum exemplum a Tullio allatum sit, sponte patet. Celebratissima erat in antiquitate fabula de eius somno sempiterno. Ergo Endymionis persona quasi repraesentat omnes, qui gravi somno vincti sunt. Nihil amplius! De praes. *faciunt*, h. e. facere student, instituunt, v. nos in Gr. L. §. 107. Not. 3.; de *quasi vero* v. ad c. 22, 50. Uberius et enucleatius hunc locum explicandum existimavi, quoniam vidi *Rathium*, sententiarum nexu plane non perspecto, totum locum adulteratum censuisse.

non modo ipse] *Kernius:* geschweige ein Mensch. *Orellius* comparat infra II. 22, 51: sermo intimus, quum *ipse* secum cett. Legg. I, 21: naturam sequi, i. e., nihil, quantum in *ipso* sit, prae-

Endymion vero, si[5] fabulas audire volumus, ut[6], nescio quando, in Latmo obdormivit, qui est mons Cariae, nondum, opinor, est experrectus. Num igitur eum curare censes, quum Luna laboret? a qua consopitus putatur, ut eum dormientem oscularetur. Quid curet autem, qui ne sentit quidem? Habes somnum imaginem mortis eamque quotidie induis. Et dubitas, quin sensus in morte nullus sit, quum in eius simulacro videas esse nullum sensum[7]?

XXXIX. 93. Pellantur ergo istae ineptiae paene aniles, ante tempus mori miserum esse. Quod tandem tempus? Naturaene? At ea quidem dedit usuram vitae, tanquam pecuniae, nulla praestituta

5 Ern. susp. *qui, si:* uti est in Duisb. 6 Duo Oxx. Marb. Vind 1. 2. Mon. 1. 2. et edd. vett. om. *ut.* 7 D. 2 et W. c. cod. Urs. om. *sensum;* Mos. uncis inclusit. Iniuria; repetitum est hoc vocabulum ob vim sententiae.

termittere. — De *ne — quidem — non modo* (geschweige denn) pro *non modo —, sed ne — quidem* v. *Ramshorn.* Lat. Gr. §. 190. B. Not. 2. *Kühner.* Lat. Gr. §. 135. Not. 16. *Keilius* in Progr. p. XIV. sq. pro *sues*, quibus non posse *ipsum* opponi putat, legendum censet *sui* (ne sui quidem id velint). Necessaria mihi quidem haec coniectura minime videtur, quin immo aliquid insulsi habere. Aptissime homini sus, stupidissima bestia, opponitur. Stupor suis, cui quidem, ne putisceret, animam ipsam pro sale datam dicit esse Chrysippus (Cic. N. D. II, 64.), quasi in proverbium abiit. Apte *Menkius* in Observv. ined. comp. Plat. de Rep. II. p. 372. D: εἰ δὲ ὑῶν πόλιν, ὦ Σ., ἔφη, κατεσκεύαζες, τί ἂν αὐτὰς ἄλλο ἢ ταῦτα ἐχόρταζες;

Endymion] V. Indic. histor. h. v. Endymionis somnus in proverbium abiit. Cf. Plat. Phaedon. p. 72. C. Fin. V. 20, 55: Itaque, ne si iucundissimis quidem nos somniis usuros putemus, Endymionis somnum nobis velimus dari; idque si accidat, mortis instar putemus. De forma nominativi *Endymion* v. ad c. 47, 113. De ironico *opinor* v. ad c. 22, 52.

Luna laboret] *Labores lunae* vocantur eclipses seu deliquia lunae, quia erat superstitio vulgi, lunam tum contra magorum incantationes laborare, quas aeris concussi tinnitu frangi posse putabant. *Neidius. Camerarius* comparat Virg. Georg. II, 478: defectus Solis varios Lunaeque labores.

Et dubitas] *Et* saepe in adversativa interrogatione ἐνεργητικῶς ponitur, ut idem fere, quod *et tamen* (εἶτα, ἔπειτα), valere videatur. Infra III. 17, 35: *et* te oblivisci iubes? *Wolfius* comparavit Virgil. Aen. VI, 807: *et* dubitamus adhuc virtutem extendere factis? *Orellius* in partes vocat *Gifanii* Observatt. ed. Othon. p. 175.

Cap. XXXIX. §. 93. *istae ineptiae*] De plurali numero v. ad c. 6, 12.

Quod tandem tempus] Ex antecedentibus repetenda est praepositio *ante*, uti plerumque in interrogationibus atque responsionibus. Cf. III. 17, 37. in Pison. 37, 91: Arsinoen, Stratum, Naupactum — fateris *ab hostibus* esse captas. *Quibus* autem *hostibus?* Nempe *iis*, quos etc. de Rep. I. 36, 56: *A Iove* incipiendum putat. *Quo Iove?* V. *Ottonem* ad Cic. Fin. exc. VIII. p. 407 sq. et nos in Gr. L. §. 117. Not. 2. b). Sic ap. Graecos, ut Plat. Soph. p. 243. D: περὶ δὲ τοῦ μεγίστου τε καὶ ἀρχηγοῦ πρώτου νῦν σκεπτέον. — Τίνος δή, λέγεις; ubi v. *Heindorfium.* V. *Stallbaumium* ad Plat. de Rep. III. p. 410. D. et nos in Gr. Gr. T. II. §. 625, 5. [Gr. schol. §. 300, 5, c).]

usuram vitae] H. e. natura vitam nobis quasi commodavit, non ad praestitutum tempus, sed ita, ut, quum velit, repetere eam possit. V. ad 31, 77.

exegit] Verbum proprium de pecunia, mercede vel opera debita reddenda. *Ochsner* comparat Off. II. 18: quum in dando munificum esse, tum in *exigendo* non acerbum. de Rep. III, 28: mercedem [virtus] accipit facile, *exigit* non acerbe. V. *Schütz.* Lexic. Cicer. Latin. h. v. et *Seyffert.* ad Lael. 9, 31. p. 211 sq.

inquit] Scil. *adversarius* vel *aliquis.* Est formula, qua utuntur scriptores, quum aliquid sibi opponi fingunt. Sic posterioris aetatis Graeci dicunt φησὶ pro φασί. Cf. infra II. 12, 29. V. nos L. Gr. §. 124. Not. 13. b). Adde *Heindorf.* ad Horat. Sat. I. 4, 79. *Passov.*

die. Quid est igitur, quod querare, si repetit, quum vult? ea enim conditione acceperas. Iidem, si puer parvus occidit, aequo animo ferendum putant; si vero in cunis, ne querendum quidem. Atqui ab hoc acerbius exegit[1] natura, quod dederat. Nondum gustaverat, inquit[2], vitae suavitatem; hic autem iam sperabat magna, quibus frui coeperat. At id quidem[3] in ceteris rebus melius putatur, aliquam partem, quam nullam, attingere; cur in vita secus? Quanquam non male ait Callimachus, *multo saepius lacrimasse Priamum, quam Troilum.* Eorum autem, qui exacta aetate moriuntur, fortuna laudatur. 94. Cur? Nam, reor, nullis[3], si vita lon-

XXXIX. 1 Tres Oxx. Aug. et multae edd. vett. *exigit.* 2 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. 2. b. aliisque multis pro vulg. *inquiunt.* V. Adn. 3 v. Adn.

Gr. Lexic. v. φημί. *Gernhard.* in Addend. ad Cat. Mai. p. 320. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 221. *Creuzer.* ad N. D. I, 36. p. 164.

At id quidem] Sic D. W. Mos. c. R. ap. Wes. II. p. 27. Gud. 1. II. Gr. b. aliisque multis codd.: quod probat *Wesenb.* l. d.; Or. et Kl. c. Wopk. p. 76. H. ex edd. vett. et nonnullis codd. *at id quidem ipsum.* Tr. *ipsum* uncis inclusit. *Klotzius* in Add. p. 46., qui *ipsum* per compendium scriptum facile excidere potuisse credit, comp. 37, 90: At *id ipsum* odiosum est, sine sensu esse. II. 12, 28: quum *hoc ipsum* dicit, summum malum esse dolorem. Etiam *Goerenz.* ad Acad. II, 14. p. 84. probat *ipsum.* Sed recte docet *Wesenbergius* post *quidem* supervaneum esse *ipsum.* Cf. paullo ante: *at ea quidem.*

Callimachus] Callimachi verba respexisse videtur Plutarch. Cons. ad Apoll. p. 113. E: Μεῖον γὰρ ὄντως Τρωΐλος ἐδάκρυσεν ἢ Πρίαμος. Troilus, Priami filius, iuvenili audacia ferox cum Achille manus conserere ausus, ab eo interemptus est. V. Virgil. Aen. I. 474 sq. *Billerbekius* Callimachi verba pro trochaico septenario habet; sed recte contra monet *Orellius*, non licere ex Ciceronis *oratione obliqua* versus constituere; unum tantum versum obliquum in Orator. §. 147. *Artem pudere proloqui, quam factites* reperiri, ibi tamen verba: *versus, qui vetat,* praemissa esse.

exacta aetate] de Sen. 17, 60: „M. quidem Valerium Corvum accepimus ad centesimum annum (aetatem) perduxisse, quum esset *exacta* (alii leg. *acta*) iam aetate in agris eosque coleret.“ Uti *iniens* aetas (aut initium aetatis) adolescentia, quae post quintum aut sextum decimum aetatis annum initium capit, dicitur; ita *exacta* (*acta*) aetas est peracta adolescentia, quam excipit virilis aetas. V. *Seyffert.* ad Lael. 10, 32. p. 230. Cf. Adnotata in §. 94.

§. 94. *Cur?*] Sententiarum nexus hic est: Cur eorum, qui exacta aetate moriuntur, fortunam laudemus, nulla est caussa; nam nulli aetati vita iucundior potest esse, quam senectuti. Nulla aetas vehementius potest optare, ut vita extendatur, quam senectus; nihil est enim profecto homini dulcius, quam prudentia. Prudentiam autem, licet cetera bona auferat, affert certe senectus. Ergo dolenda potius, quam laudanda est eorum, qui senili aetate vita decedunt fortuna. Hinc sequitur, ante tempus mori non miserum esse.

reor] Ironice pro *certe.* V. ad 22, 52.

nullis, si vita] Non sum ausus c. L. Or. Tr. e cod. Col. Aug. Vind. 1. scribere *non ullis*, quanquam eodem ducit scriptura *non illis*, quae est in duob. Oxx. et plurimis edd. vett., itemque scriptura *nonnullis*, quae est in duob. Oxx. marg. Vind. 1. edd. vett. H. Ven. Alteri. At vero scriptura *nullis* nititur plurimorum codd. optimorumque, ut R. Gud. 1. Gr., et nonnullarum edd. vett. auctoritate. Negari quidem non potest, saepissime apud Ciceronem *non ullus* oblitteratum esse, quum compendium *n̄ ullus* facile transire potuerit in *nullus;* v. quos *Klotzius* in Add. p. 47. laudat, *Madvigium* ad Fin. III. 15, 50. et *Zumptium* ad Divin. in Q. Caecil. 18, 60: si vero *non ulla* tibi facta est iniuria. in Verr. III. 53, 124: *non ulla* in re; sed ne illud quidem negari potest, uti recte monuit *Klotzius* l. d., si scriptum fuerit *n ullus,* aeque facile *non ullus* oriri potuisse.

gior daretur, posset esse iucundior. Nihil enim est[4] profecto homini prudentia dulcius, quam, ut cetera auferat, affert certe senectus. Quae vero aetas longa est? aut quid omnino homini longum? Nonne

Módo puerós, modó adolescéntes, in cursú a tergó insequéns,
Néc opinántes ássecúta est

senectus? Sed quia ultra nihil habemus, hoc longum dicimus. Omnia ista perinde[5] ut cuique data sunt pro rata parte, ita aut[6] longa, aut brevia dicuntur. Apud Hypanim fluvium, qui ab Europae parte in Pontum influit, Aristoteles ait, bestiolas quasdam nasci, quae unum diem vivant. Ex his igitur hora octava quae mortua est, provecta aetate mortua est; quae vero occidente sole, decrepita; eo

4 Sic R. Gud. 1. II. 2. Aug. Vind. 1. Mon. 2.; Or. c. vulg. *Nihil est enim.* V. Adn. in c. 27, 66. 5 Quatt. Oxx. *proinde.* V. ad c. 36, 86. 6 Sic recte Mos. c. trib. Oxx. Gud. 2. Mon. 1. et nonnull. edd. vett.; in R. Gud. 1. II. b. Gr. Mon. 2. Marb. duo Oxx. Vind. 2. et plurimis edd. vett. est *parte, a vita l.:* quod natum est e transpositione vocularum *aut ita;* v. *Wes.* Em. I. p. 20.; Or. c. D. ex El. 3. *ita longa.*

affert certe senectus] Geminum locum Menandri apud Stobaeum Serm. CXIV. p. 585. comparat *Davisius:* Εἰ τἆλλ' ἀφαιρεῖν ὁ πολὺς εἴωθεν χρόνος Ἡμῶν, τό γε φρονεῖν ἀσφαλέστερον ποιεῖ. *Menkius* in Observv. ined. confert Plutarch. de pueror. educ. 8, 18. ed. Heusing. p. 17: ὁ χρόνος τἆλλα πάντ' ἀφαιρῶν τῷ γήρᾳ προστίθησι τὴν ἐπιστήμην.

Modo pueros] Sunt trochaici tetrametri catalectici. Adnotandum, *pueros* bisyllabum esse. *Modo* est *ante breve tempus;* deinde *nec opinantes* non respondet, uti *Klotzius* vult, Graeco οὐδ' οἰόμενοι, sed est idem, quod *non opinantes.* V. ad III. 13, 28.

adolescentes] Adolescentia complectitur h. l. virilem quoque aetatem, quae de Sen. 20, 76. constans et media dicitur. Sic de Sen. 2, 4: „Citius adolescentiae senectus, quam pueritiae adolescentia obrepit." Scilicet Romani dicebantur pueri usque ad sextum decimum vel septimum decimum annum, quo, deposita toga praetexta, induebant togam virilem; adolescentes usque ad annum quadragesimum; viri usque ad annum sexagesimum; tum senes. V. *Bremium* ad Cornel. Nep. Eumen. I, 4. p. 262.

Apud Hypanim — Aristoteles ait] Histor. Animal. V. c. 19: quem locum reddidit Plinius H. N. XI. c. 36: Hypanis, fluvius in Ponto, circa solstitium defert acinorum effigie tenues membranas, quibus erumpit volucre quadrupes, nec ultra unum diem vivit, unde ἡμερόβιον (*ab Arist.* l. d. ἐφήμερον) vocatur. Aelian. H. A. V, 43: μονήμερον.

decrepita] est ἅπαξ λεγόμενον apud Ciceronem. Ad sequentia *Moser* haec habet: Solstitialis dies est Romanis totius anni longissimus, ut brumalis brevissimus: nimirum aureae aetatis scriptoribus, cum quibus facit Seneca Q. N. VII, 1. V. eundem ad C. de Fato 3. prc. ad v. *in brumali die.*

in eadem — brevitate — reperiemur] Attende ad exquisitiorem usum praepositionis *in*, quae nonnunquam ita ponitur, ut vices sustineat genitivi vel ablativi qui dicitur qualitativi. Infra III. 18, 42: Quae sequuntur, *in eadem sententia* sunt (h. e. eiusdem sententiae). Fin. II. 14, 47: quartum (genus honestorum) sequitur et *in eadem pulchritudine* et aptum ex illis tribus: ubi v. *Madvigium* p. 226. Sic *in vitio* esse pro vitiosum esse, *in eo* (*eodem*) *genere* esse. Cf. *Handium* in Tursell. Vol. III. p. 259. et *Seyffert.* ad Lael. p. 455.

qua illae bestiolae] Pro: *in qua.* Praepositio omitti solet ante pronomen relativum, quum eadem ante pronomen demonstrativum proxime praegressum posita erat. V. *Bremium* ad Corn. Nep. Cimon. III, 1. Infra c. 46, 111. Fin. IV. 20: Platonem — *eadem* esse *in caussa, qua* tyrannum Dionysium. Cf. *Wopkens.* Lectt. Tull. I, 1. p. 6. H., *Ottonem* in Exc. VIII. ad Fin. p. 407. *Ramsh.* L. Gr. §. 151. Not. 1. *Kühner.* L. Gr. §. 117.

magis, si etiam solstitiali die. Confer nostram longissimam aetatem cum aeternitate; in eadem propemodum brevitate, qua illae bestiolae, reperiemur.

XL. 95. Contemnamus igitur omnes ineptias; (quod enim levius [1] huic levitati nomen imponam?) totamque vim bene vivendi in animi robore ac magnitudine et in omnium rerum humanarum contemptione ac despicientia et in omni virtute ponamus [2]. Nam nunc quidem cogitationibus mollissimis [3] effeminamur, ut, si ante mors adventet, quam Chaldaeorum promissa consecuti sumus [4], spoliati magnis quibusdam bonis, illusi destitutique videamur. 96. Quod si exspectando et desiderando pendemus animis, cruciamur, angimur; pro dii immorta-

XL. 1 v. Adn. 2 Mirus h. l. error occupavit multos optimosque codd. Legitur *ponamus iussu tyrannorum*. *Nam nunc* in R. P. Gud. 1. 2. H. (in hoc etiam quae sunt inter antecedens *imponam* et *nam nunc* exciderunt) Rehd. Vind. 2. Pal. 1. 3. 4. 5.; in Duisb. est *iussuque tyrannorum* eaque verba post *despicientia* reposita sunt, e mala correctione, uti recte statuit Mos.; unus Ox. et ed. H. *ponamus iussa tyrannorum*: alius Ox. *ponamus tirannorum*. Hinc recte concludit *Moser*, omnes quos diximus codd. ex uno eodemque fonte fluxisse, quum fieri omnino non potuerit, ut eodem plane loco complurium librariorum oculi ad eadem vocabula duodecim versibus distantia sententiamque plane interrumpentia aberrarent. 3 Optimi codd. R. (ap. Tregd.) Gud. 1. Gr. b. (a pr. m.) aliique habent *molestissimis*: quod, licet non prorsus absurdum sit, tamen verbo *effeminamur* minus aptum est. 4 Sic R. Gud. 1. reliquique codd. fere omnes; Or. c. vulg. *simus*: quod Mos. recte correctori tribuit.

Not. 2. b). Sed ubi praepositionis in utroque orationis membro diversa est ratio, necessario repetenda est, ut c. 43, 102: de qua Socrates quidem quid senserit, apparet *in eo libro, in quo* moritur. Eadem praepositionis omissio frequentissima apud Graecos scriptores. Xen. Symp. 4, 1: ἐν τῷ χρόνῳ, ᾧ ὑμῶν ἀκούω. V. *Heindorf.* ad Plat. Phaedon. p. 91. et ad Gorg. §. 135. ad Cic. N. D. I. 12, 31. p. 35. *Kühner.* ad Xen. Comment. II. 1, 32. p. 193. in Gr. Gr. Vol. II. §. 625, 3. (Gr. schol. §. 300, 5, b).

Cap. XL. §. 95. *levius*] Or. de Bentleii coniectura edidit *lenius* pro vulgata *levius*, quae mihi cum *Klotzio* (Quaest. Tull. I. p. 102 ss.) longe praeferenda videtur. Ac primum quidem ille verborum *levius* et *levitati* lusus vere Ciceronianus est. V. Adnotata in IV. 17, 38: *ratio et oratio*. Tum autem vocabulum *levius* nostro loco accommodatissimum esse, praeclare edocuit *Klotzius*. *Leve* enim nomen non solum ei rei convenit, quae, quum sit maior graviorque, non satis digno nomine appellatur, sed etiam ei, quae, quum sit deterior contemptiorque, non tam turpi nomine, quam res ipsa postulat, afficitur. Priore significatione *leve* nomen legitur de Orat. II. 54, 218.; posteriore pro Sext. Rosc. Amerin. 33, 93. Praeterea idem V. D. contulit locutionem: *ut levissime dicam* (= ne gravius dicam) Catil. III. 7, 17. pro P. Sest. 69, 145. pro Muren. 40, 87. De verborum lusu v. ad IV. 31, 67.

totamque vim — ponamus] Hunc locum commemoravimus in Gramm. Lat. §. 135, 2. p. 336. ed. 2., quo demonstraremus, quid inter coniunctiones copulativas *que*, *ac* (*atque*), *et* discriminis esset. *Que* adiungit et complet; *ac* aut *atque* auget, *et* disiungit. Cf. I. 1, 2. 21, 48. IV. 1, 1. extr. De seq. *omni* v. ad III. 3, 6.

si ante mors adventet] Verbum *adventandi* saepe de rebus gravibus ac molestis usurpari a Cicerone, docet *Moser*, coll. de Sen. 1, 2: (onere) iam urgentis aut certe adventantis senectutis. de Or. I. 45, 199: quum me vires (quod fere iam tempus adventat) deficere coepissent.

Chaldaeorum promissa] Chaldaeorum praedictiones de fatis hominis e stellarum motu. *Neidius*. Cf. Ind. histor. v. *Chaldaei*.

§. 96. *pendemus animis*] V. ad IV. 16, 35.

les! quam illud iter[5] iucundum esse debet, quo confecto nulla reliqua cura, nulla sollicitudo futura sit! Quam me delectat Theramenes! quam elato animo est! Etsi enim flemus, quum legimus; tamen non miserabiliter vir clarus emoritur. Qui quum, coniectus in carcerem triginta iussu tyrannorum, venenum ut sitiens obduxisset[6], reliquum sic e poculo eiecit, ut id resonaret: quo sonitu reddito, arridens: *Propino*, inquit, *hoc pulchro Critiae*, qui in eum fuerat teterrimus[7]. Graeci enim in conviviis solent nominare, cui poculum tradituri sint. Lusit vir egregius extremo spiritu, quum iam praecordiis conceptam mortem contineret, vereque ei, cui venenum praebiberat, mortem eam est auguratus, quae brevi consecuta est. 97. Quis hanc maximi animi[8] aequitatem in ipsa morte laudaret, si

5 Sic Or. c. R. ap. Wes. II. p. 28. Gr. Pal. 2. 3. 4. Pith. (ap. Gebh.) et complur. edd. vett.; nonnull. edd. vett. *quam iter illud;* plurimi *quam optabiliter iter illud:* quod natum videtur e scriptura nonnullorum librorum *quam optabiliter iter illud ineundum esse debet.* 6 Pauci deteriores codd. et complures edd. vett. *obbibisset* aut *ebibisset*, sine dubio de glossa. V. Adn. 7 Tres Oxx. Rehd. Duisb. Mon. 2. Vind. 2. *deterrimus;* at verbo *pulchro* elegantius opponitur *teterrimus.* 8 Sic Mos. c. R. ap. Wes. II. p. 28. Gud. 1. 2. Aug. Duisb. Mon. 1. 2. Marb. codd. Bentl. pro *an. max.*

venenum ut sitiens obduxisset] Explicari solet: avide hausisset; at rectius sine dubio explicatur *obsorbuisset* (*eingeschlürft* hatte). Aviditatis notio non inest in verbo obducendi, sed in additis verbis *ut sitiens.* Cf. Senec. de Provident. c. 3. med.: Socrates illam potionem publice mixtam non aliter quam medicamentum immortalitatis *obduxit.*

reliquum — pulchro Critiae] Xenoph. Hist. Gr. II. 3, 56: Καὶ ἐπείγε ἀποθνήσκειν ἀναγκαζόμενος τὸ κώνειον ἔπιε, τὸ λειπόμενον ἔφασαν ἀποκοτταβίσαντα (h. e. ut id resonaret) εἰπεῖν αὐτόν· Κριτίᾳ τοῦτ' ἔστω τῷ καλῷ. De v. ἀποκοτταβίσαντα fuse et copiose disputarunt *Schneider* et *Passovius* in Graec. Lex. v. κότταβος. Adde *Becker.* Charikl. T. I. p. 476 sqq. et quos *C. F. Hermann.* laudat in Lehrb. d. gr. Privatalterth. §. 28, not. 35. p. 137. et §. 53. extr. De re ipsa conf. Valer. Maxim. III. 2, 6. et Indicem v. *Theramenes.* Vocabulum *pulcher* tribuitur Critiae tanquam usitatum Atticae urbanitatis blandimentum, ut Xen. H. Gr. l. d.: Κριτίᾳ τῷ καλῷ. Cf. nos ad Xen. Comment. IV. 2, 1. p. 389.

Graeci — in conviviis solent etc.] *Davisius* in partes vocat Athenaeum XI. p. 498. et X. p. 432., quo posteriore loco ostenditur, hunc morem apud Lacedaemonios non fuisse.

extremo spiritu] V. ad III. 16, 34: adversis casibus.

praecordiis] Circa praecordia potissimum, ait *Beroaldus*, grassari solet vis veneni. Horat. Ep. III, 5: Quid hoc veneni saevit in praecordiis? (ubi v. Intpp.)

praebiberat] Est apud Ciceronem ἅπαξ λεγόμενον. Vulgo olim legebatur *qui venenum praebuerat* (neque aliter R. ap. Tregd. aliique deteriores): quod iure reiecit I. M. Brutus, qui e Gryphii libro edidit: *cui venenum praebiberat:* quae emendatio firmatur codd. Schotti duob. Leidd. Bouhierii pluribus Oxx.; quibus accedunt Gud. 1. II. codd. Bentl., qui habent *qui* (pro *cui*) *v. praebiberat.* Nam verbum *praebuerat* nullo modo quadrat in Critiam, cuius sententia Theramenes fuerat damnatus. Neque vero, quia verbum *praebibendi* apud Ciceronem legitur semel, apud ceteros aureae aetatis reperitur nunquam, satis idonea caussa potest esse, cur hanc scripturam, optimorum codd. auctoritate communitam, exterminemus. Quam multa apud Ciceronem reperiantur ἅπαξ λεγόμενα, vel ex iis apparet, quae collegit assiduitas *Ellendti* ad de Or. II. 22, 94. Vol. II. p. 211 sqq. Posterioris certe aetatis scriptores receperunt hoc vocabulum, e quibus complures locos excitavit diligentia *Davisii.*

quae brevi consecuta est] Uno anno post. Cecidit enim in proelio, quod triginta tyranni contra Thrasybulum commiserunt (403. a. Chr. n.). *Consecuta est*

mortem malum iudicaret? Vadit enim [9] in eundem carcerem atque in eundem paucis post annis scyphum Socrates eodem scelere iudicum, quo tyrannorum Theramenes. Quae est igitur eius oratio, qua facit eum Plato usum apud iudices, iam morte multatum?

XLI. „Magna me, inquit, spes tenet, iudices, bene mihi evenire, quod mittar ad mortem. Necesse est enim sit alterum de duobus, ut aut sensus omnino omnes mors auferat, aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. Quamobrem sive sensus exstinguitur, morsque ei somno similis est, qui nonnunquam etiam sine visis somniorum placatissimam quietem affert: dii boni! quid lucri est emori! [1] aut quam multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur? Cui si similis [2] futura est perpetuitas omnis consequentis

9 Sic R. Gud. 1. II. 2. aliique permulti codd.; Or. c. vulg. om. *enim*. V. Adn. XLI. 1 v. Adn. 2 Sic Or. ex egregia Bentl. emendat. pro vulg. *cui similis — temporis. Quis me beatior?*

multo gravius, quam *secuta est*. Significatur enim, mortem Critiae Theramenis praedictionem vere secutam esse. Apte *Klotzius* vertit *mors consecuta est* darauf *erfolgte* sein Tod (wenn er vorher vermuthet, angekündigt ist); *m. secuta est* darauf *folgte* sein Tod (wenn diefs mit dem Vorhergehenden nur hinsichtlich der Zeit zusammenhängt). V. ad c. 16, 36.

§. 97. *si mortem malum iudicaret?*] „In his minus firme videtur conclusum. Immo vero quis laudaret magnopere illam animi aequitatem, si mortem bonum iudicaret? Nam virtus elucescit in adversis, gravibus calamitosisque casibus, non spectatur rebus prosperis et in molli vita.“ *Camerarius.*

Vadit enim in — carcerem atque in eundem — scyphum] Mire sane dictum, nec tamen coniectura tentandum. *Ellendtus* ad C. de Or. I. 57, 243. Vol. II. p. 143. agnoscit zeugma rectionis, ut in Verr. II. 11, 29: amicos *in provinciam* quasi *in praedam* invitabat: ubi prius *in* motum in locum, alterum *in* consilium significat. In verbo *vadit* inesse significationem animose eundi, observat *Moser* coll. ad Att. IV. 10. XIV. 11. Coniunctio *enim*, quam e multis optimisque libris recepimus, rationem reddit sententiae cogitatione supplendae: *sed Theramenem missum faciamus.* Cf. *Wopkens.* Lectt. Tull. p. 89 sq. H. De re ipsa cf. de Or. I, 54.

Plato] Apol. Socr. p. 40. C. sqq.

Cap. XLI. *spes — bene mihi evenire*] H. e. cum magna *spe credo*, bene mihi *evenire*. Hinc infinitivus praesentis *evenire*. Cf. Gr. ἐλπίζειν.

sive sensus] Vocabulo *sive* respondet §. 98: Sin vera sunt. Sic Academ. I. 2, 7: *Sive* enim Zenonem sequare: — *si vero* Academiam veterem persequamur: ubi v. *Goerenz.* p. 13. Cf. *Madvig.* ad Fin. I. 6, 20. p. 44 sq. et in exc. I. p. 807. Pari modo apud Platonem l. d. legitur: καὶ εἴτε δὴ μηδεμία αἴσθησίς ἐστιν — cui post longiorem orationis intercapedinem infra E. respondet: εἰ δ' αὖ. V. *Stallbaum.* ad l. d.

emori] *Ernestius* e Guelf. et duob. Oxx. edidit *mori;* sed recte *Wolfius* et *Or.* vulgatam *emori* reposuerunt: quod verbum quum et maiorem vim habeat, quam simplex, et pleniorem sonantioremque exitum efficiat, quam iambicae mensurae *mori*, huius loci sententiae egregie respondet. Verbum *emoriendi* ob graviorem significationem etiam tum a Cicerone usurpatur, quum verbis *nascendi* et *vivendi* opponitur, uti docet *Gernhardus* ad Cat. M. XIX. p. 135., qui ceterum et in eo lapsus est, quod huius verbi compositi apud Ciceronem nisi infinitivum nihil reperiri contendit, quum modo c. 40, 96. vir clarus *emoritur* legerimus, et in eo, quod utriusque verbi notionem eandem esse statuit. Etiam *Ellendtus* ad de Or. II. 67, 274. Vol. II. p. 305 sq. verbum *emoriendi* non solum apud comicos, sed etiam apud Ciceronem aliquando nihil a *moriendo* differre censet. Rectius de composito verbo iudicaverunt *Doederlinius* in Lat. Syn. III. p. 183 sq. et *Kritzius* ad Sall. Iug. XIV, 24. p. 90 sq. Ubi idem plane significare videtur, quod simplex, v. c., quum *nasci* et *emori* (de Or. I. 57, 243.), *vivere* et

temporis, quis me beatior? 98. Sin vera sunt, quae dicuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas, qui e vita excesserunt[3], incolunt[3]: id multo iam beatius est. Tene[3], quum ab iis, qui se iudicum numero haberi volunt[3], evaseris, ad eos venire, qui vere iudices appellentur[3], Minoem, Rhadamanthum, Aeacum, Triptolemum, convenireque eos, qui iuste et[4] cum fide vixerint! Haec peregrinatio mediocris vobis videri potest? Ut vero colloqui cum Orpheo, Musaeo, Homero, Hesiodo liceat, quanti tandem aestimatis? Equidem saepe emori, si fieri posset, vellem, ut ea, quae dico, mihi liceret invenire. Quanta delectatione autem afficerer, quum Pa-

3 v. Adn. 4 R. Gud. 1. II. 2. aliique codd. et nonnull. edd. vett. om. *et*; sed post *iuste* facile *et* excidere potuit: quo omisso, in nonnullis codd. turbatum est.

emori (Off. III. 32, 114.) opponuntur; ibi respondet nostro *vergehen*, *zu Grunde gehen*.

§. 98. *qui e vita excesserunt*] Iniuria probat *Ernestius* coniunctivum *excesserint*, quem habent ed. vet. Bouhierii, Iunt., Cam. Asc. 2., et paullo post correxit *incolant* et *velint*. Indicativos tuentur Graeca: οἱ τεθνεῶτες et τουτωνὶ τῶν φασκόντων δικαστῶν εἶναι. Sed in verbis *qui vere iudices appellentur* coniunctivus referendus est ad mentem Socratis, quanquam etiam hoc loco indicativus, qui in duobus Oxx. Gud. II. et ed. H. legitur, non ineptus iudicandus est. Cf. Graeca: οἵπερ καὶ λέγονται ἐκεῖ δικάζειν.

id multo iam] Attendas ad exquisitiorem usum particulae *iam* pro *tum certe*, *sine dubio*, *ohne Weiteres*. Significat, ex antecedentibus verbis sententiam aliquam sponte prodire, respondetque Graecis particulis ἤδη et δή, quae eadem vi saepe in apodosi usurpantur. V. *Hartung*. Griech. Partik. Th. I. p. 242. 258 sq. Cic. de Legg. I, 7., parent autem (sc. dii hominesque) — praepotenti deo, ut *iam* universus hic mundus una civitas communis deorum atque hominum existimandus. Cf. supra c. 22, 50. et IV. 35, 75. si *iam*. Cf. *Wopkens*. Lectt. Tull. I, 4. p. 29.

Tene, — *ad eos venire*] Sic c. D. Kl. Tr. e R. Gud. 1. cod. Leid. uno Ox. codd. Bentl. scripsi; eodem ducunt Aug. Rehd. ed. H., in quibus est *tenere* pro *tene*, et unus Ox., in quo est *pene*. Or. c. vulg. dedit *beatius est*, *te*, *quum* etc. Sententia, e qua pendet acc. c. inf., mente supplenda est, ut h. l. *Nonne laetum est* —? V. ad II. 9, 21.

qui se — haberi volunt] Sic II. 3, 7: qui *se philosophos appellari volunt*. 4, 12: is, qui *se haberi velit musicum*. 26, 64: benefacta in luce *se collocari volunt*. III. 2, 4. 27, 64. Quod inter utramque structuram, nominativum et accusativum c. inf., post verba voluntatis intercedere discrimen statuit *Ramshornius* L. Gr. §. 168. Not. 6., id inane est. Neque probari potest id, quod proponit *Fr. A. Wolfius* in scholis ad III. 2, 4: nominativum usurpari, ubi adiectivum solum ponatur (ut: *volo bonus esse*), ubi autem substantivum ponatur, accusativum (ut: volo *me bonum poëtam esse*); nam multa adversantur exempla, ut II. 4, 12: in officio, cuius *magister esse vult*. *Krügerus* (Untersuchungen d. Lat. Spr. III. Fascic. 3. p. 336.) sententiae discrimen inter utramque structuram nullum esse censet, idque clare apparet ex Off. I. 19, 65: *principemque se esse mavult*, *quam videri* (ubi v. *Beier*. p. 151.). Eadem sententia §. 64: ut quisque animi magnitudine maxime excellit, ita maxime *vult princeps* omnium vel potius *solus esse*. Res mihi sic sese habere videtur: Ubi acc. c. inf. ponitur, subiectum et infinitivus in unum coniuncta cogitantur et tanquam unum obiectum ad verbum regens referuntur; ubi autem nom. c. inf. ponitur, persona, quae vult, non tanquam obiectum ipsa sibi opponitur. Ita fit, ut illa structura subiectum infinitivi maiore vi efferatur; hac contra voluntas personae gravius significetur. Ex eadem caussa facile intelligitur, cur, ubi adiectivo substantivum additum est, accusativus c. inf. usurpari soleat, ut: *cupit fortis esse*, at: *cupit fortem se esse*

lamedem, quum Aiacem, quum alios, iudicio iniquo[5] circumventos, convenirem! Tentarem etiam summi regis, qui maximas copias duxit ad Troiam, et Ulixi[6] Sisyphique prudentiam, nec ob eam rem, quum haec exquirerem, sicut hic faciebam, capite damnarer. Ne vos quidem, iudices, ii, qui me absolvistis, mortem timueritis. 99. Nec enim cuiquam bono mali quicquam evenire potest, nec vivo, nec mortuo; nec unquam eius res a diis immortalibus negligentur[7], nec mihi ipsi hoc accidit fortuito. Nec vero ego[8] iis, a quibus accusatus[9] aut a quibus condemnatus sum, habeo quod succenseam, nisi quod mihi nocere se crediderunt." Et haec quidem hoc modo. Nihil

5 Sic Or. e Bentl. coni., ad quam ducunt R. Gud. 1. II. et cod. Bentl., in quibus est *iniquorum ventos*, et Rehd., qui habet *iniquorum victos*. Graeca: καὶ εἴτις ἄλλος — διὰ κρίσιν ἄδικον τέθνηκεν. Vulgo *iniquorum*. 6 Sic Or. c. R. Gud. 1. 2. Vat.: eodem ducit Marb., in quo *Ulixis isyphique*; alii *Ulyssi*; ed. Verb. *Ulyxi*; al. *Ulyssis*; al. *Ulixis*; al. *Ulyxis*. V. ad III. 10, 21. 7 D. coni. *negliguntur* ob Plat. v. οὐδὲ ἀμελεῖται; at non attendisse vdtr. ad v. *unquam*, a Cic. additum. 8 Sic Or. c. plurimis codd. et optimis, ut R. Gud. 1.: Rehd. et mult. eid. vett. om. *ego*; at cf. Plat. p. 42. extr. καὶ ἔγωγε τοῖς καταψηφισαμένοις κτλ. 9 Sic R. (Tregd.) Gud. 1. II. 2. Aug. Mon. 1. 2. Marb.; Or. c. vulg. *accusatus sum, aut a q. cond.*

virum: rarius: *cupit fortis esse vir*. Cf. nos in Gr. L. §. 129. Not. 4.

Triptolemum „Quod Triptolemus in numero iudicum inferorum ponitur, ea videtur esse plebis Atticae opinio, quae fortasse ex mysteriis Eleusiniis in vulgus dimanaverat. Etenim Triptolemus non solum agriculturam Athenienses docuisse ferebatur, sed iisdem etiam leges tulisse sapientissimas, unde θεσμοφόρος dictus est." *Stallbaum*. ad Platon. l. d. p. 41. A., coll. *Welcker*. Zeitschrift fur alte Kunst II. 1. p. 134. et *Creuzer*. Mythol. T. IV. p. 161 sq. Etiam *Camerario* videtur Socrates Triptolemum nominare tanquam indigenam heroem. At haec non sola fuit caussa, cur Triptolemum in iudicum numero appellaret, sed, uti recte observat *Klotzius*, sine dubio etiam ob eam rem, quod Triptolemus rex iustissimus fuerat, uti apparet e Platonis verbis Μίνως τε καὶ Ῥαδάμανθυς καὶ Αἰακὸς καὶ ἄλλοι ὅσοι τῶν ἡμιθέων δίκαιοι ἐγένοντο ἐν τῷ ἑαυτῶν βίῳ.

Ut vero] Particula *vero* non solum confirmativam, sed etiam auctivam vim (*ja, vollends*) habet respondetque Graeco μὴν vel γὲ μήν. Cf. IV. 32. 68: totus *vero* iste qui vulgo appellatur amor. Sic in: *quid vero?* ut V. 6, 16. et *Seyffert*. ad Lael. 21, 78. p. 467. Cf. nos in Gr. L. §. 136, 2. 3. Xen. Commentar. I. 4, 5: ὀφθαλμοὺς μὲν ὥστ' ὁρᾶν τὰ ὁρατά, ὦτα δὲ ὥστ' ἀκούειν τὰ ἀκουστά· ὀσμῶν γε μήν, εἰ μὴ ῥῖνες προσετέτηκαν, τί ἂν ἡμῖν ὄφελος ἦν: ubi v. Adnotata nostra. V. *Hartung*. gr. Partik. T. II. p. 383 sq. et nos in Gr. Gr. T. II. §. 616, 2. p. 391. (Gr. schol. §. 316, 1.)

quanti tandem aestimatis? Graece ἐπὶ πόσῳ ἄν τις δέξαιτ' ἂν ὑμῶν;

nec ob eam rem Uberius et clarius Plato: καὶ δὴ καὶ τὸ μέγιστον, τοὺς ἐκεῖ ἐξετάζοντα καὶ ἐρευνῶντα, ὥςπερ τοὺς ἐνταῦθα, διάγειν, τίς αὐτῶν σοφός ἐστι καὶ τίς οἴεται μέν, ἔστι δ' οὔ· ἐπὶ πόσῳ δ' ἄν τις δέξαιτο, ἐξετάσαι τὸν ἐπὶ Τροίαν ἀγαγόντα τὴν πολλὴν στρατιάν, ἢ Ὀδυσσέα ἢ Σίσυφον ἢ ἄλλους μυρίους ἄν τις εἴποι καὶ ἄνδρας καὶ γυναῖκας· οἷς ἐκεῖ διαλέγεσθαι καὶ ξυνεῖναι καὶ ἐξετάζειν ἀμηχάνου ἂν εἴη εὐδαιμονίας πάντως· οὐ δήπου τούτουγε ἕνεκα οἱ ἐκεῖ ἀποκτείνουσιν. —

Ne vos quidem Plato c. 33: ἀλλὰ καὶ ὑμᾶς χρή, ὦ ἄνδρες δικασταί, εὐέλπιδας εἶναι πρὸς τὸν θάνατον. Verba *ii, qui me absolvistis* quum non sint apud Platonem hoc ipso loco, recte docet censor Ienensis 1. 66. p. 388 sq. Ciceronem totum locum liberius vertentem hoc loco commode inseruisse, quae paullo superius p. 39. E. (c. 31.) scripta sunt: τοῖς δὲ ἀποψηφισαμένοις (iis, qui me absolverunt) ἡδέως ἂν διαλεχθείην ὑπὲρ τοῦ γεγονότος τουτουὶ πράγματος. Cf. ibid. p. 40. princ. De verbis *ne timueritis* v. nos in Gr. L. §. 108, 5. b) γ) et 8. b). Cf. 47, 112.

autem melius extremo: „Sed tempus est, inquit, iam hinc abire me, ut moriar; vos, ut vitam agatis. Utrum autem sit melius, dii immortales sciunt; hominem quidem scire arbitror neminem."

XLII. Nae ego haud paullo hunc animum malim, quam eorum omnium fortunas, qui de hoc iudicaverunt; etsi, quod praeter deos negat scire quenquam, id scit ipse, utrum sit melius [1]; nam dixit ante; sed suum illud, nihil ut affirmet, tenet ad extremum. 100. Nos autem teneamus, ut nihil censeamus esse malum, quod sit a natura datum omnibus, intelligamusque, si mors malum sit, esse sempiternum malum. Nam vitae miserae mors finis esse videtur: mors si est misera, finis [2] esse nullus potest. Sed quid ego Socratem aut Theramenem, praestantes viros virtutis et sapientiae gloria, commemoro? quum Lacedaemonius quidam, cuius ne nomen quidem proditum est, mortem tanto opere contempserit, ut, quum ad eam duceretur damna-

XLII. 1 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. 2. aliisque codd. pro vulg. *melius sit.* 2 v. Adn.

§. 99. *hominem quidem*] V. ad II. 17, 41.

Cap. XLII. *etsi — sed*] V. in c. 37, 90.

suum illud] V. quae de Socratis philosophandi genere exposuimus in libro d. *de Ciceronis in phil. mer.* p. 138 sqq. De collocatione vocabuli *ut* v. ad I. 8, 16.

§. 100. *teneamus, ut*] V. ad V. 11, 34.

finis esse nullus potest] Scil. *mortis miserae. Mors misera* est miser status, in quo mortui versantur. V. Adnotata in c. 8, 15. Non opus est igitur c. Or. aliisque (etiam *Wesenb.* II. p. 29.) ex uno cod. Med. legere *miseriae finis* etc., neque c. Bentl. e codd. Gebh. *mortis, si est m., finis* etc.

Sed quid] Iam sequuntur exempla minus illustria.

cuius ne nomen quidem proditum] Apud Plutarch. Apophthegm. Lacon. p. 209. T. VIII. ed. Hutt. p. 885. p. 370 sq. ed. Wyttenb. Lips. vocatur *Thectamenes*, et omnino res paullo aliter narratur.

ea poena quam sine mutuatione et sine versura possem dissolvere] H. e. ea poena, quam dissolvere possem ita, ut aliunde mihi sumendum non esset, quo eam dissolverem. *Mutuatio* enim est, quum pecuniam aliunde sumas *gratuito; versura*, quum pecuniam aliunde sumas *fenore.* V. *Ernestii* Clav. Ciceron. h. v. et *Salmasium* De modo usurarum p. 297 sq. ap. *Moserum* Vol. III. p. 367 sq. De imperfecto *possem* v. ad c. 4, 7.

§. 101. *principes*] V. ad c. 15, 34.

Cato] Scil. in Originibus. Cato enim apud Ciceron. de Senect. 20, 75: Recordor, inquit, — legiones nostras (quod scripsi in Originibus) in eum saepe locum profectas alacri animo et erecto, unde se nunquam redituras arbitrarentur.

in quos Simonides] Legitur apud Herodot. VII, 228:

Ὦ ξεῖν', ἀγγέλλειν Λακεδαιμονίοις, ὅτι τῇδε
Κείμεθα τοῖς κείνων ῥήμασι πειθόμενοι.

Alios, qui hoc epigramma commemoraverunt, attulit *Maetzner* ad Lycurg. in Leocr. §. 109. p. 269. Pro *in quos* optimi codd. R. (ap. Tregd.) et Gud. 1. aliique multi perverso errore, qui ex antiqua scriptura QVOSSIMONIDES natus est, uti recte docet *Moser*, legunt *in quo S.* De praepositionis *in* c. acc. iunctae usu, quo pro *in alicuius laudem* dicitur, *P. Manucius* comparat N. D. I, 28: Catulus dilexit Roscium: *in quem* etiam illud est eius etc. de Senect. 17: *In quem*, inquit, illud elogium etc. Adde supra c. 34, 84: Callimachi quidem epigramma *in Ambraciotam Cleombrotum* est. Cf. *Hand.* Tursell. Vol. III. p. 311.

dum — obsequimur] Coniunctio *dum* (während, indem, indess), etsi enuntiationis primariae praedicatum tempore praeterito expressum est, iungi solet, apud poëtas vel in oratione obliqua, cum indicativo praesentis, quo oratio vividior efficiatur, quum significatur, non totum tempus, per quod res enuntiatione primaria significata erat, sed partem

tus ab ephoris et esset vultu hilari atque laeto, dixissetque ei quidam inimicus: *Contemnisne leges Lycurgi?* responderit: *Ego vero illi maximam gratiam habeo, qui me ea poena multaverit, quam sine mutuatione et sine versura possem dissolvere.* O virum Sparta dignum! ut mihi quidem, qui tam magno animo fuerit, innocens damnatus esse videatur. 101. Tales innumerabiles nostra civitas tulit. Sed quid duces et principes nominem, quum legiones scribat Cato[3] saepe alacres in eum locum profectas, unde redituras se non arbitrarentur? Pari animo Lacedaemonii in Thermopylis occiderunt, in quos[4] Simonides:

Dic, hospes, Spartae, nos te hic vidisse iacentes,
Dum sanctis patriae legibus obsequimur.

Quid ille dux Leonidas dicit? *Pergite*[4] *animo forti, Lacedaemonii; hodie apud inferos fortasse coenabimus.* Fuit haec gens for-

3 Kl. in Add. p. IX. ex R., qui habet *scribat vocato*, acute legendum suspicatur *scribat M. Cato.* 4 v. Adn.

tantum eius comprehendi. Quum autem utriusque enuntiationis praedicatum idem temporis spatium complet, *dum* c. imperf. iungitur. Hinc paullo post recte dicitur: fuit haec gens fortis, *dum* Lycurgi leges *vigebant* (non *vigent*). V. *Ramsh.* L. Gr. §. 185. III, 1. *Kühner.* L. Gr. §. 152. Not. 1. *Heindorf.* ad Hor. Sat. I. 5, 74. et quos ibi laudat *Wüstemannus* p. 174.

Quid ille dux — vigebant] Hic locus virorum doctorum ingenia mire exercuit. Nimirum in Graecis scriptoribus, qui eandem rem narrant, legitur verbum ἀριστοποιεῖσθαι aut ἀριστᾶν, veluti Plutarch. Apophthegm. Lacon. p. 225. ed. Wyttenb. p. 899. ed. Lips p. 384: τοῖς δὲ στρατιώταις παρήγγειλεν ἀριστοποιεῖσθαι, ὡς ἐν ᾅδου δειπνησομένους. Eodem modo Diod. Sic. XI. p. 8.; Stobaeus Serm. VII. p. 91. habet: Οὕτως ἀριστᾶτε. Hinc exstiterunt, qui dicerent, Ciceronem in reddendo Graeco verbo ἀριστοποιεῖσθαι vel ἀριστᾶν lapsum esse; nam quum verbum ἀριστοποιεῖσθαι vel ἀριστᾶν originem ducat a v. ἄριστον, quod et *prandium*, et *optimum* vel *fortissimum* significat, Tullium posteriorem significationem temere elegisse. Magnum sane ac puerilem errorem! in quem Ciceronem, et ipsum Graece doctissimum, et complurium Graecorum consuetudine usum, quum praesertim hoc Graecorum apophthegma vulgatissimum esset et omnibus doctis notissimum, incidere potuisse, equidem mihi persuadere non possum. Alii, Ciceronem a culpa liberaturi, librarios erroris insimulant. Hinc complures enatae sunt coniecturae. Lambinus reposuit *prandete animo forti*, uti in uno cod. Lall. legitur: quae correctio sententiam praebet ineptam, quanquam eam *Moser* defendi posse putat, si ita explicetur: Cibum sumite neque animum despondete. Neque vero ceteri huius narrationis auctores ullam *fortis animi* mentionem faciunt. Simpliciter dicunt ἀριστοποιεῖσθαι aut ἀριστᾶν; nec aliter Latini scriptores, ut Valer. Maxim. III. 2, 3: Sic prandete, commilitones, tanquam apud Inferos coenaturi. *Bentleius* locum sic scribendum censet: *Quid ille dux Leonidas? Prandete, ait, o fortes Lacedaemonii: hodie apud Inferos fortasse coenabimus*, vel, *prandeamus, o fortes Lacedaemonii!* Quae coniecturae sane habent, quo sese commendent; nam vocabulum *prandete* per compendium scriptum facile perverse legi potuit; hinc *pergite* (unus Ox. *peragite* et Vind. 1. ex aperta corr. *dixitque prudenter forti animo*): quod quum minus grave videretur, addita videntur verba *animo forti.* Quare, si quid mutem, simpliciter legam: *Prandete, Lac.*, nisi praestat verba: *Quid ille dux — vigebant* ab aliena manu importata cum *Wolfio* aliisque (nuper etiam *Wesenb.* II. p. 30.) statuere. Exterminatis his verbis, oratio facile decurrit. Quid? verba: „*Fuit haec gens — vigebant*“ nonne importunissima sunt et ab hoc loco plane alien. Quomodo deni-

tis, dum Lycurgi leges vigebant. E quibus unus, quum Perses hostis in colloquio dixisset glorians: *Solem prae iaculorum multitudine et sagittarum non videbitis: In umbra igitur*, inquit, *pugnabimus.* 102. Viros commemoro. Qualis tandem Lacaena? quae quum filium in proelium misisset et interfectum audisset: *Idcirco*, inquit, *genueram, ut esset, qui pro patria mortem*[4] *non dubitaret occumbere.*

XLIII. Esto: fortes et duri Spartiatae; magnam habet vim rei publicae disciplina. Quid? Cyrenaeum Theodorum, philosophum non ignobilem, nonne miramur? cui quum Lysimachus rex crucem minaretur: *Istis, quaeso*, inquit, *ista horribilia minitare purpuratis tuis! Theodori quidem nihil interest, humine, an sublime putescat*[1]. Cuius hoc dicto admoneor, ut aliquid etiam de humatione

XLIII. 1 v. Adn.

que verba: *e quibus unus* proxime praegressis adnectere vis? Nam relativum non ad v. *gens*, sed ad illos Lacedaemonios, qui supra commemorati sunt, referendum est. Aliter de h. l. iudicat doctissimus censor, *Fr. Schneider*, in Ephem. antiq. discipl. 1834. p. 1213.

E quibus unus] Dieneces appellatur ab Herodot. 7, 226: qui tamen hunc Laconem non Persae, sed Trachinio cuipiam ita respondisse auctor est. Valer. Maxim. III. 7, 8. ita narrat: *Referente quodam: Sagittis Persarum solem obscurari solere:* Bene narras, *inquit;* in umbra enim melius praeliabimur. Alii, ut Plutarch. Lacon. p. 225., hoc ἀπόφθεγμα ipsi Leonidae tribuunt, ut docet *Davisius.*

Perses] Eadem forma pro vulgari *Persa* utitur Cicero etiam de Rep. I. 27: Cyrus ille *Perses.* et Corn. Nep. Regg. I., uti docet *Moser.* Genitivus et dativus sonant *Persae.* Sed nomen regis Macedonum apud Ciceronem sic flectitur: n. *Perses*, g. *Persae*, d. *Persi* (Tusc. V. 40, 118.), acc. *Persen* (N. D. II, 2. bis multisque aliis locis), voc. non invenitur, abl. *Perse* (Tusc. III. 22, 53. et aliis locis). V. *K. L. Schneider.* Lat. Formenl. I. p. 317—321.

§. 102. *Lacaena*] Plutarch. Lacon. Apophthegm. p. 241. Stobaeus Serm. C. VI. p. 576. V. *Davis.*

genueram] Rarius verbum *gignendi* dicitur de muliebri sexu pro *parere.* Cels. II. 1. med. *Davis.* e Cicerone excitavit N. D. II, 21: Pisces, ut aiunt, ova quum genuerunt, relinquunt. Cf. *Forcellini* Thes. Lat. h. v.

mortem — occumbere] Sic c. Or. et Wes. II. p. 26. e Pal. 4. Marb. et septem deterioribus codd. permultisque edd. vett. scripsi. Kl. et Tr. ediderunt e R. Gud. 1. aliisque multis codd. multisque edd. vett. *morte.* Gud. 2. unus Pal. et ed. Goth. om. *morte*, uti ad Att. III. 15, 5: *occubuissem* honeste; Lamb. dedit *morti;* sed *occumbere morti* est poëticum. De locutione *mortem occumbere* laudat *Moser* Drakenb. ad Liv. XXXI. 18, 6; de locutione *morte occ.* affert *Klotzius* Liv. I, 7. At v. Addenda.

Cap. XLIII. *Esto*] Formula concedendi pro *sit ita sane* (Graece εἶεν), ut de Fin. IV, 45. Sic saepe *esto* legitur. V. *Forcellini* Thes. Lat. v. *sum.* Sententia est: At enim exempla illa a te allata ducta sunt a forti et dura Spartiatarum gente, in qua ad dura ferenda magnam habuit vim rei publicae disciplina. Concedo. At iam tibi afferam exemplum Cyrenaei Theodori, philosophi voluptarii.

Spartiatae] Observent tirones, nec Ciceronem nec alios bonae notae scriptores dixisse *Spartanos*, sed *Spartiatas* vel *Lacedaemonios.* Apud Corn. quidem Nepotem XVI. 2, 4. XXI. 1, 2. legitur forma *Spartani*, sed sine dubio ea non ipsi Cornelio, sed eius epitomatori tribuenda est.

Cyrenaeum] De N. D. I. 1, 2: Theodorus *Cyrenaicus:* ubi *Heindorf.* p. 3. discrimen inter utrumque vocabulum, a *Bouherio* constitutum, quo *Cyrenaici* nomine secta illa, non patria significetur, commenticium esse putat. „Contra certe Acad. II. 24: *Cyrenaei* appellantur, qui ab Aristippo profecti sunt, et ita promiscue usurpantur *Achaicus* et *Achaeus, Thebaicus* et *Thebaeus* ac plura id genus alia. Tusc. I. 34: a Cyrenaico Hegesia. V. 38: Antipatri *Cyrenaici.*"

et sepultura dicendum existimem: rem non difficilem, iis[2] praesertim cognitis, quae de nihil sentiendo paullo ante dicta sunt. De qua Socrates quidem quid senserit, apparet in eo libro, in quo moritur, de quo iam tam multa diximus. 103. Quum enim de immortalitate animorum disputavisset, et iam moriendi tempus urgeret, rogatus a Critone, quemadmodum sepeliri vellet: *Multam vero*, inquit, *operam, amici, frustra consumpsi. Critoni enim nostro non persuasi, me hinc avolaturum neque mei quicquam*[3] *relicturum. Veruntamen, Crito, si me assequi potueris aut sicubi nactus eris, ut tibi videtur*[4], *sepelito. Sed, mihi crede, nemo me vestrum, quum hinc excessero, consequetur.* Praeclare id quidem, qui et

2 Sic Or. c. R. aliisque (ap. Tregd.); temere atque inanibus rationibus Kl. *his* defendit. V. ad I. 3, 5. 3 Sic recte Bentl. legendum censuit, uti est in Marb.; eodem ducunt R. Mon. 1. 2. Vind. 1. Gud. 2. Aug. sex Oxx. omnes Bentl. et ed. H., in quibus *neque me quicq rel.*; Or. c. vulg. *neque quicquam mei*, aliae multae edd. vett. habent *neque quicq. me r.*; Gud. 1. *neque quicq. rel.*; Mos. emendavit *neque mei me quicq. r.*: quod improbavit Kl. in Add. p. 51., quia paullo ante legeretur *me hinc av.* 4 v. Adn.

purpuratis] De h. v. *Klotzius* comparat Cic. Catil. IV. 6, 12. ibique Intpp.

Theodori quidem nihil interest] Plutarch. T. II. p. 499: Καὶ τί Θεοδώρῳ μέλει, πότερον ὑπὲρ γῆς ἢ ὑπὸ γῆς σήπεται; quae imitando sic expressit Seneca de Tranq. c. 14: „O te ineptum, si putas interesse, supra terram an infra putrescam.“ V. *Davis.* Pro vulg. *putrescat* recte *Orellius* reposuit *putescat*, quod est in R. Gud. 1. II. Etiam N. D. II. 64, 160. optimi libri exhibent *putesceret. Orell.* addit Arnob. V. 7. p. 171. Or.: ne corpus eius *putescat.* De utraque forma prudenter disputat *Madvig.* ad Fin. V, 13. p. 682 sq. De *quidem* v. ad II. 17, 41.

Cuius hoc dicto admoneor] In hac quae sequitur et usque ad §. 109. extenditur digressione id Cicero videtur sectatus consilium, ut quae sparsae essent et divulgatae et inter singulos homines et totas gentes de sepultura inanes ac superstitiosae opiniones refutaret et convelleret. Ex eis, quae paullo ante a nobis dicta sunt, apparet, nos post mortem nullius rei sensum habituros esse. Itaque ne sepultura quidem ad mortuos pertinet. Ergo sepulturae mos consuetudinis caussa retinendus ille quidem est, sed ita, ut nihil id ad mortuos pertinere intelligamus. Inter *humationem* et *sepulturam* quid intersit, de eo *Moser* laudat interpp. ad Cic. de Legg. II. 22. *Ruhnkenium* ad Ter. Andr. I. 1, 101. p. 21. ed. Schopen.

rem non difficilem] Haec verba per ἐπεξήγησιν toti enuntiationi praegressae addita sunt. Sic saepe apud utriusque linguae scriptores pluribus verbis et toti enuntiationi substantivum plerumque cum adiectivo in accusativo positum tanquam appositio, qua iudicium aliquod de praegressis verbis vel enuntiatione continetur, additur. Pari modo de Finib. II. 23, 75. rem videlicet difficilem et obscuram: ubi v. *Ottonem* et *Madvigium.* Cf. nos in Gr. L. §. 109. Not. 13. Homer. Il. ω. 735: ἤ τις Ἀχαιῶν ῥίψει χειρὸς ἑλὼν ἀπὸ πύργου, λυγρὸν ὄλεθρον, Χωόμενος, ὡ δήπου ἀδελφεὸν ἔκτανεν Ἕκτωρ. Plura dedimus in Gr. Gr. T. II. §. 500, 1. (Gr. schol. §. 266. Not. 2.)

de nihil sentiendo] Iniuria *Ern.* haec verba uncis inclusit. Apte *Orellius* comparat Gr. περὶ τοῦ μηδὲν αἰσθάνεσθαι. V. nos in Gr. L. §. 131, 11. b).

in eo libro] Platon. Phaedone p. 115. C. D. E.

§. 103. *Multam vero*] V. ad II, 24.

assequi potueris — nactus eris — consequetur] Haec tria verba ita differunt, ut in verbo *assequendi* et *consequendi* notio insit antecedentis studii, desiderii, cupiditatis; hoc autem de eo dicatur, cui aliquid fortuitum illud quidem ac praeter opinionem, sed optatum contigit. Cf. *Forcellini* Thes. Latin. v. *nanciscor. Aug. Grotefendi* Commentar z. d. Material. Lat. Stylübungen VII. 14, 6. p. 138.

ut tibi videtur] Sic c. Kl. scripsi e R.

amico permiserit, et se ostenderit de hoc toto genere nihil laborare. 104. Durior Diogenes, et is quidem *idem*[5] sentiens, sed, ut Cynicus, asperius, proiici se iussit inhumatum. Tum amici, *Volucribusne et feris? Minime vero*, inquit: *sed bacillum propter*[6] *me, quo abigam, ponitote. Qui id*[7] *poteris?* illi; *non enim senties. — Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil sentienti?* Praeclare Anaxagoras, qui quum Lampsaci moreretur, quaerentibus amicis, velletne Clazomenas, in patriam, si quid accidisset, auferri: *Nihil necesse est*, inquit; *undique enim ad inferos tantundem viae est.* Totaque de ratione humationis unum tenendum est, ad

5 Sic Or. ex optima Wolfii emendatione pro vulg. *et id quidem sent.*; R. Gud. 1. II. b. Duisb. tres Oxx. omnes Bentl. *et is quidem sent.*; *idem* post *quidem* facillime excidere et omisso *idem*, obiecto desiderato, *is* in *id* mutari potuit. Etiam Kl. in Add. p. 52. nunc vulgatam deseruit. 6 Sic Or. c. R. Gud. 1. multisque aliis codd. et nonnull. edd. vett.; vulg. *prope*. De horum v. perpetua in codd. permutatione Or. conferre iubet *Wunder* Varr. Lectt. p. 64. et 114. 7 Sic c. Tr. et Kl. in Add. p. IX. scripsi pro vulg. *Qui poteris?* quum R. Gud. 1. II. Aug. Mon. 2. tres Oxx. Marb. legant *quid poteris? Wes.* Em. II. p. 32. vulgatam tuendam existimat, comp. 31, 77. Att. XII. 40, 2. Acad. II. 31, 100. Fin. V. §. 84, neque opus fuisse putat h. l. *id* cum maiore quadam vi addi, *quid* autem ex seq. *p.* facile nasci potuisse, ut Fin. V. §. 28. Cf. eiusdem Em. II. p. 2.

Gud. 1. aliisque codd.; Or. edidit *videbitur*, quod exhibent praeter edd. vett. duo Oxx. Vind. 1. Marb. Gud. II. 2. aliique. Apud Plat. legitur ὅπως ἄν σοι φίλον ᾖ: quod Romanorum futuro magis quam praesenti respondet; sed in Graecis interpretandis Cicero non anxie versatur. Futurum *videbitur* a librariis ob antecedentia futura et sequens *sepelito* profectum videtur. Verissime monet *Klotzius*, eiusmodi locutiones, qualis est *ut tibi videtur*, Gr. ὥς σοι δοκεῖ, certam quandam ac stabilem formam habere neque reliquae orationi accommodari. Sed quem locum contulit: 32, 77: ut *videtur*; sed me nemo de immortalitate *depellet*, is nihil probat, quia ex antec. *vis* (nunc) — *audire?* intelligitur non *facito*, sed *fac* (nunc), uti verissime nuper demonstravit *Wesenberg*. Em. II. p. 31., qui retinendum censet *videbitur*, comp. praeter alia c. 12, 26. princ. ad Att. XII. 36, 2: ad Brutum si quid scribes, nisi alienum *putabis, obiurgato* eum. Fam. XVI, 20: iudicem (sc. *conficito*), quum M. *lubebit*. — Cum olitore (sc. *age*), ut *videtur*. — Verum (sc. *facito*), ut *videbitur*. ad Att. XII, 18. a, 2: hoc — tractabis, ut tibi *videbitur* (ubi deter. codd. *videtur*). De syllabis earumve notis in codd. omissis v. eundem I. p. 12.

qui — permiserit et se ostenderit] Verba *praeclare id quidem* ipsius scriptoris iudicium indicare *Klotzius* putat, ob eamque caussam coniunctivos sequi; mihi coniunctivi propterea positi videntur, quia hae duae enuntiationes secundariae rationem reddunt verborum *praeclare id quidem*. V. ad c. 44. extr.

§. 104. *proiici se iussit inhumatum*] Alii aliter hanc rem narrant. V. Diog. Laert. VI. §. 79. Cf. *Davis.* ad h. l.

bacillum propter me etc.] Epist. divv. philos. p. 80. ed. Commel. Ἐγὼ γοῦν, Diogenes scribit Hippioni, ἔγνωκα ἀποπνεύσαντί μοι παρατεθῆναι τὸ βάκτρον, ἵνα τὰ δοκοῦντα λυμαίνεσθαι ζῶα ἀπελαύνοιμι.

Quid igitur mihi ferarum etc.] Erravit *Gernhardus* ad Lael. XI, 37., quum verbum *inquit* in diverbio omitti negavit. V. *Klotzium* ad Lael. l. d. p. 151. et *Madvig.* ad Fin. I. 3, 9. p. 21.

Praeclare Anaxagoras, qui etc.] Vide quem *Moser* affert *E. Schaubach.* ad Anax. Fragmm. p. 54 sq. Lips. 1827.

moreretur] moribundus, morti proximus esset. *Moser* comparat de Divin. II. 66, 135. Quale etiam de Alexandro —, qui, quum Ptolemaeus, familiaris eius, in proelio telo venenato ictus esset eoque vulnere summo cum dolore *moreretur*, Alexander assidens somno est consopitus: ubi *moreretur* dicitur de ho-

corpus illam pertinere, sive occiderit animus, sive vigeat. In corpore autem, perspicuum est, vel exstincto animo vel elapso, nullum residere sensum.

XLIV. 105. Sed plena errorum sunt omnia. Trahit Hectorem ad currum religatum Achilles; lacerari eum et sentire, credo, putat. Ergo hic ulciscitur, ut quidem sibi videtur. At illa sicut acerbissimam rem maeret:

Vidí, videre quód me passa aegérrume,
Hectórem curru quadríiugo raptárier.

Quem Hectorem? aut quamdiu ille erit[1] Hector? Melius Accius[2] et

XLIV. 1 v. Adn. 2 Sic recte R. Gud. 1. aliique codd.; Or. c. vulg. *Attius;* alii *Actius.* V. *Ellendt.* ad de Or. III. 7, 27. Vol. I. p. 452 sq. Cf. III. 26, 62: *Accianus* in optimis codd.

mine non re vera moriente, sed morti proximo, postea vero sanato.

Clazomenas, in patriam] De appositione cum praepositione iuncta v. nos in Gramm. Lat. §. 116, 2.

si quid accidisset] Per euphemismum pro: si mortuus esset. Veteres enim, humanitatis quodam et elegantiae sensu moti, quum verbis male ominatis quam maxime abstinere studerent, rem iniucundam, tristem, moestam vocabulo mollioris significationis exprimere solebant. Hinc *moriendi* verbum reformidantes pro eo dicebant *vita excedere, decedere* vel simpliciter *decedere, vita fungi, defungi* similia. Pari modo nostrates loco vocabuli *sterben* variis utuntur dicendi formulis, quae rem tristem quasi emolliant. Locutionibus *si quid mihi acciderit*, vel *si quid humani mihi evenerit, si quid mihi humanum contigerit,* vel *si quid mihi humanitus acciderit* respondet Graeca ἤν τι πάθω. De allatis Latinis locutionibus v. quem *Orellius* laudat *Munckerum* ad Hygini Fab. CIX., de Graeca cf. *Stallbaum.* ad Plat. Menex. p. 246. C.: εἴ τι πάσχοιεν. et *Passov.* Gr. Lex. v. πάσχειν.

undique — ad inferos] Graece apud Diog. Laert. II. §. 11: Πανταχόθεν, ἔφη (sc. *Anaxagoras*), ὁμοία ἐστὶν ἡ εἰς ᾅδου κατάβασις.

Totaque] De *que* v. ad c. 26, 64.

Cap. XLIV. §. 105. *Sed plena*] Iam sequuntur exempla, e quibus, quam late sparsa ac propagata et fuerit et sit inanis illa superstitio, etiam mortuos sentire, quae in eorum corpora committantur, appareat.

illa] Hecuba mater vel Andromache uxor intelligenda. Descripsit hanc rem Homerus Il. XXII. 395 sqq.

acerbissimam rem maeret] Infra c. 48, 115: quum graviter filii *mortem maereret.* At supra c. 13, 30: Nemo enim *maeret suo incommodo.* V. *Gernhard.* et *Seyffert.* ad Lael. 4, 14. et nos in Gr. L. §. 112, 5.

Vidi] Sunt versus iambici senarii, sumpti ex antiqua aliqua Ennii vel Pacuvii tragoedia. De παρηχήματι *Vidi videre* v. ad c. 35, 85: *vi vitam evitari.* Ad *passa* supple *sum.* In v. *Hectorem* secunda syllaba producta est (quia in eam cadit arsis). Varro L. L. IX, 3. (p. 104. ed. Gothofr.) de nominibus *Hectoris* et *Nestoris* haec monet: „Haec primo omnes, qui soluta oratione loquuntur, dicebant, ut *quaestorem, praetorem,* sic *Hectorem, Nestorem.* Itaque Ennius ait: *Hectóris natum dé muro Troiáno iactari.* Accius hoc in tragoediis largius a prisca consuetudine movere coepit et ad formas Graecas verborum magis revocare, et a quo Valerius ait: *Áccius Héctorém nollet facere, Héctora mallet;* quod adventicia pleraque habemus Graeca, secutum, ut de notheis Graecanicos quoque nominatos plurimum haberemus.“ Cf. *Schneideri* Ausführl. Lat. Gr. II, 1. p. 159. Adde Quinctil. Inst. Orat. I. 5. *Fr. Ritter* in Elemm. Gramm. Lat. Berol. 1831. p. 45 sq., a *Mosero* laudatus, in nomine *Hectoris* paenultimam ita non tam producendam censet, quam acuendam, quasi sequens littera liquida duplex sit.

quamdiu ille erit Hector?] *Moser* legendum suspicatur *erat,* uti est in Vind. 1.; at primum, si Cicero praeteritum tempus ponere voluisset, scripturus fuisse videtur *fuit,* uti recte observavit *Klotzius* in Add. p. 53 sq.; deinde futurum rem multo vividius exprimit; Cicero enim, ad id tempus, quo Hecuba locuta

aliquando sapiens Achilles:

Immo enimvero[3] *córpus Priamo réddidi, Hectorem ábstuli.*

Non igitur Hectora[3] traxisti, sed corpus, quod fuerat Hectoris.

106. Ecce alius exoritur e terra, qui matrem dormire non sinat:

Máter, te appelló, quae[4] *curam sómno suspensám*[5] *levas,*

Nequé te mei[6] *miserét; surge et sepeli natum!* —

(Haec quum pressis et flebilibus modis, qui totis theatris maestitiam inferant, concinuntur, difficile est, non eos, qui inhumati sunt[7], miseros iudicare.)

— — — — *prius*

Quám ferae, volucrésque . . .

3 v. Adn. 4 Sic Or. c. Duisb. Gud. 2. Vind. 1. uno Ox. et plurimis edd. vett.; plurimi codd., etiam optimi, ut R. Gud. 1., habent *te appello tu, quae;* quatt. Oxx. Gud. II. 2. Rehd. ed. H. *te appello tuque curam.* 5 Sic Or. c. duobus Oxx. Gud. 2. Marb. Rehd. et edd. vett. plurimis; R. Gud. 1. aliique plerique codd. *suspenso:* quod ex eo ortum est, quod librarii, uti recte monet Mos., proximo verbo sequens adaptare solent. 6 Mos. c. Voss. ex Gud. II. et Duisb. *Neque mei te,* et c. Bouhierio *surge et sepeli natum*, *oro* ex Acrone ad Horat. Sat. II. 3, 60., qui legit *soror surge.* 7 Ern. Kl. Tr. c. R. b. et ed. vet. Bouh. *sint.*

fingitur, mente rediens, verba: *Quem H.? aut quamdiu ille erit H.?* ad Hecubam tanquam praesentem dirigit. Cf. §. 107: Non ipsa saxa magis sensu omni *vacabunt*, quam ille —, cui se hic cruciatum censet optare: ubi etiam alii leg. *vacabant.*

aliquando sapiens] H. e. nunc tandem, posteaquam diutius saeviit in Hectoris corpus, ad sanam mentem rediens et intelligens, corpus Hectoris, non ipsum Hectorem, a se laceratum esse. De voc. *aliquando* cf. ad I. 1, 1.

Immo] Ut versus trochaicus septenarius constituatur, *Billerbeckius* voculam *enim* delendam censet; nec ea legitur in codd. Vind. 1. Duisb. tribus Oxx.; sed ipse, in partes vocato *G. F. Grotefendo* in Gr. L. II. §. 115., vidit, legi posse *immo ĕnĭmvērō*. *Moser* comparat Ter. Andr I. 1, 64: *ĕnĭmvero* spectatum satis. Hec. IV. 4, 51: *ĕnĭmvero* prorsus iam tacere non queo.

Non igitur Hectora] Sic omnes fere libri et scripti et editi; duo tantum Oxx. et Gud. 2. exhibent *Hectorem*, quod receperunt W. Kl. Sch. Mos. Quum Cicero in prosa oratione semper usurpet Latinam formam *Hectorem*, h. l. eo magis offendit Graeca forma, quod in Accii verbis *Hectorem* dictum est; sed, repugnantibus omnibus fere libris, ausus non sum *Hectorem* reponere, praesertim quum Cicero aliis quoque locis in eodem vocabulo formam variaverit, ut *Nesida* Att. XVI. 4, 4. et *Nesidem* ibid. 1, 1; *tyrannida* XIV. 14, 2. et *tyrannidem* Off. III. 23, 90. De Graeco accusativo v. *C. L. Schneider.* Ausfuhrl. L. Gr. II, 1. p. 291 sq. *Wesenberg.* Em. II. p. 33 sqq. *Ramshorn.* L. Gr. §. 28. *Kühner.* L. Gr. §. 21, d).

§. 106. *Ecce alius exoritur*] „Polydori umbra, quem Thracum rex, Polymnestor, occiderat, ut auro potiretur. V. initium fabulae Euripidis, quae inscribitur Hecuba. Cf. Virg. Aen. III. 49 sq." *Neidius.* „Verum hoc non congruit cum Cic. Acad. II, 27: *Quid? Iliona somno illo*, Mater te appello, *nonne illa credit filium loquutum* cett.: qua re hi versus e Pacuvii *Iliona* sumpti sunt. *Goerenz.* ad Acad. l. d. statuit, Polydorum suam sororem Ilionam *matrem* appellare, quia ab ea educatus sit; satis mire! Multo rectius cum *Bouhierio* ad h. l. et *Heindorfio* ad Hor. Sat. II. 3, 60. ponitur, personam hic loquentem esse Deiphilum, Ilionae filium, Pacuviumque prorsus ab Euripide abeuntem eam fabulam tractasse, quam Hyginus Fab. 109. narravit." *Orellius.* De orationis forma *Menkius* in Observv. ined. comp. de Or. II. 22, 94: *Ecce* tibi *exortus est* Isocrates.

Mater] Sunt tetrametri trochaici catalectici. Posteriorem versum complet vocula *prius*, quae statim sequitur.

quae curam — levas] H. e. curam somno suspendis, h. e. somno intermittis vel supprimis et levas. Sequi debe-

(Metuit, ne laceratis membris minus bene utatur; ne combustis, non extimescit.)

* *Neú reliquias síc meas siris*[8] *dénudatis óssibus*

* *Tétra*[9] *sanie délibutas foéde divexárier.*

107. Non intelligo, quid metuat, quum tam bonos septenarios fundat ad tibiam. Tenendum est igitur, nihil curandum esse post mortem, quum multi inimicos etiam mortuos poeniuntur[1]. Exsecratur luculentis sane versibus apud Ennium Thyestes, primum ut naufragio pereat Atreus; durum hoc sane; talis enim interitus non est sine gravi sensu; illa inania:

8 Codd. *neu relliquias semiassi reis* (sic R. Gud. 1. b.) aut *semiassi regis.* V. Adn. 9 Codd. *per terram.* V. Adn. 1 Sic Or. c. R. Gud. 1. aliisque; Non. p. 471. et 479. et nonnull. edd. vett. *puniuntur;* Gr. b. duo Oxx. Mon. 1. quatt. Gebh. Vind. 1. et multae edd. vett. *poeniantur;* Duisb. et nonnull. edd. vett. *puniant.* V. Adn.

bat *et quam mei non miseret.* V. ad V. 3, 8. *Mei* μονοσυλλάβως pronuntiandum.

pressis et flebilibus modis] *Modi* proprie dicuntur in musicis. Cf. ad III. 19, 45. de Orat. III. 26, 102: illi — qui fecerunt modos (Graece ἐμελοποίησαν). V. *Ruhnkenii* Dictata in Terent. Andr. Didascaliam p. 3 sq. „*Modi* sunt concentus musici (das Accompagnement), qui verba (textum vocant) comitabantur. Haec allata verba requirebant pro argumento et ratione loquentis personae modos *pressos*, i. e. lenes (*piano*), tanquam umbrae, et *flebiles* (*mestoso*)." *Neidius. Pressi* (lenes) opponuntur *citatis* ap. Quinctil. XI. 3, 111: aliis locis *citata*, aliis *pressa* conveniet pronuntiatio. *Orellius* vertit *pressis modis in langsamem Takte* (Adagio): quales numeri tristibus et querulis affectibus congruunt, uti ad h. l. adnotat *Bouhierius*, qui comp. N. D. II. 59: sonos vocis distinctos et pressos, *des sons distincts et lentement articulés.* de Orat. III. 12, 45: presse et aequabiliter et leniter loqui, ut Off. I. 37, 133. Sic *presso pede*, *gradu incedere* (Liv. 28, 14. Ov. Met. 3, 17.), *lentement et patiemment*, Vellei. Paterc. II, 129: caussas *pressius* (i. e. patientius) audit.

totis theatris] *Theatrum* significat spectatores. Sic de Orat. III. 50, 195: *theatra* tota reclamant. Infra II. 26, 64. Docte v. *theatri* significationes exposuit *Spaldingius* ad Quinctil. Inst. or. I. 2, 9.

Neu reliquias] Sunt versus tetrametri trochaici catalectici, a Cicerone paullo post *septenarii* appellati (v. *G. Hermannum* in Elem. Doctr. metr. p. 86 sq.), ratione habita numeri singulorum pedum: quos versus, prius insigniter corruptos et deformatos (v. V. Scr.), miro ingenii acumine ad numeros suos redegit *Bentleius.* Sagacioris indolis adolescentes vulgatam scripturam cum egregia ac plane palmari *Bentleii* emendatione iterum iterumque comparent et exemplum inde sumant, qua via ingrediendum sit in veterum scriptorum locis corruptis ad sanitatem restituendis. Ceterum *meas* monosyllabum est.

siris] H. e. siveris. *Davis.* laud. I. Fr. Gronov. ad Liv. I, 32. Semper veteres scriptores hac contracta perfecti forma usi videntur; item semper *sisti*, *sistis*, *sissem*, *desisti*, *desistis*, *desissem*, *desisse* dictum videtur. V. *Ed. Wunderum* in *Jhrb. für Phil. u. Paedag. v. Jahn. II. Jahrg. II. H.* 1827. p. 141. et ad Plancian. 35, 87. p. 218 sq. Cf. nos in Gr. L. §. 52, 1. b).

§. 107. *Non intelligo, quid metuat*] Quae parenthesis signis et hic et paullo ante inclusa sunt verba, salsas complectuntur animadversiones, quibus ea, quae e poëta expromuntur, perstrinxit Cicero.

poeniuntur] Sic Cicero plus semel *poeniri*, *puniri* deponentialiter, ut aiunt, dixit, ut Mil. 13, 33: cuius tu inimicissimum — *punitus es:* ubi v. *Matthiae.* Phil. 8, 2: ut *puniretur* necem. Cf. *Ramshorn.* Lat. Gramm. §. 74. *Kühner.* L. Gr. §. 62. Not. Quinctil. Inst. or. IX. 3, 6 sq.: *fabricatus est gladium*, et *inimicum punitus es:* quod mirum minus est, quod in natura verborum est, et, quae facimus, patiendi modo saepe dicere; ut *arbitror*, *suspicor;* et contra faciendi, quae patimur, ut *vapulo:* ideoque frequens permutatio est, et pleraque utroque modo efferuntur, *luxuria-*

Ipse summis sáxis fixus ásperis, evísceratus,
Látere pendens, sáxa spargens tábo, sanie et sánguine atro.

Non ipsa saxa magis sensu omni vacabunt[2], quam ille *latere pendens*, cui se hic cruciatum censet optare. Quam[3] essent dura, si sentiret! nulla sine sensu[4]. Illud vero perquam inane:

Néque sepulcrum, quó recipiat, hábeat, portum córporis,
Úbi, remissa humána vita, córpus requiescát malis[5].

Vides, quanto haec in errore versentur. Portum esse corporis et requiescere in sepulcro putat mortuum. Magna culpa Pelopis, qui non erudierit filium nec docuerit, quatenus esset quidque curandum.

2 V. D. Ern. et duo Oxx. *vacabant.* V. ad §. 105: quamdiu ille *erit* Hector? 3 Or. c. uno cod. Lall. *quae* pro *quam;* v. Adn. 4 v. Adn. 5 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. b. multisque aliis codd. pro vulg. *a malis.*

tur, luxuriat; fluctuatur, fluctuat; assentior, assentio. De forma *poen.* cf. *Davis.* ad Legg. III. 4. p. 392. ed. *Moser.* et *Ernestii* Clav. Cic. v. *punire.* Indicativum *poeniuntur,* quem optimi codd. (v. V. Scr.) tuentur, *Orellius* ita explicat: „Tum, quum vides, ultionem multos exercere in inimicos etiam mortuos, tu id curare noli aut reformidare, ne idem in te aliquando fortasse fiat; immo persuasum tibi sit, nil curandum esse post mortem.“ Qui scripturam *poeniantur* receperunt, coniunctioni *quum* caussalem vim (*da doch*) tribuunt: quod minus in hunc locum quadrat.

Ipse] Sunt trochaici octonarii vel, ut Graeci appellant, trochaici tetrametri acatalecti: quos primus constituit *Bentleius.*

Quam essent dura — nulla sine sensu] H. e. haec, quae commemorata sunt, quam essent dura, si sentiret; at nulla sunt, si non sentit. Or. c. vulg. edidit *nulla sine sensu s u n t,* Tr. e coni. *nulla s u n t sine sensu; Wes.* Em. II. p. 32., frigidam quam vocat exclamationem vitaturus, hunc locum sic scribendum ac distinguendum putat: *Q u a e essent d., si sentiret,* (ea) *nulla sunt sine sensu.* Ego c. D., Mos., Kl. in Add. p. 54 sq. delevi *sunt,* quod a plurimis codd. optimisque, ut R. Gud. 1., abest. Negari quidem non potest, verbum *sunt* per compendium scriptum facile vel ante *sine* vel post *sensu* excidere potuisse; at quum non solum *sunt* omitti potuerit, sed etiam sine hoc verbo oratio multo gravior sit, a codicibus standum duximus.

Neque sepulcrum] Sunt etiam hi trochaici octonarii catalectici.

quo recipiat] Nonnulli libri scripti et editi legunt *recipiatur* contra metrum. Sic dicitur *vertere* pro *verti, mutare* pro *mutari,* στρέφειν pro στρέφεσθαι; *A. Schottus* Nodorr. Ciceronn. IV, 16. p. 387. e Plauto complures locos excitavit, in quibus *recipere* eodem modo dictum est, ut Mercat. II. 4, 30. Bacchid. II. 3, 60. Ceterum vere observavit *Klotzius,* apud probos solutae orationis scriptores hunc huius verbi usum non reperiri, nisi in gerundio, idque in re militari (sich zurückziehen), ut Caes. B. G. I, 48: Si quo erat longius procedendum aut celerius recipiendum etc., comp. *Forcellin.* Thes. L. L. T. III. p. 604. a. ed. Germ. Infra III. 19, 44. (ex Ennio): quo accidam? *quo applicem?* Omnino verba activa, quae movendi notionem habent, saepe intransitiva vel reflexiva significatione ponuntur: quod cumulatis exemplis probaverunt *Cortius* ad Sallust. Exc. VI. in Iug. *Vechner* Hellenol. I. 1, 6. ibique *Heusinger* et *Kritzius* ad Sall. Cat. IV, 7. Cf. nos in Gr. L. §. 105, 2. De Graeca lingua v. nos in Gr. Gr. T. II. §. 392. (Gr. schol. §. 249, 1.)

quanto haec — versentur] *Lambinus* de *Manutii* suspicione legit: *hic — versetur;* scilicet ne oratio a persona deflectat ad verba et rursus a verbis ad personam. At in hac ipsa transitione magna quaedam pulchritudo inest et ab elegantissimis scriptoribus creberrime usurpatur. Pari modo N. D. III, 10: *is* igitur — inquit cett. *haec omnia* in eodem — errore versantur. V. *Wopkens.* Lectt. Tull. I, 9. p. 77. H.

Magna culpa Pelopis, qui non erudierit — nec docuerit] *Moser* confert ad Famil. I, 9: nostrum consilium — *qui — noluerim.* Legg. III. 9: Sulla, *qui — ademerit — reliquerit.* pro Arch. 10: O — adolescens, *qui — inveneris.* V. nos

XLV. 108. Sed quid singulorum opiniones animadvertam, nationum varios errores perspicere quum liceat? Condiunt Aegyptii mortuos et eos servant domi [1]; Persae etiam cera circumlitos condunt, ut quam maxime permaneant diuturna corpora. Magorum mos est, non humare corpora suorum, nisi a feris sint ante laniata. In Hyrcania plebs publicos alit canes, optimates domesticos; nobile autem genus canum illud scimus esse; sed pro sua quisque facultate parat, a quibus lanietur; eamque optimam illi esse censent sepulturam. Permulta alia [2] colligit Chrysippus, ut est in omni historia curiosus; sed ita tetra sunt quaedam, ut ea fugiat et reformidet oratio.

XLV. 1 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. 2. aliisque multis codd. pro vulg. *domi serv.* 2 D. ed. 2. de Bentl. coni. et Goer. ad Fin. II. 14, 45. *talia.* Frustra.

in Gr. L. §. 146. e) — *filium*, sc. Thyesten.

Cap. XLV. §. 108. *Sed quid — animadvertam, — quum liceat?*] de Or. III. 8, 29: *Sed quid* ego vetera *conquiram, quum* mihi *liceat* uti praesentibus exemplis atque vivis? De discrimine significationis, quod est inter *quid conquiro* et *quid conquiram*, accurate exposuit *Madvigius* ad Fin. V. 22, 63. p. 725.

Condiunt Aegyptii] Graece ταριχεύουσιν. V. Herodot. 2, 86 sqq. ibique *Baehrium* et *Creuzeri* Commentatt. Herod. I. p. 360 sqq., quas *Moser* attulit.

Persae] Cf. Herodot. I, 140. III, 16. ibique *Baehrium*, Strabon. XV. p. 1068. Praeterea *Davisius* affert *B. Brissonium* de regn. Pers. II. §. 249. Addit *Moser Bocharti* Hierozoic. II. p. 530 sq. *Boettigeri* Kunstmythol. I. p. 35. *Rostii* Plaut. Cuped. Ferc. 14. p. 21.

Magorum mos etc.] „Hoc de omnibus Persis scripsere nonnulli, Theodoretus Therap. IX. p. 128. idem Haer. Fab. lib. I. c. 26. Et sane contendit Th. Hydius Hist. vett. Pers. c. 34. eos vulgo non humari.“ *Davisius.* His adversantur ii, quos in proxime antecedenti adnotatione attulimus.

nisi — sint ante laniata] Coniunctivum positum esse *Klotzius* observat, quod ob verba *mos est* sententia e magorum mente prolata sit. Omnino in eis enuntiationibus secundariis, quae cohaerent cum infinitivo, poni solet coniunctivus. Cf. nos in Gr. L. §. 140.[b] c).

In Hyrcania] *Davisius* comp. Silium Italicum XIII, 437. Theodoret. Ther. 9. p. 129. Porphyr. de Abstin. 4, 21. I. P. Cotelerium ad Clement. Recogn. 9, 25. Aeg. Menag, ad Laert. 6, 79. Paullo post pro *publicos Bentleius* legendum suspicabatur *publice*, i. e. publicis sumptibus, quae notio, uti recte *Klotzius* observat, iam in verbis *plebs alit* latet. *Orellius* autem *publicos canes* dictum putat, ut *servi publici, familia publica.* Aptissime *Moser* addit *equum publicum*, qui saepe commemoratur in inscriptionibus, comp. Indic. *Orellii* ad Collect. Inscrr. *Publicos* h. l. aperte opponitur sequenti *domesticos.* „Hic mos etiam nunc apud hunc populum est. V. *Io. Potozsky* in Clio's Blumenkörbch. v. A. v. Kotzebue (8. Darmst. 1814.) T. I. p. 137 sqq., ubi de Calmaquis circa urbem Sareptam loquitur. Cf. Plutarch. an vitios. ad infelic. suffic. c. 3. p. 499. D. et qui de Bactrianis hoc refert Strabon. XI, 11, 3. p. 517.“ *Menkius* in Observv. ined.

nobile autem genus etc.] H. e. quamvis hoc canum genus nobile sit nec sine magno pretio parari possit, tamen pro sua quisque facultate, h. e. quantum cuiusque facultates aut opes patiuntur, parat, a quibus lanietur.

in omni historia] *Historia* h. l. non significat narrationem et expositionem rerum gestarum: qua vi hoc verbum vulgo poni solet a veteribus scriptoribus; sed rerum indagationem, disquisitionem, ita ut plane respondeat Graeco vocabulo ἱστορίας. Eadem fere significatione verbum *historiae* indutum reperitur ad Attic. II. 8: Si quid in ea epistola fuit *historia* dignum (h. e. *cognitione dignum*), scribe quam primum, ne ignoremus. — De re ipsa cf. nos in l. d. *de Cicer. phil.* p. 86.

ita tetra — reformidet oratio] Locum nostro plane geminum *Moser* excitavit e Cic. Off. I. 45, 159: Ea Posidonius collegit permulta, sed ita tetra quaedam, ita obscoena, ut dictu quoque videantur turpia.

Totus igitur hic locus est contemnendus in nobis, non negligendus in nostris, ita tamen, ut mortuorum corpora nihil sentire vivi [3] sentiamus. 109. Quantum autem consuetudini famaeque dandum sit, id curent vivi; sed ita, ut intelligant, nihil id [4] ad mortuos pertinere. Sed profecto mors tum aequissimo animo oppetitur, quum suis se laudibus vita occidens consolari potest. Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectae perfecto functus est munere. Multa mihi ipsi ad mortem tempestiva fuerunt: quae [5] utinam potuissem obire! Nihil enim iam acquirebatur, cumulata erant officia vitae, cum fortuna bella restabant. Quare si ipsa ratio minus perficiet, ut mortem neg-

3 Rehd. et complures edd. vett. om. *vivi;* at recte Or.: „*vivi* brevius pro: *nos, qui vivi sumus ideoque sentire possumus.*" *Vivi* opponitur *mortuorum corporibus.* In seqq. verbis „*Quantum — pertinere*" *Reiskius* praecedentium verborum „*ita — sentiamus*" alteram accuratiorem Ciceronis elaborationem (de qua re v. Att. XVI. 3, 1.) deprehendisse et notam liturarum Ciceronis in illis videre sibi videtur. Cui sententiae assentitur *Wes.* II. p. 33. addens haec: Scilicet verba illa correcta „*ita — sentiamus*" quum ipse C. delere oblitus esset, non omisit librarius ille, qui eum codicem scripsit, ex quo non emendato (cf. Att. XIII, 21.) archetypus nostrorum codicum derivatus est. 4 Sic Or. c. R. Gud. 1. b. aliisque; vulg. om. *id.* 5 v. Adn.

§. 109. *virtutis — munere*] Infra V. 39, 113: tum quod sine oculis fieri posse vix videtur, geometriae *munus* tuebatur. Cf. *Moserum* ad C. de Rep. VI, 15: ne *munus* — assignatum a deo defugisse videamini.

Multa mihi ipsi ad mortem tempestiva etc.] Multae mihi fuerunt opportunitates aut multa tempora opportuna moriendi. Apte *Beroaldus* comp. Phil. I. 15, 38: „Mihi fere satis est, quod vixi, vel ad aetatem vel ad gloriam." Phil. II. 46, 119: „Si abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse consulari; quanto verius nunc negabo seni! Mihi vero, P. C., iam etiam optanda mors est perfuncto rebus iis, quas adeptus sum quasque gessi," et pulcherrimum locum Cestii ap. M. A. Senecam Rhetor. Suasor. VII. p. 37. ed. Gron. 1672: „Si ad desiderium populi respicis, Cicero, quando perieris, parum vixisti; si ad res gestas, satis vixisti: si ad iniurias fortunae et praesentem rei publicae statum, nimium diu vixisti; si ad memoriam operum tuorum, semper victurus es." *Davisius* addit Senec. Cons. ad Marc. c. 20: „M. Cicero, si eo tempore, quo Catilinae sicas devitavit, quibus pariter cum patria petitus est, concidisset liberata re publica conservator eius; si denique filiae suae funus secutus fuisset, tunc felix mori potuit. Non vidisset strictos in civilia capita mucrones" etc.

quae utinam potuissem obire] *Obire ea, quae ad mortem tempestiva sunt* est opportunis moriendi temporibus non deesse, eodemque fere modo dictum, quo *locum, tempus obire* dicitur. Anonymus ap Olivetum comparat pr. Milon. 10, 27: nisi *obire* facinoris *locum tempusque* voluisset. Lael. 2, 7: tu non affuisti, qui diligentissime semper illum *diem* et illud *munus* solitus esse *obire. Orellius* e *Davisii* coni. dedit *quam* pro *quae;* sed quum codicum scriptura locis allatis satis defensa sit, eam ego cum Kl., Mos., Tr. revocandam iudicavi.

cumulata erant officia vitae] H. e., uti recte *Moser* explicat, cumulate satisfactum erat officiis vitae, uti locutus est ad Att. VI, 3.

cum fortuna bella] Conflictandum adhuc erat cum fortuna. *Neidius.*

ipsa ratio] H. e. argumenta a me allata ad contemnendam mortem.

suis et propriis bonis laudis et gloriae] H. e. suis et pr. bonis, quae consistunt in laude et gloria. De hoc definitivo genitivo v. nos in Gr. L. §. 111. Not. 11. Cf. infra III. 6, 12: immanitatis — stuporis. IV. 15, 34: pleraeque enim quaestiones, quae ad vitam moresque pertinent, a virtutis fonte ducuntur, i. e. a virtute, tanquam fonte. 26, 57 extr. 38, 82: metus aut laetitiae aut cupiditatis.

quamvis non sentiant] Haec verba *Bentleius* pro glossemate habet; nec sane, si abessent, desiderarentur, sed tentanda

ligere possimus; at vita acta perficiat, ut satis superque vixisse videamur. Quanquam enim sensus abierit[6], tamen suis[7] et propriis bonis laudis[8] et gloriae, quamvis non sentiant, mortui non carent. Etsi enim nihil habet in se[9] gloria, cur expetatur, tamen virtutem tanquam umbra sequitur.

XLVI. 110. Verum multitudinis iudicium de bonis, si quando est, magis laudandum est, quam illi ob eam rem beati. Non possum autem dicere, quoquo modo hoc accipietur[1], Lycurgum, Solonem legum et publicae disciplinae carere gloria, Themistoclem, Epaminondam bellicae virtutis. Ante enim Salaminam[1] ipsam Neptu-

6 Or. e coni. L. *aberit*, uti legit MS. in marg. ed. Asc. 2. et in R. ap. Dav.: sed in R. ap. Tr. *abierit*, uti in reliquis codd. Futurum exactum *abierit* eandem fere habet vim, quam *aberit*. 7 Sic egregie emendavit L. pro vulg. *summis:* quod nuper male revocavit Tr. V. ad c. 29, 70: *propria et sua*. 8 Sic R. Gud. 1. II. 2. aliique codd.; Or. c. vulg. *et laudis;* inepte dicitur *et* laudis *et* gloriae. 9 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. 2. b. aliisque pro vulg. *in se habeat*. XLVI. 1 v. Adn.

non sunt, neque facile, uti recte monet *Orellius*, aliqui librarius explicationem ita supervacaneam additurus fuisse videtur. Idem V. D. refert ea ad *mortuos*, ita ut haec sententia, nulla superiorum verborum ratione habita, repetita sit: *tamen mortui, quamvis non sentiant.*

virtutem tanquam umbra sequitur] Pulchre dictum. Sic Seneca ep. 79, 11: „gloria umbra virtutis est, etiam invitos comitabitur:“ quae tota epistola dignissima est, quae cum nostro loco comparetur.

Cap. XLVI. §. 110. *Verum* etc.] Sententia est haec: Verum multitudinis iudicium de bonis hominibus, si quando est (sc. verum), magis ipsi multitudini laudi est, quam boni homines ob eam rem, quod eorum res gestae a multitudine celebrantur, beati praedicandi sunt.

quoquo modo hoc accipietur] Sic recte Or. restituit, quod optimi codd., ut R. Gud. 1., aliique permulti habent, pro vulg. *accipiatur*. Ad veram scripturam *accipietur* ducit etiam quod est in nonnullis codd. et multis edd. vett. *accideretur*. In eiusmodi enuntiationibus indicativus legitimus est. Cf. I. 11, 24. 34, 82. 47, 112. Cf. *Beier.* ad Off. I. 27, 94. p. 211. *Kritz.* ad Sall. Cat. 52, 5. p. 264. *Ramshorn.* L. Gr. §. 165. Not. 2. *Kühner.* L. Gr. §. 140.b a). Coniunctivus non ponitur, nisi per modorum attractionem aut in oratione obliqua. Cf. I. 11, 23: ubi Tr. male e coni. edidit *est*. 32, 79. II. 18, 42. V. 37, 108. V. nos in Gr. L. §. 140b, c). *Kernius* pron. *hoc* refert ad verbum *carendi;* duplicem enim habet vim, ut et significet *egere eo*, *quod habere velis*, et dicatur, *quum aliquid non habeas et non habere te sentias, etiamsi id facile patiare*. V. c. 36, 85. Sententia igitur haec esset: Lycurgus et Solo *carere* gloria, quoquo modo verbum *carendi* accipitur, dici non possunt; nam neque gloriam expetierunt, tanquam sapientes, neque non habent, quia illorum virtutem gloria, tanquam umbra, sequitur. Rectius videtur *Orellius* locum intellexisse: „doch kann ich es nicht über mich bringen, zu sagen, wie man auch diese meine Behauptung aufnehmen und vielleicht unphilosophisch finden wird.“

publicae disciplinae] *Staatsverfassung.* „*Disciplinam* de rei publicae institutione posuit Cicero etiam N. D. III. 35, 85: res publica ratione quadam et disciplina designata. ib. 39, 91: Lacedaemoniorum disciplinam — a Lycurgo datam. Fragm. Hortens. p. 450. ed. Or. omnis rei publicae disciplina.“ *Moser.*

Salaminam] *Wolfius* c. Ed. Manut. edidit *Salamina:* quod si codd. ullo modo tuerentur, libenter recepissem. Tenendum est enim, eiusmodi nomina urbium et locorum apud aureae aetatis scriptores in accusativo plerumque quidem Latinae tertiae declinationis in *em*, ut *Eleusinem*, nonnunquam tamen etiam Graecae tertiae declinationis in *a*, ut *Salamina*, terminationem habere (cf. *Ramshorn.* L. Gr. p. 49. et 58. ed. 2. *Kühner.* L. Gr. §. 21, d.) et supra ad c. 44, 105.), apud posterioris autem aetatis scripto-

nus obruet, quam Salaminii tropaei memoriam; priusque Boeotia Leuctra tollentur, quam pugnae Leuctricae gloria. Multo autem tardius fama deseret Curium, Fabricium, Calatinum, duo[1] Scipiones, duo Africanos, Maximum, Marcellum, Paullum, Catonem, Laelium, innumerabiles alios: quorum similitudinem aliquam qui arripuerit, non eam fama populari, sed vera bonorum laude metiens fidenti animo, si ita res feret[1], gradietur ad mortem, in qua aut summum bonum, aut nullum malum esse cognovimus. Secundis vero suis rebus volet etiam mori; non enim tam cumulus bonorum iucundus esse potest, quam molesta decessio. 111. Hanc sententiam significare videtur Laconis illa vox, qui, quum Rhodius Diagoras, Olympionices nobilis, uno die duo[2] suos[3] filios victores Olympiae vidisset, accessit ad senem et gratulatus: *Morere, Diagora*, inquit; *non enim in*

2 Sic recte Or. c. R. Gud. 1. II. Gr. et paucis edd. vett. pro *duos*. V. ad §. 110. 3 Ern. iniuria delevit *suos*, quod h. l. non sine aliqua vi additum est.

res etiam Latinae primae declinationis in *am*, ut *Salaminam*, legibus flecti. Apud Cic. quidem N. D. I. 42, 119. Moser ex plurimis codd. edidit *Eleusinam;* sed multi codd. habent *Eleusinem;* porro Fam. XVI. 12, 2. *Anconam* (ap. Or. sine ulla scr. variet.) Quos ad formam *Salaminam* tuendam *Davisius* attulit locos, omnes ducti sunt ex huius generis scriptoribus. Sic Iustin. XLIV. 3, 2: *Salaminam*. Id. II, 7: de proprietate *Salaminae* insulae. Sulpic. Sever. H. S. II, 9: *Marathonam*. 25: *Ptolemaidam*. Dial. 23: *Thebaidam*. Idem Liv. I, 18. e codd. *Crotonam* pro *Crotona* scribendum censet. At Cicer. de Offic. I. 18, 61. et Att. VI. 1, 6: *Salamine*. Att. VI. 1, 26. et 6, 2: *Eleusine*. Cf. *Bremium* ad Corn. Nep. Themist. II, 8. ad Aristid. II, 1. et *Wesenberg*. Em. II. p. 33 sq., qui h. l. aut *Salamina* aut *Salaminem* Ciceronem scripsisse arbitratur.

Salaminii tropaei] Eleganter pro *Salaminiae victoriae* per metonymiam, qua caussa pro effectu aut, uti h. l., effectus pro caussa ponitur. Sic Corn. Nep. Themistocl. 5, 3: Haec altera victoria, quae cum *Marathonio* possit comparari tropaeo: ubi cf. *Bremium* p. 43 sq. *Moser* addit Sil. Ital. XIV, 282: Salaminiacum tropaeum. Aristoph. Equ. 1331: τὸ ἐν Μαραθῶνι τροπαῖον. Ex vulgari dicendi ratione exspectabamus: *quam obruetur Salam. trop. memoria*. Hinc *Reiskius* susp. *quam oblivio S. t. memoriam*.

duo Scipiones, duo Africanos] Recte Or. pro vulg. *duos* edidit *duo*, quod est in R. Gud. 1. Gr. quatt. Gebh. et edd. post Gruterum. Cicero enim aliique huius aetatis scriptores accusativum vocabulorum *duo* et *ambo* terminare solent in *o* (*duo, ambo*): quae forma respondet Graecae declinationi. Altera forma *duos, ambos*, quae est terminatio Latinae declinationis, rarior illa quidem est apud Tullium eiusque aequales, nec tamen, ubi codicum auctoritate nititur, repudianda. Paullo post §. 111: *duo* suos filios. N. D. III. 38, 91: hi *duo* illos oculos orae maritimae effoderunt. At Lael. 5, 20: aut inter *duos*, aut inter paucos: ubi v. *Klotzium* p. 120. Cf. *Ellendtum* ad de Or. III. 8, 31. Vol. I. p. 455.

quorum similitudinem aliquam qui arripuerit] Eleganter dictum. *Moser* apposite comparat N. D. III. 11, 27: Quaerit apud Xenophontem Socrates, unde animum arripuerimus, si nullus fuerit in mundo: ubi vertit Graeca Xen. Comment. I. 4, 8: νοῦν δὲ ἄρα — πῶς δοκεῖς συναρπάσαι.

si ita res feret] Sic recte Or. c. quatt. Oxx. Vind. 2. Guelf. edd. L. Gryph. aliisque multis et Lactant. Div. Inst. 7, 10.; nonnulli alii codd. et permultae edd. vett. *si res fert;* vulgo *si ita res fert;* optimi, ut R. Gud. 1., aliique codd. male *si ita refert*. Apte *Moser* comparat Phil. IV. 6, 14: *si ita res tulisset*. Addit *Klotzius* in Add. p. 57., qui prius scripturam *si ita refert* receperat, nunc autem ad scripturam *si ita res feret* rediit, locum similem: de Leg. agr. II. 28, 77: tamen paullisper, *si ita commodum vestrum fert*, connivebo.

esse potest] Sic omnium codd. et edd.

caelum adscensurus es. Magna haec et nimium fortasse Graeci putant vel tum potius putabant; isque, qui hoc Diagorae dixit, permagnum existimans, tres Olympionicas una e domo prodire, cunctari illum diutius in vita fortunae obiectum inutile putabat ipsi. Ego autem tibi quidem, quod satis esset, paucis verbis, ut mihi videbar, responderam. Concesseras enim, nullo in malo mortuos esse; sed ob eam caussam contendi, ut plura dicerem, quod in desiderio et luctu haec est consolatio maxima. Nostrum enim et nostra caussa susceptum dolorem modice ferre debemus, ne nosmet ipsos[4] amare videamur. Illa suspicio intolerabili dolore cruciat, si opinamur eos, quibus orbati sumus, esse cum aliquo sensu in iis malis, quibus vulgo opinantur. Hanc excutere opinionem mihimet volui radicitus eoque fui fortasse longior.

XLVII. 112. *A.* Tu longior? non mihi quidem. Prior enim

4 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. 2. b. Gr. et plerisque reliquis codd. pro vulg. *ne et nosmet ipsos;* unde Wopk. p. 77. coni. *ne ita n. i.:* male Ern. correxit *ne nosmet ipsi;* opponitur enim eis, quos lugemus. V. ad c. 30, 73.

consensu legitur. Exempla, in quibus *esse potest* dicitur, apud Ciceronem longe sunt rarissima, quum legitima apud eum horum vocabulorum collocatio sit: *potest esse*, eadem, ut videtur, caussa, qua vitavit *crede mihi*, scilicet, ut evitaretur exitus pentametri. (V. ad c. 31, 75. et *Moserum* ad V. 10, 29.) Supra c. 37, 89. 90. V. 10, 29. 35, 101. N. D. I. 41, 116: an quicquam eximium *potest esse* in ea natura. II. 6, 16: quid *potest esse* in rerum natura homine melius? ubi v. *Heindorf.* p. 136. At Off. I. 19, 62: nihil honestum *esse potest*, quod iustitia vacat. ib. 41, 145: sine qua nihil rectum *esse potest.*

decessio] H. e. bonorum deminutio, opponitur *accessioni*, uti docet *Moser*, comp. de Divin. II. 15, 36. de Univ. 6, 16: neque enim ulla *decessio* fieri poterat, neque *accessio.*

§. 111. *Rhodius Diagoras*] Cf. Indic. histor. et praeclarissimum Pindari carmen Olymp. VII. et quae de Diagora adnotavit *Boeckhius* in Explicatt. p. 164 sq.

non enim in caelum] H. e. summam hominis felicitatem nactus es nec maiore poteris potiri. Geminus locus legitur apud Pindarum Pyth. X. 22—27. ed. *Boeckh.:* Εὐδαίμων δὲ καὶ ὑμνητὸς οὗτος ἀνὴρ γίγνεται σοφοῖς, Ὃς ἂν γερσὶν ἢ ποδῶν ἀρετᾷ κρατήσας Τὰ μέγιστ' ἀέθλων ἔλῃ τόλμα τε καὶ σθένει, Καὶ ζώων ἔτι νεαρὸν Κατ' αἶσαν υἱὸν ἴδῃ τυγόντα στεφάνων Πυθίων. Ὁ χάλκεος οὐρανὸς οὔποτ' ἀμβατὸς αὐτῷ. Cf. Olymp. V. fin.: ubi v. *Boeckh.* in Explicatt. p. 151. Istm. IV, 14: μὴ μάτευε Ζεὺς γενέσθαι· πάντ' ἔχεις. Cf. infra ad II. 17, 41. pro L. Flacco 13, 31: pugil Olympionices, hoc est apud Graecos — prope maius et gloriosius, quam Romae triumphasse. Corn. Nep. Praef. §. 5: Magnis in laudibus tota fuit Graecia victorem Olympiae citari.

Magna haec] Scil. Olympiae victoriam reportasse, *et nimium fortasse* sc. magna, i. e. maiora, quam re vera sunt.

inutile putabat ipsi] *Inutile* interpretatur *Wolfius bedenklich, gefahrlich. Moser* vocabulum sic per λιτότητα dictum esse observat, comp. Off. II. 14, 49: seditiosum et inutilem civem, C. Norbanum, in iudicium vocavit. Cf. Addenda.

quod satis esset, paucis verbis etc.] Haec verba ita explicanda: Ego id, quod paucis verbis respondere (ut mihi videbar) satis erat, responderam, vel, ut aliis verbis utar, ego, quae mihi paucis verbis absolvenda videbantur, mortuos scilicet nullo in malo esse; nam id ita esse modo concesseras: uberius ob eam caussam exposui, quod in desiderio et luctu haec est consolatio maxima, ut sciamus, nullo in malo mortuos esse.

in iis malis, quibus] V. ad 39, 94.

Cap. XLVII. §. 112. Epilogus, qui sequitur, eo consilio videtur a Cicerone toti disputationi adiectus esse, ut auditoris animum in eis, quae de contemnenda morte dicta erant, confirmaret et corroboraret.

pars orationis tuae faciebat, ut mori cuperem; posterior, ut modo non nollem, modo non laborarem; omni autem oratione[1] illud certe perfectum est, ut mortem non ducerem in malis. *M.* Num igitur etiam rhetorum epilogum desideramus? an hanc iam[2] artem plane relinquimus? *A.* Tu vero istam ne reliqueris, quam semper ornasti, et quidem iure; illa enim te, verum si loqui volumus, ornaverat. Sed quinam est iste epilogus? aveo enim audire, quicquid est.

113. *M.* Deorum immortalium iudicia solent in scholis proferre de morte; nec vero ea fingere ipsi, sed Herodoto auctore aliisque pluribus. Primum Argivae[3] sacerdotis, Cleobis et Bito[4], filii, praedicantur; nota fabula est. Quum enim illam ad solenne et statum[4] sacrificium curru vehi ius esset satis longe ab oppido ad fanum, morarenturque iumenta; tum[4] iuvenes ii, quos modo nominavi, veste

XLVII. 1 v. Adn. 2 Sic Or. c. Gud. 1. II. 2. aliisque codd. pro vulg. *iam hanc* (sic etiam R. ap. Tregd.). 3 Codd. *Argiae*, v. Adn. 4 v. Adn.

omni autem oratione] Sic Or. c. Gud. 1. II. 2. Gr. et plerisque reliquis codd. multisque edd. vett.; cod. R. aliique nonnulli habent *ratione:* quod a *Klotzio* receptum et magno opere defensum, nunc autem (in Add. p. 57.) reiectum est. Optime *Lambinus: Ratione* quamvis in speciem probabile videatur, tamen ineptum. Non enim dicit Marcum adolescens omni *ratione* et omni genere argumentorum ac probationum docuisse, mortem non esse ducendam in malis; quanquam hoc quoque factum est; sed eum in tota *oratione* hoc spectasse atque adeo perfecisse, ut mors non esset ducenda in malis.

perfectum est, ut — ducerem] E nostrae linguae ratione exspectes *ducam;* nam auditor hanc opinionem non solum imbiberat mente, sed etiam tum, quum haec verba dicebat, firmiter tenebat; at v. Adnotata in c. 4, 7.

§. 113. *in scholis*] V. ad c. 4, 8.

Herodoto auctore] Lib. I, 31: ubi v. *Baehrium.*

Argivae sacerdotis] Cui nomen erat Cydippae. V. Herod. l. d. et Stob. Serm. T. III. p. 463. ed. Gaisf. Plura de hac narratione contulit *Davisius.* Pro *Argiae*, quod omnes habent codd., auctore *Wesenbergio* Em. II. p. 35. e Lambini corr. dedi *Argivae:* quae forma constanti scriptorum et ipsius Ciceronis usu confirmatur. Cf. c. 20, 45. III. 22, 53. Divin. I. 19, 37. Brut. 13, 50. N. D. I. 29, 82: ubi pauci deteriores codd. habent *Argia.*

Bito] Pro vulg. *Biton Orellius* c. D. recte edidit *Bito,* uti legitur in Vind. 1.; R. Gud. 1. II. 2. Duisb. et novem Gebh. corrupte exhibent *Binoto* et tres Oxx. *Binotho:* quae formae e *Biton* per litterarum transpositionem ortae sunt: cuius generis exempla permulta *Wesenb.* Em. I. p. 33. collegit. Quamvis tenui auctoritate nitatur scriptura *Bito,* tamen eam recepi, quia eam Cicero constanter fere servat legem, ut Graecorum nomina propria in ων, quorum genitivus vel in ονος vel in ωνος terminatur, in nominativo terminet in *o;* quorum autem genitivus vel in οντος vel in ωντος exit, in nominativo terminet in *on.* Infra c. 49. in. recte Or. scripsit *Aristogito.* III. 24, 58: in omnibus fere codd. *Telamo;* sed 18, 39. in versu *Telamon* in meliorib. codd.; 26, 62. in optimis *Agamemno.* IV. 8, 17. Etiam V. 9, 27. legendum est *Zeno;* v. ibi V. Scr. At I. 38, 92. *Endymion* et Divin. II. 14, 132. *Euphorion,* Off. III. 25, 95. *Agamemnon* in omnibus libris legitur; contra *Callipho* V. 30, 85. item in omnibus libris. Cf. Fin. II. 6, 19: ubi *Madvig.* comp. Fin. IV. §. 50. V. §. 73. Acad. II. §. 131. Fortasse hoc nomen duplicem habebat declinationem: *Calliphon, ontis* et *Callipho, onis.* V. *Goerenz.* ad Fin. II. 11, 35. p. 175 sq. *Beier.* ad Off. III. 33, 119. p. 413. De tota hac re cf. *Bentleium* ad Hor. C. III. 8, 18. *Ellendt.* ad de Or. II. 46, 193. T. I. p. 316 sq. *L. Schneider.* Formenl. I. p. 275 sq. et p. 146. *Ramshorn.* L. Gr. §. 29. *Kühner.* L. Gr. §. 21. a).

posita, corpora oleo perunxerunt, ad iugum accesserunt. Ita sacerdos advecta in fanum, quum currus esset ductus a filiis, precata a dea dicitur, ut illis praemii[4] daret pro pietate quod maximum homini dari posset a deo; post epulatos cum matre adolescentes somno se dedisse, mane inventos esse mortuos. 114. Simili precatione Trophonius et Agamedes usi dicuntur: qui, quum Apollini Delphis templum exaedificavissent, venerantes deum petiverunt[5] mercedem non parvam quidem operis et laboris sui, nihil certi, sed quod esset optimum homini. Quibus Apollo se id daturum ostendit post eius diei diem tertium: qui ut illuxit, mortui sunt reperti. Iudicavisse deum dicunt, et eum quidem deum, cui reliqui dii concessissent, ut praeter ceteros divinaret.

XLVIII. Affertur etiam de Sileno fabella quaedam, qui, quum

5 Sic R. Gr. Marb. Mon. 1. 2. Gud. Duisb. edd. H. D.; Or. c. reliquis *petierunt.*

statum sacrificium] Sic recte Or. c. M. L. aliisque edd. vett. et quatt. Oxx. trib. Pall. Rehd., licet adversentur plurimi et meliores codd., ut R. Gud. 1., qui c. vulg. habent *statutum.* Etiam *Klotzius* nunc in Add. p. 57 sq. probat *statum.* Saepe in codd. hoc rarius vocabulum, quod ducendum est a verbo *sistendi*, a librariis in *statutus* mutatum est. *Manutius* comp. or. de harusp. resp. 9, 18: *statas* solennesque caerimonias. Liv. 40, 4: ad *statum* sacrificium. Addit *Moser* pr. Mil. 17, 45: *stata* sacrificia.

tum iuvenes] Cum *Wesenberg.* Em. II. p. 35. ex G. 1. II. 2. Aug. Vind. 1. ed. H. (in R. verba *t. iuv. — accesserunt* praetermissa sunt, sed in marg. adscripta) edidi *tum* pro vulg. *tunc*, quia, uti Wes. recte observavit, vehementior illa demonstratio, quam *tunc*, ut Fam. III. 10, 8. Divin. II. 1, 3. Att. X. 8, 2, habet, ab h. l. aliena est, comp. de *quum — tum* 49, 118. II. 7, 19. III. 1, 2. 2, 3.

ut illis praemii daret — quod] Sic R. Pith. Pal. 5. Bak. Rehd. Duisb. Gud. II; Or. c. Gud. 1. 2. b. aliisque codd. et omnibus fere edd. vett. *ut illis praemium d.*; D. e cod. Norv. *ut illud praemii;* Rath. coni. *ut id illis praemii d.:* quod probat *Wes.* Em. I. p. 16. Tr. e coni. *ut id iis praemii d.* Utraque coniectura elegans est, sed non prorsus necessaria, quum genitivus a seq. *quod* pendere possit. V. *Ramshorn.* L. Gr. §. 104. Not. 2. *Kühner.* L. Gr. §. 111, 8. b). Cf. c. 48, 114: *hoc* ei *muneris* pro sua missione dedisse scribitur. II. 3, 9: *quod* datum est temporis nobis, in eo consumpsimus: ubi v. Adn.

§. 114. *mortui sunt reperti*] Modo §. 113. pari vi: *mane inventos esse mortuos.* Sic saepe variandae orationis caussa. Cf. III. 10, 23. Aliis autem locis verbum *inveniendi* (= veniendi in aliquid) casus et fortuiti potius, quam consilii et contentionis (εὑρίσκειν), contra verbum *reperiendi* consilii studiique (ἀνευρίσκειν) notionem involutam habet. Cfr. *Wüstemanni* et *Georgesii* Deutsch-Lat. Wörterb. v. *finden.* Cic. de Fin. V, 6: fons *reperiendus* est, in quo sint prima invitamenta naturae: quo *invento* cett.

Iudicavisse] Scil. mortem non ducendam esse in malis, sed summum bonum esse.

ut — divinaret] atque ita sciret, quid homini optimum esset. *Praeter ceteros* h. e. ceterorum maxime. Optime *Moser:* Locutionem *praeter ceteros* amat Cicero, sed nunquam ea ita utitur, ut sit i. q. ceteris exclusis, ne eo quidem loco, quo dixit *unus praeter c. adiuvisti* ad Qu. Fr. I. 1, 15. Ibi *unus* inservit tantummodo augendo superlativo.

Cap. XLVIII. *de Sileno fabella*] „Eine der sinnigsten Dichtungen des Alterthums, worüber mit eigener Prüfung nachzulesen *Creuzer* in den Studien Band I. S. 224 folg. Vgl. Herod. VIII, 138.“ *Orellius.* Cf. Ind. hist. v. *Silenus.* Sententiam: *non nasci* etc. eandem expressit Theogn. v. 543 sqq. p. 31. ap. Welckerum p. 31. Frcf. ad M. 1826:

a Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribitur: docuisse regem, non nasci homini longe optimum esse; proximum autem quam primum mori. 115. Qua est sententia in Cresphonte usus Euripides:

Nam nós decébat coétus célebrantés domúm
Lugére, ubí esset áliquis in lucem éditús,
Humánae vítae vária réputantés malá;
At, quí labóres mórte finissét gravés,
Hunc ómni* [1] amícos laúde et laétitia éxsequí.*

Simile quiddam est in Consolatione Crantoris; ait enim, Terinaeum quendam Elysium, quum graviter filii mortem maereret, venisse in psychomantium quaerentem, quae fuisset tantae calamitatis caussa; huic in tabellis tres huiusmodi versiculos datos:

XLVIII. 1 v. Adn.

Πάντων μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον,
Μηδ' ἐσιδεῖν αὐγὰς ὀξέος ἠελίου·
Φύντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας Ἀΐδαο περῆσαι
Καὶ κεῖσθαι πολλὴν γῆν ἐπαμησάμενον.

§. 115. *in Cresphonte*] Sic appellata est tragoedia Euripidis, de qua v. quem *Klotzius* laudat *L. C. Valckenarium* in Diatrib. p. 181 sq. ed. princ. Huius tragoediae nonnulla supersunt fragmenta, in quibus etiam ea (v. Eur. Fragm. p. 436. T. II. ed. Beckii, n. XIII. in ed. G. Dindorfii, Poetae Scenici Gr. Lps. 1830.) leguntur, quae Cicero laudavit, his verbis expressa:

ἐχρῆν γὰρ ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους
τὸν φύντα θρηνεῖν, εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά·
τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον
χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.

coetus celebrantes] Frequenter convenientes, Graece σύλλογον ποιουμένους; *Davisius* comparat Herodot. VII, 8. VIII, 83: σύλλογον ποιέειν. Virg. Aen. I. 739: „Et vos o coetum Tyrii celebrate frequentes." Similiter Tacit. Ann. IV. 59: convivium celebrare.

Hunc omni] Sic Or. e coni. *Davisii*, qui comp. Liv. X, 29: Fabius collegae funus *omni honore* laudibusque meritis celebrat. Vulgo (etiam R. aliique) *omnes;* Gud. 1. aliique *omnis*.

exsequi] Gr. ἐκπέμπειν, *Wolfius* interpretatur *prosequi;* rectius *Orellius* docet *exsequi* verbum proprium esse de exsequiis. Bene *Turnebus* in Adversarr. IX, 18. p. 290: *Exsequi* pro *funerare* usurpatur: unde *exsequiarum* nomen, quod inde natum est, quod multi cadaver eius, qui efferebatur, sequebantur.

in Consolatione Crantoris] V. Indic. hist. v. *Crantor*.

versiculos] Graece apud Plutarch. Cons. ad Apoll. p. 109:

Ἥπου νήπιε Ἠλύσι' ἠλίθιοι φρένες ἀνδρῶν·
Εὐθύνοος κεῖται μοιριδίῳ θανάτῳ·
Οὐκ ἦν γὰρ ζώειν καλὸν αὐτῷ οὔτε γονεῦσιν.

fatorum numine] Sic recte Or. c. R. Gud. 1. II. b. aliisque pro vulg. *f. munere*. Cf. Virg. Ecl. IV, 47: Concordes stabili *fatorum numine* Parcae. Graece: μοιριδίῳ θανάτῳ.

§. 116. *caussam rebus — iudicatam*] *Caussam*, sc. mortem homini summum bonum esse, *rebus*, h. e. rebus in factis positis (durch Thatsachen), a diis iudicatam esse. Recte observant interpretes totam hanc enuntiationem e re iudiciali esse explicandam. Primum *auctores* iudicii (*Gewährsmänner*) commemorantur; deinde *caussa iudicata*, i. e. *res* aut *caussa* in iudiciis iam tractata, et quidem *rebus*, ἔργοις, πράγμασι, non modo rationibus argumentisve, sed factis. De vocabulo *rebus Io. Fr. Gronovius* in Observv. p. 467 sq. Ed. 2. Amst. 1662. multos locos comparat. *Orellius* confert Paradox. I. 1, 7: haec imbecilla et commutabilia pecuniae membra *verbo* bona putaverunt appellanda, quum *re* ac *factis* longe aliter *iudicavissent*. Iniuria *Wesenb.* I. p. 6. *rebus*, ut ex ante-

Ignaris hominés in víta méntibus érrant;
Eúthynoús potitúr, fatórum númine[1], *léto.*
Sic fuit útiliús finíri ipsique tibíque.

116. His et talibus auctoribus usi confirmant, caussam rebus a diis immortalibus iudicatam. Alcidamas[1] quidem[1], rhetor antiquus in primis nobilis, scripsit etiam laudationem mortis, quae constat ex enumeratione humanorum malorum. Cui rationes eae, quae exquisitius a philosophis colliguntur, defuerunt, ubertas orationis non defuit. Clarae vero mortes, pro patria oppetitae, non solum gloriosae rhetoribus, sed etiam beatae videri solent. Repetunt ab Erechtheo[2], cuius etiam filiae cupide[3] mortem expetiverunt pro vita civium; Codrum, qui se in medios immisit hostes veste famulari, ne posset agnosci, si esset ornatu regio, quod oraculum erat datum, si rex

2 Sic Or. c. Gud. 1. II. b. Aug. edd. H. Ven. aliisque pro vulg. *Erichtheo.* V. *Goerenz.* ad Fin. V. §. 22. p. 611. 3 v. Adn.

cedenti *auctoribus* repetitum, suspectum habet.

Alcidamas] Sic recte Or. c. Cam. Leod. HWolf. D. et codd. trib. Oxx. pro vulg. *Alcidamus.* V. quem *Or.* laudat *Spalding.* ad Quinctil. T. I. p. 423. et quem *Moser* addit *Wyttenbach.* ad Plutarch. T. II. p. 26. ed. Lips. Idem Or. pro vulg. *quidam* recte scripsit *quidem*, uti D. et W. 2. de *Bentleii* coniectura ediderant, et revera legitur in R. (ap. Tregd.) Gud. 1. II. b. (a pr. m.) Aug. Etiam *Klotzius* nunc in Add. p. 58. probat scripturam *quidem.* Pronomen *quidam* cum seqq. v. *rhetor antiquus in primis nobilis* pugnat: contra nihil aptius est adverbio *quidem*, quod a Cicerone addi solet nominibus propriis, ut saepe explicari possit per *ut*, *velut*, *ut in exemplum afferam*, ita quidem, ut vim habeat argumentativam inserviatque sententiae prolatae exemplis illustrandae confirmandaeve. Supra 22, 51: Dicaearchus *quidem.* 33, 80: Aristoteles *quidem.* 34, 84. II. 6, 17. 14, 34. III. 12, 27. Cf. *Heindorf.* ad N. D. II. 6, 16. p. 135 sq. Plane eodem modo Graecum γέ in exemplis afferendis ponitur. V. *Hartung.* Griech. Partik. T. I. p. 388. et nos in Gr. Gr. T. II. §. 704. I. p. 399.

in primis] Sallust. Cat. 40, 6: Manlius et Faesulanus *in primis* (i. e. inter fortissimos, inter primos pugnantium) *pugnantes* cadunt: ubi v. *Kritz.* p. 322. Id. Iug. 6, 1: leonem primus aut *in primis* ferire. 26, 3: Iugurtha *in primis* Adherbalem excruciatum necat. Adverbium *imprimis* scribendum est.

laudationem mortis] De sophistarum ἐπαίνοις v. quem *Orellius* laudat Platonem in Sympos. p. 177. b.

defuerunt — non defuit] V. ad III. 5, 11: cadere possit, non possit.

Clarae — mortes] De plurali v. ad IV. 2, 3: mentes suas.

cupide] Male Tr. c. R. et Gud. 1. *cupidae:* quod in poetica quidem oratione pro adverbio ad praedicatum referri potest, ut II. 10, 24: *avida* se ad pastus refert: v. nos in Gr. L. §. 109, 5.; sed in pedestri oratione antiquiorum certe scriptorum semper dicitur *cupide*, *avide*, *studiose.* V. *Wesenberg.* Em. II. p. 36. De *e* et *ae* in codd. saepe confusis v. eundem l. d. et *Tregderum* Praef. p. IX.

mortem expetiverunt] Rem eandem narrat Apollodor. III. 14, 4: ubi v. *Heyn.* Cf. N. D. III. 19, 50. Fin. V. 22, 62: ubi v. *Ottonem*, or. pro Sest. 21, 48: ubi *Matthiaeus* comparat Lycurg. c. Leocr. p. 160, 9. ed. H. St. Eurip. Ion. 280.

Codrum] Scil. laudant, commemorant, quod facile ex antecedenti *repetunt* elici potest, ut supersedere possimus coniecturis, quibus VV. DD. huic loco succurrere studuerunt. De locutione *repetere ab aliquo* aut *aliqua re* Anonymus apud Olivetum comparat de Or. I. 20, 91: quum repeteret usque a Corace. de Inv. II. 2, 6: veteres quidem scriptores artis usque a principe illo atque inventore Tisia repetitos. *Goerenzius* ad Acad. II. 5, 13: Repetunt a P. Valerio,

interfectus esset, victrices Athenas fore. Menoeceus[4] non praetermittitur, qui* item*[5] oraculo edito largitus est patriae suum sanguinem. Iphigenia Aulide duci se immolandam iubet, *ut hostium eliciatur suo.* Veniunt inde ad propiora.

XLIX. Harmodius in ore et Aristogito[1], Lacedaemonius Leonidas, Thebanus Epaminondas viget[2]. Nostros non norunt, quos enumerare magnum est[3]; ita sunt multi, quibus videmus optabiles mortes fuisse cum gloria. 117. Quae quum ita sint, magna tamen eloquentia est utendum atque ita[4] velut superiore e loco concionandum, ut homines mortem vel optare incipiant, vel certe timere de-

4 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. 2. Gr. omnibus Oxx. aliisque multis pro vulg. *Men. vero.* 5 Sic c. Tr. scripsi e coni. Davisii, etiam Wesenbergio Em. II. p. 31. probata, quum R. Gud. 1. II. Aug. legant *quidem* (pro *qui item*); ed. H. *quidem qui;* duo Oxx. Marb. *qui denique;* unus Ox. *qui dei;* Or. c. vulg. *qui oraculo:* quam scripturam veram non esse, e codd. varietate apparet. Bentl. coni. *qui itidem.* XLIX. 1 Sic Or. pro vulg. *Aristogiton;* R. ap. Tr. habet *Aristogito*, ap Wes. *Aristogiton.* V. ad c. 47, 113. 2 v. Adn. 3 Duo Oxx. Rehd. Duisb. Aug. Guelf. Col. vet. cod. in marg. Lambb. Goth. marg. Crat. edd. Verb. Lall. Ern. aliaeque recc. *longum est:* quod apertum glossema est difficilioris scripturae, quae optimorum codd. (R. Gud. 1. b.) auctoritate satis est munita. Cf. Adn. 4 *ita*, ut ex superiore *ita* repetitum, *Wes.* I. p. 6. delendum censet; sequens enim *ut* significare consilium. At *ita* non ad seq. *ut*, sed ad antecedentia referendum: *ita* = si magna eloq. utare.

addit Divin. I. 1, 2: ut ab ultimis auctoritatem repetam.

Menoeceus] Tiresias vates Thebanis victoriam fore promiserat, si Menoeceus, Creontis filius, Marti victima factus esset. V. Apollodor. III. 6, 7. et quos attulit *Davisius.* Cf. Indicem hist.

Iphigenia Aulide duci se immolandam iubet] Temere hic locus sanissimus a VV. DD. coniecturis est tentatus. Recte *Nissenius* monet *Aulide* explicandum esse *quum Aulide esset*, neque cum verbo *duci* iungendum. De re cf. Eur. Iph. A. 1368 — 1400. *Naekius* in Prolus Bonn. 1822. Ind. Praelectt. de Pacuvii Duloreste p. III., a *Mosero* laudatus, recte observavit, respexisse Ciceronem h. l. canticum Eur. Iph. A. 1475: Ἄγετέ με τὰν Ἰλίου καὶ Φρυγῶν ἐλέπτολιν.

ut hostium eliciatur suo] His verbis Cicero videtur respexisse poëtam aliquem; certe poëticum quendam colorem ea prae se ferunt. Hinc recte haec verba diversa litterarum forma exprimenda curavit *Wolfius. Orellius* verbum *sanguis*, quod vulgo inter *hostium* et *eliciatur* legitur, in R. Gr. Gud. 1. II. duob. Oxx. omissum, uncis inclusit, „quum, ut ait, videatur versiculi tragici exitus, alterius initium: *hostium Eliciatur suo.* Cod. Leid. *sanguinem eliciat.* (Cod. Rehd. *hostium fatum sanguine eliciatur suo.* Vind. 1. et ed. H. *hostium eliciatur sanguinis fata suo.* Aug. *hostium elliciatur cruor.* Marb. om. *hostium sanguis.*) Vides varia supplesse librarios.“ Idem V. D. conferre iubet Eurip. Iph. Aul. 1475. Ego c. Kl. et Tr. v. *sanguis* plane delevi, quum facile ex antecedenti *sanguinem* cogitatione suppleri possit.

Cap. XLIX. *in ore — viget*] *Rathius* coni. *in ore est et Ar.*, uti est in Vind. 1. et e *Rathii* testimonio etiam in aliis codd., et sic edidit *Moser*, locutionem sine *est* nimis concisam et abruptam esse ratus. Recte quidem docet *Klotzius* Ciceronem alibi non simpliciter dicere *aliquis in ore est*, sed addere *omnibus, semper* vel simile quid, ut Legg. I. 2, 6: qui tibi *semper in ore est.* ad Att. VI, 3: tibi autem *valde solet in ore esse.* Fin. II. 23, 76: (illa) *semper* tibi *in ore sunt.* ib. III. 11, 37: quem tu *in ore semper habes.* ib. IV. 28, 79. Lael. 1, 2: qui tum *fere multis erat in ore;* sed recte contra monet *Wes.* Em. I. p. 17. ex antecedenti *veniunt* intelligendum esse *iis*, i. e. rhetoribus. *Vigere* eleganter dictum est pro celebrari, praedicari. Cf. Xenoph. Commentar. II. 1, 33: μετὰ μνήμης τὸν ἀεὶ χρόνον ὑμνούμενοι διάλλουσι. Pro vulg. *vigent*, quod etiam Or. retinuit, c. Kl. et Tr. e R. Gud. 1. trib. Oxx. Marb. Rehd. et omnibus Bentl. edidi *viget.* Sin-

sistant. Nam si supremus ille dies non exstinctionem, sed commutationem affert loci; quid optabilius? sin autem perimit ac delet omnino, quid melius, quam in mediis vitae laboribus obdormiscere et ita conniventem somno consopiri sempiterno? Quod si fiat, melior Ennii, quam Solonis oratio. Hic enim noster:

Némo mé lacrumís decorét, inquit, *nec fúnera flétu*
Fáxit!

At vero ille sapiens[5]:

Mórs mea né careát lacrumís, linquámus amícis
Maérorem, út celebrént fúnera cúm gemitú.

5 Sic R. Gud. 1. II. 2. aliique; Vind. 1. *at vir ille sap.*; Or. c. vulg. *at vero sap. ille.*

gularis indicat unumquodque nomen separatim spectari. V. nos in Gr. L. §. 103, 6, c).

magnum est H. e. difficile, operosum est. *Goerenzius* ad Fin. IV. 26, 73. comparat Gr. μέγα τι additque *quid* omissum gravitate pronuntiationis compensandum esse. At quidni dicatur *magnum est* sine *quid*, quum recte dicatur *longum est*, *difficile est*, cett.? Sic pari modo apud Graecos saepe neutrum adiectivi usurpatur, ubi e nostrae linguae ratione exspectes pron. τὶ additum. V. *Fritzschium* in Quaest. Lucian. p. 92 sqq. et nos ad Xenoph. Commentar. I. 2, 30. In eiusmodi dicendi formulis, quales sunt: *longum est*, *difficile est*, aliae, porro, *satis*, *par*, *rectum*, *iustum*, *idoneum*, *optimum*, *consentaneum*, *melius*, *aequius*, *rectius*, *satius est*, — *erat*, — *fuit*, — *fuerat* Latini scriptores indicativum usurpant, ut hae sententiae *sine conditione simpliciter* ponantur. Eadem ratio est in verbis: *posse* (V. ad II. 19, 45. III. 4, 7.), *debere* (III. 22, 54.), *oportet* (V. ad II. 13, 30.), *necesse est*, *decet*; denique in *participio futuri passivi*, in quo etiam necessitatis notio inest. Cf. supra 8, 17: superbum id quidem *est*. 11, 23: Cuperem equidem utrumque, si posset; sed *est difficile* confundere. Corn. Nep. Hannib. V, 4: *longum est*, enumerare proelia: ubi cf. *Bremium* p. 332. Cic. Offic. I. 9, 4: *aequius erat*. N. D. III. 78: *melius fuit*. Infra III. 1, 2: *haud erat sane* etc. IV. 31, 66: *erat facile*. Quid futurum *erat* —, si — putassent? Sic Graeci dicunt, omissa particula ἄν, ἐξῆν, χρῆν, ἔδει, προσῆκε, καιρὸς ἦν, καλῶς εἶχε, μᾶλλον εἶχε, καιρόν, αἰσχρόν, εἰκὸς ἦν. In nostra lingua eiusmodi enuntiata conditionaliter per coniunctivum proferri solent. Enucleatissime hunc grammaticae locum pertractavit *Krüger* in *Untersuchungen über d. Lat. Spr.* II. Heft. p. 333 sq.: cum quo conferendi *Hartung*. Griech. Partik. Th. II. p. 235 sq. *Kritzius* ad Sall. Catil. LI, 4. *Gernhard.* ad Lael. in Exc. I. p. 238 sqq. *Ramshorn.* L. Gr. §. 165 Not. 1. *Kühner.* L. Gr. §. 108, 3. et §. 154, 4. Rariora sunt exempla, in quibus coniunctivus legitur, ut II. 5, 14: magis *esset pudendum*, si in sententia permaneres. Sic *possem*, v. ad III. 4, 7.

optabiles mortes — cum gloria] i. e. mortes *gloriosas*. V. ad II. 3, 7: lectionem sine ulla delectatione.

§. 117. *Quae quum ita sint — tamen*] *Quum* c. coni. iunctum habet vim concessivam; plerumque sequitur *tamen*, uti h. l., sed saepe etiam sine sequenti *tamen*, ut V. 20, 58. V. *Bremium* ad Corn. Nep. Aristid. III, 1. *Ramshorn.* L. Gr. §. 183, 2. *Kühner.* L. Gr. §. 149, 9. Numerum pluralem in *quae quum ita sint* recte *Klotzius* refert ad multa quae Cicero protulit exempla. Ubi ex una re aliquid concluditur, singularis numerus usurpatur: *quod quum ita sit.*

velut superiore e loco] H. e. veluti e tribunali. V. *Ernestii* Clav. Cicer. v. *superior*.

conniventem] Apte *Moser* comp. N. D. II. 57, 143: (oculis) somno conniventibus. pro Cael. 17, 41: sopitum connivere.

melior Ennii, quam Solonis oratio] Cf. de Senect. c. 20. Paullo post *hic* referendum est ad Ennium, *ille* ad Solonem. In oppositione enim saepe *hic* non propiorem, sed maiorem aut potiorem rem, i. e. eam, de qua potissimum agitur, *ille* non remotiorem, sed inferiorem aut minorem respicit. Sic Cat. M. XIX, 68, ubi v. *Gernhard.* p. 131. V. nos in Gr. L. §. 123. Not. 3.

Nemo me cett.] Vid. c. 15, 34.

Mors mea ne careat] Graeca leguntur

118. Nos vero, si quid tale acciderit, ut a deo denuntiatum videatur, ut exeamus e vita, laeti et agentes gratias pareamus emittique nos e custodia et levari vinclis arbitremur, ut aut in aeternam et plane in[6] nostram domum remigremus, aut omni sensu molestiaque careamus; sin autem nihil denuntiabitur, eo tamen simus animo, ut horribilem illum[7] diem aliis, nobis faustum putemus nihilque in malis ducamus, quod sit vel a diis immortalibus, vel a natura, parente omnium, constitutum. Non enim temere nec fortuito sati et creati sumus; sed profecto fuit quaedam vis, quae generi consuleret humano nec id gigneret aut aleret, quod, quum exanclavisset[8] omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum. Portum potius paratum nobis et perfugium putemus! 119. Quo utinam velis passis

6 *in* maxime offendit; nam verba *aeterna et plane nostra domus* significant *unam* d. Quare *Wes.* I. p. 6. delendum censet, sive ex *-e n* natum, sive ex superiore *in* frequentissimo quodam errore repetitum. 7 Tr. c. mult. edd. vett. *eum.* Sed codd., etiam R. ap. Wes. II. p. 36., habent *illum* „et recte quidem, ut de longinquiore mortis die, cf. §. 117 supremus *ille* dies." 8 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. 2. aliisque codd. et plurimis edd. vett. itemque Nonio pro *exanllavisset.* V. ad 35, 86.

apud Plutarch. Compar. Sol. c. Poplicol. c. 1. T. I. p. 109.

Μηδέ μοι ἄκλαυστος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισι
Ποιήσαιμι θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς.

Pari modo exstant apud Stobaeum Serm. 121. p. 612. ed. Gaisf. T. III. p. 48, nisi quod ibi in altero versu legitur, καλλείποιμι θανών: quod, uti recte monet *Davisius,* Ciceronis verbis melius respondet.

§. 118. *Nos vero, si quid tale acciderit* etc.] „Est hoc Pythagoreorum decretum, quod respicit Socrates in Phaedone c. 66. dicens: καὶ γὰρ ἀκήκοα, ὅτι ἐν εὐφημίᾳ χρὴ τελευτᾶν (§. 154. p. 263. ed. Hdrf. quem vide. p. 331. Wyttenb. ubi v. adnot.)" *Moser.*

ut a deo — ut exeamus — ut aut] Saepius enuntiatio per *ut* inducta apta est ex enuntiatione, quae ab eadem coniunctione *ut* orditur. Exempla, quae *Gernhard.* ad Lael. c. 24. p. 181. et *Wopkens.* Lectt. Tull. I, 7. p. 41 sq. collegerunt, non satis distincta sunt.

horribilem illum d. a., n. f.] De hac verborum collocatione v. ad II. 4, 11.

nihilque in malis ducamus — sempiternum] De hac huius epilogi parte licebit addere, quae observavit *Fr. H. Kernius* in eis, quae ad hos libros p. 40. praefatus est, cuius verba haec sunt: „Merkwürdig ist es, dass gerade in diesem Epilog (cap. 49.) Cicero noch auf den Hauptgrund stiess, aber nur wie im Vorbeigehen und ohne die ganze Wichtigkeit desselben zu ahnen, auf den Grund, der den Schlussstein aller Beweise macht und ohne welchen alle Beweise ihrer Bekräftigung entbehren; es ist der Grund: Wenn die Menschen ihren Ursprung der *Gottheit* danken, die Gottheit aber Nichts thut, ohne dass sie zugleich ihre heilige Liebe und Weisheit offenbarte; so muss man vernünftiger Weise annehmen, dass sie, die Menschen schaffend, diese für ein ewiges Leben bestimmte, weil ja sonst, falls die Menschen im Tode aufhörten, die Gottheit ihre eigenen Zwecke aufhübe: was undenkbar ist."

fortuito] Vocabula *fortuitus* et *gratuitus* producta paenultima pronuntianda sunt, uti apud Hor. C. II. 15, 17. *fortuītum* legitur. In hexametro τρισυλλάβως (*fortvītus, gratvītus*) pronuntianda.

fuit quaedam vis etc.] V. nos in l. d. *de Cicer. in ph. mer.* p. 177 sqq., ubi exposuimus, quid de divina natura senserit Cicero; deque divina providentia eodem libro p. 189 — 200.

exanclavisset] V. *Ernestii* Clav. Ciceron. h. v. Cf. Adnotata in c. 35, 86.

pervehi liceat! Sin[9] reflantibus ventis reiiciemur, tamen eodem[1] paullo tardius referamur necesse est. Quod autem omnibus necesse est, idne miserum esse uni potest? — Habes epilogum, ne quid praetermissum aut relictum putes. *A.* Ego vero; et quidem fecit etiam iste me epilogus firmiorem. *M.* Optime, inquam. Sed nunc quidem valetudini tribuamus aliquid; cras autem et quot[2] dies erimus in Tusculano, agamus haec et ea potissimum, quae levationem habeant aegritudinum, formidinum, cupiditatum: qui omni e philosophia est fructus uberrimus.

9 R. Gud. 1. II. 2. Duisb. *Sine refl.:* aperto errore ob seq. ablativum; unus Ox. et Aug. *sin autem* (pro *sin*), ut §. 117. et 118.; ed. H. *si vero;* cod. vet. Caroli Steph. et permult. edd. vett. *si enim.* 1 Tr. c. R. *eadem.* Male; etiam in R. *eodem* fuisse vdtr. V. *Wes.* II. p. 37. 2 v. Adn.

§. 119. *Sin reflantibus*] Apte *Moser* comparat Off. II. 6, 19: quum prospero flatu eius (fortunae) utimur, ad exitus pervehimur optatos et, quum reflavit, affligimur. ad Att. VI, 7: etsi etesiae valde reflant. ib. XII, 2: naves delatas L in Uticam reflatu hoc.

Ego vero] V. ad 11, 24: Me *vero.*

et quot dies erimus] Mos. et Tr. c. R. Gud. 1. II. Rehd. uno Leid. et edd. Ven. Alteri P. A. Reiskianis Ven. 1. 2. Med. 1. ediderunt *et q u o s d. e. Bouhierius* comp. Nep. Milt. 8.: Chersonesi omnes —, *quos* habitarat annos, perpetuam obtinuerat dominationem: qui locus huic dissimillimus est. At recte docet *Klotzius* in Add. p. 59 sq. *quot* aptiorem sententiam praebere, quum supra c. 4, 8. planissimis verbis legatur: „Itaque *dierum quinque* scholas, ut Graeci appellant, in *totidem* libros contuli.“ Sententiam igitur esse hanc: *et quotidie, quoad erimus in Tusculano.* At *quos dies* significaret magis *eis diebus* (non continuis), *quos* = *quotiescunque.* V. *Wesenb.* Em. II. p. 37. Deinde saepe vel in optimis codd. *quot, aliquot* etc. cum *quos, aliquos* etc. confusa esse.

agamus haec] V. ad I. 20, 46: nisi *id agat.*

M. TULLII CICERONIS
TUSCULANARUM DISPUTATIONUM

AD

M. BRUTUM

LIBER SECUNDUS.

I. 1. Neoptolemus quidem apud Ennium *philosophari sibi* ait *necesse esse, sed paucis; nam omnino haud placere.* Ego autem, Brute, necesse mihi quidem esse arbitror philosophari; nam quid possum, praesertim nihil agens, agere melius? sed non paucis, ut ille. Difficile est enim in [1] philosophia pauca esse ei nota, cui non sint aut pleraque aut omnia. Nam nec pauca nisi e multis eligi possunt, nec, qui pauca perceperit [2], non idem reliqua eodem studio persequetur. 2. Sed tamen in vita [3] occupata atque, ut Neoptolemi tum erat, militari pauca ipsa multum saepe prosunt et ferunt fructus, si non [4] tantos, quanti ex universa philosophia percipi possunt, tamen

I. 1 *in* omitt. R. Gud. 1. 2. II. tres Oxx. Rehd. Duisb.; facile excidere potuit ob praecedentem litteram *m*. 2 Tr. c. Mon. 2. uno Ox. Gud. 2. et nonnull. edd. vett. *percepit*; in R. sine dubio non, ut ap. Tr., *percepit*, sed *perceperit* legitur, v. *Wes.* Em. II. p. 38; seq. fut. *persequetur* requirit fut. ex. *perceperit*, aut scribendum fuit: *percepit — persequitur*. V. ad II. 24, 58. Duo Oxx. et edd. A. B. S. Ven. Asc. 1. *percipit*. 3 Sic optimi (ut R. Gud. 1.) et plurimi libri; alii *in vita tamen*. 4 v. Adn.

Cap. I. §. 1. *philosophari*] Gellius N. A. V. 15: Ennianum Neoptolemum probabamus, qui profecto ita ait: *Philosophandum est paucis; nam omnino haud placet.* Cf. eundem Gellium l. d. 16. et X, 22. Adde Cicer. de Orat. II. 38, 156. de Rep. I. 18, 30. et Tacit. Agric. c. 4. extr. ibique *Rupertium* p. 220. Callicles ap. Plat. Gorg. p. 484. C: φιλοσοφία γάρ τοί ἐστι χάριεν, ἄν τις αὐτοῦ μετρίως ἅψηται ἐν τῇ ἡλικίᾳ· ἐὰν δὲ περαιτέρω τοῦ δέοντος ἐνδιατρίψῃ, διαφθορὰ τῶν ἀνθρώπων κ. τ. λ. Ceterum *Wolfius* commemorat hunc esse solum ex Ennii tragoedia, quae inscribatur Neoptolemus, locum, qui exstet; videri autem argumentum eius fabulae non fuisse Neoptolemi mortem, quae Delphis consecuta est, sed eius expeditionem Troianam, comp. §. 2. De negatione *haud* v. nos in Gr. L. §. 133. C) b).

quid possum, praesertim nihil agens, agere melius?] Cf. Off. II. 1, 4. et nos in libro d. *de Cic. in phil. mer.* p. 40 sq.

e multis eligi] *Heusinger* ad Corn. Nep. Agesil. I. 3: „*deligitur*, qui ex pluribus, sed idoneis; *eligitur*, qui ex promiscua multitudine legitur.“ Cf. *Bremium* ad Pelop. II, 2. p. 233., *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 37. *Kritzium* ad Sall. Cat. VI, 6.

§. 2. *si non tantos*] R. Gud. 1. II.

eos, quibus aliqua ex parte interdum aut cupiditate aut aegritudine aut metu liberemur[4]. Velut ex ea disputatione, quae mihi nuper habita est in Tusculano, magna videbatur mortis effecta contemptio, quae non minimum valet ad animum metu liberandum. Nam qui id, quod vitari non potest, metuit, is vivere animo quieto nullo modo potest; sed qui, non modo quia necesse est mori, verum etiam quia nihil habet mors, quod sit horrendum, mortem non timet, magnum is sibi praesidium ad beatam vitam comparat[4]; 3. quanquam non sumus ignari, multos studiose contra esse dicturos; quod vitare nullo modo potuimus, nisi nihil omnino scriberemus. Etenim si orationes,

Aug. sex Oxx. vet. Caroli Steph. Marb. Mon. 1. et multae edd. vett. pro *si non* habent *sed non:* unde *Klotzius* coni. *etsi non*, de frequenti in codd. v. *si* et *etsi* permutatione comp. *Hand.* Turs. II. p. 609. et de *sed* et *si* v. nos ad I. 31, 76. Acute monet *Moser* scripturam *sed* inde ortam, quod librarii respexerint ad *ferunt tamen* indeque *si* corrigendum existimarint, quum requiri videretur oppositio, neque vero prospexerint ad seqq. *amen eos.* At fortasse corruptelae nulla alia caussa fuit, nisi quod vocabulum *sed* per compendium scriptum, id autem cum *si* a librariis confusum erat.

liberemur] Sic Or. c. duob. Oxx. Aug. multisque edd. vett.; reliqui *liberentur*, quod D. praeferendum censet, quum Cicero non de se ipso, sed de eis loquatur, qui vitam agant militarem et occupatam. Non male; sed quum Cicero pergat *Velut ex ea disp.* etc., apparet, h. l. requiri primam personam *liberemur.* Quam facile autem LIBEREMVR et LIBERENTVR inter se permutari potuerint, vix est, quod moneam. Sic Legg. II. 25, 62. Or. c. D. pro *iubentur* contra codd. legendum existimat *iubemur.*

mihi — habita] Recte docet *Kritzius* ad Sall. Iug. XLVI, 3., ubivis propriam dativi potestatem, quem *commodi* vocant, ita valere, ut is casus nullo negotio a verbo repeti possit, modo teneas, multorum verborum passivam formam intransitivam aut reflexivam sententiam habere, ut h. l. *mihi habita est* idem fere sit, quod *mihi fuit.* Praepositio *ab* c. abl. passivo adiuncta nihil aliud nisi auctorem actionis significat; dativus autem auctorem simul tanquam eum ponit, ad quem actio pertineat. Compares modo: *aliquid a me probatur* cum: *aliquid mihi probatur* (quod idem fere est, quod *aliquid mihi placet*). Sic apud Tullium leguntur: *mihi aliquid cognitum, auditum, compertum, persuasum, quaesitum, susceptum, institutum* (infra c. 4, 10: ubi v. Adnotata), *consideratum, provisum, praecautum, consultum, deliberatum, elaboratum, cogitatum* (infra III. 14, 30.), *concupitum* (IV. 15, 33.), *inventum, evigilatum, pertractatum, ignoratum, notatum, perceptum, laudatum, captum, coeptum* est. Multo rariora sunt apud Ciceronem exempla in *simplicibus* verbi formis, ut V. 24, 68: *sumatur* enim *nobis* quidam praestans vir. Off. III. 9, 38: honesta enim *bonis viris*, non occulta *quaeruntur;* porro apud eundem *quaeritur, acquiritur, legitur, videtur, quaerebatur, negligebatur alicui aliquid.* V. eruditum *Ottonis* ad Fin. I. 4, 11. excurs. II., cum quo comparanda sunt, quae *Madvigius* ad Fin. I. 4, 11. p. 27. observavit. Cf. *Ramshorn.* Lat. Gr. §. 120. d. *Kühner.* L. Gr. §. 114. d). In Graeca lingua haec constructio creberrima. Herod. VI, 123: ὥς μοι πρότερον δεδήλωται. Plura dedimus in Gr. Gr. T. II. §. 582. [Gr. schol. §. 284, 11).]

comparat] *Ernestius* legendum censet *comparavit*, ut est in ed. M. et HWolf.; quod nuper etiam *Wesenb.* II. p. 31. probavit, comp. V. 26, 74. princ. Etiam *F. A. Wolfius* accuratius quidem dictum fore ait *comparavit*, sed ne ab optimis quidem scriptoribus id semper observari. Rectius *Klotzius:* „er erwirbt sich u. besitzt naturlich dann das Erworbene.“ Sic saepius praesens significat rem, quae e praeterito tempore in praesens pertinet. V. nos in Gr. L. §. 107. Not. 2.

§. 3. *Etenim si orationes*] Oratio est ἀνακόλουθος, h. e. verborum consecutioni ante parenthesin inchoatae non accommodata est sequentis orationis structura: quae sic debebat esse conformata: Etenim, si orationes — non probatae sunt a nonnullis, qui nihil laudarent — —: quid futurum putamus, quum — videamus? Recte monet *Goerenz.* ad Fin. II. 33, 107. p. 283: „Ne

quas nos multitudinis iudicio probari volebamus; (popularis est enim illa facultas, et effectus eloquentiae est audientium approbatio;) sed si reperiebantur nonnulli, qui nihil laudarent, nisi quod se imitari posse confiderent, quemque sperandi sibi, eundem bene dicendi finem proponerent et, quum obruerentur copia sententiarum atque verborum, ieiunitatem et famem se malle, quam ubertatem et copiam dicerent: unde erat exortum genus Atticorum, iis[5] ipsis, qui id sequi se profitebantur, ignotum: qui iam conticuerunt[6] paene ab ipso foro irrisi: 4. quid futurum putamus, quum adiutore populo, quo utebamur antea, nunc minime nos uti posse videamus? Est enim philosophia paucis contenta iudicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens eique ipsi et suspecta et invisa, ut vel, si quis universam velit vituperare, secundo id populo facere possit, vel, si

5 Kl. *his* cum R. aliisque codd., ut ait. R. ap. Tregd. habet *iis:* quod unice verum est. V. ad I. 3, 5. 6 v. Adn.

autem eiusmodi anacolutha ex memoriae lapsu putes; consulto admittuntur, ne post longiorem maxime parenthesin constructio nimis ad amussim facta videatur." In primis cogitemus, in dialogis, in quibus oratio minus adstricta esse solet grammaticae legibus, et gratam esse illam negligentiam et magnam saepe vim habere ad augendum sermonis vigorem et multum conferre ad adiuvandam orationis perspicuitatem, maxime in longioribus periodis, in quibus difficile est totam sententiarum complexionem tenere et uno quasi oculorum obtutu contueri. Quid? si Ciceronem, summum Romani sermonis artificem, etiam in minoris ambitus (infra III. 8, 16.) enuntiatis isti negligentiae indulsisse videmus, putabimusne talia invito ei ex incuria quadam atque negligentia excidisse? Cf. infra V. 19, 54. 22, 63. Ibid. c. 15, 45. II. 7, 17. ubi v. Adnot. III. 8, 16. Cf. Adnotata in I. 13, 30. Sententia autem huius implicatae enuntiationis haec est: Si orationes nostrae, in quibus, si non aliorum, saltem populi assensu et laude fruebamur, nonnullis probatae non sunt: quanto plures adversarios in philosophiae studio experiemur, in quo sperare non possumus, fore, ut populus nobis opituletur et approbatione sua contra hominum invidiam nos defendat.

sed si reperiebantur] *Sed* inservit sententiae ante parenthesin inchoatae revocandae, et quidem saepe ita, ut antecedentia corrigantur. V. locum (V. 19, 54.) modo laudatum et II. 14, 32. Cf. *Goerenz.* ad Academ. I. 7, 26. p. 44. et *Ellendt.* ad Brut. XLVIII, 177.

quemque sperandi sibi] Sententia est: qui summam atque perfectissimam eloquentiam non aliam proponerent, nisi quam ipsi se attingere posse sperarent. *Finis* saepe dicitur, quod in quaque re summum est ac perfectissimum, ut h. l. *finis sperandi* est summum, quod quis sperare potest aut sperat; *finis dicendi* est summum eloquentiae; hinc *finis bonorum et malorum* dicitur pro summo bono et malo. Cf. *Ernestii* Clav. Ciceron. h. v. De sententia cf. Or. 7, 24: Nunc tantum quisque laudat, quantum se sperat posse imitari. Sall. Cat. III, 2. Thuc. II, 35: ubi v. *Popponem* Vol. II. p. 149 sq.

unde] „ex quibus principiis (sc. genus dicendi esse debere humile, demissum, nil nisi incorruptam naturam spirans). Quae quidem principia perverse intelligebantur ab adversariis, qui ieiunitatem et ariditatem quandam, omnem ornatum et elegantiam orationis sedulo fugientem ac respuentem, verum Atticismum putabant." *Neidius.*

genus Atticorum] Tria apud veteres censebantur dicendi genera, *Asiaticum, Atticum, Rhodium.* Genus *Asiaticum* sententiarum granditate et maiestate verborum, maxima omnino ubertate, copia, tumore adeo et affectatione insigne erat; *Atticum* contra simplex erat, tenuitatem quandam ac ieiunitatem sectans, subtili et pressa oratione limatum, omni dicendi festivitate ac lepore verborumque veneribus abstinens; *Rhodium* denique me-

in eam, quam nos maxime sequimur, conetur invadere, magna habere possit auxilia a[7] reliquorum philosophorum disciplinis.

II. Nos autem universae philosophiae vituperatoribus respondimus in Hortensio; pro Academia autem quae dicenda essent, satis accurate in Academicis quattuor libris explicata arbitramur; sed tamen tantum abest, ut scribi contra nos nolimus, ut id etiam maxime optemus. In ipsa enim Graecia philosophia tanto in honore nunquam fuisset, nisi doctissimorum contentionibus dissensionibusque viguisset. 5. Quamobrem hortor omnes, qui facere id possunt, ut huius quoque generis laudem iam languenti Graeciae eripiant et perferant[1] in hanc urbem, sicut reliquas omnes, quae quidem erant expetendae, studio atque industria sua maiores nostri transtulerunt. Atque oratorum quidem laus ita, ducta ab humili, venit ad summum, ut iam, quod natura fert in omnibus fere rebus, senescat brevique

7 Sic Or. c. omnibus fere post L. edd., legiturque in quinque Oxx. et Vind. 1. 2. Vulgo *a* omittitur. Absorptum sine dubio est ab antecedenti *a*. V. ad I. 23, 54: *qua a* princ. Etiam Kl. in Add. p. 62. praepositionem revocandam censet. II. 1 Sic Or. c. Gud. II. Aug. Rehd. Duisb. Oxx. et edd. omnes; R. Gud. 1. multique alii *praeferant;* unus Pal. *proferant:* quae scripturae ex similibus compendiis praepositionum *per, prae, pro* natae sunt; Boethius in Cic. Topic. p. 372, 26. Bait. habet *transferant*, magis sententiam, quam singula verba exprimens. Etiam *Wes.* Em. I. p. 7. legendum suspicatur *traferant;* at *perferre*, quod est ferre aliquid ita, ut terminus, quem petas, attingatur, optime h. l. se habet, nec ullo modo requiritur sedis mutationis notio, quae est in verbo transferendi.

dium tenebat inter Asianorum abundantiam et Atticorum tenuitatem. Cf. Brut. 13. De Attico dicendi genere cf. Cicer. de Opt. gen. dic., Brut. 82. et 84. Orat. 7 et 23 sq. Quinctil. Inst. or. XII. 10, 16 sqq. Dialog. de causs. corrupt. eloq., qui perperam Tacito adscribitur, c. 18. Senec. ep. 114.

iis ipsis — ignotum] quum, Attico genere dicendi se gaudere dicentes, ieiunitatem Atticorum imitarentur, eorum vim ac robur ne intelligerent quidem.

conticuerunt] Sic recte c. D. Or., uti est in R. Gud. 1. II. 2. Aug. Rehd. Duisb. Marb. pro vulg. *conticuere:* quae forma apud Ciceronem valde dubia est. Cf. infra V. 37, 107., ubi etiam meliores libri formam *reverterunt* praeferunt. V. nos in Gr. L. §. 52, 2.

§. 4. *secundo populo*] H. e. favente et probante populo. C. de leg. agr. II. 37, 101: quis enim unquam tam *secunda* concione legem — suasit, quam ego dissuasi?

in eam] disciplinam Academicam.

Cap. II. *in Hortensio*] Quae de hoc libro dicenda sunt, diximus in libro dicto *de Ciceronis in philosophiam meritis* p. 51., ubi addendus erat locus de Fin. I. 1, 2. De *Academicis libris* disputavimus eodem loco p. 51 sq.

§. 5. *laudem*] *Laus* saepe significat rem laudatam vel laudabilem. Sic paullo post *oratorum laus* est ars dicendi laude digna. Sic infra 9, 22: Nec quisquam e nostris spolia cepit *laudibus*. De re ipsa cf. nos in libro dicto p. 41.

ita — venit ad summum, ut] Voculam *ita* non ad verba *ducta ab humili*, sed tantum ad seq. *ut* referendam esse, monet *Wolfius*. De illo *ita* v. nos in Gr. L. §. 142. Not. 14.

senescat] Verbum *senescendi* vel *consenescendi* eleganti metaphora dicitur de rebus, quae prius summo studio ab hominibus cultae et perfectae omnem vim atque vigorem amittunt. Sic de Orat. II 2, 7: ut laudem eorum, iam prope *senescentem*, quantum ego possem, ab oblivione hominum atque a silentio vindicarem. Cf. *Bremium* ad Corn. Nep. Alcib. 5, 3. p. 111. et *Kritzium* ad Sall. Cat. 20, 10. Sic Graeci, ut Thucyd. 6, 18: πάντων τὴν ἐπιστήμην ἐγγηράσεσθαι: ubi v. *Popponem* P. III. Vol. 4. p. 87.

tempore ad nihilum ventura videatur, philosophia nascetur Latinis quidem litteris ex his temporibus, eamque nos adiuvemus nosque ipsos redargui refellique patiamur. Quod ii[2] ferunt animo iniquo, qui certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati sunt eaque necessitate constricti, ut etiam, quae non probare soleant, ea cogantur constantiae caussa defendere; nos, qui sequimur probabilia nec ultra quam[3] id, quod veri simile occurrit[4], progredi possumus, et refellere sine pertinacia[4], et refelli sine iracundia parati sumus. 6. Quod si haec studia traducta erunt ad nostros, ne bibliothecis quidem Graecis egebimus, in quibus multitudo infinita librorum propter

2 D. et Tr. c. R. *Quod si ii ferunt.* 3 Sic Or. c. R. Gud. 1. 2. II. b. aliisque et multis edd. vett.; aliae edd. vett. et cod. Rehd. omitt. *quam;* aliae habent *ultra id quam quod v. s. o.;* Tregd. *ultra* [*quam*] *id, quod v. s. occurrit;* *Wes.* I. p. 7. plane delendum censet *quam;* Boeth. l. d. *ultra quam quod v. s. occurrit.* Cf. Adn. 4 v. Adn.

phil. nascatur] *Bentleius* legendum censet *nascitur:* quod mihi sane quam languidum videtur. Coniunctivos *nascatur, adiuvemus, patiamur* non esse adhortativos, sed a praecedenti *ut* pendere, vere docuit *Orelliius*, cui assentitur *Wesenb.* Em. II. p. 39., punctumque ante v. *philosophia* mutandum esse in comma, quasi dictum esset: Atque oratorum quidem laus ita venit ad summum, ut iam senescat brevique tempore ad nihilum ventura videatur; contra fit, ut eodem tempore philosophia nascatur, eamque Latino ore loquentem nos disputationibus de philosophia Latina lingua conscriptis adiuvemus, et quidem ita, ut Academicam philosophandi rationem ineamus, quae ad veritatem inveniendam optima censenda est. Attractione quadam sententia haec primaria: *sed philosophia iam nascitur — eamque nos adiuvamus nosque — patimur*, tanquam secundaria, proxime antecedentis enuntiationis structurae accommodata est: quod attractionis genus non infrequens supra ad 26, 88. (*confirmato illo*) illustravimus. Cf. ad V. 13, 37. De *quidem* (= γέ), quo primum (*oratorum quidem*) eloquentia philosophiae, deinde (*Latinis quidem*) Latinae litterae Graecis opponuntur atque ita maiore vi efferuntur, v. nos in Gr. L. §. 133, 2. A) b). Neque vero offensioni potest esse ἀσύνδετον, quo, uti bene docet *Klotzius*, vis contrariorum magis intenditur. V. nos in Gr. L. §. 138ᵇ, 2. Cf. Tusc. I. 24, 59. III. 21, 51. V. 23, 64. et *Seyffert.* ad Lael. 3, 10. p. 48. et 16, 59. p. 373.

nos ipsos redargui — parati sumus] V. quae de Academicae dubitationis quam secutus est Cicero ratione exposuimus in libro d. p. 68 — 71.

addicti et consecrati] Prius vocabulum recte *Camerarius* ductum putat ab eis, qui, quum solvendo non essent, alteri *addicebantur*, i. e. tradebantur, sicut in emptione et venditione res, quae venit, *addicitur;* hinc *addictus, destinatus, traditus*, ut *morti, supplicio addictus.* Horat. Ep. I. 1, 14: Nullius *addictus* iurare in verba magistri. *Moser* apte comparat Quinctil. III. 1, 1. et *Klotzius* C. pro Mil. 21, 56: vitam suam quam maximis praemiis propositam et paene *addictam* sciebat. *Orellius* in partes vocat *Hugonis* Rechtsgesch. p. 351 sqq. ed. XI. et *Niebuhrii* Röm. Gesch. I. p. 612 sq. ed. IV. Nonius p. 69, 15. Merc. *addictus* male interpretatur *devotus, obnoxius:* quae interpretatio cadit in *consecratos*, ut recte vidit *Camerarius*, qui affert formulam devotionis, quae a Macrobio Saturn. III, c. 9. p. 27. ed. Bip. refertur: Exercitumque hostium, urbes agrosque, capita aetatesque eorum *devotas consecratasque* habeatis.

constantiae caussa] Nomina *constantia, constare, constanter* proprie dicuntur de philosophis, quum nihil decernunt, quod alteri decreto suo non consentiat, quum omnia inter se sunt apta et connexa: quod nos dicimus: *Konsequenz, konsequent.* V. *Ernestii* Clav. Cicer. v. constantia. Cf. supra I. 5, 9.

nec ultra quam id, quod veri simile occurrit, progredi possumus] Haec *Wolfius* recte sic explicat: nec ultra, quam ad id, quod v. s. occurrit, progredi possumus; minus recte *Klotzius*: nec ultra quam id progreditur, quod v. s. occur-

eorum est multitudinem, qui scripserunt; eadem enim dicuntur a multis: ex quo libris omnia referserunt. Quod accidet etiam nostris, si ad haec studia plures confluxerint. Sed eos, si possumus, excitemus, qui liberaliter eruditi, adhibita etiam disserendi elegantia, ratione et via philosophantur.

III. 7. Est enim quoddam genus eorum, qui se philosophos appellari volunt, quorum dicuntur esse Latini sane multi libri, quos non contemno equidem, quippe quos nunquam legerim; sed quia profitentur ipsi illi, qui eos scribunt, se neque distincte, neque distribute, neque eleganter, neque ornate scribere, lectionem sine ulla delecta-

rit, progredi possumus. Pro *occurrit* male Or. c. vulg. edidit *occurrerit;* at indicativum tuentur R. Gud. 1. II. 2. aliique multi et Boeth. in Cic. Top. p. 372, 26. Bait. V. infra ad 24, 58: cuius si — adspeximus.

refellere sine pert.] *P. Manutius* verba sic transponenda censet: *refelli sine pert. et refellere sine iracundia,* uti legitur ap. Boeth. l. d. At vero scripturae, omnium librorum auctoritate stabilitae, sententia planissima est et verbis antecedentibus *nosque ipsos redargui — defendere* egregie respondet. Nos Academici in aliis refellendis non sumus pertinaces, sed, simulatque aliorum sententiam firmis superstructam fundamentis videmus, refellere desistimus; et si ab aliis refellimur, non ira accendimur, quum in omnibus rebus probabilitatem sequamur. De vocabulo *pertinaciae* (quae respondet nostro *Rechthaberei*) comparat *Klotzius* in Add. p. 64. C. Acad. I. 12, 44: cum Zenone — Arcesilas sibi omne certamen instituit, non *pertinacia* aut studio vincendi — sed earum rerum obscuritate etc. Ad universam sententiam *Davisius* apposite comparat Plutarch. de prof. virt. sent. moral. II. p. 80. B: Τὸ μηδ' οἷον ἐφυβρίζειν ἐλέγξαντος, ἢ γαλεπαίνειν ἐλεγχθέντας, ἱκανῶς προκόπτοντός ἐστιν, et Origen. c. Cels. I. p. 55. et Platon. Gorg. p. 458. A. Steph.

§. 6. *liberaliter eruditi*] Infra c. 11, 27: nos, docti scilicet a Graecia, haec (sc. quae Graeci poëtae scripserunt) et a pueritia legimus et discimus: *hanc eruditionem liberalem et doctrinam putamus. Kernius* vertit: *freisinnig*, quod cur ab *Orellio* reprehendatur, nescio. *Freisinnig* sine dubio intellexit id, quod decet hominem liberum.

ratione et via] Nobis: methodisch. *Ratio et via* idem significat, quod Graecum μέθοδος. Sic Graece ὁδός ap. Platon. et Aristot. pro μέθοδος. Cicer. de Finib. I. 9, 29: ut ratione et via procedat oratio. Ac semper fere eandem Cicero positionem observat. de Fin. III. 5, 18: ratione constitutum et via. de Orat. I. 25, 113: rationem dicendi et viam. V. *Goerenz.* ad Fin. II. 1, 3. p. 115. *Via quadam et ratione* multo rarius dicit Cicero. V. *Ellendt.* ad de Or. I. 4, 13. Vol. II. p. 15., qui hos attulit locos: Fin. II. 1, 3. de Or. I. 21, 97. Verr. Act. I. 16, 48. Accus. V. 58, 151. Cael. 20. Sic nobis *Art u. Weise,* non *Weise u. Art.* De v. *elegantiae* v. Adnotata ad I. 23, 55.

Cap. III. §. 7. *quorum — multi libri*] Eosdem philosophos iam supra I. 3, 6. exagitavit: ubi cf. Adnotata. De repetito sine *et* relativo v. ad I. 25, 61.

ipsi illi] I. e. sua sponte, per se illi: contra *illi ipsi* dicitur, ubi illi distinguuntur ab aliis. V. *Bakium* ad Legg. I. 18, 49. Cf. infra II. 7, 17. 21, 49. V. 23, 65. 37, 108: in quibus locis *ille ipse* legitur; contra *ipse ille* IV. 19, 44. At IV. 25, 55. legitur *ipsam illam* iram, ubi exspectes *illam ipsam.*

distribute] H. e. adhibita generum in formas distributione. *Moser* comparat de Inv. II. 59, 177: distributius tractare. de Or. I. 23, 109: haec — verbis designata — partibus distributa sunt. V. *Ernestii* Clav. Cicer. h. v.

lectionem sine ulla delectatione] Fallitur *Klotzius*, quum ob substantivum verbale lectionem ita dici potuisse dicit, *librum sine ulla delectatione* dici potuisse negat. Nam quum aliae praepositiones, tum maxime *sine* et *cum* cum substantivo coniunctae adiectivorum vices sustinent, sive alterum substantivum, ad quod referuntur, verbale est, sive non est. pr. Planc. V, 12: Manlium non solum ignobilem, verum *sine virtute*, *sine ingenio.* ad Att. I, 18: ignavus et *sine animo* miles. pr. Quinct. 9: *sine iniuria* potentiam.

tione negligo. Quid enim dicant et quid sentiant ii, qui sunt ab ea disciplina, nemo mediocriter quidem doctus ignorat. Quamobrem quoniam, quemadmodum dicant, ipsi non laborant; cur legendi sint, nisi ipsi[1] inter se, qui idem sentiunt, non intelligo. 8. Nam, ut Platonem reliquosque Socraticos et deinceps eos, qui ab his profecti sunt, legunt omnes, etiam qui illa aut non approbant, aut non studiosissime consectantur; Epicurum autem et Metrodorum non fere praeter suos quisquam in manus sumit: sic hos Latinos ii soli legunt[2], qui illa recte dici putant. Nobis autem videtur, quicquid litteris mandetur, id commendari omnium eruditorum lectioni decere[3]. Nec, si id[4] ipsi minus consequi possumus, idcirco minus id ita faciendum esse sentimus. 9. Itaque mihi semper Peripateticorum Academiaeque consuetudo de omnibus rebus in contrarias partes disserendi non ob eam caussam solum placuit, quod aliter non posset,

III. 1 v. Adn. 2 Guelf. Vind. 1. Aug. *legant*, quod frustra probavit Ern. 3 Pith. Pal. 5. cod. Gebh. *debere*. V. ad I. 14, 32. 4 Sic Or. c. R. Gud. 1. 2. II. multisque aliis codd. et nonnullis edd. vett. Probat *Stürenburg.* ad or. pro Arch. p. 59. Alii codd. et plurimae edd. vett. omitt. *id*, uti vult *Goerenz.* ad Acad. II. 10, 32. p. 64. Male. V. Adn.

Supra I. 22, 51. Infra V. 16, 48. Cum verbali substantivo: IV. 6, 13: laetitia gestiens est *sine ratione* animi elatio. Praepos. *cum:* supra I. 49, 116: quibus videmus optabiles mortes fuisse *cum gloria* (i. e. gloriosas). IV. 8, 18. Off. I. 8, 25: vitae cultus *cum elegantia* et *copia*. 13, 40: interitum *cum scelere*. De praep. *ex* cf. infra IV. 8, 18.; *contra* II. 7, 17. IV. 6, 11. V. nos in Gr. L. §. 109. Not. 10. Cf. *Fr. Schneider.* in Ephem. antiq. discipl. 1834. p. 1221.

qui sunt ab ea disciplina] Sic Fin. IV. 3, 7: *ab eo* (Zenone) qui sunt: ubi v. *Goerenz.* p. 427. et *Ottonem* p. 253. pro Mur. 30, 63: nostri *illi a Platone* et *Aristotele* aiunt. V. *Müller.* ad de Orat. II. 38, 160: Erat enim ab isto Aristotele. *Hand.* Tursell. I. p. 36 sq. *Ellendt.* ad de Or. I. 13, 55. Vol. II. p. 40 sq. et nos supra ad I. 30, 74: et a Graecis. Sic Graeci dicunt οἱ ἀπὸ Πλάτωνος, ἀπὸ τῆς Ἀκαδημίας, asseclae Platonis, Academiae. V. *Passov.* Griech. Lexik. v. ἀπό. C) 7). et nos in Graec. Gramm. T. II. §. 598. p. 270. (Gr. schol. §. 288. 1.)

nemo mediocriter quidem doctus] *Lambinus* e coniectura dedit: *nemo ne mediocriter quidem doctus:* quod recepit Tregd. Defendit vulgatam *Orellius*, eam explicans per: nemo, si *quidem* mediocriter doctus sit. *Wopkens.* Lectt. Tull. p. 80. H. comparat Lactant. I, 3: nemo, qui quidem sapiat. Ad quae *Handius:* „Haec non omnia aequalia sunt, nec parum refert, cui vocabulo adiungas *quidem*. In altero loco *nemo mediocriter quidem doctus* dicitur pro *nemo ne mediocriter quidem doctus;* in altero *quidem* cum *quod* cohaeret.“ Non nego etiam mihi vehementer placere *Lambini* coniecturam, quae etiam *Madvigio* ad Fin. III. 1, 3. p. 548., *Klotzio* in Add. p. 64 sq., *Wesenb.* Em. I. p. 16 sq. probatur; facillime autem inter *nemo* et *mediocriter* excidere potuit *ne;* sed fortasse vulgata ita defendi potest, ut *quidem* pro *saltem* accipiatur: nemo, qui mediocriter saltem doctus est. Aliis locis legitur *mediocriter doctus.* V. *Goerenz.* et *Ottonem* ad Fin. III. 1, 3. Cf. ad Herenn. IV. 4, 7: id facile faciat *quivis mediocriter litteratus.*

nisi ipsi inter se] *Ern.* de *Clerici* coni. *ipsis inter se.* Frustra; persona enim, ut saepe, pro libro posita est.

§. 8. *qui illa — non approbant*] Scil. quae ab eis dicta sunt, uti recte explicavit *Wolfius*, sed quos comparavit locos: I. 2, 4: discebantque id omnes. et I. 3, 6: e quibus etiam illa manabant, ii non sunt eiusdem plane generis.

Metrodorum] V. *Creuzer.* ad de N. D. I, 31. p. 140.

Nec, si id] H. e. nec, si id nos ipsi

quid in quaque[5] re veri simile esset, inveniri, sed etiam quod esset ea maxima dicendi exercitatio: qua princeps usus est Aristoteles, deinde eum qui secuti sunt. Nostra autem memoria Philo, quem nos frequenter audivimus, instituit alio tempore rhetorum praecepta tradere, alio philosophorum. Ad quam nos consuetudinem a familiaribus nostris adducti in Tusculano, quod datum est temporis nobis, in eo consumpsimus. Itaque quum ante meridiem dictioni operam dedissemus, sicut pridie feceramus, post meridiem in Academiam descendimus. In qua disputationem habitam non quasi narrantes exponimus, sed eisdem fere verbis, ut actum disputatumque est.

IV. 10. Est igitur ambulantibus ad hunc modum sermo ille nobis institutus et a tali quodam ductus[1] exordio: *A.* Dici non potest, quam sim hesterna disputatione tua delectatus vel potius

5 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. b. aliisque multis codd. et nonnullis edd. vett. pro *in unaquaque.* Idem peccatum Fin. V. 2, 5., ubi v. *Goerenz.* p. 535. IV. 1 v. Adn.

minus consequi possumus, ut scripta nostra omnibus probentur.

§. 9. *de omnibus rebus in contrarias partes disserendi*] V. nos in libro d. *de Cicer. in ph. mer.* p. 71 sqq., dein de *Aristotele* C. de Or III. 21, 80. de Fin. V. 4, 10. de *Philone*, nos l. d. p. 36.

eum qui] V. Adnotata in c. 4, 12.

quod temporis] Sic de Senect. c. XIX: *quod* cuique *temporis* ad vivendum datur. de Offic. I. 6, 19: *quod — operae curaeque.*

in eo consumpsimus] Scil. ut alio tempore rhetorum praecepta traderem, alio philosophorum.

dictioni] H. e. *declamationi.*

in Academiam] V. Indic. histor.

non quasi narrantes] V. supra I. 4, 8.

Cap. IV. §. 10. *Est — sermo ille nobis institutus*] V. ad c. 1, 2: *mihi — habita.*

ductus] Sic FAWolfius, Schutzius, Orellius, Moser cum ed. Crat. (in marg. *inductus*) et marg. Lambb. Goth. Verb. pro vulg. *inductus:* quod receperunt *Klotzius* et *Tregder*, sed ille iam in Add. p. 65. magis inclinat ad *ductus:* quod etiam *Goerenzius* ad Acad. II. 12, 38. p. 75. probat, ubi pro *etiam sequuntur* duo codd. habent *etiam insequuntur*, quum *in* ex praecedenti *m* adhaeserit, quod saepius factum esse demonstrat is, quem *Moser* laudat, *L. Trossius* in Seebodii N. Arch. 1829. 33. p. 131. *Klotzius* scripturam *inductus* sic defendit: „C. will hier weniger, dass jenes Gespräch von einem solchen Eingange durch Folgerung abgeleitet worden sei (*ductus*), sondern dass man von jenem Eingange nur Gelegenheit genommen habe, auf einen solchen Stoff zu gelangen; also ein solches Gespräch einzuführen," comp. ad Att. XIII. 19, 4: Puero me hic *sermo inducitur*, ut nullae esse possent partes meae. Addit *Orellius* pro Domo 34, 92: homo facetus *inducis* etiam *sermonem* urbanum ac venustum; sed idem V. D. iure dubitat, num unquam Cicero *sermonem ab exordio tali inducere* pro *sermonem sic ordiri* dicturus fuerit. Neque habet locutio *sermo ducitur a tali exordio* eam vim, quam in ea inesse vult *Klotzius*, sed simpliciter significat *sermo tale exordium capit.* Etiam *Wesenb.* Em. I. p. 32. probat *ductus*, comp. Brut. 60, 218: omnisque ille sermo *ductus* e percontatione filii. — *A tali quodam exordio* est a tali *fere* exordio. *Wolfius* comparat Graecorum τοιοῦτός τις.

quam sim — delectatus] Infra c. 12, 28: intelliges, *quam sit* obsistendum dolori. V. 12, 35: quum ignorem, *quam sit* doctus, quam vir bonus. Haec est legitima apud Ciceronem collocatio coniunctivi praesentis verbi *esse* in oratione obliqua post particulam *quam.* V. *Stürenburg.* ad or. pro Archia p. 21. At infra IV. 7, 14: *quam* in nostra *sint* potestate pro: quam sint in nostra pot., quo magis *nostra* efferatur. Scilicet verbum auxiliare *esse*, quum ipsum sono careat, ei vocabulo subiici solet, quod sono acuendum efferendumque est. Cf. nos in Gr. L. §. 167. Not. 4. Adde *Klo-*

adiutus. Etsi enim mihi sum conscius, nunquam me nimis vitae cupidum fuisse [2]; tamen interdum obiiciebatur [3] animo *meo*[4] metus quidam et dolor cogitantis [4], fore aliquando finem huius lucis et amissionem omnium vitae commodorum. Hoc genere molestiae sic, mihi crede, sum liberatus, ut nihil minus curandum putem. 11. *M.* Minime mirum id quidem. Nam efficit hoc philosophia: medetur animis, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Sed haec eius vis non idem potest apud omnes; tum [5] valet multum, quum est idoneam complexa naturam. *Fortes* enim non modo *Fortuna adiuvat*, ut est in vetere proverbio, sed multo magis ratio,

2 Sic Or. c. R. Gud. 1. 2. II. aliisque pro *cup. f. vitae.* 3 Sic Or. c. R. Gud. 1. 2. II. aliisque multis pro *obiic. interdum.* 4 v. Adn. 5 Sic Or. c. R. Gud. II. Aug. Marb. Rehd. Vind. 1. omnibus Oxx. et multis edd. vett. pro *tamen*, quod recepit Kl., nunc autem in Add. p. 66. reiicit.

tzium ad Lael. 1, 2. p. 89 sq. et *Seyffert.* ibid. 19, 70. p. 431.

adiutus] Timore mortis liberatus et sic animo confirmatus.

obiiciebatur] *Obiicere* interdum ponitur pro *iniicere*, uti Cicer. pro Sext. Amer. XIV, 40: Quae res igitur tantum istum furorem Sex. Roscio *obiecit?* ubi v. *Doering.* p. 40.; nostro tamen loco idem fere valere videtur, quod *offerri*, nisi quod illud verbum rem multo gravius exprimit.

cogitantis] Sic R. (Tregd.) Gud. 1. 2. II. b. (a pr. m.) Rehd. duo Oxx. tres Gebhardi tres Lall., eodem ducit unus cod. Lall., qui habet *cogitationis.* Or. c. vulg. edidit *cogitanti. Wolfius*, qui in ed. 1. *cogitantis* recepit, genitivum ad grammaticam rationem praestare ait, comparans Graeca ἡ ψυχή μου ἐνθυμουμένου: *animus mei cogitantis;* sed *cogitanti* ita defendi posse, ut Cicero *animo* pro *mihi* posuisse dicatur. *Moser* genus quoddam συνέσεως statuendum esse iudicat, quum ita pergat, quasi supra *mihi* scripserit: quae ratio minus placet. Si Cicero scripsit *cogitanti*, sine dubio ad ipsum animum retulit. Sed quum non solum multi codd., sed etiam praestantissimi (R. Gud. 1.) mordicus teneant *cogitantis*, non dubitavi genitivum recipere, ita tamen, ut inter *animo* et *metus* pronomen *meo* adderem. Nam *Wolfii* ratio durissima censenda est; quis enim, Ciceroniano sermone imbutus, credat, Ciceronem scripsisse; *obiicitur animo metus et dolor cogitantis?* Graeca autem, quae comparavit, minime respondent Latinis, in quibus non *animo mei*, sed tantum *animo* est. Si vero legimus *obiiciebatur animo meo metus et dolor cogitantis*, omnia et ad dicendi genus et ad grammaticam rationem (v. nos in Gr. L. §. 109, 8.) sunt planissima.

mihi crede] V. Adn. in I. 31, 75.

§. 11. *medetur — timores*] Attende ad artificiosam verborum collocationem, quam grammatici χιασμὸν appellant. Nescio, qua de caussa *Spitzner* ad Hom. Il. ξ, 391. h. l. hanc collocationis formam agnoscendam negaverit. Supra I. 49, 118: horribilem illum diem aliis, nobis faustum putemus. Cf. I. 3, 5. extr. II. 25, 59. III. 29, 72. IV. 1, 1. 30, 64. 31, 66. bis. Cf. *Kritzium* ad Sall. Cat. LXI, 9. *Ellendt.* ad C. de Or. I. 1, 1. 18, 42. II. 6, 23. 41, 177. *Naegelsbach.* L. Stilist. §. 134. *Kühner.* Gr. L. §. 167, 8.

idem potest — valet multum] Saepe apud Ciceronem verba *posse* et *valere* eadem vi iuncta reperiuntur. V. *Forcellini* Lexic. v. *posse*, *Doederlinii* Synonym. T. IV. p. 162. quaeque contulit *Iordanus* ad or. p. Caecina 1, 1. Sed verbum *valendi*, nisi apud poëtas et posterioris aetatis scriptores, non iungitur cum infinitivo, uti recte monet *Orellius.* Curt. X, 5: res secundae valent commutare naturam.

quum est idoneam complexa naturam] Sententia: philosophia tum valet multum, quum consecuta est hominem, qui idoneus sit ei (*philosophiae*) percipiendae.

Fortes — Fortuna adiuvat] Virg. Aen. X, 284: Audentes Fortuna iuvat. Liv. VIII, 29: eventus docuit, fortes fortunam iuvare. Plura contulerunt *Beroaldus* et *Moser.* *Menkius* in Observv. ined. addit Ter. Phorm. I. 4, 27. Tibull. I. 2, 16. Ovid. A. A. I, 608.

quibusdam quasi praeceptis] Sic supra

quae quibusdam quasi praeceptis confirmat vim fortitudinis. Te natura excelsum quendam videlicet et altum et humana despicientem genuit; itaque facile in animo forti contra mortem habita insedit oratio. Sed haec eadem num censes apud eos ipsos valere, nisi admodum paucos, a quibus inventa, disputata, conscripta sunt? Quotus enim quisque philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat? qui disciplinam suam non ostentationem scientiae, sed legem vitae putet? qui obtemperet ipse sibi[6] et decretis suis pareat? 12. Videre licet alios tanta levitate et iactatione, ut iis fuerit[7] non didicisse melius, alios pecuniae cupidos, glo-

6 R. (Tregd.) Gud. 1. et nonnulli alii codd. et nonnullae edd. vett. *ipsi sibi.* At v. Adn. ad I. 30, 73. 7 Sic R. Gud. 1. 2. II. aliique; *iis ut f.* edd. vett. plurimae et nonnulli deteriores codd.; male; nam *iis* minorem habet vim, quam ut haec exquisitior verborum collocatio (v. ad I. 8, 16.) apte locum habeat.

I. 12, 27: *quandam quasi* migrationem. Aliis locis fere vocula *quasi* praemittitur pronomini *quidam*, uti II. 26, 64. III. 11, 25: *quasi quasdam* furias. IV. 11, 24: *quasi quaedam* Socratica medicina. V. exempla, quae collegit diligentia *Beieri* ad Offic. I. 9, 30. p. 67. Cf. *Goerenz.* ad Academ. I. 6, 24. p. 41. et *Stürenburg.* ad or. pro Arch. p. 30 sq., qui primum observavit, apud Ciceronem semel tantum legi *et quidam quasi* (Part. orat. IX, 31), ceteris locis semper *et quasi quidam;* tum nullo loco inveniri *atque* (*ac*) *quasi quidam*, neque omnino *atque* (*ac*) *quasi*, neque *atque* (*ac*) *tanquam*, sed semper *et quasi, et tanquam;* cuius rei caussam positam esse in diversa vi particularum *atque* (*ac*) et *et.*

excelsum quendam] H. e. excelsum hominem, ut Gr. γενναῖόν τινα. V. *Wolfium* et *Orellium* ad h. l. Infra IV, 28, 61. Fin. II. 14, 46: altum quiddam et excelsum. Quum vero substantivo vel soli vel cum adiectivo coniuncto pronomen *quidam* additur, tum hoc pronomine indicatur aliquid eximium sive in bonam, sive in malam partem. Is qui loquitur rei magnitudinem vel nescit vel nescire se fingit. Eadem vis est Graeci pronominis indefiniti τίς. V. nos in Gr. Gr. T. II. §. 633, 4. (Gr. schol. §. 303, 4.) Infra III. 2, 3. 26, 63. V. 10, 31. Laelius 9, 2: admirabilis quaedam exardescit benevolentiae magnitudo. Acad. II. 1, 2: incredibilis quaedam ingenii magnitudo —; habuit enim divinam quandam memoriam rerum. Cf. *Beier.* ad Offic. I. 15, 47. p. 115. et II. 11, 38. p. 85. *Ochsner.* Ecl. Cicer. p. 9. 11. 152. 321. *Gernhard.* ad Lael. 13, 48. *Moser.* ad Legg. I. 7. p. 549. *Aug. Grotefend.* Commentar. z. d. Lat. Stylübung. p. 28. *Klotz.* ad Laelium p. 142. *Seyffert.* ad eund. 9, 29. p. 199. et 13, 48. p. 322., qui illud *quidam* reddit nostro *wahrhaft, ganz.* *Kühner.* L. Gr. §. 124. Not. 6. Comparari potest cum illo *nescio quid praeclarum* pro Arch. 7.

videlicet] Videre licet, manifesto. V. ad I. 21, 48. et II. 11, 27.

in animo forti — insedit oratio] Apposite *Moser* comp. pro Corn. Balb. I, 4: in animis omnium penitus insedit oratio. ad Att. I. 11: habet quiddam profecto, quod magis in animo eius insederit.

Quotus quisque philosophorum] Proprie: *der wie vielste jedesmal,* h. e. quam pauci, Sic N. D. I, 28: Quotus enim quisque formosus est? — *ita moratus.* Acad. I, 9: Theophrastus autem, vir et oratione suavis et ita *moratus*, ut prae se probitatem quandam et ingenuitatem ferat. V. *Ochsner.* Eclog. Cic. p. 309. De v. *constitutus Orellius* contulit pro Sestio 65, 137: bene natura constituti viri. Lael. 13, 47: animi bene constituti. Adde infra 6, 17. IV. 37, 80.

decretis] *Decreta* philosophorum sunt Ciceroni Graecorum δόγματα. Acad. II. 9, 27: (sapientia) quae neque de se ipsa dubitare debet, neque de suis *decretis,* quae philosophi vocant δόγματα. Etiam verbum *decernendi* usurpatur de sententia, quam sequuntur philosophi, ut infra c. 6, 16: si id summum malum esse *decreverit.*

§. 12. *levitate et iactatione*] Verte: *prahlerischer Eitelkeit.* Scilicet proprium est illud Latini sermonis, ut, ubi duae nominum notiones, quarum altera alteri subiecta est, quum altera universam rei

riae nonnullos, multos libidinum servos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio: quod quidem mihi videtur esse turpissimum. Ut enim, si grammaticum se professus quispiam barbare loquatur, aut si absurde canat is, qui se haberi velit musicum, hoc turpior sit, quod in eo ipso peccet, cuius profitetur[8] scientiam; sic philosophus in vitae ratione[9] peccans hoc turpior est, quod in officio, cuius magister esse vult, labitur artemque vitae professus delinquit in vita.

V. *A.* Nonne verendum est igitur, si est ita ut dicis, ne philosophiam falsa gloria exornes? Quod est enim maius argumentum, nihil eam prodesse, quam quosdam perfectos philosophos turpiter vivere? 13. *M.* Nullum vero id quidem argumentum est. Nam ut agri non omnes frugiferi sunt, qui coluntur, falsumque illud *Accii:

8 v. Adn. 9 Sic Or. c. R. ap. Wes. II. p. 39. Gud. 1. 2. II. aliisque multis codd. pro vulg. *in ratione vitae.* Vis posita est in v. *vitae.*

notionem complectatur, altera eius speciem partemve notet eique accuratius explicandae inserviat, in unam conflandae et substantivo cum attributivo vel adiectivo vel genitivo exprimendae fuerint, saepe numero duobus substantivis per *et*, *atque*, *ac*, *que* copulatis utatur, sive hoc sive illo praecedente. Unde haec dicendi figura appellatur ἓν διὰ δυοῖν. Cuius quattuor distinguenda sunt genera: Primum est, ubi haec circumlocutio vices sustinet substantivorum compositorum, quorum Latinus sermo mira laborat penuria, uti I. 17, 40: *nutus et pondus* aut *gravitas et pondus* (*Schwerkraft*). de Or. III. 44, 173: *delectationis atque aurium* caussa (*Ohrenschmaus*). Alterum, ubi alterum substantivum vicarium est adiectivi, quo Latinus sermo destitutus est, uti: *levitas et iactatio.* I. 13, 30. et III. 1, 2: *ratio et doctrina* (*systematische* Gelehrsamkeit, *theoretische* Kenntnifs). de Or. III. 12, 48: subtilior *cognitio ac ratio* litterarum (eine tiefere *wissenschaftliche* Kenntnifs der Litteratur). Tertium, ubi adiectivum non deest quidem, sed translationis usum non admittit, uti: I. 25, 62: *varietas et natura* sonorum (*natürliche* Mannigfaltigkeit der Töne, quia non dicitur: naturalis varietas). de Or. I. 8, 34: *moderatio et sapientia* (weise Mäfsigung; non: sapiens mod.). Catil. I. 11, 29: *severitas ac fortitudo* (entschlossene Strenge; non: fortis s.) Quartum denique, ubi haec circumlocutio non est necessaria, sed vim oratoriam habet, ut utraque notio gravius efferatur, uti: III. 16, 35: *longinquitas et dies* (pro longinquo tempore, uti Corn. Nep. Them. 4, 3. aut pro longinquitate temporis, uti Sulpic. in ep. ad Famil. IV. 5, 6.). Lael. 7, 23: *amicitia concordiaque* (pro am. concordi, uti C. de Univ. 5.). Ibid. 13, 46: *benevolentia et caritas* (pro benevola car., uti Lael. 8, 28. Cf. *Klotzium* ad Lael. 9, 29. *Seyffert.* ad Lael. 8, 28. p. 194. et 9, 29. p. 198 sq. *Naegelsbach.* L. Stilist. §. 61, 2. p. 146 sq.

pugnet oratio] Similiter Fin. II. 25. extr. Ita enim vivunt quidam, ut eorum vita refellatur oratio. *Davisius* comp. Diodor. Excerptt. Peiresc. p. 234: Τῶν καθ' ἡμᾶς φιλοσόφων τοὺς πλείστους ἴδειν ἔστι λέγοντας μὲν τὰ κάλλιστα, πράττοντας δὲ τὰ χείριστα, καὶ τὴν ἐν ταῖς ἐπαγγελίαις αὐτῶν σεμνότητα καὶ σύνεσιν διὰ τῆς πείρας ἐλεγχομένην. Quinctil. I. Or. I. Prooem. Vocabulum *oratio* ultimam sedem occupat, quia in eo maxima vis posita est. V. nos in Gr. L. §. 167, 1.

absurde canat] *Absurde* et *absurdus* dicuntur ea, quae sibi ipsa non satis conveniunt. Proprie dicitur de sono, ut *absurde canere, sonus absurdus, vox extra modum absona et absurda*, ut de Orat. III. 11, 41. (Nos dicimus *unharmonisch.*) V. *Bremium* ad de Fato c. 3. et *Kritzium* ad Sall. Cat. III, 1. *Absurde canere* Graeco respondet πλημμελεῖν.

qui se haberi velit] Coniunctivi *velit* et *peccet* per attractionem quandam modorum positi sunt, de qua v. nos in Gr. L. §. 140b, c) et supra ad I. 5, 9.; sed indicativus *profitetur* recte se habet, quia verba *cuius profitetur scientiam* simplicis substantivi c. adiect. vices susti-

Probae *[1] *étsi in segetem sûnt deteriorém datae*
Frugés, tamen ipsae suápte natura énitent;

sic animi non omnes culti fructum ferunt. Atque, ut in eodem simili verser, ut ager, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest; sic sine doctrina animus; ita est utraque res sine altera debilis. Cultura autem animi philosophia est: haec extrahit vitia radicitus et praeparat animos ad satus accipiendos eaque mandat iis et, ut ita dicam, serit, quae adulta fructus uberrimos ferant. Agamus igitur, ut coepimus. Dic, si vis, de quo disputari velis. 14. *A.* Dolorem existimo maximum malorum omnium. *M.* Etiamne maius, quam dedecus? *A.* Non audeo id dicere quidem, et me pu-

V. 1 v. Adn.

nent: *in ipsa sua scientia.* Quare supersedere possumus coniectura Ernestii *profiteatur*, immerito probata a *Wesenb.* Em. II. p. 40.

Cap. V. *est igitur, si est*] Saepius idem verbum, uno vel paucis interiectis vocabulis, recurrit. V. Adnot. in I. 22, 52: *esset — esset.*

perfectos philosophos] de Divin. II. 72, 150: „Nisi somniorum patrocinium philosophi suscepissent, nec ii quidem contemptissimi, sed in primis acuti, et consequentia et repugnantia videntes, qui prope iam *absoluti* et *perfecti* putantur." *Perfecti* igitur philosophi appellantur ii, qui in arte sua principes, primarii sunt. V. *Bentleium* ad h. l., qui praeclare coniecturam *professos* pro *perfectos*, paucorum codd. auctoritate stabilitam, confutavit.

§. 13. *Nullum vero*] De *vero* affirmativo v. Adnotata in I. 11, 24.

falsumque illud Accii: Probae] In MSStis haec habetur scriptura: *falsumque illud ac improbe*, Etsi in segetem. Locum misere deturpatum palmari emendatione persanavit *Muretus*, eum e MS. suo, in quo habebatur *falsumque illud ad improbae*, corrigens: *falsumque illud Attii* (v. *Accii*, v. *Acci*), *Probae*, ut nunc legitur. De scriptura *Accius* v. V. L. ad I. 44, 105. Vos autem, acutiores adolescentes, monitos volo, ut hanc elegantissimam et acutissimam coniecturam ne sicco pede transeatis, sed attento animo iterum iterumque perpendatis. Haec est enim via, qua et facillime et certissime ducamini ad cognoscendam artem criticam.

Probae] Sunt trimetri seu senarii iambici. *Suapte* est bisyllabum.

in segetem] Tibull. I. 3, 61: Fert casiam non culta *seges*. Virgil. Georg. I, 47:

Illa *seges* demum votis respondet avari
Agricolae, bis quae solem, bis frigora sensit.

Praeterea *Davisius* laudat Festum: *Seges* dicitur — aliquando etiam *solum* ipsum, quod nec aratum est, nec consitum. Addit *Klotzius* in Add. p. 68. Varron. R. R. I, 69: Far ad sationem tum promendum, quum *segetes* (i. e. agri ad sationem praeparati, uti Kl. interpretatur) maturae sunt ad accipiendum. Acc. Androm. ap. Non. p. 395, 26. ed. M.: „Quod beneficium haud sterili in *segete* rex te obsesse intelligis." Recte observat *Klotzius* in omnibus his locis poëtis non agri vel soli, sed ipsius segetis notionem obversatam fuisse.

in eodem simili] H. e. similitudine (Vergleichung). Cf *Ernestii* clav. h. v. *Moser* comparat de Or. II. 78, 316: unde hoc *simile* ducat. Fin. III. 16, 54: hoc *simile* ponitur. Sic saepius neutrum singularis numeri adiectivorum substantivorum vices sustinet Sic supra in hoc libro c. 2, 5: *oratorum laus ducta ab humili venit ad summum.* Infra V. 15, 45. *beatum:* ubi v. Adnotata. V. nos in Gr. L. §. 109. c) p. 174. ed. 2.

eaque mandat] *eaque* est accusativus, ad seq. *quae* referendus.

§. 14. *id dicere quidem*] *Wesenb.* Em. I. p. 22. legendum censet *id quidem dicere*, quia non *existimo* et *dicere*, sed *dolorem maximum malor. omnium* et *id* (= maius quam dedecus) inter se opponantur, compp. §§. 11. 15. 17. I. §. 17. Fateor, si Cicero ita scripsisset, limatius eum scripturum fuisse; at omnium librorum scripturam mutandi haec mihi

det tam cito de sententia esse deiectum. *M.* Magis esset pudendum, si in sententia permaneres. Quid enim minus est dignum, quam tibi peius quicquam videri dedecore, flagitio, turpitudine? quae ut effugias, quis est non modo recusandus[2], sed non ultro appetendus, subeundus, excipiendus dolor? *A.* Ita prorsus existimo. Quare ne sit sane summum malum dolor; malum certe est. *M.* Videsne igitur, quantum, breviter admonitus, de doloris terrore deieceris? 15. *A.* Video plane; sed plus desidero. *M.* Experiar equidem? sed magna res est, animoque mihi opus est non repugnante. *A.* Habebis id quidem. Ut enim heri feci, sic nunc rationem, quo ea me cunque ducet, sequar.

2 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. b. aliisque; *non modo non rec., sed non ultro* Pith. quinque Pall. aliique et paucae edd. vett.; *non modo non rec., sed ultro* multae edd. vett. et pauci codd. V. Adn.

non satis idonea videtur caussa. V. ad III. 19, 46.

de sententia esse deiectum] Haec dicendi formula sumpta e palaestra vel e gladiatorum ludo, qui dicuntur de statu vel gradu deiici. *Gradus* enim est positus firmus ac stabilis, qui etiam dicitur *status* (die Positur, Stellung, cf. Or. 37, 129: magno semper usi impetu saepe adversarios *de statu* omni deiecimus. N. D. I. 24, 66.). Similiter dicitur *demovere*, *deturbare*, *depellere gradu*, *movere loco*, ut II. 24, 58: de dignitatis gradu demoveri. p. Caecina 15, 42: loco et certo de statu demovet. quibus formulis contrariae sunt hae: *in gradum reponi, in locum restitui.* V. *Beier.* ad Offic. I. 23, 80: non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem *de gradu deiici*, ut dicitur. Cf. *Bremium* ad Corn. Nep. Themist. 5, 1: *ab eodem gradu depulsus est. Ernestii* Clav. v. *gradus.* Ab his locutionibus fluxerunt formulae *de sententia deiici, sententia depelli*, (uti c. 6, 16, ubi venuste dictum est: „oppositoque dedecore *sententia depellerere*" opposito *dedecore* tanquam adversario; pro Ligar. 9, 26: eius viri est, quem *de suscepta caussa propositaque sententia* nulla contumelia, nulla vis, nullum periculum possit *depellere*;) *spe deiici*, *opinione deiici*, *a statu naturae discedere*, *statu moveri* (III. 7, 15.) similia.

Quid enim minus est dignum] *Lambinus* pronomen *te* ante v. *dignum* frustra inculcavit, quum facile ex proxime subsequenti *tibi* cogitatione suppleri possit. Alia ratione hoc adiectivum apud Ciceronem, Caesarem reliquosque aequales solutae orationis scriptores non ponitur; omnibus locis, ubi sine ablativo usurpatum est, ex reliqua oratione vel ex tota sententia intelligitur, quo referatur; apud alios scriptores hic absolutus usus latius patet, ut Senec. de ira I, c. 12: illud pulchrum *dignumque*, parentibus prodire — defensorem. V. *Wopkens.* Lectt. Tull. 1, 10. p. 80. ibique *Handium*, qui in partes vocat *Bentleium* ad Horat. Serm. II. 1, 85. et *Gierig.* ad Ovid. Fast. I, 401. Adde *Stürenburg.* ad or. pr. Arch. p. 57 sq., *Wunderum* ad Plancian. p. XLIX., eum denique, qui hac de re accuratissime exponit, *C. Guil. Dietrich.* in Leipz. Archiv. 1842. p. 487 sq. *Kritzius* ad Sall. Cat. 51, 8. p. 240. iniuria Sallustio hunc absolutum usum concedit. De v. *indignus* v. ad IV. 20, 46.

quis est non modo recusandus, sed non ultro appetendus — dolor?] In eiusmodi enuntiationibus *non modo* pro *non modo non* dictum videtur; at verte: welcher Schmerz wäre da nicht, ich will nicht sagen, zu vermeiden, sondern freiwillig zu erstreben? V. nos in Gr. L. §. 135. Not. 15. Posteriori orationis membro negatio *non* ob interrogationem addita est: *quis dolor non ultra appetendus est?* Extra interrogationem dicendum erat: omnis dolor non modo recusandus, sed ultro appetendus est (jeder Schmerz wäre da, ich will nicht sagen, zu vermeiden, sondern freiwillig zu erstreben). Cf. Cic. Phil. III. 13, 33: nullum tempus — dimittam —, quin, de libertate populi R. quod agendum atque faciendum, id *non modò recusem, sed etiam appetam atque deposcam.* (H. e. zu jeder Zeit werde ich das, was für d. Freiheit zu thun ist, ich will nicht sagen, vermeiden, sondern vielmehr erstreben.) pro Sest. 50, 108: Quis *non modo* approbavit, *sed non* indignissimum facinus putavit? (Extra interrogationem: Omnes *non modo* ap-

VI. *M.* Primum igitur de imbecillitate multorum et de variis disciplinis philosophorum loquar, quorum princeps et auctoritate et antiquitate, Socraticus Aristippus, non dubitavit summum malum dolorem dicere. Deinde ad hanc enervatam muliebremque sententiam satis docilem se Epicurus praebuit. Hunc post Rhodius Hieronymus dolore vacare [1] summum bonum dixit; tantum in dolore duxit mali. Ceteri praeter Zenonem, Aristonem, Pyrrhonem idem fere, quod modo tu: malum illud quidem, sed alia peiora. 16. Ergo id, quod natura ipsa et quaedam generosa virtus statim respuit, ne *scilicet* [2]

VI. 1 Sic omnes libri praeter unum R., qui habet *vacare dolore* quod cum D. Or. recepit. 2 v. Adn.

probaverunt, *sed etiam* ind. f. p.; diese That haben Alle, ich will nicht sagen, gebilligt, sondern vielmehr für d. unwürdigste gehalten.) Vocabulum *modo* est ablativus substantivi *modus*, quod κατ' ἐξοχὴν *iustum modum* significat, uti recte statuit *Doederlinius* in Synon. V. p. 74. Cf. *I. H. C. Eggersium* in Quaest. Tull. Alton. 1842. p. 19 sq., qui de h. v. diligentissime exposuit. *Modo* igitur modum rei ponit, eam certis finibus ac terminis, extra quos egredi non liceat, circumscribit. *Non modo* igitur significant *ich will nicht beschränken* (entweder auf das Kleinere oder auf das Grössere). De *non modo — , sed ne — quidem* v. ad I. 36, 87.

ne sit sane summum malum dolor] *Ne* concessivam vim habet. Pari modo *ut non* saepe usurpantur, quae concessivam enuntiationem tanquam consecutivam enuntiant, v. c. *ut* rationem Plato *nullam* afferret, ipsa auctoritate me frangeret (I. 21, 49.), h. e. *vel ita, vel ea conditione, ut* (selbst in dem Falle, dass). Cf. I. 8, 16. 11, 23. Illud autem *ne Wesenberg.* Adn. Tusc. I. p. 25. docet non esse coniunctionem concessivam, sed merum adverbium negativum, coniunctivum autem cum eo sociatum esse imperatorium. V. *Wopkens.* Lectt. Tull. I, 8. p. 57. *Ramshorn.* L. Gr. §. 194. *Kühner.* L. Gr. §. 142. Not. 7.

quantum — de doloris terrore deieceris] V. Adnotata ad I. 8, 16.

§. 15. *quo ea me cunque*] N. D. II. 30, 76: *quale* id *cunque* est. *Orellius* comparat Sestian. 31, 68: *quod* iudicium *cunque.* V. *Kritzium* ad Sall. Cat. V, 3: *cuius* rei *libet. Ellendt.* ad C. de Or. II. 67, 271. Vol. II. p. 304. *Ramshorn.* Lat. Gr. §. 207. *Kühner.* §. 38. Not. 2.

Cap. VI. *de imbecillitate multorum* etc.] H. e. de imbecillitate multorum philosophorum eorumque e variis disciplinis. Non opus est cum *Bentleio* legere *et e variis disciplinis.* Apposite *Orellius* comparat: multi et magni, πολλοί τε καὶ καλοί.

Hunc post] Sic saepius pronomina *qui* et *hic* in enuntiati initio praepositionibus, nec tamen omnibus, praemissa reperiuntur. Sic infra IV. 17, 38: *quem ultra. Orellius* laudat *Gronov.* Observatt. III. 19. p. 458. Lips. et *Ruhnkenium* ad Vellei. p. 374., *Moser C. Beierum* ad Cic. Fragmm. or. pro Tullio 43. p. 57. *Iahnii* Annal. Philol. et Paedagg. 1829. II. 4. p. 393. Adde *Wopk.* Lectt. Tull. II. 2. p. 178. *Kritz.* ad Sall. Iug. 101, 8. p. 542. *Ramsh.* L. Gr. §. 151. *Kühner.* L. Gr. §. 117. N. 3. c).

Hieronymus] Cic. Acad. II. 42, 131: *vacare omni molestia Hieronymus* sc. finem esse censuit. Fin. V. 5, 14: *Hieronymum:* quem iam cur Peripateticum appellem, nescio; summum enim bonum exposuit *vacuitatem doloris.*

praeter Zenonem, Aristonem, Pyrrhonem] Zeno, Stoicae disciplinae auctor, nihil bonum nisi honestatem, nihil malum nisi turpitudinem esse dicebat. De *Aristone* et *Pyrrhone* v. Adnotata nostra in V. 30, 85. Cf. Indic. historic.

§. 16. *quaedam generosa*] Similiter cum excusatione vocabulo *generosus,* quod proprie dicitur de generis nobilitate, Tullius usus est Lael. 9, 29: humilem sane relinquunt et minime *generosum, ut ita dicam,* ortum amicitiae: ubi v. *Gernhard.* p. 71. Brut. 75, 261: forma etiam magnifica et *generosa quodammodo.* Respondet Graeco γενναῖος, de quo v. *Papium* Lex. h. v.

ne scilicet] Haec est elegantissima *Bentleii* coniectura pro vulgata *ne dolorem,* omisso *scilicet.* Codd. enim R. Gud. 1. 2. II. quinque Oxx. Mon. 1. 2. aliique exhibent *ne se dol.*; Marb. *non se dol.*; Rehd. *non si dol.*: hinc *Bentl.* coni.

dolorem summum malum diceres oppositoque dedecore sententia depellerere [3], in eo magistra vitae philosophia tot secula permanet. Quod huic officium, quae laus, quod decus erit tanti, quod adipisci cum dolore corporis velit, qui dolorem summum malum sibi esse persuaserit? Quam porro quis ignominiam, quam turpitudinem non pertulerit, ut effugiat dolorem, si id summum malum esse decreverit? Quis autem non miser, non modo tunc, quum premetur summis doloribus, si in iis [4] est summum malum, sed etiam quum sciet id sibi posse evenire? et quis est, cui non possit? Ita fit, ut omnino nemo esse possit beatus. 17. Metrodorus quidem perfecte eum [5] beatum putat [6], cui corpus bene constitutum sit et exploratum, ita semper fore. Quis autem est iste, cui id exploratum possit esse?

VII. Epicurus vero ea dicit, ut mihi quidem risus captare vi-

3 R. Gud. 1. Pith. permultique alii codd. *dicere — depellere:* quem mirum errorem Kl. in Add. p. 72. inde natum esse dicit, quod *depellerere* ob eiusdem syllabae iterationem librarii lapsu in *depellere* transierit eoque facto etiam *diceres* in *dicere* mutatum sit. 4 Sic scripsi c. SE. pro vulg. *in his.* V. ad I. 3, 5. 5 Sic Or. c. R. Gud. 1. 2. aliisque multis pro *eum perfecte.* 6 Sic R. Gud. 1. II. aliique multi codd.; Or. c. vulg. *p. b.*

ne sc. (i. e. scilicet) *dol.:* quae coniectura confirmatur auctoritate trium codd. Lall., qui hoc scripturae compendium *ne sc. d.* revera exhibent. *Or.* vulgatam retinuit; *Klotzius* in Add. p. 72. legendum suspicatur *ne sedulo dol.* Coniectura infelicissima.

oppositoque dedecore sententia depellerere] V. Adnotata ad c. 5, 14: *de sententia esse deiectum.*

id quod —, in eo — permanet] *Handius* ad *Wopkens.* Lectt. p. 81. docet, *id quod* in praemissa enuntiatione relativa pro simplici *quod* poni; sed rectius oratio ἀνακόλουθος esse iudicatur; nam *id quod* pro *quod* non usurpantur, nisi ubi enuntiatio relativa παρενθετικὴν alterius enuntiationis explicationem continet. V. *Klotz.* in Add. p. 71. *Madvig.* ad Fin. II. 33, 107. *Kühner.* Gr. L. §. 145, 3. De seq. duplici futuro exacto *pertulerit, decreverit* v. ad I. 30, 74.

Ita fit, ut] H. e. *hinc sequitur, efficitur.* Hac concludendi formula Cicero utitur non solum ad rem veram confirmandam, uti infra III. 1, 1. 5, 10. 7, 14., sed etiam ad falsam refellendam, uti h. l. (*so würde hieraus folgen*). V. quem *Moser* laudat *Ientzen.* in Censura Insignn. Locorr. in C. de N. D. L. I. p. 57.

§. 17. *Metrodorus quidem*] *Quidem* significat, *ut hoc utar.* V. ad I. 48, 116.

corpus — fore] De Metrodori sententia cf. Fin. II. 28, 92. Offic. III. 33, 117. infra V. 9, 27. Graeca servantur ap. Clement. Alexandr. Strom. II. p. 498: Ἀγαθόν, φησί (sc. Μητρόδωρος), ψυχῆς τί ἄλλο ἢ τὸ σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα καὶ τὸ περὶ ταύτης πιστὸν ἔλπισμα; Plura attulerunt *Beier* ad Off. l. d. p. 407 sq. et *Madvigius* ad Fin. l. d. p. 300. Adde infra V. 9, 27.

Cap. VII. *Affirmat*] Oratio est ἀνακόλουθος. Sententiarum enim ordo e grammatica ratione sic procedere debebat: *Affirmat enim quodam loco, si uratur sapiens, si crucietur* (*exspectas — satis:*) *quid? si in Phalaridis tauro sit, dicturum esse* etc. V. Adnot. in c. 1, 3.

exspectas, dum dicat] De hac structura v. nos in Gr. L. §. 128. Not. 3.

homini aspero et duro] Salsa et amara ironia!

in Phalaridis tauro] Idem Epicuri dictum refert Seneca Ep. 66. Cf. infra V. 10, 31. Cf. de Fin. II. 27, 88. in Pisonem 18, 42.

Quam suave est!] Sic recte Mos. Tr. Kl. in Add. p. 73. c. Gud. 1. II. Bentl. codd. uno Dav. quatt. Oxx. Aug. Duisb. pro vulg. *quam suave est hoc!* Etiam Seneca ep. 66. omittit *hoc*, et facile ex seqq. suppleri potest. Seq. *quam non* verte *wie wenig.* V. ad IV. 35, 74.

an parum est, si non amarum?] „Ad ὁμοιόπτωτον *parum, amarum* v. quae eius usus apud veteres exempla conges-

deatur. Affirmat enim quodam loco, si uratur sapiens, si crucietur — exspectas fortasse, dum dicat: patietur, perferet, non succumbet: magna mehercule laus et eo ipso, per quem iuravi, Hercule digna; sed Epicuro, homini aspero et duro, non est hoc satis; in Phalaridis tauro si erit, dicet: *Quam suave est*[1]*! quam hoc non curo!* — Suave etiam? an parum est, si non amarum? At id quidem illi ipsi, qui dolorem malum esse negant, non solent dicere, cuiquam suave esse cruciari; asperum, difficile, odiosum, contra naturam dicunt, nec tamen malum. Hic, qui solum hoc malum dicit et[1] malorum omnium extremum, sapientem censet id suave dicturum. 18. Ego a te non postulo, ut dolorem eisdem verbis afficias, quibus Epicurus voluptatem[1], homo, ut scis, voluptarius. Ille dixerit sane idem in Phalaridis tauro, quod, si esset in lectulo; ego tantam vim non tri-

VII. 1 v. Adn.

sit et quos laudavit *Beier* ad Cic. Lael. 23, 87. p. 137. nec nostri loci oblitus." *Moser.*

illi ipsi] Stoici. — *contra naturam, widernatürlich.* V. ad II. 3, 7.

qui solum hoc malum dicit et malorum omnium extremum] H. e. qui dolorem solum malum dicit, et quidem malorum omnium extremum: de illo *et* pro *et quidem* dicto v. *Beierum* ad Off. II. 16. p. 111. Sic Graece καί dicitur. V. nos in ampliore Gr. Gr. T. II. §. 727, 1. p. 422. *Bentleius* legendum coniicit *qui non solum* (i. e. modo) *h. m. d., sed m. o. e.* „Si prius *solum*," [inquit] „quomodo dein *extremum?*" *Wopkensius* p. 81 sq., omnium librorum scripturam defensurus, eam sic interpretandam censet, ut Epicurus dolorem modo malum solum, modo extremum dixerit. Similiter infra V. 10, 31: „de Epicuro loquitur Tullius: Ut is, qui vel summum vel solum malum dolorem esse dicat." At haec interpretandi ratio iure exsibilatur ab *Handio*, qui recte monet per simplicem *et* tantum diversas sententias exprimi. Contra *Bentleii* coniecturam *Moser* bene monet, omisso adiectivo *solum*, sermonis vim, quae quidem in hoc loco maxima requiratur, nimium enervatum iri, quandoquidem dolorem non tantum malorum extremum, sed etiam malum solum dixerit. Cf. V. 9, 26: quum dolorem non modo maximum malum, sed solum malum etiam dixerit. 26, 73: quum constituerit, non modo summum malum esse dolorem, sed etiam solum. *F. A. Wolfius aut malorum* correxit: quod nullo modo probandum est; recte enim *Orellius* et *Handius* monent, si disiunctionem voluisset, non *aut*, sed *vel* scribendum fuisse. Nam, ait *Handius*, distinctio fieret de opinione, nec constituenda esset res, sed sententia.

§. 18. *quibus Epicurus voluptatem*] Hunc locum interpolatoris corruptricem manum perpessum esse, sibi persuasit *Bentleius.* Nam, inquit vir magnus, Epicurus *voluptatem* dictitat *summum et solum bonum esse;* quis autem *dolorem* his verbis afficiat? aut quid mirum, si id a nemine postulet? Hinc delendum censet verbum *voluptatem:* in quam sententiam discesserunt *Davisius, Schützius, Wolfius* in ed. 1., *Tregder, Wesenb.* Em. I. p. 4. *Orellius* uncis cinxit. At vero scriptura vulgata non temere sollicitanda est. Nimirum *Bentleius* in eo erravit, quod putavit verba *quibus Epicurus voluptatem afficit* hanc habere vim, ut significarent, sicuti voluptatem omnium bonorum finem ab Epicuro dictam esse, sic h. l. dolorem omnium bonorum finem dictum esse. At nihil aliud dicere voluisse videtur Cicero, nisi hoc: Non postulo a te, ut cum Epicuro de dolore idem exclames, quod de voluptate, sc. *quam suave est hoc.* (Cf. infra V. 10, 31.) Nam Epicuri oratio vehementer secum pugnat. Etenim qui alias de voluptate, qua perfundatur, exclamat *quam suave est hoc!* quomodo idem nunc dolorem iisdem verbis afficere potest? Epicurus, homo voluptarius, a te aliquid postulat, quod ne ii quidem philosophi, qui masculam ac fortem sequuntur sententiam. — Pro *afficias* male *Täuber* legendum coniecit *efficias:* quod recepit *Tischer*, in-

buo sapientiae[2] contra dolorem. Sit fortis in perferendo, officio satis est; ut laetetur etiam, non postulo. Tristis enim res est sine dubio, aspera, amara, inimica naturae, ad patiendum tolerandumque difficilis. 19. Adspice Philoctetam, cui concedendum est gementi; ipsum enim Herculem viderat in Oeta magnitudine dolorum eiulantem. Nihil igitur hunc virum sagittae, quas ab Hercule acceperat, tum consolabantur[3], quum

E víperino mórsu venae víscerum
Venéno imbutae tétros cruciatús cient.

Itaque exclamat auxilium expetens, mori cupiens:

Heu! quís salsís fluctíbus mandét
Me ex súblimó[4] vertíce saxí?
Iam íam absumór, conficit animám
Vis vólneris, úlceris aéstus.

2 Sic R. Gud. 1. II. 2. b. quinque Oxx. Aug. aliique et multae edd. vett.; eodem ducunt etiam alii codd. et edd., in quibus est *sapienti et:* Or. c. vulg. *sapienti.* Cf. Adn. 3 D. W. ed. 2. Or. et Tregd. de Bentl. coni. *consolantur,* quia sequitur *cient:* quae caussa inanis est; Cicero enim retinuit *cient,* quum versum mutare vel corrumpere nollet. 4 v. Adn.

terpretans: dass du den Schmerz mit denselben Worten, wie Epik. (*quam suave est*), zum Vergnügen machen sollst. At quis ita Latine dixerit?

sapientiae contra dolorem. Sit fortis etc.] Cum magna vi abstractum *sapientiae* pro concreto dictum, praesertim quum alteri abstracto (*dolorem*) opponatur. Cf. IV. 26, 57. V. 5, 13. et 14. 25, 72: sapientia. 26, 75: beatam vitam. Cuius generis exempla multa e Cic. collegit *Wopkens.* Lectt. Tull. p. 92. Hand.

§. 19. *Adspice Philoctetam* usque ad §. 25.] Recensitis philosophorum sententiis, sequuntur poëtae, qui non solum homines, verum etiam deos dolorum magnitudine eiulantes finxerunt.

cui] Philoctetae, ut qui homo sit, concedamus ut gemat; at ipse Hercules deus in Oeta magnitudine dolorum eiulat. Ceterum quod alii, ut Tullius h. l., Philoctetae tribuunt, alii Poeanti assignaverunt, uti docuit *Davis.* ad h. l. coll. Diod. Sic. Libl. IV. p. 243. Ovid. Met. IX, 231. Lactant. I, 9. Hygin. Fab. 36. De Philocteta v. *Wunderum* ad Soph. Philoct. p. 5. ed. Goth. Ceterum: *cui concedendum est gementi* est Graeca constructio: pro *gemere* aut *ut gemat.* Exempla sunt rarissima. Sic Off. I. 21, 71: iis forsitan *concedendum sit* rem publicam non *capessentibus,* qui excellenti ingenio doctrinae sese dediderunt. In Graeca lingua nihil frequentius hac structura post πρέπει, λυσιτελεῖ, ἄμεινόν ἐστιν, οὐκ ἀηδές ἐστι, φίλον ἐστί, συμφέρει cett. Plat. Phaedon. p 114. D: τοῦτο καὶ πρέπειν μοι δοκεῖ — οἰομένῳ οὕτως ἔχειν: ubi cf. *Heindorf.* Sic πρέπει μοι ἀγαθῷ ὄντι et ἀγαθῷ εἶναι. V. nos in Gr. Gr. T. II. §. 662. p. 362 sq. [Gr. schol. §. 310, 4, i)].

E viperino] Versus sunt iambici trimetri s. senarii, sumpti ex Accii Philocteta. Leguntur etiam Fin. II. 29, 94.

Heu! quis] Tres primi versus sunt anapaestici dimetri, ultimus autem versus est paroemiacus, qui hanc habet formam — — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑: quo versu systemata anapaestica finiri solent: de qua re doctissime disputavit *Hermannus* Element. doctr. metr. II. c. 22. Idem in Opusc. Vol. III. p. 127. scribendum censet *hei quis.* De pronuntiatione vocabuli *fluctibus* (= fluctibu') v. ad I. 9, 18.

salsis fluctibus mandet] H. e. in salsos fluctus (mare) deiiciat. *Salsis fluct.* comparat *Wolfius* Gr. ἁλμυρὸν ὕδωρ.

sublimo] Sic recte Or., uti est in Gud. 1. Vat. Ball. uno Leid., pro vulg. *sublimi.* Cf. Nonium p. 489, 7: *Sublima* pro *sublimis.* Accius Phinidis: aut saepe ex humili sede *sublima* evolat. Sallust. Hist. lib. III: nam tertia tunc erat et *sublima* nebula caelum obscurabat.

Cap. VIII. §. 20. *in Trachiniis*] v.

Difficile dictu videtur, cum non in malo esse, et magno quidem, qui ita clamare cogatur.

VIII. 20. Sed videamus Herculem ipsum, qui tum dolore frangebatur, quum immortalitatem ipsa[1] morte quaerebat. Quas hic voces apud Sophoclem in Trachiniis edit! cui quum Deianira sanguine Centauri tinctam tunicam induisset, inhaesissetque ea visceribus, ait ille:

O múlta dictu grávia, perpessu áspera,
Quae córpore exancláta[2] *atque animo pértuli!*
Nec míhi Iunonis térror implacábilis,
Nec tántum invexit tristis Eurystheús mali,
Quantum úna vecors Oénei partu édita.
Haec me irretivit véste furiali ínscium,
Quae látere[3] *inhaerens mórsu lacerat víscera*

VIII. 1 D. c. quatt. Oxx. et Cantabr. *ipsam*, plane contra Ciceronis mentem, quae est: *mortem adeo oppetens quaerebat imm.* 2 Sic Or. c. R. Pith. Gud. 1. 2. H. trib. Oxx. aliisque codd. et ed. vet. Bouh. CMD, recte; iunge: *quae pertuli exancluta c. atq. a.*; alii codd. et edd. *exanclato*; inepte; codd. aliquot L. b. Rehd. *exanclavi* (*exantlavi*). De scriptura *exancl.* v. ad I. 35, 86. 3 v. Adn.

1048 sqq. ed. Weigel. 1035 sqq. ed. Herm. Fuerunt, qui hunc Sophoclis locum non a Cicerone, sed ab Accio in Latinum sermonem conversum esse arbitrarentur: a qua opinione maxime videtur abhorrere totius orationis metrique conformatio, quae ad Accii antiquitatem haud facile revocari possit. Praeterea *Orellius* docet, antiquos Romanorum tragicos longiores Graecorum locos nunquam tam ad verbum convertisse, quam hic factum sit; (longissimus Accii locus duodecim versuum est N. D. II, 35.;) denique Ciceronem nusquam locos tanti ambitus e Latinis tragicis ad verbum reddidisse.

visceribus] *am Fleische* (unter der Haut). V. ad 14, 34.

quae corpore] Graece: καὶ χερσὶ καὶ νώτοισι μογήσας ἐγώ· unde *Davisius* suspicatur Ciceronem pro νώτοισι legisse νόοισι; at Cicero Graeca liberius vertere solet.

Iunonis terror implacabilis] *Iunonis terrorem* pro *Iunone terribili* dictum esse putat *Nissenius*; *Wolfius* interpretatur Iunonis iram, qua Herculi terrorem incutit; eleganter *Kernius:* Selbst Iunos unversöhnter Schreckensgroll. Adiectivum *implacabilis* iungi possit cum *Iunonis*, sed magis poëtice et exquisite iungitur cum *terror*, uti paullo post *biformato impetu Centaurus*; c. 9, 21: vim coruscam fulminis. Inanes plane sunt coniecturae *fervor*, *furor* pro *terror*. Vocabulum *tantum*, quod in sequenti versu legitur, pertinet etiam ad hunc versum.

tristis Eurystheus] Apud Sophoclem στυγνός; est nostrum *finster*. Infra III. 9, 18. (e poëta) tristibus iris. *Nissen.* interpretatur *severum*, *ferum*, *Wolfius invisum:* minus bene. Infra V. 32, 91. *tristiores* est *verdriesslich*, *verstimmt*, non *traurig*. V. *Doederlinii* Synon. T. III. p. 234.

vecors Oenei partu edita] Quae Ciceroni *vecors* dicitur, ea apud Sophoclem audit δολῶπις. *Vecors* idem significare videtur, quod *demens*, *furore correpta*, *insana*. Sic Festus: *vecors* est turbati et mali cordis. Inest in hoc vocabulo improbitatis et malitiae notio. V. *Forcellini* Thes. Latin. vv. *vecordia* et *vecors*. — *Partus* pro *satu* de sexu virili rarissime dicitur, *parere* autem crebrius et *parens* communi usu tritum est; apud Graecos saepius τόκος et τίκτειν hanc habent significationem. *Davis.* comp. Soph. O. C. 1379: Οἰνέως τόκος Τυδεύς, et Philoct. 652: Λαέρτου τόκος Ulixes. 1242: τῷ δὲ Ποίαντος τόκῳ. At Cicero non solum *partu* dixit, sed etiam poëtica quadam audacia addidit *edita* pro procreata. *Bentleius* coniecit *Oeneo patre edita*, profecto haud improbabiliter.

latere inhaerens] Sic D. Mos. Tr. c.

Urguénsque graviter púlmonum haurit spíritus;
Iam décolorem sánguinem omnem exsórbuit.
Sic córpus clade horríbili absumptum extábuit,
Ipse illigatus péste interimor téxtili.
Hos nón hostilis déxtra, non Terrâ édita
Molés Gigantum[4]*, nón biformato ímpetu*
Centaúrus ictus córpori inflixít[5] *meo,*
Non Gráia vis, non bárbara ulla immánitas,
Non saéva terris géns relegata últimis,

4 R. Gud. 2. Duisb. *Gigantium.* Male. V. nos in Gr. L. §. 20, 2) d). 5 v. Adn.

R. Gud. 1. El. 3. pro vulg. *lateri:* quod Kl. nunc in Add. p. 74. et ob librorum auctoritatem et quod ex antiqua scriptura *later e i inh.* facile oriri potuerit *latere inh.*, et quod verbum *inhaerendi* non construatur, nisi cum *in* et abl. aut cum dat., praeferendum putat. Etiam *Wesenb.* Em. I. p. 13. et ob structuram et quod litterarum *i* et *e* in Reg. confusio frequentissima sit (ut I. §. 27. inexpiabili. §. 40. mari. II. §. 46. homine. §. 67. illi. §. 63. videri. III. §. 23. similes aegritudines, aegritudine. §. 25. impendentes, omne. §. 56. genere. IV. §. 56. obtrectari. §. 84. ratione. §. 64. illi. V. §. 44. continere) *lateri* recipiendum censet. Verum quum ipse concedat alios scriptores dixisse *re haerere* (v. Lucret. III, 177. Virg. 10, 361. Phaedr. I. 8, 4.) et *adhaerere* (Ov. Met. 5, 38.), non video, cur Ciceroni ne in versibus quidem faciendis dicere licuisse *re inh.* Adde Senec. Thyest. 909: resupinus ipse *purpura* atque *auro incubat.* Iustin. 2, 6: *eodem innati solo.* Suet. Ner. 12: *marina aqua innantes* belluae.

decolorem — exsorbuit] Graece: v. 1058, 1044. Herm. ἐκ δὲ χλωρὸν αἷμά μου Πέπωκεν ἤδη: ubi *Hermannus* haec habet: χλωρόν scholiastes interpretatur νέον ἢ νεκρόν. Cicero *decolorem* vertit. Male. *Vivum* sanguinem dicit. *Decolor* dicitur, cui vitiatus est et corruptus color. V. *Forcellini* Thes. Lat. h. v.

illigatus peste — textili] Poëtice dictum pro: illigatus tunica texta (ὑφαντῷ ἀμφιβλήστρῳ) perniciosa, mortifera.

inflixit] Sic scripsi cum L. aliisque ex Pal. 1. uno Leid. Aug. Gud. II. (in hoc: *meo inflixit*) pro vulg. *infixit*, quod *Bouhierius* et *Orellius* defendunt Virg. Aen. 4, 689: *infixum stridet sub pectore vulnus.* At hic locus nihil pertinet ad muniendam scripturam *infixit:* quae in hunc locum non quadrat. *Ictus corpori* non *infiguntur*, sed *infliguntur*, uti bene observavit *Wolfius.* *Moser*, qui *inflixit* recepit, comparat Cic. Phil. II. 21, 52: tibi vulnus inflictum est. in L. Pison. 14, 32: quae meus discessus rei publicae inflixit vulnera. in P. Vatin. 8, 20: hanc quoque mortiferam plagam inflixisses auguratus tui. *Davisius* affert Senec. de Ira 3, 28: corpori vulnus infligas. Quam facile autem verba *infligere* et *infigere* in codd. confundi potuerint, per se patet.

terris — ultimis] Soph. Trach. 1090: ἐπ' ἐσχάτοις τόποις, *Wolfius* intelligit regionem Gaditanam, *Orellius* Libyam.

omnem ecferitatem] Sic scripsi e coniectura *Klotzii* in Add. p. 75., quae etiam *Wesenbergio* III. p. 8. probatur. Plurimi quidem codd. et edd. vett. habent *omnem h i n c feritatem;* sed pro *hinc* legitur *hic* in R. b. Duisb. omnibusque fere Dav. edd. Ven. Moseri A. S., *hīc* in Gud. 2., *ic* in Gud. 1., *sic* in Marb.; Or. et seqq. receperunt *hic.* At neque *hinc* neque *hic* recte se habent; nam *hinc* et *undique* iuncta offensioni sunt; certe plane redundat *hinc;* scriptura autem *hic* Latini sermonis consuetudini repugnare videtur. Latini scriptores dicunt *undique e x h i s terris omnem feritatem expuli*, non *in his;* neque ex Sophoclis verbis εἰς ὅσην γαῖαν ἱκόμην defendi potest *hic;* nam Cicero toto hoc loco maxime deflexit a Graecis verbis. *Klotzius* l. d. recte suspicatur ex prima v. *ecfer.* syllaba errore ortum esse *icf.* indeque *hic f.*, uti infra 17, 39. ex *ecfari* natum sit in aliis *haec fari*, in aliis *hoc fari.* Vocabulum *ecferitatis* (*efferitatis*), quod adhuc ex dubio loco Lactantii Mort. Persecut. 9, 2. constabat, idem *Klotzius* in or. pro P. Sestio 42, 91. e praestantissimo cod. Reg. restituit.

feminea vir] Sic L. D. Or. et seqq. c. R. Gud. 1. II. b. duob. Dav. Duisb. quatt.

*Quas péragrans undique ómnem *ceferitatem** [5] *érpuli* [6]*;*
Sed féminea vir [5]*, féminea interimór manu.*

IX. *O náte, vere hoc nómen usurpá patri* [1]*!*
Ne me óccidentem [1] *mátris superet cáritas.*
Huc árripe ad me mánibus abstractám piis!
Iam cérnam, mene, an íllam potiorém putes.

21. *Perge, aúde, nate! illácrima patris péstibus!*
Miserére! gentes nóstras flebunt míserias.
Heu! vírginalem me óre [1] *ploratum édere,*

6 R. Gud. 1. II. aliique *expulit:* quod sine dubio inde factum est, quod adverbium *hic*, quod pro *hinc* legitur (v. Adn.), pro nominativo acceptum est. IX. 1 v. Adn.

Oxx. trib. Lall. et compluribus edd. vett. pro vulg. *vi*. Optime; cf. Graeca: γυνὴ δὲ ζῆλυς οὖσα κοὐκ ἀνδρὸς φύσιν μόνη με δὴ κατεῖλε φασγάνου δίχα. Cum maxima vi opponuntur *feminea* et *vir*. Scriptura *vi* inepta est. Non vi Deianirae Hercules interimitur, sed dolo. Ad verba *feminea manu* cf. Senec. Trag. Herc. 1179: Invicta si me cadere *feminea manu* Voluere fata etc. Ieiuna est coniectura *Wesenbergii* Em. I. p. 8.: *feminae vir fem.*, deleta distinctione post *vir*.

Cap. IX. *O nate*] Intelligendus Hyllus, quem e Deianira genuerat Hercules. Graeca verba v. 1066 sq.:

Ὦ παῖ, γενοῦ μοι παῖς ἐτήτυμος γεγώς,
Καὶ μὴ τὸ μητρὸς ὄνομα πρεσβεύσῃς πλέον.

patri] Bene *Orellius* explicat *in patris ultionem*. Cf. Graeca allata. Inutilis est *Wolfii* coniectura: *patris*. Eam recepit *Tregder*, sed mutata distinctione; *W.* enim distinxit post *patris; Tr.* auctore *Bouhierio* post *usurpa: vere hoc nomen usurpa, patris Neve occ. m. s. c. Wes.* Em. I. p. 8. sic scribit: *patri, Neve occidentem* (sc. *eum* vel *me*, cf. 23. religatum) *m. s. c.* et *occidentem* accipit pro: *occidentis* caritatem ex eo dicendi genere, quod ad I. 1, 2. exposuimus. At primum haec ratio hoc quidem loco durissima est; deinde plurimi codd. (etiam R. Gud. 1.) habent *ne me occ.*, alii *nec me o.*, nullus *neve*, quae est Wolfii coniectura; denique pron. *me* ob seq. *matris* maximam vim habet.

Ne me occidentem] H. e. ne maiore caritate matrem, quam me nunc morientem habeas. Sophocl. καὶ μὴ τὸ μητρὸς ὄνομα πρεσβεύσῃς.

manibus piis] H. e. manibus, quibus ulcisceretur patrem. Sic pr. Rosc. Am. 24: „Videtisne, quos nobis poëtae tradiderunt, patris ulciscendi caussa supplicium de matre sumpsisse, tamen ut eos agitent furiae —: quod ne *pii* quidem sine scelere esse potuerunt.“ Infelicissima est coniectura *Bouhierii manibus tuis*.

pestibus] *Wolfius* interpretatur *miseriis*, melius *Moser interitui*, comp. de Rep. I, 3: Marii clades — vel eorum multorum *pestes*, quae paullo post secutae sunt. or. post red. in sen. 7, 16: tune ausus es cum Gabinio consociare consilia *pestis* meae? in Catil. I. 13, 33: cum tua *peste* ac pernicie — proficiscere. *Doederl.* Lat. Syn. II. p. 61. et 63.

§. 21. *Heu! virginalem me ore ploratum edere*] Accusativi c. inf. in exclamationibus usus, aut addita particula interrogativa *ne* aut omissa, satis frequens est in oratione affectus vel admirationis plena. Virg. Aen. I, 37: *Mene* incepto *desistere* victam, nec *posse* Italia Teucrorum avertere regem! Cic. ad Att. IX, 13: *tene* haec *posse* ferre! Ibid. V, 11: hui! *totiesne me* litteras dedisse Romam, quum ad te nullas darem! Divin. II, 13. init.: *hunccine hominem* tantis *delectatum esse* nugis! Sine particula *ne*. Cic. ad Fam. VIII, 17: ergo *me* potius in Hispania *fuisse* tum, quam Formiis. Ibid. XIV, 1: me miserum! *te* ista virtute — in tantas aerumnas propter me *incidisse!* In omnibus huius generis exemplis constructio accusativi c. inf. pendet ab enuntiatione aliqua omissa, ut *nonne indignum, mirum est? num credibile est? verene ita est?* Ubi igitur particula *ne* addita est, ea pertinet ad enuntiationem cogitatione supplendam. Cf. *Heindorf.* ad Horat. Sat. I. 9, 73. p. 201. *G. T. A. Krüger* Un-

Quem vídit nemo úlli ingemiscentém malo!
Sic féminata[1] *vírtus afflicta*[2] *óccidit.*
Accéde, nate, assíste, miserandum ádspice
Evísceratum[3] *córpus laceratúm patris!*
Vidéte, cuncti! túque Caelestúm sator,
Iace, óbsecro, in me vím coruscam fúlminis!
Nunc, núnc dolorum anxíferi torquent vértices,
Nunc sérpit ardor. O ánte victricés manus!
22. *O péctora, o terga, ó lacertorúm tori!*
Vestróne pressu quóndam Nemeaeús leo
Frendéns efflavit gráviter extremum hálitum?
Haec déxtra Lernam, tétra[4] *mactata éxcetra,*

2 Frustra Bouhier. coni. *afflicto.* 3 v. Adn. 4 Sic Or. c. L. tribus codd. Dav. Lall.; Gud. 1. II. b. Aug. Col. Marb. et multae edd. vett. *tetram;* R. (Tregd.) *taetrā* (i. e. taetram); Rehd. et aliquot edd. vett. *terram.*

tersuchungen über Lat. Gramm. T. I. p. 23 sqq. *Ramshorn.* Lat. Gr. §. 168, 6. ed. 2. *Kühner.* L. Gr. §. 129, 16. p. 299. ed. 2. Idem accusativi c. inf. usus in exclamationibus ad admirationem, indignationem, laetitiam significandam apud Graecos valet. Plerumque additur articulus τό vel τὸ δέ. Soph. Philoct. 234: ὦ φίλτατον φώνημα· φεῦ τὸ καὶ λαβεῖν πρόσφθεγμα τοιοῦδ' ἀνδρὸς ἐν χρόνῳ μακρῷ. V. *Heindorf.* ad Hor. l. d. et ad Plat. Phaedon. p. 187. *Hermann.* ad Viger. 19. p. 702. *Ast.* ad Platon. Gastmahl p. 271. *Kühner.* ad Xenoph. Commentar. I. 4, 12. et in Gr. Gramm. T. II. §. 652, 1. — *Virginali ore* Sophocl. v. 1073: ὥστε παρθένος, βέβρυχα κλαίων. Unde apparet, coniecturam *H. Stephani virginali more*, uti etiam in uno Leid. est, reiiciendam esse. Huc accedit, uti recte monet *Orellius*, quod pronom. *me* aegre desideratur, praesertim in hac accusativi c. inf. structura, et *ore edere* antiqua copia dicitur, ut *voce vocare, ore locuta'st*, rectiusque v. *ploratum* habet ἐπίθετον. Quod autem *Stephanus* ait, *ploratum* non ore, sed oculis edi, id inane esse demonstrat *Davisius* comp. infr. c. 15. Liv. 22, 14. 23, 42. Senec. ep. 63.

Sic feminata] D. ob Graeca νῦν δ' ἐκ τοιούτου θῆλυς εὕρημαι τάλας coni. *sed feminata.* Duo Oxx. Marb. Aug. Vind. 1. Rehd. aliique et paucae edd. vett. pro *feminata* habent *effeminata;* hoc vel potius *ecfeminata*, deleto *sic*, defendere studuit *Klotzius* in Add. p. 77, dicens ex prima huius v. syllaba *ec* natum esse *ic f.* indeque *sic f.* Antiqua forma *ecfeminatus* etiam infra III. 17, 36. in Gud. 1. a pr. m. servatur. Cf. ad 8, 20: *ecferitatem.* Etiam *Wesenb.* Em. III. p. 8. *ecfeminata* legendum censet, voculam *sic* supervacaneam dicens. *Moser effeminata* pro glossemate ἅπαξ λεγομένου *feminata* habet. Si *sic* a Cicerone profectum est, referendum est ad proxime antecedentia verba: *virginalem me ore pl. edere.* Cf. c. 10, 25: *Sic* me ipse viduus pestes excipio anxias. Ego adhuc dubius sum, utram scripturam praeferam, quanquam negare non possum, vehementer mihi placere coniecturam Klotzii.

Evisceratum] Orellius c. W. e Bentleii coniectura edidit *eviscerati;* mihi vero vulgata *evisceratum corpus laceratum* sollicitanda non videtur; nam proprium est veterum poëtarum, uni nomini plura attributa ἀσυνδέτως adiungere. Sic c. 10, 25: haec vetusta saeclis glomerata horridis, Luctifica clades. Edd. vett. exhibent *evisceratum corpus lacerati:* quod recepit Tregder. Paullo post *Caelestum* metri caussa pro *Caelestium* dictum est.

Nunc, nunc] Haec eiusdem vocis iteratio egregie exprimit Herculis anxietatem. Paullo post *dolorum anxiferi torquent vertices* (ἄκμαί) pulchre dictum pro vulgari: *summis doloribus angor, vexor, pungor.* De adi. *anxifer* v. ad I. 28, 69.

§. 22. *Frendens efflavit graviter e. h.*] *Graviter* (δεινόν) non, uti *Wolfius* arbitratur, cum *frendens* iungendum est, sed cogente verborum collocatione cum *efflavit*, uti vere monet *Klotzius.*

excetra] Servius ad Virg. Aen. VI, 287: „hydra, quae fuit in Lerna, Argivorum palude, Latine *excetra* dicitur,

Pacávit[5]*; haec bicórporem afflixít manum;*
Erymánthiam haec vastíficam abiecit béluam;
Haec é Tartarea ténebrica abstractúm plaga
Tricípitem eduxit, Hýdra generatúm, Canem;
Haec interemit tórtu multiplicábili
Dracónem, auriferam obtútu adservantem[5] *árborem.*
Multa ália victrix nóstra lustravit manus,
Nec quisquam e nostris spólia cepit laúdibus.

Possumusne nos contemnere dolorem, quum ipsum Herculem tam intoleranter dolere videamus?

X. 23. Veniat Aeschylus, non poëta solum, sed etiam Pythagoreus; sic enim accepimus. Quo modo fert apud eum Prometheus dolorem, quem excipit[1] ob furtum Lemnium?

5 v. Adn. X. 1 W. c. aliquot codd. deterior. et nonnull. edd. vett. *excepit.* Praesens multo exquisitius est.

quod uno caeso tria capita *excrescebant.*" quam quidem originationem optimo iure explosit *Orellius*, acute monens, Latinum vocabulum e Graeco ἔχιδνα ortum et cum nostro *Echse*, *Eidechse* cognatum videri, pariter corruptum ac *Catamitus* ex *Ganymedes* et similia.

Pacavit] Est coniectura *Davisii* pro *placavit.* Cf. Virgil. Aen. 6, 804: (Alcides) *Erymanthi Pacarit nemora.* Horat. IV. 5, 19: *Pacatum volitant per mare navitae*, de Oceano praedonibus non infesto, uti recte explicavit *Davisius. Orellius* confert Senec. Herc. F. 442: pacatum manu (Herculis) quodcunque — Titan videt. *Klotzius* vulg. *placavit* recepit et in Add. p. 78. sic defendit, ut *placavit* magis poëticum diceret; ipse locus, ait, in quo belua est, turbatus et infestus cogitatur et ob eam caussam recte dici potuit: haec manus Lernam, occisa ista belua, *placavit*, i. e. tranquillam reddidit. Paullo post *bicorp. manum* h. e. turbam Centaurorum. Sophocl. v. 1097: διφυῆ τ' ἄμικτον ἱπποβάμονα στρατὸν Θηρῶν.

Hydra generatum, Canem] Sophocles: δεινῆς Ἐχίδνης δρέμμα: hinc *Bouhier.* legendum suspicabatur: *eduxit Echidna generatum.* At Cicero sine dubio Hydram cum Echidna permiscuit, ut contra Ovid. Met. 9, 69. 158. Lernaeam Hydram Echidnam appellavit atque adeo Hesiodi (Theog. 298.) Echidnam cum Hydra confudit. V. *Orellium* ad h. l.

auriferam etc.] In hortis Hesperidum. Paullo post *lustravit* exquisitius dictum pro *sustinuit.* Sic Virgil. Aen. 9, 96: certusque incerta pericula lustret Aeneas? — *Spolia cepit laudibus:* Sophocl. v. 1104: κοὐδεὶς τρόπαι' ἔστησε τῶν ἐμῶν χερῶν: unde *Ernestius* locum nostrum explicat sic: *nec quisquam nos vicit et superavit;* rectius *Nissenius: nec quisquam de laude nostra detraxit aliquid. Laudes* sunt res laudabiliter gestae, v. ad 2, 5. Nullius momenti est *Bouhierii* coniectura *cladibus* pro *laudibus;* Cicero enim in vertendo, uti iam supra saepius vidimus, sententiam magis poëtae, quam ipsa verba expressit.

adservantem] Revocavi hanc scripturam, permultorum codd. optimorumque, ut R. (Tregd.) Gud. 1. II., auctoritate firmatam, nuper etiam a *Wesenberg.* Em. II. p. 41. commendatam, pro vulg. *observantem.* Verbum *asservandi* non solum est diligenter servare, sed etiam (praesertim ubi, uti h. l., c. *obtutu* iungitur) observare, custodire. V. *Freund.* Lex. h. v. et *Wesenb.* l. d., qui comp. Att. X. 16, 2: acerrime asservabimur. 18, 1: custodiae, quibus asservor. Caes. B. C. 1, 21: hominum occultos exitus asservent. 3, 28: equitibus, qui eam partem orae maritimae asservabant.

Cap. X. §. 23. *Aeschylus*] V. *Welcker i Nachtrag z. d. Schrift über die Aeschylische Trilogie.* p. 36 sqq. et 340.

Pythagoreus] V. *G. F. Schoemannum* in elegantissimo libro, qui inscribitur Des Aeschylos gefesselter Prometheus, Greifswald 1844. p. 19. et 101.

ob furtum Lemnium] Prometheus ab insula Lemno Vulcano ignem surreptum

Unde ígnis clúet[2] *mortálibus clám*
Divísus; éum doctús[3] *Prometheús*
Clepsísse[4] *dolo poenásque Iovi*
Fato éxpendísse suprémo.

Has igitur poenas pendens, affixus ad Caucasum dicit haec:

Titánum soboles, sócia nostri sánguinis,
Generáta Caelo, adspícite religatum ásperis
Vinctúmque saxis, návem ut horrisonó freto
Noctém paventes tímidi adnectunt návitae.
Satúrnius me síc infixit Iúpiter,
Iovísque numen Múlcibri[5] *adscivit manus.*
Hos ille cuneos fabrica crudeli inserens
Perrúpit artus: quá miser sollértia
Transvérberatus cástrum hoc furiarum incolo.
24. *Iam tértio me quóque funestó die*

2 R. ap. Tregd. *ducet*, sed corr. in *iucet;* Gud. 1. et unus Ox. *clucet;* Vind. Mon. 1. b. *lucet;* Pal. 4. Pith. *elucet;* v. Adn. 3 Sic codd.; Or. c. C. M. HWolf. *dictus;* v. Adn. 4 Or. aliique e coni. *clepisse;* v. Adn. 5 Sic Or. c. vulg., de illa forma provocans suam Inscriptt. Collectionem N. 1382.: ubi legitur *Mulcibero;* R. Gud. 1. 2. II. Aug. Marb. alii *Mulcebri*, pauci *Mulciberi* habent; *Wes.* Em. II. p. 41. reiicit *Mulcebri* ut formam inauditam probatque *Mulcibri* vel potius *Mulciberi.*

in terras detulit. Cf. *G. F. Schoemann.* l. d. p. 73 sq.

Unde] Sunt dimetri anapaestici, quos finit versus paroemiacus, sumpti ex Accii Philocteta Lemnio. V. ad 7, 19. Cf. *Hermann.* Element. doctr. metr. II. 32. p. 386 sq. et Opusc. III. p. 120., ubi rectissime hos versus ita fere emendavit, uti supra in verborum ordine exhibiti sunt. Adde eundem in Opuscc. Vol. IV. p. 269 — 271. Principium huius versus servatur apud Varron. L. L. VII. p. 67. (p. 121. ed. C. O. Müller.) sic: *Unde ignes cluet mortalibus Divis.* Edebantur autem haec vulgo prosaico tenore sic: *Unde ignis lucet mortalibus clam divisus? eum doctus Prometheus clepsisse dolo, poenasque Iovi fato expendisse supremo.*

Iam singula dispiciamus! *Unde* h. e. furto Lemnio; *cluet* antique pro *fertur,* uti Graece κλύειν passiva significatione dicitur; *divisus* eleganter pro *datus; doctus* est perpetuum epitheton Promethei, quippe qui prudentia et calliditate maxime polleret; *clepsisse* a Graeco κλέπτειν antique pro *furto surripuisse;* iniuria alii de coni. legunt *clepisse;* nam etiam ap. Varronem L. L. p. 98. legitur bis *clepsere*, et bis infinitivus praes. *clepere;* apud Manil. I, 27. *clepsisset;* in loco Pacuvii ap. Non. p. 20, 18: „sermonem hic nostrum ex occulto *clepit,* quantum intelligo" *clepit* est praesens, et Cic. Legg. II. 9, 22: *cleperit rapsitque;* sed ibi c. Lamb. legendum est *clepsit rapsitve;* cf. *Madvigium* ad Fin. V, 25. p. 748.; infinitivus pendet a *cluet,* i. e. fertur; *fato supremo* i. e. fati supremi, cui omnia atque ipsi dii subiecti et obnoxii sunt, voluntate; *Hermannus* l. d. p. 117. interpretatur extremo malo, comp. Virg. Aen. 9, 204: „fata extrema secutus;" sed haec explicatio minus placet.

„Ceterum locus, qui sequitur, e tragoedia deperdita, quae inscribitur Prometheus λυόμενος, ab Accio Latine facta [non ab Accio credo, sed ab ipso Cicerone, ut coniicere licet e §. 26.], depromptus est. Hinc etiam liquet, cur hic res in Caucaso monte geratur, quum scena *Promethei vincti* sit in Scythia. Notandum enim, Prometheum *bis* in rupe vinculis constrictum esse, primum in rupe Scythica, deinde in Caucasi iugo, et eadem hac altera vice a Iovis aquila iecur ei dilaniabatur. V. *Schützii* Comment. ad Aesch. Prom. Vinct. p. 10. 11." *Neidius.* Cf. *Welcker.* ll. dd.

Titanum] Qui in Prometheo Soluto chorum constituebant. V. *Welcker.* ll. dd.

Tristí advolatu adúncis lacerans únguibus
Iovís satelles pástu dilaniát fero.
Tum iécore opimo fárta et satiata áffatim
Clangórem fundit vástum et sublime ávolans[6]
Pinnáta[7] *cauda nóstrum adulat sánguinem.*
Quum véro adesum inflátu renovatum ést iecur,
Tum rursum tetros ávida se ad pastús refert.
Sic húnc[8] *custodem maésti cruciatús alo,*
Qui mé perenni vívom foedat míseria.
Namque, út videtis, vínclis constrictús Iovis
Arcére nequeo díram volucrem a péctore.
25. *Sic me ípse viduus péstes excipio ánxias,*
Amóre mortis términum anquiréns mali;
Sed lónge a leto númine aspellór Iovis.
Atque haéc vetusta, saéclis glomerata hórridis,

6 Sic L. D. 1. W. Or. sqq. pro *advolans*. D. ed. 1. vult *abvolans*. 7 Unus Ox. Rehd. Aug. Vind. 1. et Nonius p. 17, 11. ed. Merc. *pennata*. Male. Divin. I. 47, 106: Iovis — *pinnata* satelles (aquila). 8 Bentl. coni. *hanc* et paullo post *Quae:* quod probat *Wes.* Em. II. p. 41. ob anteced.: *Jovis satelles* (aquila) *farta, satiata, avida,* provocans de confusis *hunc* et *hanc*, ut *unt* et *ant* ad suas Emend. II. p. 22. et de *qui* et *quae* comp. infra V. 25, 70: *imitandi* et *imitandae*, alia. Ego nullam video mutandi necessitatem.

Orellius addit *Hermannum* Dissert. de Aeschyli Prometheo soluto. Lips. 1828. et Aesch. Fragm. ed. Schütz. T. V. p. 125.

Generata Caelo] „Terra (Γῆ) enim ex Caelo (Οὐρανῷ) progenuit Titanes, Coeum, Crium, Hyperionem, Iapetum, qui pater erat Promethei.“ *Neidius.*

castrum furiarum] „Est locus, ubi habitant furiae, ergo locus Tartaro similis.“ *Neidius.*

§. 24. *Iam tertio*] *Iam* gradationis vim habet h. l., ut idem fere sit, quod *quin etiam, atque etiam, atque adeo.* Sic *iam vero.* Lucret. II, 431: denique *iam.* Pariter apud Graecos ἤδη usurpatur. V. *Hartung.* Griech. Partik. T. I. p. 242 sq. et nos in ampliore Gr. Gramm. T. II. §. 690, 4. b. β'. p. 386.

affatim] *Klotzius* contra omnium librorum auctoritatem disiuncte scripsit *ad fatim:* quod probare non possum; nam etsi dubitari non potest, quin hoc adverbium ex *ad* et accusativo *fatim* ortum sit; tamen haec non est caussa, cur a codicum scriptura recedamus. Doctissime de hoc adverbio exponit *Handius* in Tursell. Vol. I. p. 199 sqq.

adulat sanguinem] Verbum *adulandi* h. l. primam et antiquissimam notationem habet, ut sit *tergere*, *stringere* (nostrum *streicheln*). Avolans aquila caudae pinnatae motu sanguinem deterget (sc. ut vulnus exsiccetur et rursum consanescat). Hinc verbum *adulandi* proprie dicitur de bestiis, imprimis canibus, qui caudae motu gaudia et blandimenta exprimere student. Cf. *Doederlinii* Synom. II. p. 174 sqq.

inflatu] H. e. quum inflatur, intumescit. *Orellius* comparat Dion. Chrysost. or. 8. ed. Baguet. p. 9: οἰδοῦντος αὐτῷ καὶ αὔξοντος τοῦ ἥπατος: ubi v. *Baguet.* p. 128.

§. 25. *Sic me ipse viduus*] H. e. sic ipse, meo privatus auxilio, excipio me tanquam pestes anxias. Ipse mihi paro pestem, meum ipsius iecur tanquam pabulum offerens aquilae. Acute dictum! Ceteri interpretes iungunt *me viduus,* ut haec sit sententia: me i. e. meis viribus destitutus, aut: non meus, dum non sum in mea potestate, comp. Hor. C. I. 10, 12: *viduus pharetrā* risit Apollo. *Amore mortis — mali* h. e. moriendi cupidus morte terminum mali circumspiciens. De v. *anquirendi* v. ad IV. 21, 47.

Luctífica clades nóstro infixa est córpori,
E[9] *quó liquatae sólis ardore éxcidunt*
Guttaé, quae saxa assídue instillant Caúcasi.

XI. Vix igitur posse videmur ita affectum non miserum dicere et, si hunc miserum, certe dolorem malum. 26. *A.* Tu quidem adhuc meam caussam agis. Sed hoc mox videro. Interea unde isti versus? non enim agnosco. *M.* Dicam hercle. Etenim recte re-

9 Sic Or. c. Gud. II. 2. Aug. Rehd. Mon. 1. 2. Vind. 1. 2. Marb. pro vulg. *ex quo:* quod etiam R. ap. Wes. habet. V. Adn.

E quo] Scil. corpore. *Turnebus* in Adversarr. II. 9. p. 17. commemorat, scriptores Graecos ex illa Promethei sanie oriri tradere herbam medicatam et veneficiis aptam, qua unctum a Medea Iasonem flamma taurorum aeripedum nihil fuisse laesum, nec satis Hydri dentibus terrigenarum ferro violatum; etiam Senecam in Medea 705 sq. haec habere: Quae fert opertis hyeme perpetua iugis Sparsus *cruore* Caucasus *Promethei.* Alii legunt *ex quo* et explicant de tempore (*seitdem*). Male.

Cap. XI. §. 26. *Sed hoc mox videro*] Fin. V. 21, 60: quaeque cuiusque vis et natura sit, *mox videbimus.* ad Fam. III. 9, 8: verum haec *videbimus.* ad Att. X. 7, 1: Sed de hoc *videbimus.* ib. XII. 34, 2: Quibus de rebus ad me scripsisti, quoniam ipse venio, coram *videbimus.* Contra fut. ex. infra V. 7, 20: Sed *videro*, quid efficiat; *tantisper* hoc ipsum magni faciam, quod pollicetur. de Or. III. 10, 37: nam de actione *post videro.* Acad. II. 24, 76: quid inventum sit, *paullo post videro.* ib. 44, 135: recte, secusne, *alias viderimus.* Fin. I. 10, 35: quae fuerit caussa, *mox videro.* Legg. I. 21: cui tamen ego assentiar in omnibus, necne, *mox videro.* Hoc *videro* dicit *Cortius* ad Cic. epp. fam. IV, 12. esse seponentis aliquid, tanquam quod vix operae pretium sit diligentius excutere, sed leviter et celeriter percurrere satis sit. Quae quidem sententia etiam *Aug. Matthiaeo* in Vermischt. Schriften Altenb. 1833. p. 78. recentioribusque grammaticis probatur. Usurpatur haec formula in re differenda et in aliud tempus reiicienda; v. *Madvig.* Opusc. acad. p. 88 sq.; apud comicos, Plautum et Terentium, hic futuri exacti usus latius patebat, sed apud posterioris aetatis scriptores uno fere verbo *videro* continetur, rarissime longius evagatur, ut infra V. 4, 10: cuius de disciplina *aliud tempus fuerit* fortasse dicendi (= alias viderimus), v. *Madv.* p. 96. At quam celeritatis et festinationis huic futuro exacto tribuunt vim, ea in ipso hoc tempore non inest. Quare quum huic *videro* adverbia *mox, post, alias* adiuncta sint, vel saltem in tota oratione aliquid lateat, quod ad alteram futuri temporis actionem respiciat; hunc futuri exacti usum ad eandem revocandum arbitror rationem, qua futurum exactum et in protasi et in apodosi ponatur, ut duplex actio eodem temporis puncto futura esse dicatur (v. nos in Gr. L. §. 107. Not. 11. et supra ad I. 30, 74.). Itaque in verbis: *mox, post, alias videro* haec mihi inesse videtur sententia: *mox, post, alias*, quum occasio oblata erit, quum opus fuerit, quum ad rem pervenero, *simul videbo.* Futurum exactum eventum futurae actionis quasi praecipit remque postea considerandam tanquam certo futuram exprimit; futurum simplex (*mox videbo*) contra nihil aliud significat, nisi rem postea consideratum iri.

Videsne] Saepe particula interrogativa *ne* interrogationi affirmativam sententiam subiicere videtur (ut *nonne*), ita ut affirmativa responsio exspectetur. Sic §. 27: Sed *videsne* —? III. 17, 37: *rectene* interpretor sententiam tuam? V. 9, 26: *isne* —? 12, 35: *videturne* —? 21. *Satisne* —? de Senect. 10: *videtisne*, ut apud Homerum saepissime Nestor de virtutibus suis praedicet? Acad. II. 18: *videsne* —? N. D. III. 27, 69: *Videturne* —? Contra, ubi exspectes *num*, uti I. 27, 67: *potesne* dicere? Verum hoc *ne* neque ad affirmativam neque ad negativam responsionem praeparat, sed rem in medio relinquit inter affirmationem et negationem. Hinc tanquam comes additur in interrogatione et negationi *non* (*nonne*), quae *affirmativam* responsionem, et particulae *num* (*numne*), quae negativam responsionem exspectare nos iubet. Etiam aliae linguae negatione utuntur in interrogationibus indefinitis: quam rem *Hartungus* Griech. Partik. T. II. p. 187. ex duarum interrogationum, af-

quiris. Videsne abundare me otio? *A.* Quid tum? *M.* Fuisti saepe, credo, quum Athenis esses, in scholis philosophorum. *A.* Vero, ac libenter quidem. *M.* Animadvertebas igitur, etsi tum nemo erat admodum copiosus, veruntamen versus ab iis[1] admisceri orationi. *A.* Ac multos quidem a Dionysio Stoico. *M.* Probe dicis. Sed is quasi dictata nullo delectu[2], nulla elegantia; Philo et proprium nu-

XI. 1 Sic scripsi c. Rehd. Gud. Duisb. et edd. vett. SE pro *his*. V. ad I. 3, 5. 2 v. Adn.

firmativae et negativae, confusione (*videsne? = vides? videsne?*) ortam existimat: namque is, qui indefinite alterum interrogat, incertus est, utrum aliquid vere sit, necne sit. Ubi igitur simplex *ne* usurpatum videtur pro *nonne*, h. e. ubi is, qui interrogat, certo scit, alterum responsionem affirmaturum esse, orationi saepe color quidam ironiae admiscetur. V. nos in Gr. L. §. 158. Not. 6.

credo urbane pro: *sine dubio*. Omnino tenendum, veteres, urbanitatis sensu ductos, saepe rem certissimam ac minime dubiam dubitanter et modeste efferre. Ex eodem urbanitatis sensu fluxit frequens verbi *videri* et apud Graecos verbi δοκεῖν usus de rebus exploratis, porro locutio *nescio an* de sententia certa. Aliis locis *credo*, extra nexum orationis positum, habet ironiae vim, uti docuimus ad I. 22, 52.

Vero, ac libenter quidem] Sic Terent. Andr. II. 1, 37: ego *vero ac lubens*. Cf. *Ruhnken*. Dictat. in Terent. Eun. V. 3, 6. Ad v. *vero* in responsione affirmativa enuntiationem ordiens cf. Brut. 87, 300: Sed tu orationes nobis veteres explicabis? *Vero*, inquam, Brute. Adde *Moserum* et *Giesium* ad Divin. I. 46, 104. Legg. I. 24, 63. p. 151. II. 18, 46. p. 301. Cf. Adnot. in I. 11, 24.

admisceri] Hic exornandae atque exhilarandae orationis caussa versus admiscendi mos apud posterioris demum aetatis philosophos et rhetores invaluit; Plato et Aristoteles poëtarum versus in partes vocabant ad sententiam aliquam aut probandam aut confutandam, uti recte *Orellius* docuit.

quasi dictata] *Dictata* sunt θέσεις, praecepta, decreta, quae a magistris artis alicuius discipulis scribenda traduntur, ut ab eis ediscantur, uti explicat *Ernestius* in Clav. Ciceron. h. v. ad Q. Fr. III, 1: meam in illum orationem omnes pueri tanquam *dictata* ediscunt. Cf. N. D. I. 26, 72. Fin. II. 29, 95. IV. 4, 10. Ceterum huic loco lux affunditur e verbis sequentibus: *Philo noster — adiungebat*. Scilicet Dionysius versus quidem admiscebat orationi, sed eos non distinguebat proprio quodam numero a dictatis, h. e. versus eodem quo artis decreta sono recitabat nec poëmatum delectum habebat, h. e. poëmata apta ineptis miscebat, nec denique versus cum elegantia, h. e. apto loco, adiungebat. De verbo *elegantiae* v. supra ad I. 23, 55. De Philone, cuius auctoritatem saepe aliis quoque locis sequitur, v. nos in libro d p. 67. 3) et p. 86. in Adnot.

delectu] *Moser* c. R. (Tregd.) Gr. Vat. Gud. 1. II. aliquot codd. Lamb. tribus Pall. et edd. vett. Gebh. Verb. Gron. D. edidit *dilectu* pro vulg. *delectu*. Distinxit *dilectum* a *delectu* ad de Rep. I, 34. p. 141. coll. ib. II, 12. p. 243. et ad de Divin. I, 45. p. 223; nec sane forma *dilectus* haberet, cur reiicienda esset, si eadem notio etiam in verbum *diligendi* caderet, quod non ita est. V. de his verbis cum summa circumspectione disputantem *Kritzium* ad Sall. Cat. 36, 3. p. 166.

Philo et proprium numerum et lecta poëmata] Revocavi cum *Klotzio* in Add. p. 79 sq. hanc scripturam, quae et omnium fere edd. vett. auctoritate nititur, et in scriptura optimorum codd. R. Gud. 1. aliorumque latet (v. V. Scr.). Verae scripturae corruptela sine dubio orta est, uti verissime monet *Klotzius*, ex eo, quod vocabulum *numerum* per compendium (*nr̃u* aut *nr̃ũ*) scriptum erat; cf. Gud. 1. in V. Scr.; id autem compendium postea a nonnullis librariis cum compendio *ñr*. (quod vere est in Gud. II.) permutatum et *noster* scriptum et, quum id inepto loco esset, post nomen *Philo* positum est. Vocabula autem *proprium numerum* optime in hunc locum quadrant. V. Adnotationem, quae sequitur.

proprium numerum] Sententia: Philo versuum proprium numerum aut ῥυθμὸν pronuntiatione exprimere studebat. De verbo *numeri* v. locos a *Schützio* in Lexic. Ciceron. h. v. p. 55. collectos. Qui verba *et proprium numerum*, in nonnullis codd.

merum[3], et lecta poëmata, et loco adiungebat. Itaque postquam adamavi hanc quasi senilem declamationem, studiose equidem utor nostris poëtis; sed, sicubi illi defecerunt, verti ipse multa[4] de Graecis, ne quo ornamento in hoc genere disputationis careret Latina oratio. 27. Sed videsne, poëtae quid mali afferant? Lamentantes inducunt fortissimos viros, molliunt animos nostros, ita sunt deinde dulces, ut non legantur modo, sed etiam ediscantur. Sic ad malam domesticam disciplinam vitamque umbratilem et delicatam quum accesserunt etiam poëtae, nervos omnes virtutis elidunt. Recte igitur

3 Sic omnes fere edd. vett.; R. omnes Bentl. unus Ox. Pal. 3. *Philo et proprium noster et l.:* Gud. 1. *Ph. et proprium nr̃t et l.;* Gud. II. *Ph. et proprius nr. et l.;* Marb. *Ph. proprium noster et l.;* Aug. *Ph. et proprius nostram et electa;* Rehd. Gud. 2. Mon. 1. *Ph. noster et propria et electa;* Mon. 2. quatt. Oxx. Vind. 1. 2. Med. Bak. unus Leid. et ed. vet. Bouhierii *Ph. noster et lecta;* sic male ed. Tregd.; Or. c. L. e vet. cod. et post eum Gebh. ex Pall. 1. 5. Fab. *Ph. noster et proprium numerum et l.;* Pal. 2. *Ph. etiam proprius noster et l.;* MS. in marg. Asc. 2. HWolf. ed. ES. *Ph. etiam et proprium numerum et l.; Wes.* Em. II. p. 43. locum ut corruptum sic scribendum censet: *P. + et pr. noster et l. p.* V. Adn. 4 Sic edd. vett. usque ad Gebh. e recent. Kl. in Add. p. 81 sq.; R. Gud. 1. 2. II. b. aliique codd. et plurimae edd. vett. *verti enim multa;* aliquot codd. *verti certe m.;* Or. c. Duisb. Vind. 1. MS. in marg. Asc. 2. et paucis edd. vett. *verti multa.*

omissa, deleverunt, ii non attenderunt ad orationis concinnitatem, qua verba *et proprium numerum* opponuntur verbis *quasi dictata*, v. *et lecta poëmata* verbis *nullo delectu*, v. *et loco* verbis *nulla elegantia.*

loco] *Loco* saepe dicitur pro *suo* vel *apto loco.* Sic ad Fam. IX, 16: etsi posuisti versus Accianos *loco.* de Legg. III. 18, 40: ut *loco* dicat: ubi v. *Moserum.* V. *Goerenz.* ad Fin. IV. 1, 2. p. 422. *Ochsner.* Ciceron. Eclog. p. 280. Sic etiam *in loco* dicitur. Terent. Adelph. II. 2, 8: pecuniam *in loco* negligere. Horat. Carm. IV. 12, 28: dulce est desipere *in loco.* V. *Ruhnken.* Dictat. in Terent. III. 2, 26. p. 162. et *Kritz.* ad Sall. Cat. IX, 4. p. 49.

senilem declamationem] V. ad I. 4, 7.

ne quo ornamento] De hac Ciceronis orationis in suis de philosophia disputationibus excolendae atque exornandae ratione v. quae exposuimus in libro d. *de Cicer. in philos. mer.* p. 85 sq. Adn. 4).

§. 27. *vitam umbratilem*] H. e. vitam otiosam et mollem (*verweichlicht*). Cic. Orat. 19: *umbratilis* est oratio philosophorum et mollis. Cf. infra 15, 36: quae (feminae) ceteris in urbibus *mollissimo* cultu *parietum umbris occuluntur.*

nervos omnes virtutis elidunt] Eleganter pro *frangunt.* Cf. Gr. ἐκθλίβειν. Metaphora ducta est ab arborum stirpibus, quae penitus eradicantur. Infra III. 34, 83: stirpes aegritudinis, — ipso trunco everso, omnes *elidendae* sunt. Cf. V. 6, 16: qui rebus his fractus aegritudine *eliditur.* De re cf. III. 2, 3.

a Platone] de Republ. III. p. 398. Steph. „Proscribi autem poëtas, nominatim *tragicos* et *comicos*, e civitate sua imprimis ob has caussas voluit Plato, ne per eos mores corrumperentur, neve philosophiae studium per poetarum lectionem detrimentum caperet. Legisse neminem poenitebit ea, quae *Morgenstern.* elegantissime atque eruditissime disputavit in Comment. de Platonis Rep. p. 237 sq.“ *Neidius.* Scripturam receptam *eiiciuntur* confirmant loci a *Davisio* allati: Augustin. C. D. II, 14: An forte Platoni Graeco potius palma danda est, qui cum ratione formaret, qualis esse civitas debeat, tanquam adversarios civitatis, poëtas censuit urbe *pellendos?* Minuc. Felix Octav. c. 22: Plato ideo praeclare Homerum — de civitate, quam in sermone instituebat, *eiecit.* Athenaeus V. p. 187: τοιαῦτα γράφοντες τὸν Ὅμηρον ἐκβάλλουσι τῶν πόλεων. Id. XI. p. 505: ἐν μὲν τῇ Πολιτείᾳ Ὅμηρον ἐκβάλλων. Origenes c. Celsum IV. p. 186 et 198: οὓς εὐλόγως ἐκβάλλει τῆς ἑαυτοῦ πολιτείας Πλάτων ὡς ἐπιτρίβοντας τοὺς νέους. Plato quidem ipse l. d. mitiore vocabulo ἀποπέμπειν utitur (ἀποπέμποιμέν τε ἂν εἰς ἄλλην πόλιν μῦρον κατὰ τῆς κεφαλῆς καταχέαντες

a Platone eiiciuntur[5] ex ea civitate, quam finxit ille, quum optimos mores et optimum rei publicae statum exquireret. At vero nos, docti scilicet a Graecia, haec et a pueritia legimus et discimus, hanc eruditionem liberalem et doctrinam putamus.

XII. 28. Sed quid poëtis irascimur? Virtutis magistri, philosophi, inventi sunt, qui summum malum dolorem dicerent. At tu, adolescens, quum id tibi paullo ante dixisses videri, rogatus a me, etiamne maius quam dedecus, verbo de sententia destitisti. Rogo[1] hoc idem Epicurum; maius dicet esse malum mediocrem dolorem,

5 Sic El. sec. et Bak. (*eiiciuntur*); eodem ducunt R. (Tregd.) Marb. Edd. P. C. *dicuntur* et Gud. 1. *dicantur* (suprascripto *u*); Rehd. et Aug. *deiciuntur;* tres Leidd. tres Oxx. Gud. 2. Mon. 2. et multae edd. vett. *ducuntur;* nonnullae edd. vett. ex glossemate *expulsi dicuntur;* M. L. alii *educuntur.* XII. 1 v. Adn.

καὶ ἐρίῳ στέψαντες), sed ἀποπέμπειν non est *educere*, sed *emittere*. Cf. *Madvigium* ad Fin. V. 19, 51. p. 709. Etiam Tr. et Kl. in Add. p. 82. *eiiciuntur* probaverunt.

docti scilicet a Graecia] Romanorum eruditionem doctrinamque totam conformatam esse ad Graecorum, cum salsa quadam ironia notavit Tullius. De particula *scilicet* v. Adnotata in I. 21, 48. Infra V. 39, 114: Democritus luminibus amissis alba *scilicet* et atra discernere non poterat; at vero bona, mala — poterat. Sic Offic. II. 1, 3: illae *scilicet* litterae conticuerunt forenses et senatoriae. *Stürenburg.* ad or. pro Arch. p. 70 sqq. docuit, *scilicet* ortum esse non ex *scire licet*, sed ex *sci licet*, ut *vide — licet, i — licet*, respondereque plane nostro *wisse*, *wisset*, nec aliter ab aureae aetatis scriptoribus usurpatum esse, nisi ubi *eum*, *quicum loquuntur*, *scire iubent*, *quae dicturi sunt*. Mihi vero *sci* et *vide* in his vocabulis neque infinitivus neque imperativus videtur esse, sed ipsa radix verborum sciendi et videndi.

Cap. XII. §. 28. *paullo ante*] §. 14.

verbo] H. e., uti explicat *Ernestius* in Clav. Ciceron. h. v., paucis monitus facile cessisti. Cf. supra 5, 14: me pudet tam cito de sententia esse deiectum. Pro *de sent. desistere* etiam dicitur *sententia des.*, uti docet *Moser* comp. Off. III. 3, 15: Quum sunt docti a peritis, *desistunt* facile *sententia*.

Rogo hoc idem] *Wesenb.* Em. I. p. 8 sq. legendum censet *Rogaro* (v. exempla, quae paullo post a nobis afferentur), collato loco simili, qui est infra V. 19, 55: non dubito — alius, quum dicit, potuisse dici *rogem* —; — *dicet* (*dicat*); *rogo* —; *dicet* dici vix potuisse. At cur dici vix potuerit, difficile est ad coniiciendum. Cf. C. Ph. VII. 6, 19: Si bellum *omittimus*, pace nunquam *fruemur*. V. nos in Gr. L. §. 154, 2. *Tregder* c. *Ern.* edidit *roga*, uti est in multis edd. vett. et in cod. Rehd. At quum praecedat *rogatus a me*, recte sequitur *rogo*, h. e. si hoc idem rogo Epicurum, quod paullo ante rogavi te. Saepe enuntiationis conditionalis loco simplex enuntiatio ponitur. N. D. I. 21, 57: Roges me, qualem deorum naturam esse ducam; nihil fortasse respondeam. Quaeras, putemne, talem esse, qualis modo a te sit exposita; nihil dicam mihi videri minus. 22, 60. II. 16, 37. 17, 40. Infra II. 24, 58. III. 24, 57. V. nos in Gr. L. §. 154. Not. 22. Plura huius generis exempla suppeditabunt *Heindorf.* ad Horat. Satir. I. 1, 46. *Ruhnken.* in Dictat. ad Terent. Andr. I. 5, 3. *Kritz.* ad Sall. Iug. LXIV, 5. p. 349. *Otto* ad Fin. II. 17, 57. p. 136 sq. Monendum est autem, hanc dicendi rationem multo graviorem esse atque magis oratoriam, quam vulgarem. Saepissime ita imperativus ponitur, sequente futuro, ut infra II. 16, 37: *adduc* — militem, mulier *videbitur* (i. e. si adduxeris —, videbitur.) III. 26, 48. IV. 24, 53. Nec raro futurum exactum, sequente futuro, uti Ter. Heaut. III. 1, 78. C. Verr. III. 2, 4: furem — *accusaris;* vitanda tibi semper *erit* omnis avaritiae suspicio. Phil. XI. 8, 19. Fin. II. 17, 57. Acad. II. 36, 115. all. V. *Wesenb.* l. d. De Graecis v. *L. Dissenium* ad Pindar. Nem. 4, 37. p. 400 sq. ed. Goth. et eum, qui nuperrime hanc quaestionem summa diligentia pertractavit, *C. F. Hermannum* in indice scholar. Gotting. April. 1850.

quam maximum dedecus; in ipso enim dedecore mali nihil esse, nisi sequantur dolores. Quis igitur Epicurum sequitur dolor, quum hoc ipsum dicit, summum malum esse dolorem? quo dedecus maius a philosopho nullum exspecto. Quare satis mihi dedisti, quum respondisti, maius tibi videri malum, dedecus, quam dolorem. Hoc ipsum enim si tenebis, intelliges, quam sit obsistendum dolori; nec tam quaerendum est, dolor malumne sit, quam firmandus animus ad dolorem ferendum. 29. Concludunt ratiunculas [2] Stoici, cur non sit malum; quasi de verbo, non de re laboretur. — Quid me decipis, Zeno? Nam quum id, quod mihi horribile videtur, tu omnino malum negas esse [3], capior et scire cupio, quo modo id, quod ego miserrimum existimem, ne malum quidem sit. — Nihil est, inquit, malum, nisi quod turpe atque vitiosum est. — Ad ineptias redis. Illud enim, quod me angebat, non eximis. Scio dolorem non esse

2 Sic Or. c. R. Gud. 1. 2. H. multisque aliis codd. pro *ratiunculis*. V. Adn.
3 Sic R. Gud. 1. Aug. Mon. 1. 2. Marb.; Or. c. vulg. *esse negas*.

„de protasi paratactica.“ Cf. nos in ampliore Gr. Gr. §. 823, 8. T. II. p. 561.

quis igitur Epicurum sequitur dolor] Sententia: Dolor quidem Epicurum, quum dicit, summum malum esse dolorem, sequitur nullus, at dedecus maximum. Ergo ex Epicuri ratione licet maximum sibi contrahere dedecus, nec tamen in eo est malum, nisi dolores sequuntur. Mirum in modum huius loci sententiam detorsit *Klotzius*, sed nunc in Add. p. 83. nostram adoptavit interpretationem, quam in editione sua prorsus a vero aberrare temere atque inconsulto clamaverat. De locutione *dolor me sequitur* pro: ego in dolorem incido *Madvigius* ad Fin. I. 10, 32: „*consequuntur magni dolores eos*, qui ratione voluptatem sequi nesciunt“ comp. Verr. V. §. 189: ut *C. Verrem — dignus exitus* eiusmodi vita *consequatur*. de Or. III. 3, 8: *ii* tamen *rempublicam casus secuti sunt*.

§. 29. *Concludunt ratiunculas*] H. e. concludendo efficiunt ratiunculas. *Bouhierius* comparat de Divin. I. 32, 71: Cratippus solet rationem concludere hoc modo. Addit *Moser* Orator. 35, 122: argumentationes concludere. ib. 40, 137: argumentum ratione concludere. Plura collegit *Madvigius* ad Fin. I. 9, 30: conclusionemque rationis (i. e. syllogismum et argumentationem per syllogismos procedentem).

quasi de verbo, non de re laboretur] V. ad III. 18, 40.

capior] H. e. allicior, rei novitate afficior. Cf. V. 10, 28.

Nihil est, inquit, malum] *Inquit* scil. adversarius. V. ad I. 39, 93.

doleam, necne doleam] *Ernestius* de *Bouhierii* suspicione delevit alterum *doleam* et contra codicum fidem et contra consuetudinem Ciceronianam. Divin. I, 39: *fiat*, necne *fiat*, id quaeritur. N. D. I, 22: Quaeritur — *sintne* dii, necne *sint*. Cf. *Davisium* ad N. D. III, 7: dii utrum *sint*, necne *sint*, quaeritur. Adde *Bremium* et *Moserum* ad Fat. c. 12. p. 54. p. 618. *Goerenz.* ad Fin. V. 16, 45. p. 589. *Hand.* Tursell. I. p. 340 sq., qui ibidem acute docet, cur *necne* in obliqua interrogatione, *annon* in recta poni soleat.

Nunquam quicquam] Scil. interest. Hanc omnium librorum scripturam *Davisius* recte defendit contra *Lambini* coniecturam *nihil quicquam*, doceus saepius apud Plautum et Terentium *nunquam quicquam* legi, ut Pl. Amph. I. 1, 92. Asin. I. 3, 44. Rud. II. 7, 23. Ter. Eun. V. 7, 1. Ad. I. 2, 18. IV. 1, 12.

reiiciendum] Stoici praeter virtutem et turpitudinem ponunt ea, quae nihil valent ad beate misereve vivendum, quae media (ἀδιάφορα) dicuntur: quorum alia sunt προηγμένα (*producta*, *praeposita*, *praecipua*), h. e. digna, quae eligantur, ut valetudo recta, divitiae; alia ἀποπροηγμένα (*reiecta*, *reiectanea*), h. e. digna, quae reiiciantur, ut mors, morbus, dolor, paupertas. Fuse hanc Stoicae

nequitiam. Desine id me docere; hoc doce, doleam, necne doleam, nihil interesse. — Nunquam quicquam, inquit, ad beate quidem vivendum, quod est in una virtute positum, sed est tamen reiiciendum. Cur? Asperum est, contra naturam, difficile perpessu, triste, durum.

XIII. 30. Haec est copia verborum[1], quod omnes uno verbo malum appellamus, id tot modis posse dicere! Definis tu mihi, non tollis dolorem, quum dicis asperum, contra naturam, vix quod ferri tolerarique possit; nec mentiris; sed re succumbere non oportebat verbis gloriantem, dum[2] nihil bonum, nisi quod honestum, nihil malum, nisi quod turpe. Optare hoc quidem est, non docere. Illud et melius et verius, omnia, quae natura aspernetur[3], in malis esse; quae adsciscat, in bonis. Hoc posito et verborum concertatione sublata, tantum tamen excellet[4] illud, quod recte amplexantur isti, quod

XIII. 1 Plurimae edd. vett. *haec copia verborum est.* Male. V. *Goer.* ad Acad. II. 24, 78. p. 143. 2 v. Adn. 3 Sic Or. c. Rehd. et Gud. 2. pro vulg. *aspernatur.* Mirus error, quum *adsciscat* plurimi libri et scripti et editi optimique, ut R. Gud. 1. b., habeant. 4 Vind. 1. Gud. 2. et paucae edd. vett. habent *excellit.* Futurum vere Ciceronianum est. V. ad c. 15, 35: *efficiet.*

doctrinae partem persecutus est Cicero Fin. IV, 15 sqq.

Cap. XIII. §. 30. *vix quod*] V. Adnotat. in III. 15, 32: iisdem de rebus quod.

non oportebat] Cat. I. §. 2: ad mortem te duci iam pridem *oportebat.* Academ. II, 10: totam enim rem Lucullo integram servatam *oportuit.* V. ad I. 49, 116. Quod ad rem ipsam attinet, *Neidius* putat, tangi h. l. aliquem Stoicorum, fortasse Catonem, qui mortem sibi consciverit. Equidem non ad certum quendam Stoicum, sed omnino ad Stoicos retulerim.

dum nihil bonum] Scil. *dicis:* quod supplendum e superioribus: *quum dicis asperum.* Quare nec subscribendum videtur *Lambino*, qui voculam *dum* delendam censet, nec *Davisio*, qui pro *dum* legendum suspicatur *dicis enim*, nec *Tregdero*, qui de *Madvigii* coniectura, ceterum elegantissima, edidit *verbis gloriabundum. Nihil b.* etc.

Optare] *Optare* dicuntur philosophi, qui aliquid verum esse dicunt et cupiunt propugnare et confirmare, sed non possunt idonea argumenta afferre, uti explicat *Ernestius* in Clav. h. v. Sic Tullius Academ. II. 38, 121: Somnia censet haec esse Democriti non docentis, sed *optantis.* de Fato c. 20, 47: *Optare* hoc quidem est, non disputare. Sic Graeci dicunt εὔχεσθαι. *Davisius* affert Sext. Empir. Pyrrhon. Hypot. III. c. 25: εὐχομένων μᾶλλον ἢ τ' ἀληθῆ λεγόντων. Adde Plat. Rep. V. p. 450. D: μὴ εὐχὴ δοκῇ εἶναι ὁ λόγος: ubi plura contulit *Stallbaumius.* Eadem structurae ratio N. D. I, 32: Praecipitare istuc quidem est, non descendere. Offic. I. 10, 33: Decipere hoc quidem est, non iudicare: ubi v. *Beier.* p. 78: qui recte docet, particulam *quidem* in his locis pronomini distinguendo addi, ut valeat: *si quid aliud, profecto hoc.* Cf. Adnot. ad I. 25, 61: absurdum id *quidem.*

Hoc posito] Sententia est haec: Concedamus, bona corporis fortunaeque in bonis duci; at omnium bonorum summum est honestum, et ita quidem, ut cetera omnia, comparata cum honesto, perexigua videantur. Eadem ratio est malorum. Concedamus, dolorem malum esse; at omnium malorum summum est turpitudo, et ita quidem, ut cetera omnia, quae mala habentur, comparata cum turpitudine, perexigua videantur. Sic dolorem in malis ponamus; at prae turpitudinis malo plane evanescit.

tamen] Refertur ad sententiam concessivam, quae in antecedentibus participiis latet. Cf. ad Fam. VI, 1: perditis rebus omnibus, tamen ipsa virtus se sustentare potest. Participiis hac vi instructis posterioris aetatis scriptores

honestum, quod rectum, quod decorum appellamus, quod idem interdum virtutis nomine amplectimur, ut omnia praeterea, quae bona corporis et fortunae putantur, perexigua et minuta[5] videantur, ne[6] malum quidem ullum, nec, si in unum locum collata omnia sint, cum turpitudinis malo comparanda. 31. Quare si, ut initio[7] concessisti, turpitudo peius[7] est quam dolor, nihil est plane dolor. Nam dum tibi turpe nec dignum viro videbitur gemere, eiulare, lamentari, frangi, debilitari dolore[7], dum honestas, dum dignitas, dum decus[8] aderit, tuque[9] in ea intuens[1] te continebis: cedet profecto virtuti dolor et animi inductione languescet. Aut enim nulla virtus est, aut contemnendus omnis dolor. Prudentiamne vis esse, sine qua ne[2]

5 v. Adn. 6 Pauci deteriores codd. *nec m. q. u.:* quod male defendit *Hand.* ad Wopkens. p. 82 sq. V. Adn. ad I. 23, 54. 7 v. Adn. 8 Sic Or. c. b. et D. de Bentl. coni. Vulgo *tum hon., tum d., tum dec.* 9 Sic recte Or. c. R. Gud. 1. II. Vat. Aug. et plurimis edd. vett.; eodem ducunt scripturae *tumque* aut *cumque* (*quumque*); W. c. L. *dumque.* 1 Sic Or. c. El. uno Ox. Aug. Vind. 1.; eodem ducit *intueris* in R. (sed corr. in *intuens*) Gud. 1. Vat. uno Ox. duob. Gebh. Duisb. et *moveris* in Gud. II. Vulgo *intueberis:* quod e seq. futuro *continebis* originem suam traxisse videtur. Neque forma *intueberis* apud Ciceronem pro *intuebere* placet (v. nos in Gr. L. §. 52, 3.), et durissimum est asyndeton. 2 Rehd. Gud. 2. *nec;* v. ad I. 23, 54.

saepe addunt particulas concessivas *etsi, quanquam, quamvis*, ut Tac. H. I, 5: *quamvis capite* defectionis *sublato*, manebat plerisque militum conscientia. V. *Ramshorn.* L. Gr. §. 171. *Kühner.* L. Gr. §. 155. Not. 5. Verum aliis quoque locis *tamen* ponitur, non praegressa particula concessiva, ut *licet, etsi* cett. V. *Ramshorn.* §. 194. Not. 4. *Kühner.* §. 136. et *Ruhnken.* Dictat. in Terent. Andr. I. 4, 4.

illud, quod —, quod] V. ad I. 25, 61.

perexigua et minuta] Sic Or. c. plurimis codd. optimisque, ut R. (Tregd.) Gud. 1. II. b., et multis edd. vett., comp. ad Att. XIV. 12, 2: perhonorifice et amice (marg. Cr. *peramice*). ad Q. Fr. I. 1, c. 6, 18: percautus et diligens (sine ulla v. scr.). Or. 5, 18: peracutus et prudens. Cf. *Madvig.* ad Fin. III. 11, 36: ubi recte restituit: perfacilis et expedita defensio. Pal. 1. duo Oxx. Mon. 1. 2. b. (ex corr.) et multae edd. vett. *perex. et perminuta*, ut de Rep. I, 12: adventus periucundus et pergratus. N. D. I. 1, 1: perdifficilis — et perobscura quaestio. E quibus exemplis apparet, utrumque recte dici; sed saepius in altero adiectivo repetitur *per;* necessaria est autem repetitio, ubi iuncta adiectiva diversam notionem habent, ut Brut. 43, 158: perornatus et perbrevis. Cf. *Seyffert.* ad Lael. XIII, 48. p. 325.

collata omnia sint] De hac verborum collocatione cf. *Wopkens.* Lectt. Tull. p. 339. H., qui comparat Divin. I. 43, 98: in Sibyllae libris eaedem *repertae* praedictiones *sunt.* II. 2, 6: *admiratus* fortunam *sum* alterius. Alia dedimus in Gr. L. §. 167. Not. 4.

§. 31. *ut initio concessisti*] Gud. 2. et edd. P. A. B. Ven. *in initio;* at v. quem *Orellius* laudat *Spalding.* ad Quinctil. IV. prooem. 5. p. 9. et quos hic affert *Drakenb.* ad Liv. IV. 7, 11. *Oudendorp.* ad Suet. Caes. c. 4.

turpitudo peius est] Vind. 1. duo Oxx. *peior:* aperta correctio. Illa structura apud Ciceronem rarissima est nec fere ab eo usurpatur, nisi in adiectivis *commune, proprium, extremum*, quae substantivorum vices sustinent. Hoc autem loco *peius* dictum videtur, quia sequitur *nihil.* V. nos in Gr. L. §. 103. Not. 2.

debilitari dolore] Sic bene Or. c. Gud. 1. aliisque codd. et nonnullis edd. vett. pro vulg. *debilitari, dolere;* R. habet *debilitari delere; dolere* post tot verba gravissima otiosum esset et languidum, eoque sententia non augeretur, sed decresceret, uti vere observat *Moser.* Apte *P. Manutius* comp. Fin. II. 29, 95: *debilitari dolore, frangi, succumbere.* Infra II. 27, 66: *dolore non frangi.*

animi inductione] H. e. deliberata voluntate (*Vorsatz*). V. *Ernestii* Clav. Cic.

intelligi quidem ulla virtus potest? Quid ergo? ea patieturne te quicquam facere nihil proficientem et laborantem[3]? An temperantia sinet te immoderate facere quicquam? an coli iustitia poterit ab homine propter vim doloris enuntiante commissa, prodente conscios, multa officia relinquente? 32. Quid? fortitudini comitibusque eius, magnitudini animi, gravitati, patientiae, rerum humanarum despicientiae, quo modo respondebis? Afflictusne et iacens[4] et lamentabili voce deplorans audies[5]: *O virum fortem?* Te vero ita affectum ne virum quidem quisquam dixerit[6]. Amittenda[7] igitur fortitudo est, aut sepeliendus dolor.

XIV. Ecquid scis igitur, si quid de Corinthiis tuis amiseris,

3 L. coni. *et frustra laborantem:* quod probat *Wes.* Em. I. p. 15. At notio vocabuli *frustra* latet in ipso verbo *laborandi;* W. coni. *et laborantem tamen;* at v. ad I. 3, 6: ut recte quis sentiat *et* etc. 4 Cod. Ball. *aflictusne tacens:* unde D. coni. *afflictusne iacens*, comp. IV. 16, 35: quo loco nihil probatur. Vulgatam defendit *Wopkens.* p. 83. Hand. 5 Multae edd. vett. *audis:* Gr. El. Aug. marg. Lambb. et Goth. *audieris:* quo etiam scriptura *audiens* in R. Gud. I. II. ducit. Hinc *Kl.* in Add. p. 85. cum D. legendum putat *audieris*, cui in seqq. *dixerit* bene respondeat. 6 Sic R. Gud. 1. II. 1. aliique; Or. c. vulg. *dixerit quisquam.* 7 Sic Or. c. R. Gud. I. II. Aug. Mon. 1. 2. Vind. 1. 2. Marb. et omnibus edd. vett.; optime; v. Adn.; *aut mittenda* El. 2. Gud. 2. Duisb.; *aut amittenda* b.; *aut ommittenda* Rehd.; male *Bakius* ad Legg. I. 2, 5. coni. *omitt.*

h. v. *Forcellinius:* persuasio, qua quis animum inducit, aliquid facere.

Prudentiamne] Prudentia, temperantia, iustitia, fortitudo sunt quattuor quas vocant virtutes cardinales.

patieturne] Sententia est: Nisi omnis contemnitur dolor, prudentia esse non potest. Nam prudentia non patietur te rem aliquam facere, in qua, quamvis omnes tuas intendas vires, tamen nihil proficias. Ergo nec dolore te confici patietur prudentia; nam suscipiendo dolore nihil proficies, h. e. dolorem non imminues. Lucem affundent huic impeditiori loco nonnulla horum librorum exempla, in quibus eadem sententia consignata est, uti infra c. 24, 57: Quum vero gemitus nihil imminuat doloris, cur frustra turpes esse volumus? III. 28. pr.: Quid est autem, quod plus valeat ad ponendum dolorem, quam quum est intellectum, nihil profici, et frustra esse susceptum? Ibid. c. 32, 77: Summam esse stultitiam frustra confici dolore, cum intelligas nihil posse profici.

An temperantia] H. e. nec temperantia sinet te immoderate dolore confici et deprimi.

§. 32. *iacens*] *Iacere* eleganter dicuntur, qui dolore, maerore, desperatione fracti sunt ac debilitati. Cf. IV. 16, 35. ad Attic. X, 4: *iacet* in maerore meus frater. V. *Schütz.* Lex. Cic. h. v. et *Wopkens.* Lectt. Tull. p. 83. Hand.

audies: O virum fortem?] Quum ita affectus eris, quisquamne te virum fortem esse dicet?

Amittenda — fortitudo] *Amittere* (*aufgeben, verzichten auf*) exquisitius dictum est ob seqq. in c. 14. princ. *Moser* comparat ad Herenn. IV. 44. de Decio pro patria se devovente: *amisit* vitam, at non perdidit. Cic. N. D. II. 49, 124: captum *amitterent. Doederlin.* Synon. III. p. 284 — 293.

sepeliendus dolor] Metaphorice pro: comprimendus et contemnendus. *Kernius:* Man muss den Schmerz zu Grabe tragen. Metaphora audacior est; nam aliis locis verbum *sepeliendi* metaphorice dictum significat *de medio tollere, auferre, exstinguere.* Sic de Leg. Manil. 11: bellum (sc. *servile*) exspectatione Pompeii attenuatum atque imminutum est, adventu sublatum ac *sepultum* (h. e. exstinctum). Lucret. II, 570.

Nec superare queunt motus utique exitiales
Perpetuo, neque in aeternum *sepelire salutem* (h. e. de medio tollere).

Bentleius, metaphorae duritie offensus, legendum suspicatur: *aut despiciendus dolor.*

Cap. XIV. *Ecquid scis igitur*] Pluri-

posse habere te reliquam supellectilem salvam; virtutem autem si unam amiseris, (etsi amitti non potest virtus;) sed si unam confessus eris[1] te non habere, nullam esse te[2] habiturum? 33. Num igitur fortem virum, num magno animo, num patientem, num gravem, num humana contemnentem potes dicere aut Philoctetam[3] illum? — a te enim malo discedere[4]; — sed ille certe non fortis, qui iacet

in lecto húmido,
Quod[5] *éiulatu, quéstu, gemitu, frémitibus*
Resonándo mutum[1] *flébiles vocés refert.*

Non ego dolorem dolorem esse nego; cur enim fortitudo desiderare-

XIV. 1 v. Adn. 2 Sic R. Gud. I. II. Rehd. Duisb. et multae edd. vett.; Or. c. vulg. *te esse.* 3 El. 2. unus Lamb. liber Maffei *dicere Prometheum aut Philoctetam;* Rehd. *dic. aut Prometheum aut Phil.;* Vind. 1. *dic. vel Prometheum aut Ph;* W. c. D. de Bentl. coni. *potes te dicere aut Phil.;* Kl. post *aut Phil. illum* excidisse putat *aut Prometheum.* Multis inutilibus hic locus tentatus est coniecturis, quas enumeravit Mos. Vol. III. p. 376 sqq. V. Adn. 4 Sic Or. c. Gud. II. 2. quatt. Oxx. Rehd. Duisb.; etiam Kl. in Add. p. 87. recipiendum censet. Vulgo (etiam R. Gud. 1. aliique) *discere.* 5 v. Adn.

bus persequitur sententiam supra propositam: *aut nullam virtutem esse, aut contemnendum omnem dolorem.* Nam omnes virtutes ita copulatae sunt atque connexae, ut alia ab alia separari non possit. Cf. Diog. L. VII, 125: τὰς δὲ ἀρετὰς λέγουσιν (Stoici) ἀνταακολουθεῖν ἀλλήλαις καὶ τὸν μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν. De qua Stoicorum sententia pluribus exposuimus in libr. d. *de Cicer. in phil. mer.* p. 230.

posse habere te] De collocatione pronominis in accusativi c. inf. structura v. ad I. 8, 16.

sed si unam] De *sed* v. ad I, 3.

confessus eris] Sic recte Or. c. Gud. I. II. Gr. Marb. pro vulg. (etiam R.) *conf. fueris.* Supra I. 43, 103: sicubi *nactus eris.* Atque haec est legitima forma futuri exacti verborum passivorum et deponentium. Infra IV. 15, 35. quod ei *fuerit concupitum* participium *concupitum* habet vim adiectivi, quod vel ex dativo addito *ei* apparet.

§. 33. *potes dicere aut Phil.*] Hanc omnium fere codd. scripturam, elegantissimam sane atque exquisitissimam, cum *Ernestio* recte reduxit *Orellius*, monens ἀποσιώπησιν sibi videri admodum urbanam. Scilicet Cicero *aut Philoctetam illum, aut te* dicturus, altero membro suppresso, orationem cum miro quodam lepore ἀνακολούθως sic continuat: *a te enim malo discedere.*

in lecto — Quod] *Quod* legitur in multis codd. et optimis, ut R. Gud. I. Gr. b.; alii codd. et edd. vett. tantum non omnes legunt *qui:* quae scriptura sine dubio a glossatoris manu profecta est, ut pronominis relativi genus adaptaretur nomini *lecto*, quod apud probatos scriptores masculinum genus habet. Duo duntaxat loci (v. *Forcellinii* Thes. Lat. h. v.), in quibus *lectum* genere neutro legitur, iique ex Ulpiano (Dig. 32, 1. fr. 52. §. 9. et 34. tit. 2. fr. 19. §. 8.), excitari possunt. *Wolfius* antiquiori Latinitati tribuit; aequo iure posteriori tribui posse dicit *Orellius;* at recte contra monet *Klotzius* in Add. p. 87 sq., quum neutrum *lectum* posterioribus temporibus usurpatum sit, verisimillimum esse id iam antiquitus in usu fuisse. Apud Cic. Fin. II. 29, 94. legitur: „Quamobrem turpe putandum est, non dico dolere, (nam id quidem est interdum necesse,) sed *saxum illud Lemnium* clamore Philoctetaeo funestare: *Quod eiulatu — refert.* Apud Sophocl. Philoct. 33. hoc Philoctetae latibulum appellatur στειπτὴ φυλλάς, h. e. stratum e conculcatis foliis. *Lectum humidum* cum *Orellio* non pro simplici lecto, sed pro toto in quo Ph. latitabat specu accipiam. Atque hac significatione fortasse neutrum *lectum* a masc. *lectus* differebat. Pro *lecto* multae edd. vett. habent *lectulo:* unde nihil lucramur. *Bouhierius* legendum suspicabatur *in tecto humido, quod:* quae coniectura, quum aliis, tum *Hermanno* in Opuscc. III. p. 124. et *Madvigio* ad Fin. l. d. p. 304. probata, etsi ingeniosissima est, tamen minus poëtici coloris habet, quam codicum

tur? sed cum opprimi dico patientia, si modo est aliqua patientia; si[6] nulla est, quid exornamus philosophiam? aut quid eius nomine gloriosi sumus? Pungit dolor — vel fodiat[7] sane; si nudus es, da iugulum; sin tectus Vulcaniis armis, id est fortitudine, resiste. Haec enim te, nisi ita facies, custos dignitatis relinquet et deseret. 34. Cretum quidem leges, quas sive Iupiter[8], sive Minos sanxit de Iovis quidem sententia, ut poëtae ferunt, itemque Lycurgi laboribus erudiunt iuventutem venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, aestuando. Spartae vero pueri ad aram sic verberibus acci-

6 Or. c. paucis edd. vett. *sin nulla;* etiam Nonius p. 105, 28. *si nulla.* 7 v. Adn. 8 R. Gud. 1. II. aliique omittunt verba *sive Iup.*, oculo librarii a priore *sive* ad alterum aberrante.

scriptura. Paullo post *resonando mutum*, quod in nonnullis ut videtur Oxx., sed Fin. II. 19, 94., ubi duo postremi versus afferuntur, in optimis codd. legitur, propter acutum antitheton *Bentleio* probatum, optimo iure receptum est pro vulg. *multum*, quod inanem h. l. habet sententiam. At elegantissime dicitur: lectum vel potius saxum mutum eiulatu — fremitibus resonando flebiles voces refert.

opprimi — patientia] *Dolorem opprimere* est compescere, continere, tegere. V. *Wassium* ad Sall. Iug. LXXII, 1: *iram compresserat* ap. *Kritz.* p. 381.

quid exornamus philosophiam] Apte *Moser* comp. 2, 5: nonne verendum —, ne *philosophiam* falsa gloria *exornes?*

fodiat] Ingeniosa est *Bentleii* coniectura *fodicet*, uti III. 16, 35: „Non est enim in nostra potestate, *fodicantibus* his rebus, quas malas esse opinemur, dissimulatio vel oblivio.“ *Menkius* in Observv. ined. comp. Hor. ep. I. 6, 51: qui *fodicet* latus. Et sane codd. Med. et Rehd. exhibent *fodicat.* At vulgata non est tentanda. Apposite *Orellius* contulit C. Phil. II. 34, 86: „num exspectas, dum te stimulis *fodiam?* haec te — lacerat, haec cruentat oratio.“ Idem verbum Latinum apte comparat cum nostro *wühlen.*

si nudus es] H. e. si eges armis, quibus resistas dolori, h. e. si eges fortitudine.

da iugulum] Haec formula sumpta est a gladiatoribus, quorum qui inferior erat adversario, iugulum dissecandum porrigebat, et ita se victum profitebatur, uti explicat *Neidius.* *Menkius* in Observv. ined. comp. pr. Milon. 11, 31. Hor. S. I. 3, 89.

Vulcaniis armis] „quibus Achilles tectus erat. Descriptionem eorum v. in Hom. Il. XVIII, 487 — fin.“ *Neidius.* „Hinc Augustin. adv. Acad. II, 1: arma invicta et quasi *Vulcania* dicit.“ *Davisius.*

relinquet et deseret] Plaut. Most. I. 3, 45: *reliquit deseruitque* me. *Relinquere* simpliciter significat ab aliquo discedere (zurücklassen); *deserere* est nostrum *im Stiche lassen*, Italic. *abbandonare*, idemque fere valet, quod *destituere, frustrari;* hinc *amici me deserunt, preces, promissa, caussam suam, ius suum, officium deserere.* V. *Forcellin.* h. v. *Doederlinii* Synon. T. III. p. 290 sq. quemque *Orellius* laudat *Bremium* ad Corn. Datam. VI, 3. Gravius quam *relinquere* est *derelinquere* (*gänzlich verlassen*). V. *Seyffert.* ad Lael. 11, 37. p. 247 sq. et quae contulit *Heindorfius* ad N. D. I. 5, 11.

§. 34. *Cretum quidem*] Vocula *quidem* indicat, exemplis rem aliquam demonstrari illustrarive. Cf. Adnotata in I. 48, 116. Quod autem particula *quidem* paullo post iterum sequitur, offensioni esse non debet. de Senect. c. 14: Atque haec *quidem* studia doctrinae: quae *quidem* prudentibus et bene institutis pariter cum aetate crescunt: ubi v. *Ochsner* Ecl. p. 113. de Fin. V. 27, 80: quod *quidem* solet ebullire nonnunquam: quum *quidem* etc. ubi v. *Goerenz.* p. 531.

sive Minos] Lactant. Div. Inst. I, 22: Minos se in antrum Iovis recondebat et ibi diu moratus leges tanquam sibi a Iove traditas afferebat, *ut poëtae ferunt.* „V. Strabon. X. p. 730. Eustath. ad Odyss. τ, 178. (Μίνως — Διὸς μεγάλου ὀαριστής) et Platon. Min. p. 46 47.“ *Davis.*

verberibus accipiuntur] Nonnulli codd. deteriores *v. afficiuntur*, unus *v. excipiuntur.* At recte *Moser* comparat IV. 36, 78: Quo te modo accepissem, in-

piuntur[9], ut multus[9] e visceribus sanguis exeat; nonnunquam etiam, ut, quum ibi essem, audiebam[9], ad necem: quorum non modo nemo exclamavit unquam, sed ne ingemuit quidem. Quid? ergo hoc pueri possunt, viri non poterunt? et mos valet, ratio non valebit?

XV. 35. Interest aliquid inter laborem et dolorem; sunt finitima omnino, sed tamen differt[1] aliquid. Labor est functio quaedam vel animi vel corporis gravioris operis et muneris; dolor autem motus asper in corpore, alienus a sensibus. Haec duo Graeci illi, quorum copiosior est lingua, quam nostra, uno nomine appellant. Itaque industrios homines illi studiosos vel potius amantes doloris appellant, nos commodius laboriosos. Aliud est enim laborare, aliud dolere. O verborum inops interdum, quibus abundare te semper

9 v. Adn. Ceterum *Lachmann.* ad Lucr. 5, 993. suspicatur Ciceronem versu tragico usum esse: *Spartae — accipiuntur*, | *Ut — exeat.* XV. 1 v. Adn.

quit, nisi iratus essem. Plura exempla suppeditabunt Lexica.

multus e v. sanguis exeat] Gryph. aliique pauci deteriores codd. et duae edd. vett. pro *multus* exhibent *multis* (sc. pueris). Male. *Klotzius* laudat *Heindorfium* ad Hor. Sat. I. 7, 28: salso multoque fluenti: ubi comparantur Virg. Georg. III, 28: magnumque fluentem Nilum, Gr. ἁλμυρὸς καὶ πολὺς ῥεῖ, aliaque. At rectius *multus* pro attributivo nominis *sanguis* accipiendum est.

e visceribus] *Davisius* apposite attulit Isidor. Orig. XI, 1: „Viscera non tantum intestina dicimus, sed quicquid sub corio est, a visco, quod est inter cutem et carnem.“ Idem testatur Servius ad Virg. Aen. 6, 253. Cf. supra 8, 20. N. D. II. 6, 18. Eundem Lacedaemoniorum ad aram Dianae Orthiae pueros verberandi morem infra V. 27, 77. tetigit Tullius. Cf. Xen. Rep. Lac. II, 10. ibique *Haasium*, et *C. O. Müllerum*, die Dorier, I. p. 382. II. p. 312.

audiebam] *Bentleius* ob V. 27, 77. legendum coniecit *videbam*. At frustra. Nam quum pugnantes adolescentes viderit Tullius, ex eo non sequitur, eum etiam vidisse, quum caederentur ad aram, uti recte monet *Wopkensius* in Lectt. Tull. p. 83. Hand.

ergo — possunt, — non poterunt? — valet, — non valebit?] Interrogationis signum, quod erat post *Quid ergo*, posui post *Quid*. V. ad 17, 39.

Cap. XV. §. 35. Quoniam paullo ante de *dolore* et *labore*, tanquam una eademque re, dictum est, iam Tullius, a proposito digrediens, quid inter utrumque interesset discriminis, explicandum putavit. Quod autem Graecae linguae verborum inopiam notavit et perstrinxit, quia res diversas, *dolorem* et *laborem*, uno nomine πόνου afficeret, inique et male fecit. Nam etiam Graeca lingua duo habet diversa vocabula, πόνος, quod est *labor*, et ἄλγος, quod est *dolor;* quemadmodum autem πόνος saepenumero potestate nominis ἄλγους ponitur, ita in Latina lingua haud raro *laborare* significationem induit verbi *dolendi*. V. *Forcellinii* Thes. Latin. v. *laborare*. Cf. infra ad III. 4, 7. πάθη — *morbos*. Hanc autem Ciceronis gloriationem attigimus in libro d. *de Ciceron. in phil. mer.* p. 82. 6). Cf. *Reisig.* Vorles. über Lat. Sprachw. §. 36. p. 42. et virorum doctorum sententias a *Mosero* in exc. X. p. 379 sqq. commemoratas.

differt] Sic plurimi codd. et optimi, ut R. Gud. 1. II. b., itemque nonnullae edd. vett. pro *differunt*. Receptam scripturam iam *Moser* ad Divin. II. 36, 76: *quantum differebat* probavit. *Differt* enim saepe impersonaliter usurpatur, ut *interest*. *Orellius* laudat *Schellerum* in Observatt. p. 202., qui comparat C. in Caecil. 19: vide, quid *differat* inter meam opinionem ac tuam. Off. I, 28. med. II. 8, 30. N. D. I. 29. de Or. III. 51.

functio quaedam] H. e. functio quaedam gravioris operis et muneris, quae animo vel corpore peragitur. Observandi sunt duo genitivi cum duplici relatione. V. *Goerenz.* ad Legg. II. 17, 42. p. 169., qui recte monet commata delenda esse, *Creuzer.* ad N. D. II, 63. p. 474. *Beier.* ad Off. I. 14, 43. p. 107 sq. Adde I. 12, 28. IV. 6, 14. 13, 29. 31. 17, 40. Triplex adeo genitivus ap. Liv.

putas, Graecia! Aliud, inquam, est dolere, aliud laborare. Quum varices secabantur C. Mario, dolebat; quum aestu magno ducebat agmen, laborabat. Est inter haec quaedam tamen[2] similitudo. Consuetudo enim laborum perpessionem dolorum efficiet[3] faciliorem. 36. Itaque illi, qui Graeciae formam rerum publicarum dederunt, corpora iuvenum firmari labore voluerunt. Quod Spartiatae etiam in feminas transtulerunt, quae ceteris in urbibus mollissimo cultu parietum umbris occuluntur. Illi autem voluerunt nihil horum simile esse

apúd Lacaenas vírgines;
Quibus mágis palaestra, Euróta[3]*, sol, pulvís, labor,*
Militia[3] *in*[3] *studio est, quám fertilitas*[3] *bárbara.*

Ergo his laboriosis exercitationibus et dolor intercurrit nonnunquam,

2 Sic Or. c. R. Gud. II. 2. Marb. Mon. 1. 2. pro *tamen quaedam.* 3 v. Adn.

Praef. 3: iuvabit *rerum gestarum* memoriae *principis terrarum populi* pro virili parte me ipsum consuluisse. Cf. *Wopkens.* Lectt. Tull. I, 16. p. 122. ibique *Handium*, et nos in Gr. L. §. 111. Not. 20. De duplici genitivo apud Graecos v. nos in Gr. Gr. T. II. §. 542, 3. (Gr. schol. §. 275. Not. 7.)

studiosos vel potius amantes doloris] Scil. φιλοπόνους. Ceterum lapsus est Cicero; nam Gr. φιλόπονος respondet prorsus latino *industrius* v. *laboriosus.*

varices] V. *Ernestii* Clav. h. v. De re ipsa cf. infra c. 22, 53. Plin. H. N. XI, 45. Plutarch. Mar. p. 408.

efficiet faciliorem] Or. c. Gud. II. 2. duob. Oxx. Marb. Rehd. Duisb. Aug. tribus Gebh. et edd. Leod. HWolf. Gebh. Verb. Ern. sqq. *efficit;* D. et Kl. c. R. Gud. 1. El. 3. uno Ox. *efficiat;* coniunctivum *Klotzius* putat esse dubitativum, ut in *dicat aliquis, mirum hoc cuipiam videatur* etc.: quae ratio ab h. l. mihi videtur esse alienissima. Reliqui omnes et scripti et editi exhibent *efficiet*, quod recepimus. Futuri in generalibus sententiis usus apud Ciceronem est frequentissimus. V. ad I. 15, 35. V. nos in Gr. L. §. 107, 9. Ad *efficiet* etiam scriptura *efficiat* ducit. Minime placet coniectura *Orellii efficiebat*, ut de Mario uno Cicero sit h. l. locutus.

§. 36. *Sp. in feminas transtul.*] „Ad rem cf. *Cragium* de Rep. Lac. III. Tab. IX, 4. p. 186—188. *Beroald.* ad Propert. III, 13. p. 762. ed. Lutet. 1604. f. m.“ *Moser.* Adde *Becker.* Charikl. I. p. 320 sqq. et *K. F. Hermann.* Gr. Privatalterth. p. 111. *Menkius* in Observv. ined. comp. Eurip. Androm. 597. Propert. III. 14, 1. Theocrit. Id. 18, 22 sq.

Eurota] Sic recte Or. c. R. Gud. 1. II. 2. aliisque pro vulg. *Eurotas.* V. *Leop. Schneider.* L. Gr. T. II, 1. p. 29 sq. et nos in Gr. L. §. 14. Not. 1. *Wesenb.* Em. II. p. 43. vulg. *Eurotas* ob seq. *s* retinendum arbitratur, comp. *Madvig.* ad Fin. II. §. 94. cum add. — De elisa vocali Graeca producta *palaestra*, *Eur.* v. *Lachmann.* ad Lucret. 4, 1169. — *Quibus magis* pronuntia *quibu' magi'.* V. ad I. 9, 18. Inutilis igitur coniectura *queis.* — Pro *labor*, *Militia* Bouh. coni. *labor militiae:* quod probat *Wesenb.* l. d., explicans *labor militaris* = *laboriosae exercitationes:* quo uno illa: *palaestra — pulvis* recte comprehendantur, et de omisso *e* comparare iubens suas Em. II. p. 10. Ego nihil mutavi; nam *militiam* h. l. non veram militiam intelligendam esse, sed militares exercitationes, per se patet. — *In studio mihi est aliquid* exquisitius dictum, quam: *studio* (Dat.) *mihi est al.;* apte comparant *mihi est aliquid in deliciis;* aliquot codd. deteriores om. *in:* quod probat *Lachmann.* ad Lucret. 4, 283.

fertilitas barbara] Haec verba insigniter torserunt interpretes, qui plerique omnes interpretantur *fertilitatem* πολυτεκνίαν et, ut addit *Orellius* „quae eius caussa videbatur poëtae, μαχλοσύνην. Obversabantur ei septendecim Hecubae liberi, quinquaginta Priami, Danai, Aegypti.“ Sententia igitur erit haec: Lacaenis virginibus magis curae fuisse palaestrae exercitationes, quam liberorum procreationem: quae scilicet externorum populorum feminis maximo studio sit. *Klotzius* comparat Ov. Fast. IV, 202: Saepe Rhea questa est toties fecunda nec unquam Mater, et indoluit *fertilitate* sua. et in Add. p. 90. Plin. h. n. 8, 66

impelluntur, feriuntur, abiiciuntur, cadunt, et ipse labor quasi callum quoddam obducit dolori.

XVI. 37. Militiam vero (nostram dico, non Spartiatarum, quorum procedit* acies*[1] ad tibiam, nec adhibetur ulla sine anapaestis pedibus hortatio;) nostri exercitus primum unde nomen habeant, vides; deinde, qui labor, quantus[1] agminis: ferre plus dimidiati mensis cibaria; ferre, si quid ad usum velint; ferre vallum. Nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus. Arma enim membra militis

XVI. 1 v. Adn.

de equo mare: ad generandum paucis animalium minor *fertilitas* (i. e. vis generandi). Similiter *Beroaldus* intelligit πληθυμονὴν τῶν βαρβάρων, fertilitatem et opulentiam barbarorum. Ridicula sane commenta neque ex verbis extundenda! Cum *Turnebo fertilitatem* pro luxu, deliciis, rerum abundantia accipio: quam sententiam etiam *Forcell.* in Thes. Lat. h. v. calculo suo probavit. *Nissen.* interpr. fructus ex aliis regionibus undique conquisitos (die Produkte des Auslandes), qui imprimis ad delicatum vitae genus pertinent. *Bentleius* satis audacter nec probabiliter hunc versum sic scribendum censet: *Duritia studio est, quam futilitas barbara: Bouher.* suspic. *teneritas,* Censor Ienensis *sedulitas, Wolfius festivitas.* In tribus codd. legitur *facilitas*, quod placuit *Ernestio,* qui interpretatur *vitam a molestis laboribus liberam, tranquillam, placidam.* Alia commenta commemorare taedet. Cf. *Moseri* ed. Vol. III. p. 404 sq.

callum quoddam obducit dolori] Infra III. 22, 53: quorum animis diuturna cogitatio *callum* vetustatis *obduxerat.* ad Fam. IX. 2, 3: consuetudo *callum obduxit* stomacho meo. Hinc verbum *occallescendi.*

Cap, XVI. §. 37. *Militiam*] *I. F. Gronovius* in Observv. III, 6. corrigendum censuit *militiae* (quod explicat *in expeditione*, ut dicitur *domi militiaeque*): quae correctio perversa est. Optime tuetur sese vulgata: *Militiam — nostri exercitus primum unde nomen habeant, vides, deinde qui* ctt. quam frustra sollicitavit *Wolfius,* mutato *nostri* in *nosti; habeant* in *habeat,* et alia inducta interpunctione. Quare recte *Orellius* revocavit vulgatam, intelligenter moneus, non commode ante *exercitus* desiderari pronomen *nostri,* quo rursum significetur intelligi Romanam militiam laboriosiorem; languere deinde ista *vides deinde* cett., ubi omnia celeriter enuntianda sint. Ex vulgari dicendi ratione oratio sic fere procedere debebat: *De militia* vero quid dicam? (nostram dico, non Spartiatarum —;) vides, primum unde nostri exercitus nomen habeant, deinde etc.; sed accusativum *militiam* posuit, oratione in parenthesin tracta: *militiam* vero *nostram dico.* Comparari potest haec structura cum eis exemplis, in quibus *attractio inversa* reperitur, qualia sunt Virg. Aen. I, 573: *Urbem quam* statuo vestra est. Cuius generis exempla larga manu suppeditabit *Krüger* Untersuchungen über Lat. Gramm. III. Heft. p. 215 sqq. Cf. nos in Gr. L. §. 145. Not. 12. *Handii* ad Wopk. Lectt. p. 84. huius loci explicatio iure reiecta est ab *Orellio.*

procedit acies ad tibiam] Omnes praeter unum Cantabr. codices habent *quorum procedit admodum* (aut *ad modum*) *ad t.* Quae scriptura aperte est corrupta. Ego scripsi *acies*, non quod id in scriptura *admodum* latere putem, sed quod sententia huius loci illud vocabulum requirit. Superscriptum aliquod glossema, ut *ad mod(ul)um tibiae*, vocabulum *acies* exterminare potuit, uti suspicatur *Wesenberg.* Em. I. p. 10., qui tamen v. *admodum* cum corruptelae signo retinendum censet. Tr. et Kl. in Add. p. 91 sq. e margine Veneti Alteri scripserunt: *proc. agmen ad tibiam; Lambinus* edidit *pr. agmen ad modum ad tib.; Nissen.* (Ztschr. f. AWS. 1843. p. 956.) coni. *pr. agmen modo ad t.* At, uti paullo post videbimus, Lacedaemoniorum exercitus non in agmine, h. e. quum iter faciebat, tibia uti solebat, sed in acie, h. e. quum instructa acie ad pugnam descendebat. Nunquam autem apud solutae orationis scriptores *agminis* nomen iustam aciem significat. *Bouh.* e cod. Cantabr., qui habet *pr. modus ad t.*, coni. *pr. motus ad t.* *Orellius* recepit *Gronovii* l. d. coniectu-

esse dicunt. Quae quidem ita geruntur[1] apte, ut, si usus ferat[1], abiectis oneribus, expeditis armis, ut membris, pugnare possint. Quid? exercitatio legionum; quid? ille cursus, concursus, clamor quanti laboris est! Ex hoc ille animus in proeliis paratus ad vulnera. Adduc pari animo inexercitatum militem; mulier videbitur. 38. Cur tantum interest inter novum et veterem exercitum, quantum experti sumus? Aetas tironum plerumque melior; sed ferre laborem, contemnere vulnus consuetudo docet. Quin etiam videmus, ex acie efferri saepe saucios; et quidem rudem illum et inexercitatum quamvis

ram: *pr. mora ad t.* At *mora* (μόρα) Lacedaemoniorum significat partem quandam exercitus Lacedaemoniorum. V. *Passovii* Lex. Gr. h. v. *Moser* laudat Prolusionem *G. H. Martinii* De Spartiatarum Mora. Ratisb. 1771. Agitur autem h. l. de omni exercitu. — Tibiis autem Spartiatas in proeliis turbarum loco usos esse, res est pervulgata. „Thucyd. V, 70: Λακεδαιμόνιοι βραδέως καὶ ὑπὸ αὐλητῶν πολλῶν νόμῳ ἐγκαθεστώτων οὐ τοῦ θείου χάριν, ἀλλ' ἵνα ὁμαλῶς μετὰ ῥυθμοῦ βαίνοντες προέλθοιεν, καὶ μὴ διασπασθείη αὐτοῖς ἡ τάξις· ὅπερ φιλεῖ τὰ μεγάλα στρατόπεδα ἐν ταῖς προσόδοις ποιεῖν: [ubi cf. quae *Poppo* Vol. III, 3. p. 634 sq. congessit.] Valer. Maxim. II. 6, 2: Lacedaemoniorum exercitus non ante ad dimicandum descendere solebant, quam *tibiae concentu* et *anapaesti pedis modulo* cohortationis calorem animo traxissent, vegeto et crebro ictus sono strenue hostem invadere moniti Gellius N. A. I, 9: Hephaestion Alexandrinus (p. 26. ed. Turnebi) servavit nobis primum versum carminis alicuius [ἐμβατηρίου], alternis anapaestis et spondeis decurrentem: "Αγετ', ὦ Σπάρτας ἔνοπλοι κοῦροι, ποτὶ τὰν Ἄρεως κίνασιν." *Neidius.* *Orellius* in partes vocat *Frankii* Callinum p. 200. et *Moser Thierschii* Dissert. de Gnomicis Carminibus Graecor. P. poster., quae est in Actt. Monacc. III. 4. Anapaesti autem pedes aptissimi sunt ad excitandos inflammandosque animos.

qui labor, quantus agminis] D. Lall. Oliv. Mos. c. uno El. *et quantus a.* Etiam *Wesenb.* Em. II. p. 43., qui durissimum habet asyndeton, quo *agminis* ab interposito voc. utriusque membri communi *labor* plane divellatur, inserendum putat *et*, comp. Divin. I. §. 52: *qui* vir *et quantus* Fin. II. §. 67. Legg. III. §. 20. Div. in Caec. §. 40. Verr. III. §. 66. V. §. 23 et 149. Tusc. III. §. 56. V. §. 29., et de omisso *et* comp. V. Scr. III. 17, 37. 20, 74. Mihi vero omnium fere codd. scriptura optime sese habere videtur. Asyndeton in gradatione aptissimum est: *quos* (i. e. quales) *labores* omnino sustinent exercitus nostri, *quantos* autem, ubi sunt in agmine.

ferre plus dimidiati mensis cibaria] *Orellius* comp. Caes. B. C. I, 78: „legionarii dierum XXII ab Ilerda frumentum iussi erant efferre." et *Voss.* ad Virg. Georg. p. 611. Adde *Cort.* ad Sall. Iug. XLV, 2. qui contulit Liv. XLIV. 2, 4: Consul *menstruum* iusso milite secum ferre profectus. *Menk.* in Observv. ined. comp. Plutarch. Marii c. 13. De seq. *plus* v. ad III. 29, 73.

geruntur] *Davisius* et *Orellius* cum codd. El. 1. et Duisb. et marg. ed. Crat. legunt *gerunt* pro reliquorum omnium *geruntur:* quod nullo modo sollicitandum erat. Saepe enim scriptores ab activa forma deflectunt ad passivam aut a pass. ad activam. V. *Bremium* ad Fin. II, 15: Si enim ad honestatem omnia *referantur*, neque in ea voluptatem *dicant* inesse. Cf. infra III. 28, 71. extr. *repulerunt* —. Contra *dicuntur* haec cett. IV. 9, 20 sq. *describunt* — *definiuntur.* V. 33, 94., ubi cf. Adn. V. *Wopkens.* Lectt. Tull. I, 10. p. 85 sq.

si usus ferat] Est egregria coniectura *Lambini* et *Bentleii*, quam confirmat Mon. 2., pro vulg. *si usus foret.* Altera *Bentleii* coniectura est *si usus fuerit*, ut IV. 3, 5., ubi tamen in altera enuntiatione futurum legitur: de ceteris studiis alio loco *dicemus, si usus fuerit.* Off. I. 26, 92: *si usus esset.* Duo Oxx. legunt *fert; Kl.* e coni. *feret.*

expeditis armis] Mit schlagfertigen Waffen, uti bene vertit *Wolfius.*

§. 38. *quantum experti sumus*] „Respicit bellum civile Pompeianum, in quo Caesar habuit veteranorum robora, qui profligarunt Pompeianos novos milites et inexercitatos." *Moser. Menk.* l. d. comp. Plutarch. Caes. c. 40. 45. Pompei. c. 64.

levi ictu[2] ploratus turpissimos edere. At vero ille exercitatus et vetus ob eamque rem fortior medicum modo requirens, a quo obligetur:

E. *O Pátricoles*[3], inquit, *ad vós adveniens aúxilium et vestrás manus*
Petó, priusquam oppetó[4] *malam pestém, *datam**[5] *hostilí manu,*
Neque sánguis ullo pótis est pacto prófluens consistere,
Si quí[6] *sapientiá magís vestra mórs devitarí*[7] *potest.*
Namque Aésculapi líberorum saúcii opplent pórticus;
Non pótest accedi. P. *Certe Eurypylus hic quidem*[8]. *Hominem exercitum*[9] *!*

2 Cod. Dav. et marg. Cr. *leviter ictum:* quod probat Bentl. comp. c. 21, 49: graviter — ictum. At v. ad III. 16, 34: adversis casibus. 3 Sic scripsi c. R. Gud. 1. II. Pith. aliisque pro vulg. *Patrocles;* quod recepi, etiam *Bergkius* in Annal. antiq. discipl. 1851. p. 398.; *L. Rossius* ibid. p. 399. malit *Patrocules;* pauci codd. et edd. *Patrocle.* V. ad V. 21, 61. 4 Sic Gud. 1. II. b(a pr. m.) aliique plurimi; *oppetam* R. ap. Tr. b a sec. m. unus Ox. unus Leid. ed. vet. Bouh. 5 v. Adn. 6 Sic Or. c. R. Vat. Gud. 1. II. b. Marb. (*si qui* i. e. si qua ratione). Vulgo *si qua sap.;* W. e coni. *Seu qua sap.* 7 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. b. multisque aliis codd. pro *devitari mors.* 8 Codd. omnes *hic quidem est*, repugnante metro: quare c. Tisch. delevi *est.* 9 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. b. Vat. Rehd. Duisb. Marb. trib. Pall. Ulr. Petrens. et Norvic. pro vulg. *exercitatum;* Tr. ante v. *hominem exerc.* posuit notam corruptelae.

O Patricoles] Sunt versus iambici tetrametri acatalecti: cf. *Hermann.* in Element. Doctrin. metr. p. 158., qui refutare studet *Bentleium*, qui in Emendatt. ad h. l. et supra ad I, 44., „tragicos Romanorum negat hoc metro usos esse," nulla tamen ratione allata; eaque opinione captus, etiam qui apertissime octonarii iambici sunt, audacter nec sine violentia in trochaicos tetrametros catalecticos mutat. *Oppeto malam pestem* h. e. subeo mortem. *Davisius* comparat Plaut. Captiv. III. 3, 11: Occidam *oppetamque pestem.* Asin. I. 1, 7: Atque illā vivā vivus ut *pestem oppetas.* Satis nota est locutio *mortem oppetere* pro mori. Sequens *datam* c. Tregd. e Bentl. coni. dedi pro *mandatam;* syllaba *man* facile oriri potuit ex anteced. *malam* pestem aut ex seq. *manu.* Cuius generis error in codd. frequentissimus est. V. *Wesenb.* Em. I. p. 6. Qui *mandatam* retinuerunt, exquisitius pro *immissam* dictum putant; sed quos locos attulerunt (Appulei. Metam. 9: mandare suspendium alicui. Iuvenal. X, 52 sq.: quum Fortunae ipse minaci Mandaret laqueum), non satis conveniunt in hunc locum. Vocabulum *magis* in quarto v. pronuntia *magi.* V. ad I. 9, 18. Comparativus respicit sententiam suppressam, uti recte docet *Klotzius: magis, quam si non adveniam.* In verbis: *non potest accedi* verbum *potest* μονοσυλλάβως pronuntiandum (*pot'st*). Cf. c. 17, 39: non potest ecfari. *Aesculapii liberi* sc. Podalirius et Machao, clarissimi Graecorum ante Troiam medici. V. Il. β, 732. *Porticus,* vestibula tentorii, ut recte explicat *Wolfius.* Ceterum *Orellius* hos versus ex Accii Epinausimacha sumptos esse putat. *Beroaldus* observat, poëtam in his versibus Il. λ, 827 sqq. respexisse.

Certe Eurypylus hic quidem est] *Or.* et aliqui edd. recc. ita: *Non potest accedi* ..... Deinde uno versu: *Certe Eurypylus hic quidem est. Hominem exercitum!* Tum extra versum *ubi tantum luctūs continuatur.* Denique novum caput orditur a verbis: *Vide, quam* etc. Haec distinguendi ratio mihi non placet; nam obscurum est, quo modo verba: *ubi tantum luctūs continuatur* versui antecedenti adiici potuerint. Neque probatur mihi *Wolfius*, qui haec verba sic interpretatur: „in welcher Stelle dann Patrokl. so sehr über seinen Euryp. jammert:" quae sententia plane abhorret ab eis, quae paullo post de duriore Patrocli indole sequuntur (*si quidem homo esset* etc.); neque probari potest ratio *Klotzii*, qui in Add. p. 93 sq. verba *ubi tantum l. c.* ad antecedentia poëtae verba esse trahenda suspicatur. Quare haec verba cum sequentibus coniunxi. Totum locum sic explicandum puto: Patroclus, amicum Eurypylum agnoscens eumque graviter saucium videns, exclamat: *Ho-*

XVII. 39. Ubi tantum luctûs[1] continuatur[2], vide, quam non flebiliter respondeat, rationem etiam afferat[3], cur aequo animo sibi ferendum sit:

E. *Qui álteri exitiúm parat,*
Eum scíre oportet sibi paratam[4] *péstem ut participét parem.*

Abducet Patrocles, credo, ut collocet in cubili, ut vulnus obliget. Si quidem homo esset[5]. Sed nihil vidi minus[6]. Quaerit enim, quid actum sit:

P. *Elóquere: Rés Argivom proélio ut se sústinet?*

XVII. 1 R. Vat. unus Ox. Gud. 2. Mon. 2. Aug. habent *luctum.* 2 R. Gud. 1. tres Oxx. Marb. *continuatus;* ed. Ven. duo Oxx. *continuamus;* Aug. *continuans;* unus Ox. *continuat;* Kl. in Add. p. 94. coni. *continuatumst.* 3 Sic scripsi, puncto, quod vulgo est post *respondeat*, mutato in comma. Vulgo *respondeat. R. etiam afferat;* Kl. et Mos. *respondeat: r. etiam afferat.* W. et Or. c. duobus Oxx. *respondeat. R. etiam affert.* 4 Bentl. coni. *sibi paratum, pestem ut p. parem.* At v. Adn. Mos. sic distinxit: *sibi paratam pestem, ut participet, parem.* 5 v. Adn. 6 Sic Or. c. uno Ox. Vind. 2. Rehd. Gud. 2. et multis edd. vett.; *nihil vidimus* codd. plurimi (etiam R. Gud. 1. b.) et aliquot edd. vett.; *nihil minus vidimus* edd. Asc. 2. Iunt.; *nihilo minus vidimus* Gud. II.; *nihil minus* Aug. Guelf.; quod Klotzio in Add. maxime placet; *nihil videmus* unus Ox. marg. Asc. Moseri 2. et libri Beroaldi; Or. coni.: *nihil vidi magis* (sc. mirum aut incredibile). „Quae formula, parum a librariis intellecta, ubivis fere corruptelae obnoxia fuit.“ In recentiore ed. e Cic. verbis ad Att. XVI. 1, 1. *nihil vidi* suspicatur, scripturam *nihil vidimus* germanam esse locutionemque e quotidiani sermonis consuetudine fluxisse. Quid? si legamus: *Sed nihil videmus minus.*

minem exercitum! (i. e. *o hominem misere excruciatum!*) His Patrocli verbis Cicero suam ipsius adiungit de admirabili Eurypyli firmitate sententiam: *Ubi tantum luctus continuatur,* i. e. tanta mala et calamitates constipantur, tantum tamen abest, ut Patroclo flebiliter respondeat, ut rationem etiam afferat, cur malum suum aequo animo sibi ferendum sit. De *quam non* v. ad IV. 35, 74.; de omisso *sed* ante verba *rat. et aff.* v. ad II. 2, 5.

Cap. XVII. §. 39. *Eum scire* etc.] Exquisitius per genus quoddam attractionis dictum est pro: *Eum scire oportet, sibi paratum esse, ut parem pestem participet,* i. e. ut paris pestis particeps fiat, uti recte vidit *Klotzius.* Voc. *eum* μονοσυλλάβως pronuntiandum est. De παρηχήσει huius versus v. ad IV. 17, 38.

Si quidem homo esset] Haec omnium librorum scriptura non erat cum Ernestio, Or., W. mutanda in: *Si — est.* Particula *siquidem* (εἴγε) in responsione saepe ironica vi ita ponitur, ut ex verbis praegressis sententia aliqua supplenda sit, quae affirmationem significat, uti h. l. *recte quidem crederem, si homo esset.* Cf. simillimum locum in Fin. III. 4, 12: Istud quidem, inquam, optime dicis; sed quaero, nonne tibi faciendum idem sit —? *Si quidem, inquit, tollerem; sed relinquo* (h. e. recte quaereres, si tollerem, sed). pro Milon. XVIII, 48: ne Clodius quidem de insidiis cogitavit, quoniam fuit in Albano mansurus. *Siquidem* exiturus ad caedem e villa non *fuisset:* ubi v. *Garaton.* in ed. Matth. p. 243. *Klotzius* addit pro L. Flacco 7, 15: O morem praeclarum disciplinamque, quam a maioribus accepimus! *Siquidem teneremus,* sed nescio quo pacto iam de manibus elabitur. de Legg. I. 4, 12. Cf. infra Adnotata in III. 31, 76. — *Si homo esset,* h. e. si, ut homo, misericordia tactus esset, si humanum sensum haberet. Sic Terent. Adelph. I. 2, 26: illum tu tuum (sc. filium), *si esses homo,* Sineres nunc facere, dum per aetatem licet: ubi v. *Ruhnken.* in Dictat. Infra c. 22, 53: ita et tulit dolorem, ut vir, et, ut *homo,* maiorem ferre sine caussa necessaria noluit.

Sed nihil vidi minus] Scil. quam quod visurum me esse credideram. Ceterum cf. V. Scr. C. p. Sest. 51, 110: Nihil vidi magis: ubi v. *Halm.* p. 254.

Eloquere] Deest aliquid in hoc versu, fortasse *Eurypyle.* — *ut se sustinet* interrogatio directa. *Wolfius* comparat I. 5,

E. *Non pótest*[7] *ecfari*[8] *tántum dictis, quántum factis súppetit*
Labóris. — Quiesce igitur et volnus álliga! . . .

Etiam si Eurypylus posset, non posset Aesopus.

P. *Ubi fortuna Héctoris*
Nostram ácrem[9] *aciem inclinátam.* . .

et cetera explicat in dolore. Sic est enim intemperans militaris in forti viro gloria. Ergo haec veteranus miles facere poterit, doctus vir sapiensque non poterit? Ille vero melius, ac non paullo quidem.

7 Hanc omnium fere librorum lectionem c. Mosero revocavi; probat Kl. in Add. p. 95; Or. ob metrum e coni. Bentl. *non potis ecfari;* sed *potest* pronuntiandum est *pot'st.* Cf. c. 16, 38. 8 Pro *ecfari* in codd. corrupte legitur *haec fari,* ut in R. Gud. 1. II. b. aliisque, aut *hoc fari*, ut in trib. Oxx. Mon. 1., *hoc effari,* ut in uno Ox. Aug. De frequenti vocabulorum ab *ecf.* incipientium corruptela v. *Wes.* III. p. 7 sq. 9 Lall. c. duob. Oxx. et edd. vett. Rob. Steph. Ald. male omittit *acrem.* Neque offendet παρήχησις, de qua v. ad IV. 17, 38.

10. dic, quaeso: *Num te illa terrent.* Plura dabimus ad V, 41. extr.

non potest ecfari] H. e. non potest dictis exprimi (*Ecfari* enim passive positum), quanta virium contentione res praeclarae ab Argivis edantur.

Quiesce igitur et volnus alliga] Haec verba a *Bentleio* et *Wolfio* tribuuntur Patroclo, ita ut ille ad verba seq. *non posset Aesopus* suppleret *tacere;* hic *volnus sibi ipsi alligare. Orellius* autem etiam verba: *Quiesce — alliga* trahit ad Eurypyli orationem, rem sic animo informandam iudicans: „Duorum fortissimorum heroum, Eurypyli et Patrocli, exemplum repetitur e tragoedia. Ille vulneratus medicum modo requirit, nullo ploratu edito; miseretur saucii amici primum Patrocles longumque luctum continuat; consolatur eum Eurypylus ipse verbis: *qui — parem:* quibus confirmatus Patrocles vulneris obligandi iam quasi obliviscitur petitque, ut narret sibi Argivorum proelium. Tum Eurypylus: „*Non potest — laboris;* at desine paullisper, si videtur, me interrogare vulnusque ante omnia meum alliga; mox omnem rem tibi enarrabo. Quod dum fit, longam iam ῥῆσιν: *Ubi — inclinatam* medio in dolore recitat: quam, inquit Cicero, poterat poëta sine reprehensione tribuere veterano fortissimo; non item Aesopus, homo bello non exercitatus, posset „proferre, ipse si esset sauciatus. Ad verba *posset Aesopus* supplet: *tam fortiter narrare proelii vicissitudines.*“ Immo: *Etiam si Eur. haec in dolore explicare posset, non posset idem facere Aesopus.* Aesopus enim sine dubio agebat partes Eurypyli. Miro modo *Klotzius* in Add. p. 96. verba: *Quiesce — alliga* ad Ciceronis orationem trahenda censet, ut Cicero Eurypylum adhortetur, ut quiescat etc. Ad v. *posset* supplet *quiescere.* Tota haec ratio vehementer mihi displicet. Ceterum *quiesce* δισυλλάβως legendum est.

volnus alliga] Paullo ante: ut volnus *obliget,* et c. 16, 38: medicum modo requirens, a quo *obligetur. Obligare* apte *Klotzius* comparat cum nostro *verbinden, zubinden*, ut *obsignare* est *versiegeln, zusiegeln; alligare* cum nostro *aufbin-den, einen Verband auf die Wunde legen und ihn anbinden. Davisius* affert *I. Fr. Gronovium* ad Liv. VII, 24: Consul, *vulnere adligato*, revectus ad prima signa. Adde *Moserum* ad C. Divin. I. 54, 123: Quum Critonis oculum *alligatum* vidisset.

Ergo — facere poterit] Infra III. 15, 31. Offic. I. 31, 114: *Ergo* histrio hoc *videbit* in scena, non *videbit* sapiens in vita? Atque haec est usitata dicendi ratio in conclusione a minore ad maius. V. *Goerenz.* ad Fin. I, 21. ex. p. 102. II. 33, 110. p. 286. *Beier.* ad Offic. I. d. p. 245. qui hanc concludendi rationem sine caussa conclusionem a maiore ad minus vocari mavult. In priore membro ponitur, quanquam rarius, etiam praesens et, ubi sententia requirit, perfectum. Supra c. 14, 34: Quid? ergo hoc pueri *possunt*, viri non *poterunt?* et mos *valet*, ratio non *valebit?* Infra III. 27, 66: timor igitur ab iis aegritudinem *potuit repellere*, ratio ab sapienti viro non *poterit?* Infra III. 14, 31. legitur: *Ergo hoc Terentius — quum tam commode dixerit; nos — non dicemus?* ubi cf. Adnot. V. nos in Gr. L. §. 159, 3. De simili concludendi forma v. ad V. 14, 42: *An Lacedaemonii* etc.?

40. Sed adhuc[1] de consuetudine exercitationis[2] loquor, nondum de ratione et sapientia. Aniculae saepe inediam biduum aut triduum ferunt. Subduc cibum unum diem athletae; Iovem Olympium, eum ipsum, cui se exercebit, implorabit, ferre non posse[3] clamabit. Consuetudinis magna vis est. Pernoctant venatores in nive, in montibus uri se patiuntur. Inde[4] pugiles, cestibus contusi, ne ingemiscunt quidem. 41. Sed quid hos, quibus Olympiorum victoria consulatus ille antiquus videtur? Gladiatores, aut perditi homines aut

1 Sic omnes fere codd. (etiam R. Gud. 1.); Or. c. vulg. *de consuet. adhuc.* 2 v. Adn. 3 L. e coni. *f. se non posse;* W. c. uno Leid. *f. non posse se;* quod maxime placet. Ceterum cf Adn. in I. 25, 69: *ut istos.* 4 Gronov. Observv. II. 2. susp. *pern. v. in montibus, in nive u. se p. Inde* etc.; D. coni. *pern. v. in nive; nive in m. u. se patiuntur Indi: pugiles* cett.; Kl. in Add. p. 98. v. *inde* ex *calore,* vel *sole*, vel *a sole*, vel *in sole* corruptum esse putat, ut iungatur cum *uri se pat.*; pro *inde* Em. susp. *viden'*, Or. *Vide;* Tregd. c. L. et Fr. Fabr. *inde* plane exterminavit. *Wes.* Em. II. p. 45. tentabat: *patiuntur iidem (idē). Pug.*; sed ipsi displicet collocatio verborum; ex aliorum coniecturis maxime ei probatur Augustini: *nudi pug.* V. Adn.

Ille vero] H. e. immo philosophus hoc melius, et quidem multo melius facere poterit.

§. 40. *Sed de consuetudine*] Haec verba videntur indicare, Tullium iam de ratione et sapientia dicturum esse, postquam satis dixerit de consuetudine exercitationis. Veruntamen idem argumentum retractans novis exemplis fusius persequitur et illustrat (usque ad §. 42.). Scilicet haec verba referenda sunt ad proxime antecedentia: *doctus vir sapiensque non poterit*, quibus verbis iam *rationis* et *sapientiae* mentio iniicitur.

exercitationis] Sic *Or.* c. plurimis codd. et optimis, ut R. Gud. 1. II., et omnibus praeter D. edd. vett.; *de consu. et exercitatione* D. c. El. 1. et marg. Crat.; eodem ducit unus Ox.; qui habet *de consuetudine exercitatione.* D. comparat c. 18, 42: de exercitatione et consuetudine et commentatione dixi. Off. I. 18, 60: rei magnitudo usum quoque exercitationemque desiderat. Adde ibid.: sine usu et exercitatione consequi, et quae attulit *Klotzius* in Add. p. 97.: Off. I. d. consuetudo exercitatioque capienda. de Or. I. 20, 90: quod consuetudo exercitatioque et intelligendi prudentiam acueret, et eloquendi celeritatem incitaret. II. 87, 357: ut nihil hac consuetudine et exercitatione adiuvetur. At recte monet idem *Klotzius*, vulgatam, codicum et edd. auctoritate nixam, non esse tentandam, quum Cicero h. l. non tam consuetudinem per se spectatam videatur significare voluisse, quam exercitationem et *consuetudinem ex ea natam,* comp. de Or. II. 87, 358: quam facultatem et exercitatio dabit, ex qua consuetudo gignitur etc.

athletae] Athletis enim, uti recte docet *Davisius*, non modo cibi genus atque copia, verum etiam horae, quibus victum sumerent, erant praescriptae: unde proprie dicitur de athletis ἀναγκοφαγία. Omnino saepius apud veteres athletarum voracitas notatur.

Iovem Olympium] in cuius honorem ludi qui dicuntur *Olympici* instituebantur.

uri] Scil. *solis calore.* Quum *uri* dicitur de eis, qui frigore vexantur, substantivum addatur necesse est, e quo pateat, verbum hac significatione accipiendum esse. Sic Iustin. II. 2, 9: „Quanquam continuis frigoribus urantur.“ At Graecum ἀποκαίειν simpliciter dicitur de frigore. V. nos ad Xen. Anab. IV. 5, 3. Duas igitur res contrarias dicuntur perferre venatores: et acerrimum frigus et ardentissimum calorem.

Inde] *Wolfius* esse dicit *ex hac consuetudine exercitationis;* at *Wesenb.* l. d. (v. V. Scr.) monet, tum primum illud *inde* ante *Pernoctant* certe collocandum fuisse; deinde vel ibi positum et post v. *consuetudinis magna vis est* male otiosum esse et parum Ciceronianum, qui quidem dicturus fuisset aut: *Inde* (*Ex quo*) *fit, ut pernoctent*, aut (comp. III. §. 62.): *Inde* (sunt) *pernoctationes venatorum.* Ego INDE ex QUID corruptum esse suspicor: *Quid? pugiles* —.

§. 41. *consulatus ille antiquus*] Sententia: quibus victoria in ludis Olympicis reportata honos videbatur esse tan-

barbari, quas plagas perferunt! quo modo illi, qui bene instituti sunt, accipere plagam malunt, quam turpiter vitare! quam saepe apparet nihil eos malle, quam vel domino satisfacere, vel populo! Mittunt etiam vulneribus confecti ad dominos, qui quaerant quid velint; si satis iis factum sit[5], se velle decumbere. Quis mediocris gladiator ingemuit? quis vultum mutavit unquam? quis non modo stetit, verum etiam decubuit turpiter? quis, quum decubuisset, ferrum recipere iussus collum contraxit? tantum exercitatio, meditatio, consuetudo valet. Ergo hoc poterit

Samnis, spurcus homo, vita illa dignus locoque;

vir, natus ad gloriam, ullam partem animi tam mollem habebit, quam non meditatione et ratione corroboret? Crudele gladiatorum spectaculum et inhumanum nonnullis videri solet, et haud scio an ita sit, ut nunc fit. Quum vero sontes ferro depugnabant, auribus fortasse multae, oculis quidem nulla poterat esse fortior contra dolorem et mortem disciplina.

XVIII. 42. De exercitatione et consuetudine et commentatione

5 Sic plurimi codd. et optimi (ut R. Gud. 1. II. b.), et edd. vett. Grut. Verb. D., nisi quod pro *his* in nonnullis est *iis; si satisfactum iis sit* quinque Oxx. et plurimae edd. vett.; *si satis his factum non sit* Or. c. cod. Turnebi, Pall. sec. et tert.; *ni satisfactum iis sit* duo codd. Lamb.; unde Mos. scrips. *nisi satis iis f. sit.* V. Adn.

tus, quantus apud maiores nostros consulatus, qui tum optimo cuique deferebatur. V. ad I. 46, 111: *non enim in caelum.*

domino] De *domino* (i. e. possessore) gladiatorum recte *Klotzius* sic: „*Dominus* ist der, welcher die Gladiatoren entweder *iure mancipi* an sich gebracht, förmlich erkauft, oder zu dem speciellen Falle erkauft oder gedungen hat. Gewöhnlich standen die Gl. im Solde der *domini*, welche Spiele zu geben hatten u. s. w.“ Is autem, qui gladiatores artem armorum docebat, appellabatur *lanista.*

si satis iis factum sit] H. e. si dominis fortitudine sua satisfecerint. Bene *Davisius* praeeunte *I. F. Gronovio* Obss. II, 2: Vult Tullius miseros illos homines non ante iugulum praebere, quam a dominis operae gnaviter editae reportent testimonium.

ferrum recipere] Formula in hac re propria. Populus enim gladiatori, qui decubuisset, quum veniam dare nollet, exclamans *recipe telum*, eum ab adversario iugulari iussit. Cf. p. Sest. c. 37. *Doering.* ad p. Rosc. Amer. c. 12. p. 36. et *Matthiaeum* ad p. P. Sestio c. 27. p. 134.

meditatio] *Vorbereitung.* V. ad III. 16, 34. De seq. v. *commentatio* v. ad I. 30, 74.

Samnis] Versus e Lucilii Satirarum libro IV, 2. petitus, uti videre licet e Nonio in *componere* et *spurcum.* Cf. Indic. histor. v. *Samnis.* Male Nonius l. d. *spurcum* interpretatur *saevum, vehementem.*

haud scio an] V. ad III. 8, 16.

ut nunc fit] H. e. nostris temporibus, quibus non solum sontes, sed etiam liberi homines depugnant. De re ipsa cf. Senec. Ep. 7, 95.

auribus] Intelligendae disputationes de contemnendo dolore et morte a philosophis vel scholis vel libris traditae.

oculis quidem] De v. *quidem* cf. I. 27, 67. 41, 99. 43, 102. IV. 11, 24: cogitatione inter se differunt, re *quidem* copulatae sunt. V. 30, 85. 41, 121. V. nos in Gr. L. §. 133, 2. A. b). Gr. γέ. Od. ι, 410. εἰ μὲν δὴ μήτις σε βιάζεται, οἷον ἐόντα, νοῦσόν γ' οὔπως ἔστι Διὸς μεγάλου ἀλέασθαι. Sic saepe hae particulae in oppositione usurpantur, per

dixi. Age sis, nunc de ratione videamus, nisi quid vis ad haec. *A.* Egone ut te interpellem? Ne hoc quidem vellem; ita me ad credendum tua ducit oratio. *M.* Sitne igitur malum dolere[1], necne, Stoici viderint, qui contortulis quibusdam et minutis conclusiunculis nec ad sensus permanantibus[2] effici volunt, non esse malum dolorem. Ego illud, quicquid sit, tantum esse, quantum videatur, non puto, falsaque eius visione et specie moveri homines dico vehementius, doloremque eius[3] omnem esse tolerabilem. Unde igitur ordiar? an eadem breviter attingam, quae modo dixi, quo facilius oratio progredi possit longius? 43. Inter omnes igitur hoc constat, nec doctos homines solum, sed etiam indoctos, virorum esse fortium et magnanimorum et patientium et humana vincentium, toleranter dolorem pati; nec vero quisquam fuit, qui eum, qui ita pateretur, non laudandum putaret. Quod ergo et postulatur a fortibus, et laudatur, quum fit; id aut extimescere veniens, aut non ferre praesens, nonne turpe est? Atqui vide, ne, quum omnes rectae animi affectiones *virtutes* appellentur, non sit hoc proprium nomen omnium, sed ab

XVIII. 1 Sic plurimi codd. et optimi, ut R. (ap. *Wes.* Em. II. p. 45.) Gud. 1., et plurimae edd. vett.; cf. III. 18, 40: sit sane summum malum *dolere;* etiam sequens *illud* apertiorem habet demonstrationem, si sic legitur, uti recte observavit *Wes.* l. d.; *dolor* Or. c. paucis codd. et complur. edd. vett. 2 Sic ed. Vict. pro *permanentibus:* quae inepta scriptura, ex librarii errore sine dubio orta, occupavit multos codd., etiam R. Gud. 1. II.; nonnull. edd. vett. et pauci deteriores codd. *pertinentibus.* V. Adn. 3 v. Adn.

se autem nullam aliam vim habent, nisi limitandi, insigniendi, confirmandi. V. *Hartung.* Griech. Partik. T. I. p. 380. De re ipsa v. quem *Moser* laudat *C. G. Schwarzium* ad Plin. Paneg. 33. et Liv. XLI, 20.

Cap. XVIII. §. 42. *Egone ut te interpellem?*] *Goerenz.* ad Legg. I. 4, 14. p. 17. post *Egone* interrogandi signum reponendum censet, docens illud *egone* manasse a comicis et e praecedentibus per ellipsin interpretandum, ut Academ. II. 47, 145: Sed quid Catulus sensit? Egone? inquit, ad patris revolvor sententiam. Sed recte contra monet *Orellius,* hanc interpungendi rationem admittendam non esse, nisi ubi ad *Egone?* verbum ex antecedentibus repetendum sit, ut Legg. l. d. iam ordire explicare, de iure civili quid sentias. M. *Egone?* (sc. quid sentiam) summos fuisse. De hoc usu coniunctionis *ut* in exclamationibus vel interrogationibus cum admiratione prolatis v. nos in Gr. L. §. 142. Not. 11. Cf. *Halm.* ad or. p. Sest. 7, 17. p. 112.

nec ad sensus permanantibus] H. e. non ad sensus penetrantibus, nullam ad eos habentibus vim. V. *Schütz.* Indic. Latin. v. *permanare.*

doloremque eius] Sic omnes fere codd.; M. L. in m. *eis* sc. hominibus; *eius* abest a cod. Med.; *doloremque eius modo omnem* El. 3. et Petrens.; *Or.* aliique *eius* uncis cinxerunt, *Sch.* plane abiecit; *Hand.* ad *Wopkens.* p. 208. antecedens *illud* non intelligit *malum*, sed rem, quae excitet dolorem (Gegenstand des Schmerzes, *dolor alicuius rei* de dolore ab aliqua re excitato), ut C. Att. 9, 9: iniuriae dolor. Si *eius* germanum est, verba *dolorem eius* explico *dolorem,* qui procreatur ex falsa visione et specie eius, quod tantum non est, quantum videtur; at facile *eius* a librario importari potuit, oculo ad antecedentia *falsaque eius* aberrante. Cf. *Wesenb.* Em. I. p. 6.

§. 43. *Quod ergo et postulatur* etc.] Minus accurate locutus est h. l. Cicero; nam *dolor* quidem extimescitur nec fertur, at postulatur et laudatur *doloris patientia.* Cf. *Madvig.* ad Fin. p. LII sq.

Atqui vide, ne cett.] Urbanius pro:

ea, quae una ceteris excellebat[3], omnes nominatae sint. Appellata est enim ex *viro* virtus; viri autem propria maxime est fortitudo. Cuius munera duo sunt maxima, mortis dolorisque contemptio. Utendum est igitur his, si virtutis compotes, vel potius si viri volumus esse, quoniam a viris virtus nomen est mutuata[4]. Quaeres fortasse, quo modo; et recte. Talem enim medicinam philosophia profitetur.

XIX. 44. Venit Epicurus, homo minime malus vel potius vir optimus; tantum monet, quantum intelligit. „Neglige, inquit, dolorem.“ Quis hoc dicit? Idem, qui dolorem summum malum[1]. Vix satis constanter. Audiamus. „Si summus dolor est, inquit, brevem necesse est esse[2].“ — *Iteradum*[3] *eadem ista mihi;* non enim satis intelligo, quid summum dicas esse, quid breve. — „Sum-

4 Verba: *quoniam a v. v. n. e. mutuata* ut glossema ab aliis uncis cincta, ab aliis exterminata sunt. Leguntur in omnibus codd., qui nobis noti sunt; Ursinus quidem ait: „Nonnulli vett. libri haec verba non habent,“ sed quos intellexerit libros, non constat. Post verba *vel potius si viri v. esse* minime inepte adduntur, uti recte monet *Nissenius*, et vero oratio elegantior est, quam quae a glossatore profecta esse videatur. XIX. 1 D. et W. *malum?* Male. Non interrogatur, sed respondetur ad *Quis hoc dicit?* 2 Sic Gud. 1. II. 2. Aug. Vind. 1. Marb. ed. D. 2.; *brevem esse necesse est* Duisb. et edd. vett. plurimae; *necesse est brevem esse* Or. c. R. aliisque. 3 Sic Or. c. multis edd. vett.; R. Gud. 1. II. aliique codd. et nonnullae edd. vett. *Iterandum eadem* etc.: quae scriptura sine dubio ex compendio *Iterādum* orta est.

atqui nomen virtutis non est proprium nomen omnium virtutum, sed ab ea — nominatae sunt. V. Adnotata in I. 34, 83.

quae una ceteris excellebat] H. e. quae maxime excellebat. Sic saepissime *unus* ponitur, ut alicuius rei summum gradum significet. N. D. II. 29, 74: nec vero hoc in te convenit, *unum* moribus domesticis ac nostrorum hominum urbanitate limatum. V. ad II. 26, 64. Observandus est usus *Imperfecti* in sententia generali vere Latinus. Refertur enim ad illud tempus, quo nomen ortum est. Cf. IV. 24, 54. *erat.* N. D. II. 47, 123: manus etiam data elephantis, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus *habebant* ad pastum. V. nos in Gr. L. §. 107. Not. 7. et *Wopkens.* Lectt. Tull. II, 10. p. 248 sq. Hinc reiicienda scriptura codd. Mon. 1. et unius Ox. multarumque edd. vett. *excellat*, neque probandus *Tregder,* qui ex marg. Lambb. et Goth. edidit *excelleat*, de v. *excelleo* comp. Off. I. 19, 64. in Pison. 38, 94. Lael. 20, 73. (codd. Langian.) p. Balbo 6, 15. (Oxx.), *antecelleo* pr. Mur. 13, 29. Omnino forma *excelleo* in Ciceronis libris, quanquam Prisciani et Diomedis, grammaticorum, auctoritate nititur, nusquam fere optimorum codd. auctoritate confirmatur. V. *Seyffert.* ad Lael. l. d. p. 441 sq. Huc accedit, quod ob seq. *nominatae sunt* C. sine dubio *excelleret* dicturus fuit. V. ad III. 4, 9. in Var. Scr. De rariore structura *ceteris excellere* contulit *Moser* de Inv. II. 1, 1: Zeuxin, qui tum longe ceteris excellere existimabatur.

viri propria] de Orat. I. 11, 49: Oratio quidem ipsa propria est huius unius rationis. Sic semper Cicero adiectivum *proprius* iunxit genitivo. Nam N. D. I. 37, 103. dativus pendet a v. *est.* V. nos in Gr. L. §. 111, 2, a). Sic Gr. ἴδιός τινος; v. nos in Gr. Gr. T. II. §. 517, 3. (Gr. schol. §. 273, 2.) Neutrum *proprium* cum genitivo coniunctum substantivi vices apud Ciceronem sustinet. Sic infra III. 8, 17. 9, 19. 30, 73: est enim proprium stultitiae. Cf. *Beier.* ad Offic. I. 1, 2. p. 6 sq.

Cap. XIX. §. 44. *vir optimus*] Cf. ad III. 21, 50. De *tantum, quantum* v. Adnot. in I 13, 29.

brevem esse] De hac Epicuri sententia v. de Fin. II. 29, 94. et 95.

Iteradum] Sumpta sunt haec verba ex Ennii Iliona. Eadem leguntur ad Attic.

mum, quo nihil sit superius; breve, quo nihil brevius. Contemno magnitudinem doloris, a qua me brevitas temporis vindicabit ante paene, quam venerit." — Sed si est tantus dolor, quantus Philoctetae? — „Bene plane magnus[4] mihi quidem videtur, sed tamen non summus. Nihil enim dolet, nisi pes; possunt oculi, potest caput, latera, pulmones, possunt omnia; longe igitur abest a summo dolore. Ergo, inquit, dolor diuturnus habet laetitiae plus, quam molestiae." — 45. Nunc[5] ego non possum tantum hominem nihil sapere dicere; sed nos ab eo derideri puto. Ego summum dolorem (summum autem dico, etiam si decem atomis est maior alius,) non continuo esse dico brevem[6] multosque possum bonos viros nominare, qui complures annos doloribus podagrae crucientur maximis. Sed homo cautus[7] nunquam terminat nec magnitudinis nec diuturnitatis

4 Tres Oxx. Mon. 1. 2. et multae edd. vett. *bene plane et magnus.* V. Adn. 5 *Wes.* Em. I. p. 25. c. trib. Oxx. SEL. pro *nunc* legendum coni. *hunc* (Epicurum, utpote qui tantus homo sit). Quod minime placet. *Nunc* est quum talia dicat tam absurda. 6 Sic R. (sed *brevim* ap. Wes.) Gud. 1. 2. Marb.; *dico esse brevem* Or. c. vulg. 7 v. Adn.

XIV, 14. init. et Academ. II. 27, 88., ubi plenus versus ita exhibetur:

Age adsta, mane, audi, iteradum eademmet ista mihi.

Goerenz. cum *Vossio* correxit *istaec* pro vulg. *ista*, *metri caussa*, ut ait, at, ni fallor, contra metrum. Quod autem *Davisius*, codd. Reg. Med. Bak. et edit. Victorianam secutus, *iterandum* edidit, haud cogitate fecit. Cf. *Goerenz.* l. d. *Iteradum* enim dictum est, ut *agedum*, *tacedum*, *adesdum*, *accededum*, *memoradum*, alia.

Bene plane magnus] *Ernestius* coniecit: *Bene sane. Magnus.* Ego cum *Nissenio* meliore distinctione locum adiuvari posse puto: *Bene. Plane magnus. Bene*, h. e. recte quaeris, inquit Epicurus. *Plane magnus* cett. Nam *bene plane magnus* a Cicerone dictum esse, persuadere mihi non possum. *Wolfius* vertit *recht sehr gross*, *Orellius* ex communis vitae consuetudine depromptum putat idemque N. D. III. §. 53. pro *bene planeque* restituendum. *Moser* vocabulum *bene* cum *magnus* coniungendum arbitratur, ut sit dictum eo modo, quo est ad Fam. X, 33: *bene multi; plane* autem interpositum esse, ut sit i. q. *omnino*, ut est Brut. 81, 282. saepissimeque. „Ut vero Auct. ad Herenn. IV, 20. verbis *non par* interposuit *plane* (*non plane par*, ut sit i. q. *non omnino par;* ita verbis *bene magnus* interpositum *plane* nihil aliud velle videtur, quam si scripsisset *bene omnino magnus.*" *Handius* in Tursell. I. p. 4., reiecta mea ratione, vocabulum *plane* a glossatore profectum existimat.

possunt oculi] Intellige *dolere.* Male *Neidius* et *Wolfius posse* hic idem esse putant, quod *valere.*

dolor diuturnus] Diogen. Laert. X, 140: αἱ πολυχρόνιοι τῶν ἀῤῥωστιῶν πλεονάζον ἔχουσι τὸ ἡδόμενον ἐν τῇ σαρκί, ἤπερ τὸ ἀλγοῦν.

§. 45. *summum dolorem — non esse brevem*] V. de Finib. II. 28, 93.

multosque possum — nominare] *Possum* veteres extra conditionem dixerunt: nostrates *possem* dicere solent. Cf. I. 34, 83. de Senect. 16: *Possum* persequi multa oblectamenta rerum rusticarum; sed ea ipsa, quae dixi, fuisse sentio longiora. V. ad I. 49, 116. et II. 13, 30.; imprimis saepe ita dicitur *poteram*: de quo v. ad III. 4, 7., ubi etiam discrimen inter *possum* et *poteram* expositum est. Cf. infra V. 32, 90. V. *Kritz.* ad Sall. Cat. LI, 4. p. 236. Quos autem h. l. dixit *bonos viros*, intelligendi videntur ii, quorum verbis fides haberi possit. Hinc facile intelliges, cur sequatur *crucientur*, non *cruciantur.* Verba enim *qui — crucientur* ex illorum bonorum virorum mente dicta sunt, ut significent: *qui complures annos doloribus podagrae cruciari se maximis affirmant.* V. ad V. 21, 62.

homo cautus] E Nonio p. 92. Merc., *Lambinus* et *Bentleius h. catus* emendan-

modum, ut sciam, quid summum dicat in dolore, quid breve in tempore. Omittamus hunc igitur[8] nihil prorsus dicentem cogamusque confiteri, non esse ab eo doloris remedia quaerenda, qui dolorem malorum omnium maximum dixerit, quamvis idem forticulum se in torminibus et in stranguria sua praebeat. Aliunde igitur est quaerenda medicina, et maxime quidem, si, quid maxime consentaneum sit, quaerimus, ab iis, quibus, quod honestum sit, summum bonum, quod turpe, summum videtur malum. His tu praesentibus gemere et iactare te[9] non audebis profecto. Loquetur enim eorum voce Virtus ipsa tecum:

XX. 46. Tunc, quum pueros Lacedaemone, adolescentes Olympiae, barbaros in arena videris excipientes gravissimas plagas et ferentes silentio, si te forte dolor aliquis pervellerit, exclamabis ut mulier? non constanter et sedate feres? — Fieri[1] non potest; natura non patitur. — Audio. Pueri ferunt gloria ducti; ferunt pudore alii, multi metu; et tamen veremur, ut hoc, quod a tam multis et quod

8 Aug. Mon. 1. et edd. ante Grut. *Om. igitur hunc.* Male; v. ad I. 6, 12. 9 Sic Gud. 1. II. 2. Aug. Rehd. Duisb. Marb. Mon. 1. 2.; *te iactare* Or. c. vulg. (etiam R. ap. Tregd.) XX. 1 v. Adn.

dum censuerunt: quod etiam *Or.* recepit itemque *Klotzius*, sed quas in ed. et in Add p. 100 sq. attulit rationes, mihi persuadere non potuerunt. Neque aliter legitur in Guelf. Mon. 2. Aug. De eius v. significatione v ad I. 9, 18. Reliqui omnes libri exhibent *cautus:* quae quidem scriptura ab interpretibus frustra videtur deserta. *Bentleius* non *cautione* dicit, sed sollertia et acumine opus esse. At magnus vir labi videtur. Nam *cautus* egregie in Epicurum convenit; qui, quum nunquam terminaret nec magnitudinis nec diuturnitatis modum, sibi caveret, ne absurdum quiddam proferret. Neque vero illud praetermittendum, Ciceronis aetate vocabulum *catus* obsoletum fuisse, nec usquam ab ipso Cicerone nisi cum excusatione quadam usurpatum esse. Etiam de Rep. I, 18: „qui egregie cordatus et catus fuit" adduntur a Laelio verba: „*et ab Ennio dictus est.*" Optime vulgatam defendit *Goerenzius* ad Academ. II. 30, 97: *vide, quam sit cautus is, quem isti tardum putant:* ubi quoque *Lambinus* legendum coniecit *catus*, et ad Legg. I. 10, 45: Quis igitur prudentem et, *ut ita dicam, catum,* non ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa iudicet?

quamvis — praebeat] Eandem rem Tullius de Fin. II, 30. init. ex epistola Epicuri ad Hermarchum, Laertius vero X, 22. ex epistola ad Idomeneum refert. De v. *forticulus* comparat *Forcell.* et Auson. idyll. III. extr. carmina *venustula* ut essent magis, quam *forticula.* Adde infra III. 17, 38: *acriculus.* III. 19, 46: demus scutellam *dulciculae* potionis. Plaut. Poen. I. 2, 177: *dulciculus* caseus. Id. Cas. II. 8, 58: *molliculae* escae. Catull. XVI: *molliculi* versus — *Tormina* Graece dicuntur δυσεντερία. Cf. de Fin. II. 30, 96: ubi v. *Goerenz.* p. 267. Diog. L. X, 22.

ab iis] Stoicis.

iactare te] H. e. prae dolore huc illuc se movere.

Cap. XX. §. 46. *Tunc*] Saepe *tu* et *tunc* in initio enuntiati cum magna vi ponuntur. Academ. II. 19, 61: *Tunc,* quum tantis laudibus philosophiam extuleris, — eam philosophiam sequere, quae confundit vera cum falsis? Ibid. II, 45. extr. Paradox. I, 3. V. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 121. Sic *egone* c. 18, 42.

pueros Lacedaemone] c. 14, 34: ubi v. Adnot. *adolescentes Olympiae* c. 17, 40. 41. *barbaros* §. 41.

pervellerit] Infra III. 17, 36: (fortuna) *pervellere* te forsitan potuerit et pungere, non potuit certe vires frangere.

Fieri non potest] Hanc scripturam ex plurimis libris et optimis, ut R. Gud. 1.

tot locis perferatur, natura patiatur? Illa vero non modo patitur, verum etiam postulat. Nihil enim habet praestantius, nihil, quod magis expetat, quam honestatem, quam laudem, quam dignitatem, quam decus. Hisce ego pluribus nominibus unam rem declarari volo, sed utor[2], ut quam maxime significem, pluribus. Volo autem dicere, illud homini longe optimum esse, quod ipsum sit optandum per se, a virtute profectum vel in ipsa virtute situm, sua sponte laudabile, quod quidem citius dixerim solum, quam non summum bonum. Atque ut haec de honesto, sic de turpi contraria: nihil tam tetrum, nihil tam aspernandum, nihil homine indignius. 47. Quod si tibi persuasum est, (principio enim dixisti, plus in dedecore mali tibi videri, quam in dolore;) reliquum est, ut tute tibi imperes. Quanquam hoc nescio quo modo dicatur[3], quasi duo simus, ut alter imperet, alter pareat; non inscite tamen dicitur.

XXI. Est enim animus in partes tributus[1] duas, quarum altera rationis est particeps, altera expers. Quum igitur praecipitur, ut

2 Sic Or. c. Gud. II. Mon. 2. compluribus, ut vdtr., Oxx. marg. Ven. Alteri et multis edd. vett. pro vulg. *utar:* quod iniuria revocavit *Kl.;* futurum ineptum est, quum rem iam pluribus vocabulis significaverit. 3 v. Adn. XXI. 1. v. Adn.

II. b., c. *Klotzio* et *Tregdero* revocavi. Gravius dictum est pro: fieri non potest, ut natura patiatur, plane ut nos dicimus: es ist unmöglich. *Or.* c. D. Gebh. Gron. et paucis deterioribus codd. *ferri n. p.*

Audio] Sic saepe *audio* ponitur cum ironia, ubi quis alterius sententiam se probare simulat. Nos: *das lässt sich hören.*

pluribus nominibus unam rem declarari volo] Sic saepe solet Cicero unam rem, in qua quidem maximum disputationis momentum positum est, pluribus nominibus declarare, ut eius vis ac potestas clarius perspiciatur. Fin. III. 4, 14: una virtus unum istud, quod honestum appellas, rectum, laudabile, decorum, (erit enim notius, quale sit, *pluribus notatum vocabulis idem declarantibus.*) N. D. II. 7, 18: illud autem, quod vincit haec omnia, *rationem* dico, et, si placet *pluribus verbis*, *mentem*, *consilium*, *cogitationem*, *prudentiam*, ubi invenimus? Legg. I. 7, 21. V. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 24.

citius] H. e. facilius. N. D. I. 21, 60: omnibus fere in rebus et maxime in physicis, quid non sit, *citius*, quam, quid sit, *dixerim.* V. *Hand.* Tursell. Vol. II. p. 78.

solum, quam non summum bonum] Bouhierius *non*, quum non sit in duobus codd. Leidd., in ed. sua vet. et in Manutianis, delendum censet, adversantibus reliquis libris omnibus. Sententia est plana: Virtutem tantum abest ut non summum bonum esse dicam, ut solum bonum iudicem, vel: Malo virtutem solum bonum iudicare, quam concedere, aliud quid esse maius bonum, quam virtutem.

6. 47. *tute tibi*] Sic de Offic. III. 2, 6: neve committas, ut, quum omnia suppeditata sint a nobis, *tute tibi* defuisse videare.

Quanquam hoc — dicatur] Recte *Orellius* monet, *dicatur* non a *quanquam*, sed a *nescio* pendere. De *quanquam* c. coni. iuncto v. ad V. 30, 85. *Wesenberg.* Em. I. p. 10 sq., Ciceronem non se nescire dicere ratus, quo modo illud dicatur, sed illud *quodam modo* ita dici, quasi duo simus, legendum suspicatur *dicitur.* Quod probare nullo modo possum. Dicit enim Cicero, difficile esse intellectu, quo modo tu tibi imperare dici possis, quum tu unus sis, non duo.

Cap. XXI. *tributus*] Alii deteriores libri legunt *distributus;* sed *tribuere*, additis verbis *in partes*, saepius dicitur pro distribuere. Orator c. 33: ut in eas

nobismet ipsis imperemus, hoc praecipitur, ut ratio coërceat temeritatem. Est in animis omnium fere natura molle quiddam, demissum, humile, enervatum quodammodo et languidum. Si nihil esset aliud, nihil esset[2] homine deformius. Sed praesto est domina omnium et regina, ratio, quae connixa per se et progressa longius fit perfecta virtus. Haec ut imperet illi parti animi, quae obedire debet, id videndum est viro. 48. Quonam modo? inquies. — Vel ut dominus servo, vel ut imperator militi, vel ut[3] parens filio. Si turpissime se illa pars animi geret, quam dixi esse mollem; si se lamentis muliebriter lacrimisque dedet: vinciatur et constringatur amicorum propinquorumque custodiis. Saepe enim videmus[4] fractos pudore, qui ratione nulla vincerentur. Ergo hos quidem, ut famulos, vinclis prope ac custodia[4]; qui autem erunt firmiores, nec tamen robustissimi, hos admonitu oportebit, ut bonos milites, revocatos dignitatem tueri.

2 Haec ab Or. recepta scriptura latet in hac codicum scriptura: *languidum: senile sed aliud nihil esset homine deformius* R. (*senile sed* ap. Tregd.) Gr. P. (*senilē sed* ap. Tregd.) b. Gud. II. Marb. quattuor Oxx. ed. vet. Bouh.; eodem ducunt etiam aliorum codd. scripturae; Gud. 1. unus Leid. duo Oxx. Duisb. et aliquot edd. vett. om. *senile;* Ern. c. nonnullis edd. vett. *languidum, si nihil aliud, nihil esset;* Rehd. *languidum senile sed si aliud non esset, nihil esset;* Mos. *languidum. Sed si aliud non esset, nihil esset;* M. L. D. *l. Si nil esset aliud, n. e.* 3 Sic Or. c. R. (ap. Tregd.) duob. Oxx. Mon. 2. Balliol.; reliqui ter *velut.* 4 v. Adn.

partes *tribuatur* omnis oratio. de Or. I. 15, 68: philosophia in tres partes est *tributa:* ubi v. *Ellendt.* Vol. II. p. 47. Quod autem ad rem ipsam spectat, monendum est, Platonem (de Rep. IX. init. Cf. Adnot. in I. 10, 20.) triplicem finxisse animum, Ciceronem autem aliis quoque locis duplicem vim animorum atque naturam statuisse: *una pars in appetitu posita est, quae est* ὁρμὴ *Graece, quae hominem huc et illuc rapit; altera in ratione, quae docet et explanat, quid faciendum, quid fugiendum sit. Ita fit, ut ratio praesit, appetitus obtemperet,* ut ait de Offic. I. 28, 101. ibid. 36, 132. Cf. Tertull. de Anima c. 16: *Plato bifariam partitur animam, per rationale et irrationale.* et infra IV. 5, 10. Scilicet Plato primum posuit τὸ λογιστικόν et τὸ ἄλογον; τὸ ἄλογον autem rursus in τὸ θυμικόν et in τὸ ἐπιθυμητικόν distribuit. V. *Stallbaum.* ad Platon. Rep. IV. p. 439. D. Gorg. p. 493. A.

temeritatem] H. e. animi partem, rationis expertem, τὸ ἄλογον. Nobis: *Sinnlichkeit.* Apte *Moser* contulit Divin. I. 29, 61: duabus animi *temerariis* partibus compressis, ut illa tertia pars rationis et mentis eluceat.

Est in animis] Infra III. 6, 12: Est natura fere in animis tenerum quiddam atque molle, quod aegritudine quasi tempestate quatiatur. — Observandum est autem, particulam *enim* a scriptoribus omitti, quum nova disputatio instituitur. Offic. I. 29, 104: *Duplex est omnino iocandi genus:* etsi antea iam de ioco dictum erat: *sic in ipso ioco aliquod probi ingéni lumen eluceat.* V. *Gernhard.* ad Offic. I. 28, 101. p. 115. et nos in Gr. L. §. 138b, 3) a).

connixa per se] H. e. suis ipsa viribus sustentata. *Fr. Fabricius* comparat Acad. II. 14, 44: rebus comprehensis et perceptis *nisa* et progressa ratio hoc efficiet (ubi *nisa* est e coni. *Manutii*), aptius *Moser* Fin. V. 15, 42: *connituntur*que (parvi), ut sese erigant.

§. 48. *custodiis*] Respicit, ut observat *Wolfius*, legum XII. tabb. (V.) SEI FOVRIOSOS AVT PRODICOS ESCIT ADCNATOROMCENTILIOMQVE EIVS POTESTAS ESTOD. AST EI CVSTOS NEC ESCIT (Zell. p. 24.).

Saepe enim videmus] D. Ern. W. c. paucis deterioribus codd. *vidimus;* at praesens optime sese habet, ut in sententia generali; imperfectum autem *vincerentur* pendet a *fractos.*

vinclis prope ac custodia] Post haec

Non nimis in Niptris ille sapientissimus Graeciae saucius lamentatur, vel modice potius:

Pedeténtim, inquit, *et*[4] *sédato nisú!*
Ne súccussu árripiát maiór
Dolor . . .

49. (Pacuvius hoc[5] melius, quam Sophocles; apud illum enim perquam flebiliter Ulixes lamentatur in vulnere;) tamen huic leviter gementi, illi ipsi, qui ferunt saucium, personae gravitatem intuentes, non dubitant[6] dicere:

Tu quóque, Ulixés[7], *quanquám graviter*
Cernímus ictúm, nimís paene ánimo és
Molli, qui cónsuetús[8] *in armís*
Aevom ágere. . . .

5 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. 2. b. aliisque et multis edd. vett. pro *haec*. 6 v. Adn. 7 D. *Ulixe*. At v. ad V. 21, 61. 8 Bentl. e coni. HWolf. in marg. unus cod. Dav. *consueris:* aperta correctio eorum, qui requirebant verbum finitum, quod a Tullio omissum est, quum sequentem versum non integrum afferret.

verba in multis libris additur *arceamus*, in cod. Schotti et ed. vet. Bouh. *coerceamus:* quae aperta glossemata absunt ab optimis codd. R. P. Gud. 1. II. Vat. b. aliisque. Et facile carere possumus eiusmodi verbo, quum id ex antecedentibus *vinciatur et constringatur* supplere possimus. Ad sententiam huius loci *Bouhierius* contulit Hor. ep. I. 2, 62: Animum rege, qui nisi paret, Imperat; hunc frenis, hunc tu compesce catena.

in Niptris] „Νίπτρα ἢ Ὀδυσσεὺς ἀκανθοπλήξ est nomen fabulae scenicae Sophoclis, cuius argumentum fuit mors Ulixis pastinacae [piscis] radio [τρυγόνος κέντρῳ] icti a Telegono filio. Hanc fabulam Pacuvius Latinam fecit vel potius imitatus est. Versus citati sunt e Pacuvio.“ *Neidius.*

Pedetentim] Sunt versus anapaestici, ad suos numeros a *Davisio* revocati. Vulgo (nec aliter est in plurimis codd., etiam optimis, ut R. P. etc.) legebatur: *Pedetentim, inquit, ite et sedato nisu, ne — dolor* continuo ordine. — Illud *ite*, quod omissum a Charisio p. 190. ed. Putsch., qui habet *pedetentim ac sedato nisu*, recte eiecit *Davisius*, ortum videtur a verbis *inquit et*, et retentum est, quia sententiae complendae inservit. Sententia horum versuum est haec: Pedetentim ferte corpus meum et lento incessu, ne vehementiore agitatione maior dolor me arripiat.

§. 49. *apud illum*] Scil. Sophoclem. Sic saepius *ille* ad nomen proximum refertur. Quem quis improbat, quasi removet cogitatione. — *lamentatur in vulnere* = vulneratus, uti 27, 65: Celtiberi *in proeliis* (= proeliantes) exsultant, *lamentantur in morbo* (= aegrotantes).

personae gravitatem] H. e. vitam priorem, in qua Ulixes summam semper ostenderat gravitatem. *Persona* h. l. significat partes, quas Ulixes in vita egerat. V. de hoc v. *Schütz.* in Indic. Latin. h. v. *Bremium* ad Cornel. Nep. Praef.

non dubitant] Sic recte *Or.* c. W. e Rehd. et duob. Lallem. codd. pro vulgato *dubitarunt* dedit; cf. *Goerenz.* ad Acad. II, 16. p. 97., qui acute observavit, praesens a Cicerone poni, ubi poëta loquens induceretur. Infra IV. 21, 48: ut *narrat* Lucilius. Cf. Invent. I. 23, 33. Omnino in aliorum verbis sententiisve afferendis praesentis usus legitimus fere est, quanquam saepe in codd. turbatur. Supra I. 18, 42: quam tamen Democritus — animalem esse *vult.* Infra IV. 33, 71: quae de iuvenum amore *scribit* (vulgo *scripsit*) Alcaeus. Sed III. 31, 76. c. plerisque codd. legendum *respondit.* Legitimum praesens est, ubi aliorum scripta eo tempore, quo ex iis locus ab aliquo affertur, adhuc exstant. Cf. nos in Gr. L. §. 107. Not. 2.

Tu quoque] Hi quoque et sequentes versus sunt anapaestici.

Intelligit poëta prudens, ferendi doloris consuetudinem esse non contemnendam magistram. 50. Atque ille non immoderate magno in dolore:

Retinéte, teneté, opprímit[9] *ulcus.*
Nudáte, heu míserum me[1]*! éxcrucíor.*

Incipit labi: deinde ilico[2] desinit:

— Operíte, abscédite, iám iam
Mittíte[3]*! nam attréctatu ét quassú*
Saevóm amplificátis dolórem.

Videsne, ut obmutuerit non sedatus corporis, sed castigatus animi dolor? Itaque in extremis Niptris alios quoque obiurgat, idque moriens:

Cónqueri fortúnam advorsam, nón lamentarí decet.
Íd viri est officium; fletus múliebri ingenio ádditus[4].

Huius animi pars illa mollior rationi sic paruit, ut severo imperatori miles pudens[5].

9 Sic Or. c. Marb. pro vulg. *opprimite*, quod etiam in optimis R. P. Gud. 1. etc. est, natum sine dubio ex antecedentibus imperativis. 1 Bentl. e coni. et Vind. 1. Duisb. *heu me miserum.* Kl. sic distinxit: *Nudate, heu! miserum me: excrucior:* quod mihi displicet; ad *nudate* facile suppleri potest *me.* 2 Sic R. P. Gud. 1. II.; *illico* Or. c. vulg. 3 Nonnulli deteriores codd. et multae edd. vett. *dimittite*, ut videtur, ad complendum versum; Ll. in Add. p. 104. post *mittite* pronom. *nos* aut *me* excidisse putat. 4 Or. c. D. *additust;* at *est* ex antecedentibus facile potest iterari. V. *Wes.* Em. II. p. 46. 5 v. Adn.

§. 50. *Retinete, tenete*] Post compositum verbum veteres poëtae saepius simplici utuntur, ut vis illius ad hoc pertineat. *Klotzius* comparat Eurip. Bacch. 1063: κατῆγεν, ἦγεν, ἦγεν εἰς μέλαν πέδον.

Operite — iam iam] Alterum *iam* delendum videtur, ita ut, ab initio versus verbo *operite* iterato, versus numerosior decurrat:

Operite, operite, abscédite, iám.

Conqueri] Sunt tetrametri trochaici catalectici.

Huius animi] H. e. Ulixis animi. V. *Frotscher.* ad Xen. Hieron. I, 10. p. 13.

miles pudens] „Αἰδήμων, metuens reprehensionem atque iram imperatoris. Hanc verecundiam militibus Homerus iniungit Il. ν, 122: ἀλλ' ἐν φρεσὶ θέσθε ἕκαστος αἰδῶ καὶ νέμεσιν. Sall. Iug. 7, 4: multo labore multaque cura, praeterea *modestissume parendo* et saepe obviam eundo periculis in tantam claritudinem pervenerat." *Gebhardus* in Crepund. III, 3. p. 110. P. Gud. 1. (a sec. m.) R. correct. et multi codd. deteriores legunt *prudens.* De qua frequentissima in codd. permutatione v. *Iordan.* ad or. p. Caecina 35, 102. p. 295.

Cap. XXII. §. 51. *sive ea ratio*] In *sive* haec latet vis: *oder vielleicht ist es besser, wenn ich sage.* Plene: *sive* is ipse, *sive potius* ea ratio etc. Cf. III. 18, 41. 21, 51. extr. V. nos in Gramm. Lat. §. 137, 2.

quum ipse secum] V. Adnotata in I. 38, 92: non modo *ipse.*

§. 52. *Obversentur species honestae viro*] Sic cum *Tregdero* scripsi e coniectura pro vulg. *O. s. h. animo.* Ad coniecturam receptam ducunt aperte praestantissimi codd., qui pro *animo* exhibent *vero;* v. V. Scr. Iam *Moser* ex hac scriptura ulcus in h. l. haerere suspicatus est. Quum vera vis vocabuli *viro* non recte esset percepta, facile abundare videri potuit in eiusque locum substitui *animo*, uti legitur ap. Liv. 35, 11: Caudinae cladis memoria non *animis* modo, sed prope oculis *obversabatur.* At vero vocabulum *viro* h. l. ἐμφατικῶς dictum est: quod suadet quum antecedens *non virile*, tum omnis oratio, qua agitur de homine, in quo est *virtus*, quae eum non patitur turpe quicquam, languidum, non virile facere. Eadem vi hoc vocabulum dicitur §. 53: rusticanus vir, sed plane *vir.* c. 24, 57: vix eum *virum* dixerim. V. ad IV. 19, 43. —

XXII. 51. In quo vero[1] erit perfecta sapientia, (quem adhuc nos quidem vidimus[2] neminem; sed philosophorum sententiis, qualis hic[3] futurus sit, si modo aliquando fuerit, exponitur;) is igitur, sive[4] ea ratio, quae erit in eo perfecta atque absoluta, sic illi parti imperabit inferiori, ut iustus parens probis filiis; nutu, quod volet, conficiet, nullo labore, nulla molestia; eriget ipse se, suscitabit[5], instruet, armabit, ut, tanquam hosti, sic obsistat dolori. Quae sunt ista arma? Contentio, confirmatio sermoque intimus, quum ipse secum: Cave turpe quicquam, languidum, non virile. 52. Obversentur species honestae viro[6]: Zeno proponatur Eleates, qui perpessus est omnia potius, quam conscios delendae tyrannidis indicaret: de Anaxarcho Democritio cogitetur, qui quum Cypri in manus Nicocreontis[7] regis incidisset, nullum genus supplicii deprecatus est neque recusavit. Calanus Indus, indoctus ac barbarus, in radicibus Caucasi natus, sua voluntate vivus combustus est. Nos, si pes condoluit, si dens, sed fac totum dolere[8] corpus, ferre non possumus.

XXII. 1 Sic Bentl. e coni. Rehd. Duisb. Mon. 1. Gud. 2. pro vulg. *viro*. 2 Sic Or. c. complur. deterioribus codd. et aliquot edd. vett.; reliqui libri, etiam optimi R. P. etc., *videmus*. 3 Sic Or. c. plurimis et optimis codd. (etiam R. Gud. 1. II. b.) ed. vet. Bouh. et D.; vulgo om. *hic*. 4 Sic Or. c. plurimis libris et scriptis et editis et optimis, ut R. P. Gud. 1. II. b.; alii *si ea r.* 5 Sic Or. c. Gud. II. 2. Rehd. Duisb. Vind. 1. 2. uno Ox. et plurimis edd. vett.; optimi codd., ut R. P. Gud. 1., aliique plerique habent *suscitabitur;* quod a Kl. receptum nunc in Add. reiicitur: *suscitabit'* (per compend. scr. pro *suscitabitur*) et *suscitabit* facile confundi potuerunt: de quo errore v. *Wes.* Em. II. p. 56. not. Interiecta forma passiva orationis concinnitas turbatur. 6 Or. c. vulg. et Aug. Vind. 1. *animo;* R. P. Gud. 1. II. *obversetur sp. honeste vero Z.;* Marb. *obversetur species. Honeste vero Z.;* Gr. *obversentur sp. honestae vero Z.;* unus Ox. *obversetur — vero*, etiam quinque alii Oxx. Mon. 1. 2. habent *vero* Z. V. Adn. 7 Sic Or. c. Col. Gud 2. Rehd. Mon. 1. 2. et, ut vdtr., sex Oxx. et vulgo: huc accedit aliorum qui eius tyranni mentionem faciunt scriptorum consensus: Plut. Alex. 29. Diog. L. 9, 59. Val. Max. 3. 3. extr. 4.; v. *Wes.* Em. I. p. 33 sq., qui similes nominum propriorum in codd. permutationes comparavit: *Timocreontis* reliqui codd.: quod recepit Tregd. 8 P. *sed factorum dolore;* Gud. 1 *sed facto tum dolore;* Vat. *set fac totum corpus*, omisso *dolere;* non male, quum hoc verbum ex antecedentibus facile suppleri possit, ut in loco ab Or. allato Orator. §. 31: *fac alium Accio*, sc. delectari; antecedit enim: Ennio delector, — Pacuvio, inquit alius; Vind. 1. *si dens, si faux, ac si tactum corpus dolore;* Rehd. *si tactum doleret corpus.* Nuper *Wes.* Em. I. p. 17. coni. *si tactum dolore corpus est* (*st*). V. Adn.

De *Zenone*, *Anaxarcho*, *Nicocreonte*, *Calano* v. Indic. hist.

omnia potius, quam — indicaret] H. e. perpessus est omnia potius, quam *id egit, ut* — indicaret. Cf. Cic. Acad. II. 8, 23: vir bonus statuit omnem cruciatum perferre *potius, quam* (sc. committere) *ut officium prodat.* Sic Corn. Nep. Pausan. III, 2: epulabatur luxuriosius, quam qui aderant perpeti possent. V. *Bremius* ad Eumen. XI, 4. p. 284 sq. *Goerenz.* ad Fin. IV. 14, 39. p 471. *Madvig.* ad Fin. IV. 8, 20. p. 517 sq. *Kritz.* ad Sall. Iug. CVI, 3. p. 573 sq. *Ramshorn.* Lat. Gramm. §. 184. Not. 2. *Kühner.* L. Gr. §. 157. Not. 15.

in radicibus Caucasi] Caucasus non porrigitur usque in Indiam; sed fuit haec communis quaedam veterum opinio. Cf. infra V. 27, 77. „Hic non est ille Caucasus in Scythico exsurgens solo mons, sed in Indico confinio se attollens, Macedonum armis, ut scribit Strabo, orientem subigentibus prioris Caucasi nomen adeptus.“ *Turneb.* Advers. VII, 16.

sed fac totum dolere corpus] Orellius

Opinio est enim quaedam effeminata ac levis, nec in dolore magis, quam eadem[9] in voluptate, qua quum liquescimus fluimusque mollitia, apis aculeum sine clamore ferre non possumus. 53. At vero C. Marius, rusticanus vir, sed plane vir, quum secaretur, ut supra dixi, principio vetuit se alligari; nec quisquam ante Marium solutus dicitur esse sectus. Cur ergo postea alii? Valuit auctoritas. Videsne igitur, opinionis esse, non naturae malum? Et tamen fuisse acrem morsum doloris, idem Marius ostendit; crus enim alterum non praebuit. Ita et tulit dolorem, ut vir, et, ut homo, maiorem ferre sine caussa necessaria noluit. Totum igitur in eo est, ut tibi imperes. Ostendi autem, quod esset imperandi genus; atque haec cogitatio, quid patientia, quid fortitudine, quid magnitudine animi dignissimum sit, non solum animum comprimit[9], sed ipsum etiam dolorem, nescio quo pacto, mitiorem facit.

XXIII. 54. Ut enim fit in proelio, ut ignavus miles ac timi-

9 v. Adn.

cum Davisio in ed. I. et Wolfio in ed. II. c. Palat. 2. Aug. et Guelf. edidit *si tactum dolore c.;* sed omnes edd. vett. ante D. et omnes fere codd., etiam R., exhibent: *sed fac totum dolere corpus:* cuius scripturae temere desertae patrocinium et recte suscepit et optime tutatus est idem *Orellius* in ed. recentiore, his fere allatis rationibus: Sententia huius loci est haec: Si pes condoluit, si dens, ferre non possumus; sed fac, totum dolere corpus, quid tum faciemus? Verba *sed fac totum dolere corpus* cum vi quadam reliquae orationi παρενθετικῶς intulit. Loco sic constituto, *pedi* et *denti* egregie opponitur *totum corpus:* quam oppositionem sententia necessario videtur efflagitare. Huc accedit, quod nulla omnino vis inest in illa orationis varietate: *condoluit* et *tactum dolore.* Vix dubitari potest, quin Cicero, si hanc significare voluisset sententiam, sic scripturus fuerit: *si pes condoluit, si dens, si totum denique corpus.* Neque vero v. *tactus* de levi dolore ponitur. De vocabulo *fac* Orellius comparat Orator. §. 31: *fac* alium alio (delectari). Corruptiones huius loci ducit ex antiqua scriptura *set* pro *sed.*

Opinio est enim] V. ad I. 27, 66.

eadem in voluptate] *Eadem*, in L. Fr. Fabr. Guelph. Aug. Vind. 1. omissum, bene tutatus est *Nissenius* his locis: III. 5, 10: animi affectionem, lumine mentis carentem, nominaverunt amentiam *eandemque* dementiam. Ib. Insipientia autem quasi insanitas quaedam: quae est insania *eademque* dementia. IV. 13, 31: Velocitas autem corporis celeritas appellatur: quae *eadem* ingenii etiam laus habetur.

fluimusque mollitia] *Orellius* comparat Vellei. I. 6, 2: mollitiis fluentem. II. 88, 2: mollitiis fluens. *Drakenb.* ad Liv. VII. 29, 5: (Campani) fluentes luxu. Frequentius est *diffluere*, ut *otio* (C. de Or. III. 32, 131.), *deliciis* (Lael. 14, 52.), *luxuria* (Off. I. 30, 106.). *Ernestius,* qui *mollitia* abesse malebat, non reputavit, duo vocabula *fluere mollitia* in unam quasi notionem coaluisse, et ob eam caussam recte dici potuisse voluptate liquescere fluereque mollitia. De verbo *liquescendi* v. ad V. 6, 16.

§. 53. *rusticanus vir*] *Rusticus* appellatur omnino is, qui ruri vivit, non in urbe; *rusticanus* is, qui ruri (h. l. in agro Arpinati) natus educatusque vitam duram et ab urbana mollitia remotam agit moresque simplices sequitur.

plane vir] V. ad IV. 19, 43. *ut homo* v. ad II. 17, 39.

ut supra dixi] §. 35.

animum comprimit] Haeserunt viri docti in hac locutione. *Davisius* legendum putat: *animum componit, Bentleius: animum confirmat.* Utrumque videtur praeterisse vis et potestas nominis *animi.* Scilicet *animus* duplicem habet significationem. Primum, quum opponitur corpori, declarat nobiliorem nostri partem, qua vigemus et sentimus, ut III. 1, 1:

dus, simul ac viderit hostem, abiecto scuto fugiat, quantum possit, ob eamque [1] caussam pereat, nonnunquam etiam integro corpore, quum ei, qui steterit, nihil tale evenerit: sic, qui doloris speciem ferre non possunt, abiiciunt se atque ita afflicti et exanimati iacent; qui autem restiterunt [2], discedunt saepissime superiores. Sunt enim quaedam animi similitudines cum corpore. Ut onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt; simillime animus intentione sua depellit pressum omnem ponderum, remissione autem sic urgetur, ut se nequeat extollere. 55. Et si verum quaerimus, in omnibus officiis persequendis animi est adhibenda contentio. Ea est sola officii tanquam custodia. Sed hoc quidem [3] in dolore maxime est providendum, ne quid abiecte, ne quid timide, ne quid ignave, ne quid serviliter muliebriterve faciamus; in primisque refutetur ac reiiciatur Philocteteus [4] ille clamor. Ingemiscere nonnunquam viro concessum est, idque raro; eiulatus ne mulieri quidem. Et hic nimirum est fle-

XXIII. 1 R. P. Gud. 1. *ob eam c.;* hinc D. e coni. *timidus, si, simulac — ob eam causam p.;* Tregd. *possit et ob eam c.;* facile *que* per compendium *q̃* scriptum excidere potuit: pari modo, uti observat Kl. Add. p. 107., §. 55. *que* excidit in nonnullis deterioribus codd. in verbis *in primisque refutetur.* 2 Mon. 1. duo Oxx. et aliquot edd. vett. *restiterint:* quod iniuria probat Bentl. V. ad 24, 58. 3 Sic Or. c. omnib. edd. vett. (praeter D. 2.) et R. ap. Tregd. P. reliquisque praeter Gud. 1. II. 2. sept. Oxx. Duisb. quatt. Pall. et Marb., qui habent *hoc idem* (neque aliter R. ap. Berger., v. *Wes.* I. p. 21.): quod receperunt D. 2. Kl. Mos. De confusis in codd. *quidem* et *idem* v. *Wes.* l. d. 4 Sic Or. c. R. (ap. Tregd.) P. et plerisque codd. et edd.; *Philoctetaeus* Gud. 1. 2. quinque Oxx. Rehd. Duisb. Vind. 2. et paucae edd. vett., e recc. Lall. W. Kl. Mos., probat Goer. ad Fin. II. 29, 94. p. 263. Cf. Φιλοκτηταῖος.

quum constemus ex animo et corpore. Tum vero complectitur eam animi partem, quae regi debet ratione vel mente, quam Graeci exprimunt per τὸν θυμὸν vel τὸ ἐπιθυμητικόν (nobis: *das Gemüth*). Hinc *animus* dicitur de animi affectibus, appetitibus, perturbationibus, omnino de voluntate et appetendi facultate. Sic Cic. pro Marcello 3, 8: *animum vincere*, iracundiam cohibere, victoriam temperare. Unde sponte patebit, bene et accommodate dixisse Tullium *animum comprimere*, h. e. vehementiores animi affectiones, quae apparent in doloribus intoleranter ferendis, coërcere, frangere. Sic infra IV. 18, 41: *animus* perturbatus et incitatus nec *cohibere se* potest, nec quo loco vult insistere. Graecum nomen θυμοῦ rem multo significantius exprimit; ductum est enim a verbo θύω, ἀπὸ τῆς θύσεως καὶ ζέσεως τῆς ψυχῆς, ut ait Plato Cratyl. p. 419. E.: de quo v. eruditissime disputavit *Passov.* Griech. Lexikon h. v. Cf. infra ad III. 5, 10: *animi — mentis.*

Cap. XXIII. §. 54. *Ut — simillime*] Sic saepe particulae *ut* non *sic* aut *ita* respondet, sed aliud huius generis vocabulum, veluti *item.* Sic infra V. 3, 9. N. D. I. 2, 3. Cf. *Goerenz.* ad Fin. III. §. 48. Addit *Orellius* pro Cluent. 24, 66: *ut* — me audistis, *item* — audiatis. Brut. 53: *Ut —, similiter.* N. D. III, 12: *Ut —, similiter — esse potest.*

corporibus — animus] Pluralis definite de singulis dicitur, singularis infinite generatimve de universo genere. Saepe in horum nominum coniunctione a plurali numero ad singularem vel a singulari ad pluralem deflectitur. Cf. I. 17, 40. 30, 72. III. 10, 23. IV. 10, 23. V. 38, 110. Cf. ad I. 18, 42: *Ita, sive dissipantur.* V. *Wopkens.* Lectt. Tull. I, 13. p. 107., ibique *Handium*, et nos in Gr. L. §. 104, 1.

remissis opprimunt] Sc. ferentes.

§. 55. *Ingemiscere nonnunquam viro concessum est, idque raro*] *Nonnunquam* cum *concessum est*, *raro* cum *ingemiscere* coniungendum esse, recte docet *Moser*,

tus [5], quem duodecim tabulae in funeribus adhiberi vetuerunt. 56. Nec vero unquam ne ingemiscit quidem vir fortis ac sapiens [6], nisi forte ut se intendat ad firmitatem, ut in stadio cursores exclamant, quam maxime possunt. Faciunt idem, quum exercentur, athletae; pugiles vero, etiam quum feriunt adversarium, in iactandis cestibus ingemiscunt, non quod doleant animove succumbant, sed quia profundenda voce omne corpus intenditur, venitque plaga vehementior.

XXIV. Quid? qui volunt exclamare maius, num satis habent latera, fauces, linguam intendere, e quibus eiici [1] vocem et fundi videmus? Toto corpore atque omnibus ungulis, ut dicitur, contentioni vocis asserviunt. 57. Genu, mehercule, M. Antonium vidi, quum contente pro se ipse lege Varia diceret, terram tangere. Ut enim balistae lapidum et reliqua tormenta telorum eo graviores

5 v. Adn. 6 D. e coni. *patiens*, coll. c. 17. 21. Senec. Tranq. an. c. 3. Frustra. V. *Wopkens*. Lect. Tull. I, 11. p. 87 sq. H. XXIV. 1 v. Adn.

sententiam sic explicans: Nonnunquam conceditur viro, ut ingemiscat, modo gemitus non crebros, sed raros edat.

duodecim tabulae] Ipsa harum tabularum verba leguntur apud Ciceronem de Legg. II. 25, 59: *Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento.* Quod autem ad v. *fletus* attinet, eius loco Davisius et post eum Ernestius ediderunt *lessus*, secuti auctoritatem Mureti, qui V. L. IX. c. 19. in antiquis codicibus legi testatur v. *lessus*. Wolfius vulgatam scripturam reposuit, Mureti auctoritate non permotus. Quanquam haud nescius sum, a priscis interpretibus et manuscriptos libros et editos *codicum* nomine interdum appellatos esse, tamen h. l. pluribus de caussis non dubito, quin scriptura *lessus* unice vera iudicanda sit. Etenim, quod primo loco adnotandum est, hoc ipsum nomen habetur in XII tabulis; tum lege dicta non *fletus*, sed *lamentatio* prohiberi debet; denique ipsa Ciceronis verba luculenter videntur demonstrare, legendum esse *lessus*. Proxime enim antecedit *eiulatus:* quod verbum optime convenit in *lessum*, minime vero in *fletum;* neque vero negligenda est particula ironica *nimirum*, quae ut languida est, quum legitur *fletus*, ita maximam vim habet, quum legitur *lessus:* quod etiam *Goerenzio* ad Legg. II. 23, 59. p. 196. probatur. *Moser*, qui retinendum censet *fletus*, pronomen *hic* explicat *hoc fletus genus*, quibus ipsis verbis Cicero significare potius *lessum*, quam scribere se voluisse monstrare videatur.

§. 56. *non quod doleant, — sed quia — intenditur*] V. *Ramshorn*. §. 181. *Kühner*. §. 153. Not. 2. Adde Adnotata nostra in c. 26, 64. De indicat. v. ad IV. 12, 28.

Cap. XXIV. *exclamare maius*] *Davisius* in partes vocat Plaut. Mostell. II. 2, 57: ille *exclamat* derepente *maximum*. Horat. Art. poët. 459: *longum clamet*. Ibid. 180. *magnum loqui*. V. nos in Gr. L. §. 112. Not. 4. Cf. Gr. βοᾶν μέγα, μακρὸν κλαίειν, ἀΰτειν, similia, de quibus exposuimus in Gr. Gr. T. II. §. 547. Not. 3. (Gr. schol. §. 278, 3.) *Wolfius* suo Ciceroniani sermonis sensu ductus dubitat, num Cicero dicturus fuerit: *exclamare magnum*.

eiici vocem] Hanc scripturam *Lambinus* e duobus MSS. (quibus accedit Vind. 1.) reposuit pro vulgata *elici:* quam munire conatur *Davisius* pluribus e veteribus scriptoribus allatis locis, in quibus *vocem* vel *voces elicere* legitur. Quasi vero huius locutionis bonitatem quis in dubium vocare voluerit; at haec locutio, licet alio loco elegantissima sit, ab huius loci sententia quam maxime abhorret. Requiritur enim verbum, quod maximam qua vox emittatur declaret contentionem: quae quidem vis egregie exprimitur verbo *eiici*. Etiam *Moser* edidit *eiici*, sed *Klotzius* et *Tregder* redierunt ad vulg. *elici*. Ipse *Davisius* in ed. II. revocavit *eiici*, improbato *elici*.

emissiones habent, quo sunt contenta atque adducta vehementius; sic vox, sic cursus, sic plaga hoc gravior, quum[2] est missa contentius. Cuius contentionis quum tanta vis sit, si gemitus in dolore ad confirmandum animum valebit, utemur; sin erit ille gemitus elamentabilis[3], si imbecillus, si abiectus, si flebilis, ei qui se dederit, vix eum virum dixerim. Qui quidem gemitus si levationis aliquid afferret, tamen videremus, quid esset fortis et animosi viri; quum vero nihil imminuat doloris, cur frustra turpes esse volumus? Quid est enim fletu muliebri viro turpius? 58. Atque hoc praeceptum, quod de dolore datur, patet latius. Omnibus enim rebus, non solum dolori, simili contentione animi resistendum est. Ira exardescit, libido concitatur; in eandem arcem confugiendum est, eadem sunt arma sumenda. Sed quoniam de dolore loquimur, illa omittamus[4]. Ad ferendum igitur dolorem placide atque sedate plurimum proficit toto

2 Sic (aut *cum*) R. P. Gud. 1. II. 2. Aug. Duisb. Marb. Rehd. unus Leid. tres Oxx. et codd. Dav.; *quo est* Or. c. vulg. 3 Sic Or. e optimis codd. R. P. (*elem.*) Gr. Gud. 1. II. b. aliisque; est ἅπαξ λεγόμενον; *lamentabilis* edd. vett. fere omnes et codd. deteriores. 4 R. *omittam*, quod sino dubio ex compend. *omittam'* ortum est.

omnibus ungulis] Proverbialis dicendi formula pro *omnibus viribus*, *totius corporis contentione*, ut adeo ungues, h. e. extremae corporis partes, intendantur. Cf. *Forcellinii* Thes. Latin. h. v. Sic ὀδοῦσι καὶ ὄνυξι: cuius proverbii origo *Hemsterhusio* ad Lucian. in Dialog. Mort. T. II. p. 465. Bip. manavisse videtur a feris bestiis, quae armis a natura datis uti solent. Sed *Ursinus* (ex antiquo cod.), *Lambinus*, *Bentleius* legendum arbitrantur *unguiculis*, quia nomen *ungulae* non dicatur de homine: contra quam opinionem recte videtur *Orellius* monere, tropum ab equis, qui omnibus ungulis enituntur, sumptum esse. Neque vero semper *ungulas* de solis bestiis usurpari, demonstrat *Davisius* coll. Plaut. Pseud. II. 2, 47. III. 2, 63. aliisque locis. — Sic verba *toto pectore* proverbii locum tenent. Hinc de Legg. I. 18, 49: si non ipse amicus per se amatur *toto pectore*, *ut dicitur:* ubi cf. *Davisium*.

asserviunt] Ἅπαξ λεγόμενον: quare *Bentleius* e *Davisii* codice legi vult *deserviunt*, ut vere habetur in Vind. 1. Aug. et uno *Davisii*. *Orellius* suspicatur *inserviunt*. Bene *Klotzius* verbum *asserv.* interpretatur *sie unterstützen noch nebenbei.*

§. 57. *lege Varia*] *Lex Varia* lata est a Q. Vario Hybrida, Sucrone, Hispaniae Tarraconensis urbe, oriundo, trib. pl. A. U. DCLXIII. (91. a. Chr.) de maiestate: qua sanctum est, ut quaestio haberetur de eis, quorum opera consiliove socii contra populum Rom. arma sumpsissent. Nam eo anno Coss. L. Iulio Caesare, P. Rutilio Lupo ortum est bellum in Italia, quod Sociale, Marsicum, Italicum appellatur. *Ernestius* Ind. Leg. I. *Varia*. *Klotzius* in Add. p. 108. laudat *H. Meyerum* in Fragmm. orat. Romann. p. 290. ed. II.

lapidum — telorum] Hi genitivi pendent a substantivo *emissiones*.

missa contentius] Verbum *mittendi* per zeugma, quod dicitur, etiam ad *cursum* relatum est. Ceterum monendum est, non omnia verba hanc dicendi figuram admittere posse, sed ea tantum, quae et generalem et specialem significationem habent, ut *mittere* primum omnino notat *movere aliquid loco suo*, deinde pro *iaculari*, *emittere* ponitur. V. nos in Gr. L. §. 162, 2. Cf. ad V. 23, 66. et 31, 87.

ille gemitus elamentabilis] Ut §. 55. reiiciatur Philocteteus ille clamor. Non credo, quod *Orellius* existimat, significari his verbis versum poëtae tragici Romanis notissimum. De saepius repetita coniunctione *si*, nullo addito verbo, sed ex antecedentibus supplendo multa e Cicerone exempla collegit *Stürenburg.* ad or. pro Arch. p. 22.

§. 58. *Ira exardescit —: in eandem a. c. est*] V. ad 12, 28: Rogo hoc idem. De seq. *toto pectore* v. ad §. 56.

pectore, ut dicitur, cogitare, quam id honestum sit. Sumus enim natura, ut ante dixi, (dicendum est enim [5] saepius,) studiosissimi appetentissimique honestatis: cuius si quasi lumen aliquod adspeximus [5], nihil est quod, ut eo potiamur, non parati simus et ferre et perpeti. Ex hoc cursu atque impetu animorum ad veram laudem atque honestatem illa pericula adeuntur in proeliis; non sentiunt viri fortes in acie vulnera, vel sentiunt, sed [6] mori malunt, quam tantum [7] modo de dignitatis gradu demoveri. 59. Fulgentes gladios hostium videbant Decii, quum in aciem eorum irruebant. His levabat omnem vulnerum metum nobilitas mortis et gloria. Num tum [7] ingemuisse Epaminondam putas, quum una cum sanguine vitam effluere sentiret? imperantem enim patriam Lacedaemoniis relinquebat, quam ac-

5 v. Adn. 6 Sic R. P. Gud. 1. multique alii codd. et edd. vett. (e recc. Kl. et Tr.); *vel si sentiunt, se mori* Or. c Guelf. Pal. 2. sex Oxx. Aug. (*mori se.*) Marb. et mult. edd. vett.: quae scriptura si revera exstabat, vix exputari potest, uti verissime monet *Kl.* in Add. p. 108., cur librarii mutare voluerint, quum eius sententia planissima sit; contra illa difficilior scriptura corruptelae magis obnoxia erat. 7 v. Adn.

dicendum est enim saepius] *Davisius* pro *enim* legendum suspicatur *autem:* quod recte improbat *Wopkens.* Lectt. Tull. 1, 11. p. 89. H. Nam *enim* rationem reddit, cur, quum eadem res iam antea dicta esset, h. l. repetatur, quia saepius dicenda sit.

cuius si quasi lumen aliquod adspeximus] Or. c. vulg. edidit *adspexerimus;* at plurimi codd. optimique, ut R. P. Gud. 1., exhibent *adspeximus.* In eiusmodi enuntiationibus neque futurum exactum ferri potest; nam in enuntiatione primaria nulla res futura significatur; neque coniunctivus perfecti; nam nihil aliud significatur, nisi tempus; sed solus indicativus perfecti recte se habet. Ubi enim enuntiatio primaria actionem exprimit, quae aut praesenti tempore fieri solet aut praeterito tempore fieri solebat; lingua Latina in enuntiatione secundaria, si eius actio ante actionem enuntiationis primariae absoluta sit necesse est, utitur aut indicativo perfecti aut indicativo plusquamperfecti, prout in enuntiatione primaria aut praesens aut imperfectum est. V. *Madvigium* ad Fin. V. 15, 41. p. 689 sq. Opusc. acad. alt. p. 282 sq. et nos in Gr. L. §. 107. Not. 10. Sic II. 11, 27: *quum accesserunt* —, elidunt. 23, 54: *qui — restiterunt*, discedunt saepissime superiores: ubi v. var. scr. III. 2, 3: *quum — tulerunt*, audiuntur —; *quum* vero *accessit* etc.: ubi v. adn. 3, 33. IV. 21, 48. 22, 50. 24, 54. V. 27, 77. 35, 102. At IV. 10, 24. coniunctivus ob or. obliq. positus est, et V. 5, 14: *quum — traduxeris*, coniunctivus perfecti propterea positus est, quod secunda persona singularis coniunctivi usurpatur, ubi subiectum fictum commemoratur. At IV. 23, 51. et V. 30, 85. codd. scriptura mutanda est. Lael. 15, 53. in omnibus codd. legitur: *quodsi* forte (tyranni) — *ceciderint*, tum intelligitur, quam fuerint inopes amicorum: ubi *Seyffart.* p. 317. enuntiationes conditionales illi regulae non esse obnoxias, sed pro sententiae ratione aut indicativum aut coniunctivum perfecti requirere arbitratur.

quam tantum modo] Hanc scripturam omnes fere libri exhibent; unus Leid. et quinque Oxx. pro *tantum* dant *tantillum:* quod iniuria recepit Or.; nam hac forma nusquam usus est Cicero. Mirifice blanditur quod *Wesenberg.* Em. I. p. 12. legendum suspicatur *tantulum*, comp. 27, 66. Legg. I. 12, 34. Rosc. Am. 40, 118. Verr. II. 50, 124. V. 68, 176: si qui *tantulum* de recta regione deflexerit. 71, 181., et de verborum permutatione infra III. 30, 74., ubi in optimis codd. *diurna* bis pro *diuturna*, et III. 1, 1., ubi in R. P. Gud. *desidera* pro *desiderata* legitur. Nam verissime idem docet, v. *tantus* ita demum pro *tam parvus* poni et poni posse, si sequatur *ut* aut alio quo modo definita magnitudo sit, uti adverbii *tantum* pro *solum* positi vis ex ipso adiecto verbo intelligatur.

ceperat servientem. Haec sunt solatia, haec fomenta summorum dolorum.

XXV. 60. Dices, quid in pace? quid domi? quid in lectulo? Ad philosophos me revocas, qui in aciem non saepe prodeunt. E quibus homo sane levis, Heracleotes Dionysius, quum a Zenone fortis esse didicisset, a dolore * dedoctus *[1] est. Nam quum ex renibus laboraret, ipso in eiulatu clamitabat, falsa esse illa, quae antea de dolore ipse sensisset. Quem quum Cleanthes condiscipulus rogaret, quaenam ratio eum de sententia deduxisset, respondit: „Quia, quum[2] tantum operae philosophiae dedissem, dolorem tamen ferre non possem, satis esset argumenti, malum esse dolorem. Plurimos autem annos in philosophia consumpsi nec ferre possum; malum est igitur

XXV. 1 v. Adn. 2 R. P. Gud. 1. II. unus Ox. *qui quum; quid cum* Mon. 1. V. Adn.

§. 59. *Num tum* etc.] *D.* e coni. *Num tu*, sine ulla idonea caussa; nam ὁμοιοτέλευτον *num tum* neminem offenderit, si inspexerit, quae ad I. 37, 90. extr. contulimus. Et vero *tum* cum vi dictum est, uti recte monuit *Klotzius* in Add. p. 109., quum contra *tu* nullam habeat vim.

imperantem — servientem] Expende elegantem verborum collocationem. V. ad II. 4, 11.

fomenta] Fin. II. 29, 95: virtutis, magnitudinis animi, patientiae, fortitudinis *fomentis* dolor mitigari solet.

Cap. XXV. §. 60. *dedoctus est*] Scil. fortis esse. Haec est acutissima *Bentleii* emendatio. Vulgo legebatur *deductus est*, quod in omnibus codd. legitur, exceptis paucis quibusdam deterioribus, qui glossemata *ductus*, *evictus*, *diductus est* habent. Paullo post quidem legitur: quaenam ratio eum de sententia *deduxisset*; sed h. l. verbum *deductus est* insulsum est. Contra verbum *dedoctus est* elegantissime opponitur praecedenti *didicisset*. Apposite a *Bentleio* laudatur Cicer. Fin. I. 6, 20: si a Polyaeno geometriam *discere* maluisset, quam illam etiam ipsum *dedocere*. Cf. Plat. Hipp. Mai. p. 301. D: νῦν δὲ παρὰ σοῦ ἤδη ἀνεδιδάχθημεν. Etiam *Klotzius* nunc in Add. p. 110. Bentleianam coniectuam amplexatur.

ex renibus] Cicero h. l. et ab aliis et a se ipso dissentit, uti recte docet *Pet. Victorius*; nam Fin. V. 31, 94. ait: *Nobis Heracleotes ille Dionysius flagitiose descivisse videtur a Stoicis propter oculorum dolorem.* Cf. Laert. (in Zenone) VII. §. 37. §. 166. Adde *Goerenz.* ad Academ. II. 22, 71. p. 133.

Quia, quum] *Bentleius* hunc locum sic corrigendum arbitratur: *respondit, Quicunque — dedisset, dolorem tamen — posset, satis esset* etc. At nihil loco movendum. Scilicet ante vocem *Quia* ex antecedentibus verba repetenda sunt: *haec ratio me de sententia deduxit*, ita quidem, ut locus sic accipiendus sit: Dionysius respondit: Haec ratio me de sententia deduxit, quia, quum tantum operae philosophiae dedissem et dolorem tamen ferre non possem, id satis esset argumenti, malum esse dolorem. Ex hac ratione *tamen* pro *et tamen* positum est, ut Fin. V. 32, 95: „ibi esse miseria et aerumna non possit, *tamen* labor possit," quanquam huius loci ratio ob geminationem verbi (*non possit, possit*) et oppositionem negationis et affirmationis non plane par est; v. *Madvig.* ad h. l. Ceterum duae conclusiones, eandem illae quidem sententiam continentes, sed diversis eam modis afferentes, offensioni esse non possunt. Priora enim verba: *Quia — malum esse dolorem* referenda sunt ad illud tempus, quo Dionysius doloris vi permotus hanc rationem conclusit sententiamque priorem mutavit, posteriora verba: *plurimos autem — malum est igitur dolor* ad id tempus, quo Dionysius suam de dolore sententiam et qua ad eam adductus sit rationem cum Cleanthe communicat. *Madvigius* ad Fin. V. 31, 94. legendum censet: *Quia, si, quum* etc.; quod recepit *Tregder*, probavit *Wesenb.* Em. I. p. 17.

dolor." Tum Cleanthem, quum pede terram percussisset, versum ex Epigonis[3] ferunt dixisse:

Audisne haec, Amphiaráë, sub terram[4] *ábdite?*

Zenonem significabat, a quo illum degenerare dolebat. 61. At non noster Posidonius, quem et ipse saepe vidi, et id dicam, quod solebat narrare Pompeius: se, quum Rhodum venisset decedens ex Syria, audire voluisse Posidonium; sed quum audisset, eum graviter esse aegrum, quod vehementer eius artus laborarent, voluisse tamen nobilissimum philosophum visere; quem ut vidisset et salutavisset ho-

3 Quum in R. P. Gud. I. II. Vat. aliisque *Epigoneis*, in nonnullis *Epigoniis*, in uno Ox. *Epigonies* legatur, *Kl.* in Add. p. 110. in archetypo Graece Ἐπιγόνοις scriptum fuisse suspicatur, quanquam inde concludi non possit, ipsum Ciceronem sic scripsisse, quum Graeci, quibus non raro etiam Latini scriptores describendi fuerint, in usurpanda Graeca scriptura sibi placuisse videantur. 4 v. Adn.

ex Epigonis] Erat Aeschyli tragoedia, quam laudat scholiastes ad Pindar. Isthm. VI, 10., eamque videtur Accius in linguam Latinam vertisse. V. Nonium quum aliis locis, tum in *mactare*. Falluntur ii, qui Euripidis drama fuisse censuerunt. *Davisius* ad h. l.

Audisne] Est trimeter iambicus vel senarius.

sub terram abdite] Haec verba significant Zenonem iam mortuum esse. Audisne, inquit Cleanthes, o Zeno, qui nunc versaris apud inferos, mollem Dionysii, discipuli tui, orationem? Pro *sub terram* unus Rehd. exhibet *sub terra* contra legitimum bonorum scriptorum usum. Ii enim semper dicunt *abdere se* aut *aliquid in locum* aut *sub locum*, non *in* (*sub*) *loco:* quod docuit *Klotzius* in Add. p. 111., his collatis exemplis: pr. Mil. 15, 40. ad Fam. VII. 33, 2. ib. 28, 2. XIII. 29 3. pr. Mur. 41, 89. Dolabell. ap. Cic. ad Fam. IX. 9, 2. Caes. B. G. I, 12. VI, 5. Nep. Alcib. 9, 1. Hinc etiam *domum* se abd. C. in Pis. 38, 92. *Arpinum* se abd. ad Att. IX. 6, 1. Recte *Stürenburg.* ad pr. Arch. 6, 12. p. 95. in locutione „*abdere se litteris*" *litteris* pro dativo accipit, ut sit idem fere, quod *in litteras.* In participio *abditus* eadem c. accus. manet structura. *Klotzius* comp. Lucret. IV, 420: corpora mirando *sub terras abdita* caelo; ablativi exemplum affert Cic. de Inv. I. 2, 2: qui dispersos homines *in agris* et *in tectis silvestribus abditos* ratione quadam compulit unum in locum. Cf. nos in Gr. L. §. 120. Not.

significabat] *Significare* idem est, quod recentiores saepe male *alludere*, *innuere* dicunt, ut observat *Wolfius.*

degenerare] Hoc verbum significare videtur *degenerem esse.* Fin. V. 5, 13: horum posteri meliores illi quidem —, quam reliquarum philosophi disciplinarum, sed ita *degenerant*, ut ipsi ex se nati esse videantur: ubi *Madvigius* p. 634. comp. Philipp. XIII. §. 30: fratri tuo, qui a nobis nihil *degenerat*, extorsimus.

§. 61. *quem et ipse saepe vidi, et id dicam*] V. ad I. 30, 72: quibusque fuisset — contagio seseque — sevocavissent.

decedens ex Syria] quam Pompeius devictam a se rempublicam Romanam fecerat (64 a. Chr.). Verbum autem *decedendi* proprium est in hac re. Cornel. Nep. Cat. I, 4: *ex Africa*, decedens *Q. Ennium poëtam deduxerat.* Addit *Moser* C. Phil. II, 5: consulatum meum Cn. Pompeius probavit — *decedens* ex Syria. V. *Kritz.* ad Sall. Iug. XX, 1. p. 126. Participium praesentis positum est hac vi, ut significaretur totum iter ex Syria Rhodum factum. V. *Kritzium* ad Sall. Iug. X, 2., qui recte docet, quanquam hunc participii praesentis usum inde ortum esse negari non possit, quod Latina lingua perfecti participiis careat, tamen negligendum non esse, non plane ita defectum istum compensari, sed ubivis propriam rei nondum absolutae notionem retineri, ut non tam perfecti aut plpfecti, quam imperfecti vim eiusmodi participia sustineant. Multa exempla suppeditant *Kritz.* l. d. *Ruhnken.* Dictat. in Terentii Eunuch. II. 2, 3. *adveniens* (i. e. *quum advenirem*, non, ut Ruhnk. vult, *quum advenissem*).

eius artus laborarent] Fragm. Hortensii p. 482. ed. Or.: Vidi in dolore podagrae vel omnium maximum Stoicorum, Posidonium, nihilo ipsum, quam Nicomachum Tyrium, hospitem meum, for-

norificisque verbis prosecutus esset molesteque se dixisset ferre, quod eum non posset audire; at ille: Tu vero, inquit, potes, nec committam, ut dolor corporis efficiat, ut frustra tantus vir ad me venerit. Itaque narrabat, cum graviter et copiose de hoc ipso, nihil esse bonum, nisi quod esset[5] honestum, cubantem disputavisse, quumque quasi faces ei doloris admoverentur, saepe dixisse: Nihil agis, dolor! quamvis sis molestus, nunquam te esse confitebor malum.

XXVI. 62. Omninoque omnes clari et nobilitati labores contendendo[1] fiunt etiam tolerabiles. Videmusne, ut apud[2] quos eorum

5 Sic R. P. Gud. 1. 2. aliique; Or. c. vulg. *honestum esset.* XXVI. 1 R. P. Gud. 1. *contempno;* Gr. b. Gud. II. Duisb. unus Ox. *contemptu;* vulgo *contemnendo;* ed. praestantissima P. *cotedo.* V. Adn. 2 v. Adn.

tiorem. Cf. *I. Bakium* de Posid. Rhodio, Lugd. B. 1810. p. 16 sq.

Itaque] pro *et ita* positum inservit adnectendae orationi, ut respondeat nostro: *und so*, et Italico *e così.* V. *Forcellinii* Thes. Latin. h. v. *Orellius* cum *Ochsnero* locum sic interpungendum putat: *Itaque, narrabat, eum* cett.

cubantem] „*Cubare* saepe dicitur pro *aegrotantem iacere.* Sic Hor. Sat. I. 9, 18: Trans Tiberim longe *cubat* is prope Caesaris hortos.“ *Moser.*

quasi faces doloris] Eleganti metaphora pro *ardentissimis doloribus.* Offic. II. 10, 37: *dolorem cum admoventur faces, praeter modum plerique exterrentur.* Sic infra V. 27, 76: Dolor *esse videtur acerrimus virtuti adversarius; is* ardentes faces *intentat.* Aliis locis *faces* pro incitamentis ponuntur, ut I. 19, 44: quumque corporis facibus inflammari soleamus ad omnes fere cupiditates. Etiam verbum *ardendi* de doloribus dicitur. *Ochsner* l. d. comp. Fin. II. 28 extr.: quum omnes artus *ardere* viderentur. V. 31. extr.: quum *arderet* podagrae doloribus.

Nihil agis] H. e. nihil efficis, operam perdis. *Ochsner* profert Epist. XI. 28, 10: metu nobis extorquere conantur. Sed nihil agunt. *Ruhnken.* ad Rutil. Lup. II. 11. p. 120.

nunquam — malum] Stoici enim dicebant, praeter turpitudinem nihil esse malum; dolorem igitur, quia turpis non esset, nec malum esse et ferendum esse viro. Cf. Fin. V, 31.

Cap. XXVI. §. 62. *contendendo*] Sic pro vulgato *contemnendo* legendum esse perspexit acumen *Bentleii.* Namque quum labores intelligendi sint ludi gymnici, vocabulum *contemnendo* absurdam significare sententiam, obscurum esse non potest. „Immo, inquit *Bentleius*, qui admirantur, qui Olympiorum victoriam, ut superius dixit, antiquum illum consulatum arbitrantur, hi tanto facilius labores eos perpetiuntur, quanto in maiore felicitatis parte ponunt.“ Contra vocabulum *contendendo* huic loco longe est aptissimum. Nam superioris disputationis (inde a c. 22, 51. usque ad h. l.) caput in eo versabatur, ut demonstraretur, firmissimum contra dolores praesidium positum esse in *contentione. Bentleii* coniectura firmatur uno cod. Lallemanni, eamque omnes recentiores editores receperunt. Sed *Moser* legendum suspicatur *contemnendo dolore fiunt* etc., quum de *contemnendo dolore* loqui velle Marcum et ex antecedentibus et ex seqq. pateat. *Omninoque* demonstrat, ita pergit V. D., antecedentia his verbis respici iisque transitionem fieri ad seqq., quasi dicat: Sicuti vero doloris contemptione *vicerunt* viri sapientes corporis dolores, ita ii labores fiunt *contemnendo dolore tolerabiles*, quibus, qui impigre et summo animi ardore incumbunt, nobilitari solent et clari fieri. Ita, ut hoc utar, videmus etc. Neque *Nissenio* probatur *Bentleii* coniectura: nam, ait, de contentione in ferendis laboribus adhibenda supra dictum est; neque denique *Klotzio* in Add. p. 113 sq., qui e codicum fluctuatione (v. V. Scr.) concludit, in archetypo neque *contemnendo*, neque *contendendo* fuisse, sed compendium quoddam, quod librarii vario modo interpretati sint, legendumque suspicatur *continuo*, ut haec sit sententia: „simulac clari et nobilitati sunt, statim fiunt etiam (i. e. praeterquam quod sunt clari et nobilitati) tolerabiles.“ Mihi vero haec sententia et admodum languida videtur esse et ab hoc loco aliena.

Videmusne, ut etc.] Sic R. P. Gud. 1.

ludorum, qui gymnici nominantur, magnus honos sit, nullum ab iis, qui in id certamen descendant, devitari dolorem? Apud quos autem venandi et equitandi laus viget[3], qui hanc petessunt, nullum fugiunt dolorem. Quid de nostris ambitionibus, quid de cupiditate honorum loquar? quae flamma est, per quam non cucurrerint[4] ii, qui haec olim punctis singulis colligebant? Itaque semper Africanus Socraticum Xenophontem in manibus habebat, cuius in primis laudabat illud, quod diceret, eosdem labores non aeque graves esse[5] imperatori et militi, quod ipse honos laborem leviorem faceret imperatorium[6].

63. Sed tamen hoc evenit, ut in vulgus insipientium opinio valeat honestatis, quum ipsam videre non possint. Itaque fama et multi-

3 L. et quatt. Oxx. *vigeat* et paullo post e coni. *nullum eos fugere*, ut or. obliqua continuetur. Male. V. Adn. 4 Kl. et Mos. b. R. Gud. 1. II. 2. Rehd. Aug. Duisb. Marb. duob. Oxx. et edd. Dav. *cucurrerunt*, quod grammaticae rationi adversatur. 5 R. P. Gud. 1. *esse aeque gravis esse:* hinc ego c. D. Mos., Kl. in Add. p. 116., Tregd. et Duisb. *aeque graves esse* scripsi. Vulgo *esse aeque graves imp.* 6 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. aliisque codd. et multis edd. vett.; unus Pal. Gud. 2. El. marg. Crat. ed. D. 2. *imperatori;* vulgo *imperatorum.* Aperta glossemata; v. *Ellendt.* ad de Or. II. 22, 94. Vol. II. p. 211.

II. b. aliique multi. Orellius c. vulg. omisit *ut.* Oratio ἀνακόλουθος est pro: videmusne, ut — *nullus deviletur dolor?* Durum est ἀνακόλουθον, sed in his libris ferendum. *Klotzius* in Add. p. 115. illud *ut* e corruptela quadam aut διττογραφίᾳ ortum putat, *Wesenb.* Em. I. p. 33. ex antec. *ne* aut ex antec. *vi* repetito.

Apud quos] Breviter dictum pro: apud quos eorum ludorum — magnus honos sit, *apud eos* nullum ab iis — devitari dolorem? apud quos autem — viget, apud eos (ii), qui hanc (laudem) petessunt, nullum fugiunt dolorem. De qua periodi conformatione v. *Naegelsbach.* L. Stilist. §. 124. p. 303.

petessunt] Festus: *Petissere* (petessere) antiqui pro *petere* dicebant, ea quidem forma, qua sunt *lacessere* et *incessere,* sed, ut mihi videtur, tum significabant *saepius petere.* V. *Forcellinii* Thes. Lat. h. v. De orationis obliquae in rectam transitu v. Adnotata in IV. 10, 24.

ambitionibus] H. e. petitionibus honorum. V. *Schütz.* Ind. Latin. h. v.

quae flamma est, per quam non cucurrerint] Proverbialis dicendi formula pro: *nullum periculum subterfugere, gravissimos labores suscipere* (ut nobis: *er läuft für mich durch's Feuer*). Apposite *I. Pagninus* comparat Ter. Eun. III. 2, 38: *E flamma petere* te cibum posse arbitror. Hor. ep. I. 1, 46: per mare pauperiem fugiens, per saxa, per *ignes.* — De seq. *haec* pro *hos* dicto v. ad III. 4, 7.

punctis singulis] H. e. singulorum suffragiis. Suffragia enim ante tabularum usum in comitiis notabantur *punctis,* quae candidatorum nominibus addebantur. V. *Ernestii* Clav. Ciceron. h. v. Quem morem significat Horatius A. P. 343: Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci: ubi v. Intpp. *Moser* laudat interpretes ad C. pro Planc. 22. pro Mur. 34.

Xenophontem] V. *Weiskium* in praef. ad X. Cyrop. p. CXXIV. et de sententia, quae sequitur, *Freinshem.* ad Curtium VII. 3, 17. Xenophontis locus, qui h. l. respicitur, est Cyr. I. 6, 25. Ceterum acute monet *Wolfius,* orationem negligentius conformatam esse pro: *Itaque Africanus in Socratico Xenophonte, quem semper in manibus habebat, in primis laudabat illud* cett. Quam dicendi negligentiam non negligentiae cuidam tribueris, sed quotidiani sermonis consuetudini, quam, ut saepe iam diximus, hi libri dialogica forma conscripti de industria affectarunt. Plura huius generis exempla collegerunt *Madvigius* ad Fin. I, 6. p. 40. et *Naegelsbach.* l. d. §. 127, 3. p. 309.

aeque graves imperatori et militi] De hoc loco non recte iudicavit *Handius* in Tursell. I. p. 190; nam verba sic iungenda sunt: eosdem labores imperatori et militi non esse aeque graves. V. *Madvigium* ad Fin. I, 20. p. 126.

tudinis iudicio moventur, quum[7] id honestum putent, quod a plerisque laudetur. Te autem, si in oculis sis multitudinis, tamen eius iudicio stare nolim, nec, quod illa putet, idem putare[8] pulcherrimum. Tuo tibi iudicio est utendum; tibi si recta probanti placebis, tum non modo tete[9] viceris, quod paullo ante praecipiebam, sed omnes et omnia. 64. Hoc igitur tibi propone: amplitudinem animi[1] et quasi quandam exaggerationem quam altissimam animi, quae[1] maxime eminet contemnendis[2] et despiciendis doloribus, unam esse omnium rem pulcherrimam, eoque pulchriorem, si vacet populo neque plausum captans se tamen[3] ipsa delectet. Quin etiam mihi quidem laudabiliora videntur omnia, quae sine venditatione et sine populo teste fiunt,

7 Sic R. P. Gud. 1. II. 2. b. Aug. Rehd. Duisb. unus Ox. unus Leid. et aliquot edd. vett.; *m., ut id h.* Or. c. vulg. 8 Vind. 1. Duisb. et multae edd. vett. *idem te p. p.*, quod nullo modo requiritur, quum antecedat *te.* 9 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. b. quatt. Oxx. uno Leid. Mon. 2. edd. vet. Bouh. D.; *tute* P. quatt. Oxx. Duisb. et reliquae ed. vett. Male; opponuntur enim *omnes et omnia.* 1 v. Adn. 2 Multae edd. vett. *in c.*; utrumque dicitur. 3 Sic R. P. (*tam*) Gud. 1. II. duo Leidd. tres Oxx. Marb. Duisb. Mon. 2. et edd. vett. Bouh. P. D.; *se tantum ipsa* Or. c. vulg.

§. 63. *in oculis sis multitudinis*] *In oculis alicuius* aut *alicui esse*, *ferri in oculis* dicuntur, qui ab aliis summa caritate diliguntur. ad Att. VI. 2, 5: *publicanis in oculis sumus.* ad Q. Fr. III, 1: *Balbum in oculis fero.* Quod Plautus lepide expressit per *oculitus amare.* Omnino variae apud veteres scriptores reperiuntur formulae summi declarandi amoris, quae petitae sunt ab oculis, pretiosissima corporis nostri parte. V. *Doering.* ad Catull. III, 5.

eius iudicio stare] H. e. niti, acquiescere eius iudicio. V. *Schütz.* in Ind. Latin. v. *stare* sub finem. Cf. infra V. 27, 81: omnia ad suum arbitrium referre, suis stare iudiciis. Offic. III. 30, 110: suo iudicio stetit: ubi v. *Beier.* p. 392.

si — placebis, — viceris] Futurum exactum in apodosi post futurum in protasi notat rei consecuturae effectum tanquam certum. V. nos in Gr. L. §. 107. Not. 11. Cf. *Madvig.* Opusc. acad. alt. p. 85 sq.

§. 64. *amplitudinem animi*] Vocabulum *animi* alii plane deleverunt, alii, ut *Or.*, uncis cinxerunt; ego cum *Klotzio* germanum censeo. Nam *amplitudo* sine genitivo *animi* h. l. dici non potest; alterum autem *animi* nimis remotum est neque post vocabulum *exaggerationis* omitti potuit.

exaggerationem] V. ad V. 18, 51.

quae maxime eminet] Sic recte *Or.* c. omnibus codd. multisque edd. vett.; plures edd. vett. pro *quae* exhibent *qui.* Optime dicitur ipsa exaggeratio animi maxime eminere contemnendis doloribus; de magnitudine enim animi, non de animo agitur h. l. *Wopkens.* Lectt. Tull. p. 93. varia miscuit.

unam omnium rem pulcherrimam] *Unus* superlativo iunctum ad excellentiam refertur (cf. Adnotata in c. 18, 43.). Sic infra III. 16, 34: quae cogitatio *una maxime* molestias omnes extenuat. de Or. III. 8, 31: verborum ea gravitate et copia est, ut *unus* ad dicendum *instructissimus* a natura esse videatur. Nep. Miltiad. I, 1: Quum — sua modestia *unus* omnium *maxime* floreret: ubi v. *Bremium.* Cf. infra III. 33, 81. V. 23, 66. Tirones observent, per quos gradus superlativi vis augeri atque intendi possit. V. c. simpliciter dicitur *doctissimus homo;* tum *multo, longe, quam, vel doctissimus homo, unus doctissimus* (IV. 25, 55. V. 23, 66.); porro *omnium doctissimus, unus omnium doctissimus* (III. 33, 81.); denique *unus omnium longe doctissimus.* V. nos in Gr. L. §. 157. Not. 20.

si vacet populo] H. e. si vacua et libera sit populi iudicio, si sine populo teste recte agat.

sine venditatione] H. e. sine iactatione s. ostentatione. Sic Laelius 23, 86: a multis ipsa virtus contemnitur et venditatio quaedam atque ostentatio esse dicitur.

non quo[4] fugiendus sit, (omnia enim bene facta in luce se collocari volunt;) sed tamen nullum theatrum virtuti conscientia maius est.

XXVII. 65. Atque in primis meditemur illud, ut haec patientia dolorum, quam saepe iam animi intentione dixi esse firmandam, in omni genere se aequabilem praebeat. Saepe enim multi, qui aut propter victoriae cupiditatem, aut propter gloriae[1] aut etiam, ut ius suum et libertatem tenerent, vulnera exceperunt fortiter et tulerunt, iidem omissa contentione dolorem morbi ferre non possunt. Neque enim illum, quem facile tulerant, ratione aut sapientia tulerant, sed studio potius et gloria. Itaque barbari quidam et immanes ferro decertare acerrime possunt, aegrotare viriliter non queunt; Graeci

4 v. Adn. XXVII. 1 Sic Or. c. plurimis edd. vett. et omnibus fere codd., etiam optimis, ut R. P. Gud. 1. b.; *gloriae amorem* pauci deteriores codd. et nonnull. edd. vett.; *gloriam* D. in ed. 2. e coni. V. Adn.

non quo fugiendus sit] Sic recte vulgo legitur, Wolfius mutavit in *non quod*, uti est in Gud. 2. Vind. cod. Ursini et nonnullis edd. vett. Idem infra III. 22, 54. c. quattuor deterioribus codd. edidit: *non quod* pro vulg. *non quo*. Inter utramque dicendi rationem hoc discrimen videtur intercedere: I. *Non quo* c. coni. ponitur 1), ubi *consilium* significandum est; tum in altero membro sequi solet: *sed ut*, *sed ne*, ut Acad. II. 42, 131: introducebat etiam Carneades, *non quo probaret* (i. e. non eo consilio, ut), *sed ut* opponeret Stoicis, summum bonum esse etc. — 2) ubi notio significatur particularum: *non quasi, nicht als ob*, ut de Orat. II. 18, 74: *non quo* mea quidem *intersit* (neque enim aetas id mea desiderat —), sed tamen ista tua — tantum cognoscendi studio adductus requiro. — II. *Non quod* c. coni. ponitur, ubi notio declaratur particularum: *nicht desshalb, weil;* tum in altero membro sequi solet: *sed quod*, *sed quia*, ut Acad. II. 40, 125: me accusas, *non quod* tuis rationibus non *assentiar*, *sed quod* nullis. Supra II. 23, 56: pugiles — ingemiscunt, *non quod doleant*, *animove succumbant*, *sed quia* profundenda voce omne corpus intenditur. Hinc semper dicitur: *non idcirco*, *quod* —, *non ideo*, *quod* —, *non eo*, *quod* —, *non ob eam caussam*, *quod* —, *non id* (v. c. indigne fero), *quod*. Nunquam *non quod* ita dicitur, ut sit: non eo (eo consilio), ut. V. exempla a *Ramshornio* §. 181., a nobis in Gr. L. §. 153. Not. 2., a *Kritzio* ad Sall. Cat. 34, 2., ab *Ottone* ad Fin. IV. 1, 2., allata et doctissimum censorem Gottingensem in *Gött. Anz.* 1831. p. 1446. *Non quo* sine dubio per attractionem natum est ex *non eo quod*. Comparari potest Graecum ἐφ' ᾧ et ἐφ' ὥτε pro ἐπὶ τούτῳ ὅ. V. *Krüger. Untersuchungen d. Lat. Gramm.* III. Heft. p. 260. et 297 sq. Denique monendum, pro *non quod* (*non quo*), *sed quod* saepe in altero membro a Cicerone poni *sed*, *sed tamen*, uti h. l. Cf. I. 1, 1: *non quia* philosophia Graecis et litteris et doctoribus percipi non posset; *sed* meum semper iudicium fuit cett. III. 22, 54. de Or. II. 18, 74. Alia huius generis exempla collegerunt *Müller* ad h. l. p. 234. *Otto* ad Fin. IV. 1, 2. *Seyffert.* ad Lael. 9, 31. p. 210 sq. *Iordan.* ad or. p. Caecina 20, 56. p. 235.

se collocari volunt] V. ad I. 41, 98.

theatrum] de spectatoribus intelligendum. V. Adn. in l. 44, 106.

Cap. XXVII. §. 65. *propter gloriae*] *Nissenius* comparat III. 32, 77: et de communi conditione vitae, et proprie, si quid sit *de ipsius*, qui maereat, disputandum. IV. 31, 65: Ac de malorum opinione hactenus. Videamus nunc *de bonorum*.

iidem omissa cett.] Pronomen *idem* saepe adversativa vi (*tamen idem* vel *idem tamen*) usurpatur. Infra V. 10, 30: non concedo, ut, quum ea, quae supra enumeravi, in malis numerent, *iidem* dicant, semper beatum esse sapientem. Plura contulit *Wopkens.* Lectt. Tull. II, 4. p. 197: ubi *Handius* laudat *Wolfium* ad Sueton. Domit. 3. V. nos in Gr. L. §. 123, 3.

Graeci autem homines, non] Or. c. W. verba distinxit sic: Graeci autem, homines etc. Immo iungenda sunt *Graeci*

autem homines, non satis animosi, prudentes[2], ut est captus hominum, satis, hostem adspicere non possunt; eidem[3] morbos toleranter atque humane ferunt. At Cimbri et Celtiberi in proeliis exsultant, lamentantur in morbo; nihil enim potest esse aequabile, quod non a certa ratione proficiscatur. 66. Sed quum videas, eos, qui[4] aut studio aut opinione ducantur, in eo persequendo atque adipiscendo dolore non frangi: debeas[5] existimare, aut non esse malum dolorem, aut, etiam si, quicquid asperum alienumque natura[6] sit, id appellari placeat malum, tantulum tamen esse, ut a virtute ita obruatur, ut nusquam appareat. Quae meditare, quaeso, dies et noctes. Latius enim manabit haec ratio et aliquanto maiorem locum, quam de uno

2 Nonnulli deteriores codd. *sed pr.* Male; particula adversativa propter contraria *non satis* et *satis* omittenda. V. nos in Gr. L. §. 138b, 2. 3 Sic R. P. Gud. 1. Duisb. Marb. quatt. Pall.; v. ad IV. 36, 78. nonnull. edd. vett. *Sed iidem;* multae *et iidem:* Or. c. aliis *iidem.* 4 Vat. *cum videas quo quis aut studio aut op. ducatur:* unde W. coni. *cum videas eos, qui quo* (i. e. wohin) *aut studio* vel *qui studio quo — ducantur.* At v. Adn. 5 v. Adn. 6 Sic Or. c. plurimis et optimis codd., ut R. P. Gud. 1.; alii *a natura.* V. nos in Gramm. L. §. 115. 11. b).

homines, scil. illius aetatis. *Graeci homines* sunt Graeci et gente et ingenio. V. *Halmium* ad or. p. Sest. p. 67, 141. Interpunctionem a me propositam Or. in ed. rec., Kl., Mos. probaverunt.

ut est captus hominum] H. e. pro ratione, conditione captus Graecorum, Graeci qua sunt a natura instructi prudentia. Sic Ter. Adelph. III. 4, 34: hic Geta Praeterea, *ut captus* servulorum *est*, non malus Neque iners. Caes. B. G. 4, 3: quorum (sc. Ubiorum) fuit civitas ampla atque florens, *ut est captus* Germanorum: ubi v. *Herzog.* p. 204. Ter. Adelph. III. 3, 35. *ut est Dementia.* Maxime autem illud *ut* sine verbo ponitur, ita ut id ex orationis nexu supplendum sit: de quo usu supra ad I. 8, 15. copiose disputavimus.

humane ferunt] H. e. animo moderato, uti hominem decet. Sic Ter. Adelph. I. 2, 65: vix *humane patitur:* ubi v. *Ruhnken.* Sic Graeci dicunt ἀνθρωπίνως φέρειν v. c. τὰς τύχας, τὸ συμβεβηκός. Plutarch. Cons. ad Apollon. p. 118: πείθοντες τὰ κοινὰ τοῦ βίου συμπτώματα κοινῶς φέρειν καὶ τὰ ἀνθρώπινα ἀνθρωπίνως. Menander p. 269. Meinek.: ἀνθρωπίνως χρὴ τὰς τύχας φέρειν, ξένε. *Moser* addit Plutarch. l. d. p. 102, a: ἀνθρωπίνως φέρειν τὸ συμβεβηκός: ubi v. *Wyttenb.*

Cimbri et Celtiberi] Valer. Maxim. II. 6, 11: Alacris et fortis Cimbrorum et Celtiberorum (philosophia), qui in acie gaudio exsultabant, tanquam gloriose et feliciter vita excessuri; lamentabantur in morbo, quasi turpiter et miserabiliter perituri.

§. 66. *in eo persequendo*] E nominibus *studio* et *opinione* intelligendum est *id, cui student et quod bonum opinantur.* Sic recte de h. l. statuit *Nissenius. Klotzius* comp. I. 2, 4: discebantque *id* omnes: ubi v. Adnotata nostra.

debeas existimare] Tres Leidd. Rehd. Mon. 2. et nonnullae edd. vett. legunt *debes.* Non recte *Klotzius* coniunctivum interpretatur: so *sollte* man doch annehmen, dass du müssest; sed est notissimus ille secundae personae coniunctivi usus, quo subiectum fictum significatur: so muss *man* urtheilen, plane ut paullo ante: quum *videas*, wenn man sieht.

aliquanto maiorem] H. e. bona parte maiorem. *Aliquanto* et *aliquantum* significationem habent quasi in confinio positam verborum *multo* et *paullo. Bremius* ad Cornel. Nep. Dion. IV, 1: *aliquanto crudelior* apte comparat nostrum *ziemlich*, quod modo *ziemlich viel*, modo *ziemlich wenig* significare potest. Conf. infra III. 10, 22: ubi cf. Adnot. Exemplum luculentum est III. 22, 52: hostium repens adventus *magis aliquanto* conturbat, quam exspectatus: ubi *aliquanto* comparativo postpositum est. V. 6, 15: Actum vero, et *aliquantum* quidem. *Herzog.* ad Caesar. B. G. V, 10. p. 252. recte videtur statuere, *aliquantum* ea vi dici, qua apud Plinium Epp. IV. 27, 2: *aliquot annis,* seit einer ziem-

dolore, occupabit. Nam si omnia fugiendae turpitudinis adipiscendaeque honestatis caussa faciemus, non modo stimulos doloris, sed etiam fulmina fortunae contemnamus licebit, praesertim quum paratum sit illud ex hesterna disputatione perfugium. 67. Ut enim si cui naviganti, quem[7] praedones insequantur, deus qui[8] dixerit: „Eiice[9] te navi[1]; praesto est, qui excipiat, vel delphinus, ut Arionem Methymnaeum, vel equi Pelopis illi Neptunii, qui *per undas currus suspensos rapuisse* dicuntur, excipient te et, quo velis, perferrent," omnem omittat[2] timorem: sic urgentibus asperis et odiosis doloribus, si tanti * sint, ut ferendi *non sint*[3], quo sit confugiendum, vides.

7 v. Adn. 8 Sic R. P. Vat. Gud. 1. II. tres Pall. duo Oxx. Marb. et ed. D. (e recc. Mos. Tr. Kl. in Add. p. 117.); Or. c. vulg. *deus quis.* 9 R. Gud. 1. 2. Marb. *eice.* 1 Sic R. Gud. 1. II. Mon. 1. 2. Aug. Rehd. Vind. 2. quatt. Oxx. et edd. vett. P. Gebh. D.; *te de navi* Or. c. b. et plurimis edd. vett.; *te ex navi* unus Or. et Gud. 2.; *te e n.* cod. D.: quod, si praepositio admittenda est, maxime placet. 2 Sic Or. c. Aug. Vind. 2. octo Oxx. et plerisque edd. vett.; *omittas* alii codd. in iisque optimi, ut R. P. Gud. 1. V. Adn. 3 v. Adn.

lichen Reihe von Jahren. Adde eundem ad Caes. l. c. III, 13. p. 173. et *Kritz.* ad Sall. Cat. VIII, 3.

perfugium] in contemnenda morte positum. Cf. I. 49, 118. et 119.

§. 67. *naviganti, quem*] Sic *Or.* c. vulg.; sed permulti codd. et optimi, ut R. P. Gud. 1. II. Vat. omittunt *quem:* unde *Wopkens.* p. 94. coniecit: *si cui naviganti, praedones si insequantur:* quod recepit *Moser,* et probaverunt *Handius* et *Orellius* in ed. rec. De repetito *si* comparat *Wopk.* Acad. I. 2, 4: existimavi, *si* qui de nostris eius studio tenerentur, *si* essent Graecis doctrinis eruditi, Graeca potius, quam nostra lecturos. *Handius* addit ad Fam. I. 9, 30: *si* accusandi sunt, *si* qui pertimuerunt, magis etiam reprehendendi sunt, *si* qui se timere simularunt.

deus qui] Sic optimi codd. pro vulg. *deus quis.* Si *deus qui* dixerit est: wenn ein Gott, wer er auch sei; si *quis* deus est: wenn ein Wesen, nämlich ein Gott, V. nos in Gr. L. §. 124. Not. 2. *Moser* laudat *Herzog.* ad Caes. B. G. 6, 13.

Arionem] Herodot. I, 23. Gellius XVI, 19. Ovid. Fast. II, 83. V. *Davisium.*

equi Pelopis Neptunii] Pelops Hippodamiam, Oenomai, regis Elidis et Pisae, filiam, ambiturus a Neptuno petiit, ut se contra Oenomai hastam defenderet et ipse victor e certamine subeundo discederet: quibus deus precibus commotus adolescenti currum dedit aureum et equos velocissimos. Pulcherrime hanc fabulam pertractavit Pindarus Olymp. I, 67—87: ubi v. *Boeckhii* Explicatt. p. 110 sq. Cf. *Davis.* ad h. l. et Ind. hist.

per undas — rapuisse] Haec verba poëticum prae se ferre colorem, observaverunt interpretes. Qua de caussa eos *Wolfius* diversis litterarum formis describendos curavit.

omittat] Scil. is, cui — deus qui dixerit etc. Optimorum librorum (v. V. Scr.) scriptura *omittas* ex eo orta est, quod librarii more suo ad proxime antecedentia respicientes ad ea verbum referebant. Etiam *Klotzius,* qui in edit. *omittas* receperat et argutis rationibus defenderat, nunc in Add. p. 117. *omittat* verum iudicat.

si tanti sint, ut ferendi non sint] Omnium fere codicum scriptura est: *si tanti non sint, ut ferendi sint.* Quam nos dedimus scripturam, ea est praeclara coniectura *Lambini,* confirmata duobus Oxx. et Vind. 1. (nisi quod hic *tanto* habet), recepta etiam a *Tregdero* et probata a *Madvigio* in Opusc. acad. alt. p. 195., itemque a *Klotzio* in Add. p. 117., etsi ineptam vulgatam multis, sed infirmis rationibus defenderat, denique a *Wesenb.* Em. I. p. 12., qui ad huius loci sententiam geminum locum (infra V. 40, 117.) contulit: sin forte (dolores) longinquitate producti vehementius tamen torquent, quam ut caussa sit, cur ferantur (= tam vehementer, ut ferendi non sint): quid est tandem —, quod laboremus? Or. et Mos. e Gulielmi coni. ediderunt *si tanti non sit, ut ferendi sint,* adversante formulae *tanti est* usu, de quo v. *Madvig.* l. d. p. 187 sqq. copiosissime

Haec fere hoc tempore putavi esse dicenda. Sed tu fortasse in sententia permanes. *A.* Minime vero; meque biduo duarum rerum, quas maxime timebam, spero liberatum metu. *M.* Cras ergo ad clepsydram; sic enim diximus [3], sed [4] tibi hoc video non posse deberi. *A.* Ita prorsus. Et illud quidem ante meridiem; hoc eodem tempore. *M.* Sic faciemus, tuisque optimis studiis obsequemur.

4 W. c. Turneb. Advv. 4, 18. *et tibi*, et sic unus Ox. Vind. 2.

elegantissimeque exposuit. Victorius et Pal. quart. habent *si tanti sint, ut ferendi sint.*

ad clepsydram] Sententia: Cras instituemus exercitationes rhetoricas aut declamandi exercitia. De v. *clepsydrae* v. *Forcellin.* in Thes. Lat. h. v. Ad talem clepsydram et oratores in foro verba faciebant, et vero in ludis declamandi exercitia instituebant iuvenes. Hinc de Orat. III. 34, 138: hunc non clamator aliquis ad clepsydram latrare docuerat, sed Anaxagoras, vir summus in maximarum rerum scientia: ubi v. *Harless. Neidius*, prorsus ab huius loci sententia aberrans, ad verba *ad clepsydram* supplet *persequemur, quod reliquum est*, immo supplendum erat *declamandi exercitationem instituemus:* quod luculentissime apparet e verbis proxime sequentibus: *et illud quidem* (sc. declamandi exercitium) *ante meridiem; hoc* (sc. disputatio, quae versatur in philosophia) *eodem tempore*, sc. quo hodie, h. e. pomeridiano. Clarissima huic loco lux affunditur ex c. 3, 9.

sic enim diximus] H. e. constituimus. *Davisius* in partes vocat Nonium v. *dicere.* „Nemo quaeret, opinor, quandonam id Cicero amicique dixerint. Satis est hic significari fuisse dictum; neque enim omnia perscripta sunt, quae illis diebus in Tusculano dici potuere.“ *Olivet.* Pro *diximus*, quod exhibent Vat. b. Pal. 4. unus Ox. Marb. Mon. 1. Fabr. Leidd. El. 3. Petr. Bak., Orellius edidit *dicimus*, quod legitur in quinque Oxx. et nonnullis edd. vett.; praesens explicat ita: sic enim *facere solemus*, Lallem.: haec est enim nostra ratio, ut ante meridiem dictioni demus operam ad cleps. Vulgo (etiam in optimis codd. R. P. Gud. 1.) legitur *duximus:* quod recepit *Klotzius* et sic interpretatur: denn dahin sind wir übereingekommen, denn das war unser Vorsatz. At hanc vim non habet verbum ducendi.

non posse deberi] H. e. intelligo, debitum meum (sc. declamandi exercitium) a me tibi primo quoque tempore solvendum esse. Eadem dicendi formula legitur de Legg. II. 3, 7: ubi v. Interp. ap. Cr. p. 173. et III. 11, 26. *Orellius* comparat Topic. §. 4. Cf. *Schütz.* Lex. Cic. v. *debere.*

M. TULLII CICERONIS
TUSCULANARUM DISPUTATIONUM
AD
M. BRUTUM
LIBER TERTIUS.

I. 1. Quidnam esse, Brute, caussae putem, cur, quum constemus ex animo et corpore, corporis curandi tuendique caussa quaesita sit ars atque eius utilitas [1] deorum immortalium inventioni consecrata; animi autem medicina nec tam desiderata sit, antequam in-

I. 1 Sic ego scripsi c. Man. e coni., etiam Wesenbergio Em. I. p. 20 probata; Or. c. L. e coni., ut videtur, aliquot Oxx. et Gud. 2. pro vulg. *ars eius atque ut.* (neque aliter Gud. 1. itemque R. et Pith. ap. Wes.; idem l. d. complura verborum in codd. transpositorum exempla congessit; Wopkens. p. 96. e coni. *ars eiusque utilitate* (i. e. ob utilitatem); Bouh. e. coni. *ars eiusque utilitas d. i. inventione* (sic Aug.) *cons.* (i. e. artis huius utilitas consecrata honore diis ob eius inventionem reddito, vel potius honore divino iis hominibus tributo, quibus debetur inventio). Frustra. V. Adn.

Cap. I. §. 1. *quaesita*] Non idem est, quod sequens *inventa;* illud enim significat, corporis medicinae inventionem ab hominum multitudine desideratam fuisse, hoc contra indicat, animi medicinae inventionem, ab hominum multitudine non adeo desideratam, a philosophis communicatam fuisse, uti recte explicat *Orellius* contra *Wolfium*, qui *quaesita* idem valere statuerat, quod *inventa.*

atque eius utilitas cett.] Sententia: Ars medica tantam existimata est habere utilitatem, ut eius inventio non hominibus adscriberetur, sed ipsis diis immortalibus. *Consecrata,* i. e. diis adscripta ideoque sacra habita. Pro P. Sestio 68, 143: hanc opinionem (sc. immortalitatis) si in illo sanctissimo Hercule *consecratam* videmus, cuius corpore combusto, vitam eius et virtutem immortalitas excepisse dicitur: ubi *Matthiaeus* p. 183: *consecratam* Hercule inter deos relato et consecrato sanctam, ut ab ea recedere nefas sit. *Deorum immortalium inventioni* gravius dictum est pro: diis immortalibus *inventoribus.* Ad adiectivi attributivi vim maiore vi efferendam Romani saepe pro adiectivo ponunt substantivum eique alterum substantivum in genitivo addunt. Infra 5, 11: *mediocritas officiorum* pro mediocribus officiis; sic saepe *opinionis error* pro falsa opinione; infra 2, 4: cursus error, falscher Weg. V. 15, 43: in bonorum errore, h. e. in bonis opinatis. 27, 78: pravitatis errores. Plura suppeditabit *Naegelsbach.* L. Stil. §. 62. p. 148 sqq. Ad sententiam apposite *Davisius* comparavit Plin. H. N. XXIX, 1: „(medicina) *Diis primum inventores suos assignavit et caelo dicavit.*“ Adscribitur autem ars medica praecipue Apollini eiusque filio Aesculapio. Res in vulgus nota.

tam desiderata] Attende ad exquisitiorem significationem particulae *tam* pro *adeo.* Cf. Fin. I, 1. pr. Quidam autem non id *tam* reprehendunt, si remissius agatur: ubi v. *Bremium* et quem laudat *Drakenb.* ad Liv. XXXIII. 45, 4.

An, quod] Sententia huius loci: Animi medicina idcirco ab hominibus negligi videtur, quod animus, qui habet

venta, nec tam culta, posteaquam cognita est, nec tam multis grata et probata, pluribus etiam suspecta et invisa? An quod corporis gravitatem et dolorem animo iudicamus, animi morbum corpore non sentimus? Ita fit, ut animus de se ipse tum[2] iudicet, quum id ipsum, quo iudicatur[3], aegrotet. 2. Quod si tales nos natura genuisset, ut eam ipsam intueri et perspicere eademque optima duce cursum

2 v. Adn. 3 Sic Or. c. R. P. aliisque; alii *quod iudicatur;* aliquot edd. vett. *quod iudicat;* cod. Tolet. et nonnullae edd. vett. *quo iudicet.*

iudicandi facultatem, de corporis morbis iudicat; contra corpus, quod nullam habet iudicandi facultatem, de animi morbis iudicare non potest. Ergo quum corpus aegrotat, eius morbum cognoscere et iudicare potest animus sanus; contra quum animus aegrotat, h. e. quum animus vexatur perturbationibus, quae sunt morbi animorum, de suo ipse morbo debet iudicare; at quum animus non est sanus, fit, ut de se ipse recte iudicare non possit. — *An quod* h. e. an haec caussa est, quod. Sic saepe elliptice dr. *an, quum; an, quod; utrum, quod — an quod; an, quia;* v. *Goerenz.* ad Acad. I, 3. p. 19. Sic infra c. 2, 4: omnibus his nullane est adhibenda curatio? *utrum, quod* minus noceant — ? *an quod* etc.? Quod *Ochsner* ad Ecl. Cic. p. 92. et 102. statuit, *an* h. l. idem valere, quod *annon* vel *nonne,* haud satis cogitate fecit; nam *an* per se nunquam hanc habere potest vim. Res sic est animo conformanda: *An* nunquam in simplici, sed semper in *bimembri* interrogatione, et quidem in altero eius membro, ponitur; saepe autem prius membrum ipsis verbis non est expressum, sed latet in antecedentibus vel etiam ex tota oratione mente supplendum est. Iam vero si hoc membrum suppressum *affirmativum* est, i. e. si ab eo, qui interrogat, huius membri affirmatio animo praecepta est, posterius membrum per *an* inductum *negativum* est, i. e. interrogationem ponit, cuius negatio exspectatur; tum *an* idem valere videtur, quod *num, numne.* Infra IV. 23, 52: si quid (fortiter in re p.) fecimus, certe irati non fecimus. *An* est quicquam similius insaniae, quam ira? (h. e. *nonne* res ita se habet, *an* — ? aut simplici interrogatione: *num* (*numne*) est quicquam similius insaniae, quam ira?) 25, 55: ubi primum: *An* tibi irasci tum videmur — ? dein: *num* irati scribimus? 37, 79. V. 14, 40. Sin autem membrum suppressum *negativum* est, i. e. si huius membri negatio animo praecepta est, posterius membrum *affirmativum* est, i. e. interrogationem ponit, cuius affirmatio exspectatur; tum *an* idem valere videtur, quod *nonne,* ut h. l. Cf. de Senect. VI, 15: a rebus gerendis senectus abstrahit? quibus? *an* iis, quae in iuventute geruntur et viribus? (i. e. *num, numne* aliis, an iis, quae — ? aut simplici interrogatione: *nonne* iis, quae — ?) Tale *an* nobis vertere licet per *etwa?* Probe autem tenendum est, voculae *an* semper adiunctam esse notionem *dubitationis* ac *fluctuationis;* nam si interrogationis affirmatio *certo* exspectatur, pro *an* ponitur *annon,* ut Parad. V, 3: *An non* est omnis metus servitus? Sic h. l., si scriptum esset: *annon, quod* — ?, Cicero significasset, sibi persuasissimum esse, nullam aliam caussam esse, nisi eam, quae a se allata esset, cur animi medicina non admodum culta esset ab hominibus: quod noluit; nam etsi caussam prolatam unice veram habebat, ut luculenter apparet ex seqq. verbis: *ita fit, ut* etc.; tamen eam dubitanter proponere voluit: unde orationi ironia quaedam admiscetur, qua sententiam certissimam ut dubiam proferimus. De particulae *an* usu doctissime disputavit *Handius* in Tursell. T. I. p. 342 sqq. Cf. nos in Gr. L. §. 159, 2.

corporis gravitatem] Ea fit, quum languescit corpus et quasi quodam pondere premitur, ut membra suis aegre fungantur muneribus, uti interpretatur *Davisius,* qui in partes vocat Cels. I. Praef. p. 19. c. 10. II, c. 7. Sic Graece βαρύτης σώματος. Cf. Fin. IV, 12. Paullo post *ita fit* formula concludendi pro *hinc sequitur, efficitur,* de qua v. ad II. 6, 16.

ut animus de se ipse tum iudicet] *Bouhierius* cum uno Leid. post *ipse* negationem *non* addendam censet. Male. *Iudicet Nissenius* interpretatur *debeat iudicare;* sed haec sententia latet in hac verborum iunctura: *ita fit, ut iudicet.*

vitae conficere possemus; haud erat sane, quod quisquam rationem ac doctrinam[4] requireret. Nunc parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravati[5] sic restinguimus, ut nusquam naturae lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum, quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem, simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur, ut paene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Quum vero parentibus redditi, dein[6] ma-

4 R. P. Gud. (a pr. m.) quatt. Pall. Fab. Ulr. *ratione ac doctrina;* Gr. Vict. Petr. ed. Steph. *ratione et doctrina;* Kl. recte has script. ex compendio *rationē, doctrinā* ortas putat. 5 v. Adn. 6 Sic Or. c. Gud. 1. Vat. Mon. 1.; eodem ducit scriptura *redditi*, *demum*, quae est in Gr. aliisque, itemque scriptura optimorum codd. R. et P. *redditidē;* porro alii codd. et edd. habent *r. deinde;* un. Ox. Rehd. Mon. 2. Vind. 1. et nonnullae edd. vett. habent *redditi, id est,* quod e recc. unus *Klotzius* recepit et multis, sed non idoneis, argumentis defendit; idem nunc in Add. p. 122. magis ad scr. *redditi*, *dein* inclinat. Corruptio verae scripturae *dein* sine dubio ex compendiis profecta est.

§. 2. *haud erat sane*] V. Adnotata nostra in I. 49, 116: *magnum est.*

rationem ac doctrinam] V. ad I. 13, 30.

Nunc] Observandus exquisitior huius particulae in oppositionibus usus (*nun aber*). Saepe additur particula adversativa, uti paullo post *nunc autem*, infra IV. 24, 54. N. D. II. 36, init.; *nunc vero*, uti de Fin. V. 15, 41. Nostri loci structurae simillima est ea, qua usus est Curtius VII. 5, 35: Quae si in ipsos proditionis auctores excogitata essent, iusta ultio, non crudelitas videretur; *nunc* culpam maiorum posteri luere, qui ne viderant quidem Miletum. Sic Graeci utuntur particulis νῦν δέ: de quibus v. nos in ampliore Gramm. Gr. T. II. §. 690, 2. p. 385. Cf. *Vigerum* Idiot. p. 426. et *Hoogeveen.* de Partic. Graec. p. 545 sq. ed. Schütz. *Herzog.* ad Quintil. X. p. 178.

parvulos — igniculos] Deminutio additur deminuto, ut parvitas magis appareat. Terent. Eun. I. 2, 28: *parvolam puellam.* V. *Ruhnken.* Dictat. in Terent. Andr. II. 2, 32. Sic Cicer. N. D. III, 17. pr.: *aureola oratiuncula.* Acad. II. 44, 135: *aureolus libellus.* Caes. B. C. 3, 104: *naviculam parvulam.* Catull. 3, 18: Flendo *turgiduli* rubent *ocelli.* Apud Graecos deminutivo interdum μικρός additur, ut Xen. Ages. 1, 21: παιδάρια μικρά: ubi v. *Breitenbach.* Ad sententiam nostri loci cf. Fin. V. 7, 18: quorum similia sunt prima in animis, quasi *virtutum igniculi* et semina. Ibid. 15, 43: in pueris *virtutum* quasi *scintillulas* videmus. Legg. I. 12, 33: *tantam autem esse corruptelam malae consuetudinis, ut ab ea tanquam igniculi exstinguantur a natura dati!* ubi cf. doctam adnot. *Goerenzii* p. 50 sq. et *Turneb.* p. 564. (Cr.), qui comparat Graeca: σπινθήρ, ζώπυρον, ἔναυσμα.

depravati] Est egregia coniectura *Lambini*, praestantissimo cod. Vat. confirmata, quam, a *Gebh. D. Ern. Lall. Tregd.* receptam, a *Mosero* et *Klotzio* in Add. p. 121. probatam, revocandam duxi pro vulg. *depravatis:* quod habet Or. c. R. P. Gud. 1. II. Marb. duob. Leidd. et plurim. edd. vett. Ex seq. *sic* vocabulo *depravati* facile accrescere potuit littera *s.* Quae sequuntur: *in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur*, commendant, uti acute vidit *Moser*, nominativum; nam *in pravitate versamur* idem fere est, quod *depravati sumus.* Defendi quidem posse *depravatis* arbitratur *Klotzius*, si *depravata opinio* pro prava opinione accipiatur, ut Part. orat. 26, 91: genus hominum ad honestatem natum, malo cultu *pravisque opinionibus* esse corruptum; sed ego non credo *depravatos mores* pro pravis moribus dici, praesertim quum antecedat *malis moribus;* neque placet locutio *opinionibus depravatis aliquid restinguere.* Quod autem multi deteriores codd. et ed. Fabr. exhibent *depravatos,* nullo modo probari potest. Nam *igniculos depravatos* ab ullo scriptore dici cum *Davisio* nego.

semina virtutum] Apposite *Ochsner* affert Fin. IV. 7, 18: his initiis, tanquam *seminibus,* a natura datis, — omnis

gistris traditi sumus; tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas et opinioni confirmatae natura ipsa cedat.

II. 3. Accedunt etiam poëtae, qui, quum magnam speciem doctrinae sapientiaeque prae se tulerunt[1], audiuntur, leguntur, ediscuntur et inhaerescunt penitus in mentibus; quum vero accessit[2] eodem quasi maximus quidam magister, populus atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate a naturaque desciscimus, ut nobis optime naturam* ii vidisse*[2] videantur, qui nihil melius homini, nihil magis expetendum, nihil

II. 1 Vind. 1. et permult. edd. vett. *tulerint.* Male. V. ad II. 24, 58. 2 v. Adn.

honestas perfecte absoluta est. Adde ibid. V. 7, 18. modo a nobis allat.

suscepti sumus] Morem *tollendi* et *suscipiendi liberos* ea qua solet elegantia exposuit *Ruhnken.* Dictat. in Terent. Andr. I. 3, 14.

parentibus redditi] Scil. a nutricibus. Harum enim curae pueri a parentibus primis annis commissi, dein in magistrorum (paedagogorum) disciplinam traditi sunt.

opinioni confirmatae] H. e. opinioni falsae, quam varii errores confirmaverunt.

Cap. II. §. 3. *poëtae*] Simili modo supra II. 11, 27. poëtae castigantur, ut qui omnes virtutis nervos elidant.

tulerunt] Ex nostrae linguae ratione exspectamus *ferunt;* at v. Adnotata in II. 24, 58. Iniuria eiusmodi perfectis notatio repetitae actionis tribuitur: de quo perfecti usu quid statuendum sit, exposuimus in Gr. L. §. 107. Not. 6.

et inhaerescunt] De *et* quarto orationis membro addito v. ad V. 14, 41.

quum vero accessit] Sic c. *Tregdero* scripsi; eodem ducit scriptura unius Ox. *accesserit:* in qua idem error, quem modo in prava scr. *tulerint* pro *tulerunt* deprehendimus; etiam praestantissimus cod. Vat. habet *accessit,* sed post v. *populus:* quod probat *Wes.* Em. I. p. 17.; Gud. II. 2. b. unus Leid. Aug. duo Oxx. et plurimae edd. vett. *accedit;* alii codd., etiam optimi R. P. Gud. 1. omittunt hoc verbum; unde *Or.* uncis inclusit, alii, ut *Kl.,* plane exterminaverunt: quod mihi durissimum videtur. Vulg. *accedit* dubitari non potest quin originem ducat ab antecedenti *Accedunt;* at vero in enuntiationibus secundariis praesens ferri non potest. Cf. locum simillimum supra II. 11, 27: ad malam domesticam disciplinam — *quum accesserunt* etiam poëtae, nervos omnes virtutis elidunt. V. Adnotata in II. 24, 58.

quasi maximus quidam] V. Adnotata in II. 4, 11. De vocula *quasi,* ad mitigandam metaphoram pronomini *quidam* iungi solita v. *Beier.* ad Offic. I. 27, 93. p. 209. Cf. nos in Gr. L. §. 124. Not. 6.

ut nobis optime naturam ii vidisse videantur] Sic unius litterae immutatione *Keilius* Quaestt. Tull. p. XXI. vulgatam: *optime naturam invidisse* satis probabiliter emendavit, ut haec sit sententia: „ita inficimur opinionum pravitate a naturaque desciscimus, ut, quid ea postulet, ignoremus atque id ipsum naturale esse opinemur, quod sit contra naturam maxime.“ *Naturam videre* est videre, quid sit naturale, quid natura postulet. Cf. c. 1, 2: Quodsi tales nos natura genuisset, ut *eam ipsam intueri* et *perspicere* — possemus. Eleganter quoque et acute *Madvigius* ad Fin. III. 19, 62. e verbis, quae ibi leguntur: „Atque etiam in bestiis *vis naturae perspici* potest“ legendum coniicit: optime *naturae vim vidisse;* recepit hanc coniecturam *Tregder,* sed minus probabilis est, quam *Keilii,* quia multo magis a codicum scriptura recedit. Ingeniosissima porro est *Bentleii* coniectura: *optimam magistram invidisse; Lambinus* legendum putat *optimam naturam, Moser* in Add. p. 397. *optimam magistram naturam, Orellius* denique in vocabulo *optime* lectoris exclamationem: „*optime* hoc dixisti, Tulli! euge, σοφῶς!“ a margine in verborum ordinem illatam sibi visus est deprehendisse et ob eam caussam v. *optime* uncis seclusit. Sed has omnes coniecturas non esse probabiles, clare demonstravit *Keilius* l. d. p. XX. Unus omnium *Klotzius* vulgatae patrocinium suscepit; sed quam ex ea extudit sententiam (*daher scheinen uns diejenigen die Natur ganz herrlich* [*geschickt?*] *vorent-*

praestantius honoribus, imperiis, populari gloria iudicaverunt. Ad quam fertur optimus quisque veramque illam honestatem expetens, quam una[2] natura maxime inquirit[2], in summa inanitate versatur consectaturque nullam eminentem effigiem virtutis[2], sed adumbratam imaginem gloriae. Est enim gloria solida quaedam res et expressa, non adumbrata; ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellente[2] virtute; ea virtuti resonat tanquam imago[2]. Quae quia recte factorum plerumque comes est, non est

halten zu haben, *welche* u. s. w.), ea et admodum contorta est neque in verbis Latinis inest. Ipse nunc in Add. p. 123. ad *Keilii* coniecturam inclinare videtur.

Ad quam] Relativum non solum ad popularem gloriam, sed etiam ad honores, imperia referendum est, sed, etsi pluralia antecedunt, tamen accommodatum est ad proximum singularis numeri substantivum: quod ubi fit, hoc substantivum antecedentium nominum notionem complectatur necesse est. V. nos in Gr. L. §. 145. Not. 9.

fertur] *Ferri ad aliquid* eleganter dicitur, qui vehementer aliquid appetit. Sic Graece dicitur φέρεσθαι ἐπί τι. Sententia huius loci est haec: Optimus quisque natura ad gloriam fertur; at quum veram gloriam in honoribus, imperiis, populari gloria positam putet, a vera gloria veraque honestate aberrat longissime. *Imperia*, quae hic opponuntur *honoribus*, intelligenda sunt *imperia militaria*. *Imperium* quidem complectitur et civiles et militares honores; sed quum opponitur, uti hic, *honoribus*, vel, uti aliis locis, *magistratibus*, semper referendum est ad militares honores. V. *Ernestii* Clav. Ciceron. v. *imperium*, et *Bremium* ad Cornel. Nep. Miltiad. VIII, 2. p. 31.

quam una natura] Sic plurimi libri, et editi et scripti, etiam R. P. Gud. 1.: quod sententiae refragari monet *Bentleius;* nam non sola natura honestatem expeti, sed et philosophia et recta ratione, virtute. Hinc *Or.* c. nonnullis edd. vett. et nonnullis deterioribus codd. edidit *quam unam n.* Sic infra c. 16, 34: quae cogitatio una maxime molestias omnes extenuat. Mihi vero aliter de h. l. statuendum videtur. Scilicet nomen *naturae*, e Stoicorum mente (τῇ φύσει ἕπεσθαι) accipiendum, idem valet, quod recta vel absoluta ratio; quemadmodum autem ratio saepe dicitur pro hominibus, qui rationem sequuntur, sic h. l. *natura* ii homines intelligendi sunt, qui, naturam secuti, recta vel absoluta ratione instructi sunt; hi autem *soli* sunt, qui veram honestatem expetunt, ceteri omnes, vel optimi quique, popularem gloriam veram honestatem existimantes eamque expetentes, aberrant. Quare tuendam puto vulgatam *una:* quam etiam *Klotzius* ad Laelium I, 1. p. 87. defendit his verbis: „non tam illud urget scriptor, illam honestatem unam esse, quam natura maxime inquirat, quam illud, unam naturam esse, quae maxime illam honestatem inquirat; naturae enim optimus quisque, qui cum gloriam sequeretur, a vera honestatis via aberraverit, opponitur."

inquirit] multo gravius est, quam simplex *quaerit.* Sed quum dubitari possit, num recte dicatur natura *honestatem inquirere;* neque enim aliis locis Cicero hoc verbo ita utitur, ut sit *vehementer quaerere, vehementer expetere*, sed dicere solet *inquirere in rem*, et quidem ea vi, ut sit aliquid perscrutari; *Moser* et *Kleinius* l. d. p. XXII. satis probabiliter legendum coniecerunt *anquirit;* quod recepit *Tregder* et probavit *Klotzius* in Add. p. 123. De frequenti horum verborum vel in optimis codd. confusione *Moser* comparare iubet *Cortium* ad Sall. Iug. 13, 6. *Goerenz.* ad Legg. p. 4. *Menkius* in Observv. ined. addit *Moserum* ad N. D. I, 17. extr. p. 79. De verbo *anquirendi* v. Adnotata nostra in IV. 21, 47.

consectatur] H. e. contentis viribus sectatur. Sic *conniti* est contentis viribus niti. Cf. Adnotata in I. 16, 36.

eminentem — non adumbrata] Eleganter Cicero metaphoram ex sculptura petitam per singula huius sententiae verba persecutus est. *Eminens effigies* est statua erecta, sublimis; eademque dicitur *solida*, h. e. e firma materia composita, et *expressa*, h. e. plane elaborata, ut, quem referat, statim cerni possit. V. *Ernestii* Clav. Ciceron. v. *expressus.* Sic Cael. 5, 12: *non expressa signa, sed adumbrata virtutum.* Contra *adumbrata*

bonis viris repudianda. 4. Illa autem, quae se eius imitatricem esse vult, temeraria atque inconsiderata et plerumque peccatorum vitiorumque laudatrix, fama popularis, simulatione honestatis formam eius pulchritudinemque corrumpit. Qua caecitate homines, quum quaedam etiam praeclara cuperent eaque nescirent nec ubi, nec qualia essent, funditus alii everterunt suas civitates, alii ipsi occiderunt. Atque ii [3] quidem optima petentes non tam voluntate, quam cursus errore falluntur. Quid? qui pecuniae cupiditate, qui voluptatum

3 Sic marg. MS. Asc. 2. et edd. S. E.; *hi* Or. c. vulg. V. ad I. 3, 5.

imago est σκιαγράφημα, h. e. inchoata descriptio aut delineatio futurae statuae aut picturae. Quintil. X. 2, 7: non esset pictura, nisi quae *lineas modo extremas umbrae, quam corpore in sole fecissent, circumscriberet.* Cf. *Beier.* ad Offic. III. 17, 69. p. 310. *Aug. Matthiaeum* et *Halmium* ad or. pro P. Sulla 1[a], 52. *Ellendt.* ad de Or. III. 26, 101. Vol. II. p. 399 sq. *Wunder.* ad Plancian. p. 101 sq. V. *virtutis* de *Bentleii* sententia uncis sepserunt *Davisius, Ernestius, Orellius;* plane exterminaverunt cum cod. Ball. *Wolfius* et *Schützius:* quod probat *Orellius,* qui haec addit: „non enim sufficiat *effigies virtutis* sapienti, virtutem ipsam expetenti." At deleto hoc nomine non solum elegantem orationis conformationem pessumdari, sed etiam ipsam sententiam corrumpi, acute vidit *Klotzius* l. d. Nam primum membrorum contrariorum aequabilitas turbatur: deinde quum aperte virtus et gloria tanquam personae prodeant earumque imagines sibi opponantur, sponte patet, genitivum *virtutis* abesse non posse.

de excellente virtute] Renitentibus omnibus libris et scriptis et editis *Wesenbergius* Em. I. p. 13. pro *excellente* legendum censet *excellenti.* Quanquam negari non potest, in eiusmodi participiis adiectivorum vim habentibus ablativi legitimam terminationem esse *i;* tamen, quoniam aliis quoque locis altera terminatio *e* omnium codicum auctoritate munita reperitur, contra codd. nihil mutandum videtur. In omnibus libris legitur: *sapiente* homine Off. I. 15, 46. et pr. Sest. 3, 6.; Q. Fr. I. 1, 8, 24: *constante* fama. III. 5, 1: *praestante* viro; Verr. prooem. I. 10, 28: *innocente* homine; pr. Sest. 3, 6: *sapiente* homine; de Or. II. 20, 85: in *excellente* oratore.

tanquam imago] pro: *vocis imago.* Horat. I. 12, 4: *cuius recinet iocosa Nomen imago:* ubi plura comparavit *Mitscherlichius,* praeceptor pie colendus. Plurimi libri, et editi et scripti, etiam R. P. Gud. 1. exhibent *imago gloriae:* quod recepit *Klotzius* dicens non interpretandum esse *wie ein Echo des Ruhmes,* sed *wie ein Ruhmecho:* qua interpretatione nihil conficitur: aliae edd. et pauci codd., sed in iis optimis Vat., omitt. *gloriae.* Non dubito, quin ex margine, ubi ad explicandum seq. *Quae* adscriptum fuisse videtur *gloriae,* irrepserit in ordinem verborum ibique in *gloriae* mutatum sit, tanquam a v. *imago* pendens.

§. 4. *quae se — esse vult*] V. ad I. 41, 98.

quum quaedam etiam praeclara] H. e. etiamsi quaedam cuperent, quae (*etiam*) adeo praeclara essent.

eaque] De particula *que* v. Adnot. in I. 2, 4: *iacentque.*

Atque ii quidem] H. e. et tamen ii. Facile cuipiam in mentem venire possit pro *atque* legere *atqui;* at vide sis quae e Bav. Voordae Lectt. Tull. c. 8. enotavit *Beier* ad Offic. III. 11, 48. p. 267. Non solum oratio saepe per copulandi coniunctionem sic continuatur, ubi aut contraria connectuntur, aut aliquid per occupationem subsumitur, ita quidem, ut proprius ibi videatur adversativae coniunctioni locus, ut docet *Wopkens.* Lectt. Tull. II, 6. p. 212. H., sed ipsa particula *atque* sua vi, qua antecedentibus aliquid maius graviusve adiungit, idonea est ad membra adversativa coniungenda. Cf. infra IV. 31, 66: *Atque* erat facile. c. 34, 71: *Atque* horum omnium cett. V. 21, 62: *Atque* ne integrum quidem erat. Pariter Graecum καί saepe ita dicitur. V. *Hartung.* griech. Partik. T. I. p. 147 sq. De v. *atque* cf. *Ruhnken.* Dictat. in Terent. Andr. I. 3, 20. et *Hand.* Tursell. I. p. 492 sqq. Cf. infra c. 13, 28.

cursus errore] H. e. cursu a recta via aberrante. V. ad 1, 1.

libidine feruntur, quorumque ita perturbantur animi, ut non multum absint ab insania, quod insipientibus contingit omnibus, iis[4] nullane est adhibenda curatio? utrum quod minus noceant animi aegrotationes, quam corporis? an quod corpora curari possint, animorum medicina nulla sit?

III. 5. At et morbi perniciosiores pluresque sunt animi, quam corporis. Hi enim ipsi odiosi sunt, quod ad animum pertinent eumque sollicitant, *animusque aeger*, ut ait Ennius, *semper errat, neque pati, neque perpeti potest, cupere nunquam desinit.* Qui-

4 Sic Mon. 2. marg. MS. Asc. 2. edd. SE; eodem ducit *hiis* in Duisb. Gud. 2.; Or. c. vulg. *his*.

libidine feruntur] H. e. abripiuntur, auferuntur. Inest notio temeritatis. Sic c. 5, 11., sed addito vocabulo *effrenati* (ut *incitati, proni, praecipites*). Cf. *Schütz.* Indic. v. *ferre.* extr. *Menkius* in Observv. ined. laudat *Heinsium* et *Drakenb.* ad Sil. Ital. X, 518. Adde *Kritzium* ad Sall. Cat. III, 4. p. 20. Frequentissimum est *efferri* aliqua re, ut *laetitia, gaudio, voluptate, studio, cupiditate*, reliqq. i. e. evagari, extra fines terminosque egredi. V. *Seyffert.* ad Lael. 15, 34. p. 352. et nos ad IV. 15, 35.

Cap. III. §. 5. *et — perniciosiores pluresque*] Recte de h. l. statuit *Klotzius* in Ed. et in Quaestion. Tullian. I. p. 105 sqq. existimans, Ciceronem primum quidem voluisse sententiam sic instituere, ut diceretur: *at et morbi perniciosiores pluresque sunt animi, quam corporis, et medicina certior est morborum animi, quam corporis;* nam duplex interrogatio c. 2, 4. proposita erat: utrum quod minus nocerent animi aegrotationes, quam corporis, an quod corpora curari possent, animorum medicina nulla esset; sed, postquam, ut rationem redderet, quare essent animi morbi perniciosiores, plura adiecerit verba atque intellexerit, longe probabilius hoc esse, quam illud, inchoatam reliquisse constructionem sicque perrexisse: *qui vero probari potest* cett. Comparat de Or. I. 25, 113 sq.: Nam *et animi* atque *ingenii* celeres quidam motus esse debent etc.: ubi pergendum erat: *et corporis*, sed, mutata structura, §. 114. demum ad corpus transit. Ib. II. 11, 48 sq.: Nam *et testimonium* saepe dicendum est etc. Quid? si quod saepe summis viris accidit, *mandata* sint exponenda etc. Plura exempla contulit *Madvigius* in Exc. I. ad Fin. p. 801 sq. Cf. nos ad IV. 35, 74. Particulas *et* (*et* morbi) et *que* (pluresque) sibi respondere non posse, demonstravimus supra ad I. 2, 4: *et* Epaminondas.

animusque aeger] H. e. animus porro aeger. Saepe *que* continuandi et ad novum quiddam transeundi vim habet, maxime in enumerandis pluribus rebus. Cf. *Ochsner.* Eclog. Ciceron. p. 57. *Goerenz.* ad Academ. I. 6, 23. Legg. I. 11, 32. de Finib. I. 9, 29. *Madvig.* ad Fin. III. 22, 73. et nos in Gr. L. §. 135, 2.

perpeti] H. e. in patiendo aliquid perdurare.

Qui vero probari potest, ut] Sunt complura verba locutionesve, quae eam vim atque notationem habent, ut duplicem admittant structuram, et accusativum c. inf. et coniunctionem *ut cum coniunctivo.* Accusativus c. inf. sententiam simpliciter tanquam obiectum ponit, quod ad verbum cogitandi demonstrandive referatur; *ut c. coniunctivo* significat, uti aliis locis, effectum, h. e. sententiam ponit tanquam rem, quae cogitatione demonstrationeve efficiatur aut efficienda sit, tanquam id, quod cogitatione demonstrationeve spectetur. Ubi autem verbum locutiove ita comparata est, ut illam effectus consecutionisve vim non admittat, hanc structuram respuit. Veluti simplex verbum *probandi* semper cum acc. et inf. construitur, non cum *ut;* at locutio *qui probari potest* cum *ut* consociata legitur etiam Fin. II. 33, 108: *Qui probari potest, ut* is, qui propter me aliquid gaudet, plus, quam ego ipse, *gaudeat.* (Quanquam ibi cod. Erl. habet *Quid id p.*, unde effici potest *Qui id p.*, v. *Madvig.* in Add. p. 873.) Porro Tusc. I. 42, 100: nos autem *teneamus, ut* nihil *censeamus* esse malum etc. V. 11, 34: nos tamen *teneamus, ut sit* idem (sapiens) beatissimus: ubi v. Adn. III. 31, 75: *additur, ut* etc.: ubi v. Adn. Pari modo verba *efficiendi* (de conclusione), *se-*

bus duobus morbis, (ut omittam alios,) aegritudine et cupiditate, qui tandem possunt in corpore esse graviores? Qui vero probari potest, ut sibi mederi animus non possit, quum ipsam medicinam corporis animus invenerit, quumque ad corporum sanationem multum ipsa corpora et natura valeat[1], nec omnes, qui curari se passi sint[2], continuo etiam convalescant, animi autem, qui se sanari[3] voluerint praeceptisque sapientium paruerint, sine ulla dubitatione sanentur? 6. Est profecto animi medicina, philosophia, cuius auxilium non, ut in corporis morbis, petendum est foris; omnibusque opibus viribus[4], ut

III. 1 v. Adn. 2 Sic scripsi e corr. *Tregderi* pro *sunt* ob seqq. *qui — voluerint — paruerint.* 3 Nonnulli deteriores codd. et nonnull. edd. vett. omitt. *se.* V. ad I. 41, 98. 4 v. Adn.

quendi, *consequendi* hanc duplicem structuram admittunt. V. nos in Gr. L. §. 142, 2. a) §. 142, 6. *Madvig.* ad Fin. II, 3. p. 145 sq. Particulam *ut* etiam in his, uti in ceteris enuntiationibus, propriam suam significationem (*quomodo*, *wie*, ὡς, ὅπως) retinere, subtiliter *Eduardus Wunder* in Annal. Iahnii IV. 2. demonstrare studet: quam sententiam impugnat *Madvigius* l. d. Etiam, quae *Handius* ad Wopk. Lect. p. 404. contra illum monet, digna sunt quae respiciantur.

corpora et natura valeat] Haec est vulgata scriptura, Regii quoque, Pithoeani, Gud. 1., Bernensis auctoritate munita, quam recte revocaverunt W., Or., recentt. edd. Ernestius edidit *valeant*, quod legitur in duob. Oxx. Vind. 1. Aug. Duisb. et paucis edd. vett. Scilicet, si inter plura subiecta unum praestantius est, aut uno cetera continentur, praedicatum et apponitur ei et eundem quem illud habet numerum et genus. Sic h. l. *natura* includit *corpora* atque subiectum praestantius est. Plura huius iuncturae exempla suppeditabunt *Ellendt.* ad de Or. I. 61, 257. Vol. II. p. 153. *Ramshorn.* L. Gr. §. 96. *Kühner* §. 103, 6. c). Diversa exempla, quae accuratius discernenda erant, congessit *Goerenz.* ad Acad. II. 1, 3. p. 10. De Graeca lingua cf. Xen. R. Ath. 1, 2: πένητες καὶ δῆμος πλέον ἔχει. V. nos in Gramm. Gr. T. II, §. 433, 2. (Gr. schol. §. 242, 1. b).

paruerint, *sine ulla dubitatione*] Cum *Stürenburgio* in Commentat. I. ad Offic. p. 135. comma post *paruerint* delendum et post *dubitatione* ponendum videtur; respiciuntur enim verba antecedentia *qui curari se passi sint*; neque ullo loco verba *sine dubitatione* vel *sine ulla dubitatione* idem valent, quod *sine dubio* (*ohne Zweifel*), sed semper significant *ohne Bedenken*, *ohne alles Bedenken.* Quod autem, ut id quasi praeteriens moneam, recentioribus saepe usurpatur *haud dubie* pro *sine dubio*, id barbarum est. Verba enim *haud dubie* a veteribus semper ita ponuntur, ut referantur ad rem ipsam, quae narratur, significentque *haud dubia ratione*, *satis certo*, *satis aperte*, ut: hostes *haud dubie* vicit, h. e. haud dubium est, quin —; verba autem *sine dubio* semper ita usurpantur, ut non ad rem ipsam, sed ad loquentis iudicium referantur respondeantque plane nostro: *ohne Zweifel*, ut: hostes *sine dubio* vicit, h. e. non dubito, quin — vel mihi persuasi, eum — vicisse. Neque hoc praetermittendum, apud Ciceronem nullo loco invenini *haud dubie*, semel tantum ad Fam. XV. 1, 1. *non dubie* (i. e. non dubia ratione, certo). Enucleatissime de hac re exposuit *Stürenburg.* l. d.

§. 6. *Est profecto animi medicina, philosophia*] Post v. *medicina* comma posui; „id enim Cicero potissimum vult docere atque efficere, esse animi medicinam, eamque philosophiam, non vero animi medicinam esse philosophiam, quod non prius poterat contendere ac demonstrare, quam docuisset, esse primum animi medicinam; quod quum collegisset, necessario, eam esse philosophiam, cogebatur.“ *Klotz.* Quaestt. Tull. I. p. 107.

omnibusque] De particula *que* v. ad I. 2, 4. *iacentque.*

opibus viribus] Sic *Orellius* c. R. P. Gud. 1. duob. Oxx. Marb. Mon. 1. Rehd. ed. Gebh. comparans proverbiales locutiones: *equis viris*, *remis velis*, de quibus v. nos ad II. 11, 25. *Wolfius* c. paucis codd., D. Lall. legit *et viribus.* Pleraeque edd. vett. et Duisb. habent *viribusque.* A Gryphio, Bern., uno Lall.

nosmet ipsi nobis mederi possimus, elaborandum est. Quanquam de universa philosophia, quanto opere[5] et[6] expetenda esset et colenda, satis, ut arbitror, dictum est in Hortensio. De maximis autem rebus nihil fere intermisimus postea nec disputare nec scribere. His autem libris exposita sunt ea, quae a nobis cum familiaribus nostris in Tusculano erant disputata. Sed quoniam duobus superioribus de morte et de dolore dictum est, tertius dies disputationis hoc tertium volumen efficiet. 7. Ut enim in Academiam nostram descendimus, inclinato iam in postmeridianum[7] tempus die, poposci eorum aliquem, qui aderant, caussam disserendi. Tum res acta sic est.

IV. *A.* Videtur mihi cadere in sapientem aegritudo. *M.* Num reliquae quoque perturbationes animi, formidines, libidines, iracun-

5 Sic Or. c. multis et optimis codd., ut R. P. Gr. pro vulg. *quantopere.* 6 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. multisque aliis codd. et plurimis edd.; alii, etiam P., om. *et.* 7 v. Adn.

denique plane abest *viribus;* hinc *Tregder* uncis inclusit: quod improbat *Klotzius* in Add. p. 124., qui c. *Or.* recte legit *opibus viribus.* Quod autem c. 11, 25. „*omnibus viribus atque opibus repugnandum est*" dicitur, id morari nos non debet, quum liceat proverbiales locutiones etiam vulgari dicendi forma proferre. *Klotzius* apte comparat Ter Heaut. V. 1, 31: *dictum factum* proverbiali forma, cum Andr. II. 3, 7: *dictum ac factum* invenerit aliquam caussam etc. Plura contulit *Wesenb.* Em. II. p. 10.

de universa philosophia] est *de philosophia in universum,* uti recentiores perperam dicere solent. de Orat. III. 27, 106. *de universa re.* Sic *omnis*, ut I. 40, 95: in omni virtute. III. 6, 13: non enim de aegritudine solum —, sed de *omni* animi — *perturbatione* — explicabo. V. nos in Gr. L. §. 109, 5.

expetenda esset] De imperfecto coniunctivi in sententia generali v. Adnot. in I. 1, 1.

in Hortensio] V. Adn. in II. 2, 4.

§. 7. *in Academiam*] Villa Tusculana duo habebat gymnasia, lyceum, quod a loco, ubi Aristoteles Athenis docebat, et academiam, quae a Platonis academia dicta erat. Lyceum superius erat; hinc h. l. *descendimus.* Cf. Divinat. I. 5, 8.

postmeridianum] V. II. 3, 9. Orellius c. aliis contra codd. edidit *pomer.* ob C. Or. 47, 157., quanquam ex eo loco minime sequitur, Ciceronem usquequaque hanc formam praetulisse. Etiam de Or. III. 5, 17. firmiter stat *postmeridianum.*

caussam disserendi] Θέμα. V. *Schütz.* Ind. Latin. v. *causa.*

Cap. IV. *libidines, iracundiae*] Aliis locis *iracundia libidini* subiicitur a Cicerone (v. infra IV. 7, 16.), perturbationes autem quattuor numerantur hae: *aegritudo, metus, libido, voluptas.* Hinc factum, ut complura a VV. DD. excogitarentur commenta, quibus quam in hoc loco inesse opinabantur corruptelam tollerent. *Fr. Fabricius libidines, iucunditates, Lambinus libidines, cupiditates* scribendum suspicatus est. At recte contra monet *Davisius*, non ἀκριβῶς hic Tullium numerasse perturbationes, comparatis infra c. 5, 11: exisse ex potestate dicimus eos, qui effrenati feruntur *aut libidine aut iracundia.* Offic. I. 20, 29. De abstractorum nominum plurali numero v. Adnot. IV. 2, 3.

Haec enim] Graece: ταῦτα γάρ. Neutrum enim numeri pluralis post substantiva feminini generis ponitur, quum et ea res quae dicuntur impersonales declarant, et non solum res dictae, sed universum earum genus intelligendum est. Sic supra I. 24, 56: quam *vitis,* quam *arboris; haec* enim etiam dicimus vivere. *Haec* non *has* posuit Cicero, quia universum plantarum genus intelligi vult. II. 26, 62: *haec,* antecedente *honorum.* V. 21, 61: *eadem* degustare, antecedente *vita.* V. *Ochsner.* Eclog. Ciceron. p. 44.

ego poteram morbos] Locus geminus est de Finib. III. 10, 35: (perturbationes animorum) Graeci πάθη appellant, *poteram* ego, verbum ipsum interpretans, morbos appellare; *sed* non *conveniret* ad omnia. Sic supra II. 19, 45: *possum:*

diae? Haec enim fere sunt eiusmodi, quae Graeci πάθη appellant; ego poteram *morbos*, et id verbum esset e verbo; sed in consuetudinem nostram non caderet. Nam misereri, invidere, gestire, laetari, haec omnia morbos Graeci appellant, motus animi, rationi non obtemperantes [1]; nos autem hos eosdem motus concitati animi recte, ut opinor, *perturbationes* dixerimus; *morbos* autem non satis usitate; nisi quid aliud tibi videtur. 8. *A.* Mihi vero isto modo. *M.* Haecine [2] igitur cadere in sapientem putas? *A.* Prorsus existimo. *M.* Nae ista gloriosa sapientia non magno [2] aestimanda est, siquidem non multum differt ab insania. *A.* Quid? tibi omnisne animi commotio videtur insania? *M.* Non mihi quidem soli, sed, id quod admirari saepe soleo, maioribus quoque nostris hoc ita visum intelligo multis seculis ante Socraten [3], a quo haec omnis, quae est de vita et de [4]

IV. 1 Gud. 1. aliique *obtemperantis* antiqua accusativi forma. 2 v. Adn. 3 Sic R. P. et ed. D. *Socraten;* Or. c. vulg. *Socratem.* V. ad I. 26, 65. 4 Tres Oxx. Rehd. Duisb. et plurimae edd. vett. om. *de.*

ubi v. nos. Raro in eiusmodi enuntiatis coniunctivus ponitur, ut I. 34, 84: vitae humanae enumerat incommoda. *Possem* idem facere, etsi minus, quam ille. Sall. Cat. VII, 7: memorare *possem* —, ni ea res longius nos ab incepto traheret. Ceterum *possum* et *poteram* (*possem*) dicere sic differunt, ut prius dicatur, ubi dicendi actio non negata est, posterius, ubi dicendi actio iam ita negata est, ut ad exitum perduci omnino non possit. Sic Gr. ἔγω λέγειν et εἶχον λέγειν v. εἶχον ἂν λέγειν. V. *Hartung.* Griech. Partik. T. II. p. 235. Veluti πάθη *possum* dicere morbos, i. e. possum et fortasse sic faciam; *poteram* dicere: at id facere non poteram, quia consuetudo nostra obstabat. Pluribus hunc indicativi usum illustravimus ad I. 49, 116. V. nos in Gr. L. §. 108, 3.

verbum e verbo] pro quo saepe apud recentiores legere me memini *verbo tenus*, quod longe aliam habet sententiam, vel barbare adeo *verbatim.* Veteres dicunt *verbum de* aut *e verbo* (Cf. Academ. II. 6, 17. Fin. III. 4, 15.), aut *ad verbum exprimere* (Fin. I. 2, 4: fabellas Latinas *ad verbum* de Graecis expressas.) pro verbum verbo exprimere; nunquam *de verbo ad verbum exprimere* vel *vertere.* Sic infra c. 19, 44: quae modo *expressa ad verbum dixi.* V. *Vesterhov.* et *Ruhnken.* ad Terent. Adelph. Prol. 11. Ceterum πάθος ad verbum expressum minime est *morbus*, qui est Gr. ἡ νόσος. In simili errore versatur Tullius ac supra II. 15, 35. in πόνῳ et *labore.*

in consuetudinem nostram] H. e. in consuetudinem nostri sermonis.

perturbationes] Similiter apud Pindar. Ol. VII, 30. (Boeckh.) αἱ φρενῶν ταραγαί, metaphora ducta ab aqua turbata. Eleganter observat *Orellius*, Graecum πάθος et nostrum *Leidenschaft* significantiora esse vocabula, magis ad mentem spectantia, omninoque in significandis plerisque notionibus quae appellantur abstractis philosophiae pulchrique artis Latinis scriptoribus tropos usurpandos esse, qui multo magis a sensibus ducti sint, quam nostrae et Graecae linguae vocabula illis respondentia.

§. 8. *Haecine*] Sic scripsi ex Gud. 1., qui habet *haec in e*, et Pith., qui habet *hecine*, praeceptum secutus *Fr. Ritteri* ad Ter. Andr. p. 22 sq., etiam *Klotzio* in Add. p. 124. probatum, pro vulg. *Haeccine;* Gud. 2. et nonnullae edd. vett. legunt *haecne.* Cf. nos in Gr. L. §. 37. Not. 3.

non magno aestimanda] Praeter duas edd. SE, quae *magni* exhibent, ceterae omnes itemque omnes codd. manuscripti, hanc scripturam tenent. Apud Tullium raro legitur *magno aestimare*, ut Parad. VI. 3, 51. et Fin. III. 3, 11: ubi v. *Ottonem* et *Madvigium*, sed his duobus locis cum magna scripturae varietate; contra Verr. IV. 7, 13. omnes libri et scripti et editi ap. Or. conspirant in scr.: *tu ista permagno aestimas?* quanquam paullo post plus semel legitur: *quanti aestimet, quanti aestimentur.*

omnis quae est de vita et de m.] Phi-

moribus, philosophia manavit. *A.* Quonam tandem modo? *M.* Quia nomen insaniae significat mentis aegrotationem et morbum, id est insanitatem et aegrotum animum[5], quam appellarunt insaniam[6]. 9. Omnes autem perturbationes animi morbos philosophi appellant negantque, stultum quenquam iis[7] morbis vacare. Qui autem in morbo sunt, sani non sunt; et omnium insipientium animi in morbo sunt; omnes insipientes igitur insaniunt. Sanitatem enim animorum positam in tranquillitate quadam constantiaque censebant; his rebus mentem vacuam appellarunt *insaniam*[8], propterea quod in perturbato animo, sicut in corpore, sanitas esse non posset[9].

V. 10. Nec minus illud acute, quod animi affectionem lumine mentis carentem nominaverunt *amentiam* eandemque *dementiam*. Ex quo intelligendum est, eos, qui haec rebus nomina posuerunt[1], sensisse hoc idem, quod a Socrate acceptum diligenter Stoici retinuerunt, omnes insipientes esse non sanos. Qui est enim animus[2] in

5 Sic Or. c. optimis codd, ut R. P. Vat. aliisque; *et aegritudinem animi* codd., ut vdtr., aliquot Oxx. et plurimae edd. vett. *Aegrotus* animus, ut Ter. Andr. I. 2, 22. et III. 3, 27., Heaut. I. 1, 48., dicitur pro usitatiore *aeger* animus. V. Addit. ed. Germ. Forcell. v. *aegrotus*. 6 v. Adn. 7 Sic Mon. 2. Gud. 2. edd. SE; Or. c. vulg. *his*. V. ad I. 3, 5. 8 Guelf. duo Oxx. Aug. Mon. 2. *insanam*. Dixit C. *insaniam*, quia in seqq. *sanitatis* nomen opposuit, uti recte vidit L. 9 Sic Mon. 1. 2. Marb. Gud. 2. et, ut vdtr., b.; Or. c. reliquis *possit*. V. Adn. in I. 1, 1. et 4, 7. Cf. *Wesenb.* Em. II. p. 40, qui comp. N. D. §. 61: verteret — minueret. §. 68: Diana *dicta*, quia — *efficeret*. §. 69: veniret §. 64. et 72. V. 1 v. Adn. 2 Sic R. P. Gud. 1. Vind. 2. (nisi quod hi omnes habent *quis*; R. ap. Wes. habet *qui*) Marb. Aug. (sed hi habent *quid*) Gud. II. Mon. 1. Rehd.; Or. c. reliquis codd. fere omnibus et edd. vett. *qui enim animus est*.

losophia post Socratem in tres partes divisa erat, dialecticam, physicam, ethicam. V. ad IV. 26, 57. Quod autem hanc tertiam philosophiae partem Socrates adiunxisse dicitur, v. infra V. 4, 10. ibique nos.

id est — — insaniam] Haec verba, a *Bentleio* insiticia iudicata, cum *Davisio* et *Ernestio Wolfius* et nuper *Tregder* uncis sepserunt, *Orellius* autem uncis liberavit, monens „haec etymologica esse et eo consilio addita, ut, cur iam Romani antiqui diu ante Socratem notum nomen illi animi commotioni indidissent, manifestius appareret.“ Etiam *Wesenb.* Em. I. p. 3. haec verba ineptissimum glossema esse dicit, adscriptum ad superius voc. *hoc*. Infra V. 9, 24. apertum glossema sunt verba *id est genus tormenti ap. Gr.*

§. 9. *et omnium insipientium animi* etc.] Ne quis in hac assumptione conclusionis cum *Ernestio* pro *et* legendum putet *at*, v. ad c. 7, 14: *Atqui*.

Sanitatem enim animorum] Indiligenter admodum h. l. locutus est Cicero. Sententiarum enim ratio exigebat non *enim*, sed *autem*. Nam oratio a *philosophorum* conclusione transit ad *maiorum* in hac re cum philosophis conspirantem sententiam. Ad v. *censebant* supplendum esse *maiores nostri*, patet, ut §. 8. et 10. V. *Wesenberg*. Em. II. p. 50.

quod — posset] Coniunctivus positus est, quia sententia prolata est e mente eorum, qui *appellarunt*. Cf. 5, 11: qui — exisse ex potestate dicuntur, quia non *sint* in potestate mentis. At paullo ante: quum exisse ex pot. dicimus eos, qui — *feruntur*, indicativus positus est, quia sententia pendet a prima persona (*dicimus*), h. e. quia sententia simul ex ipsius Ciceronis mente profertur. Cf. *Wesenberg*. Em. II. p. 22 sq.

Cap. V. §. 10. *animi — mentis*] Saepe *animus* et *mens* iunguntur. Quod ubi fit, *animus* significat Graecum θυμόν, appetendi vim, quae est affectionum sedes (nobis: *das Gemüth*, v. ad II. 22, 53.), *mens* autem cogitandi vim, rationem,

aliquo morbo, (morbos autem hos perturbatos motus, ut modo dixi, philosophi appellant;) non magis est sanus, quam id[3] corpus, quod in morbo est. Ita fit, ut sapientia sanitas sit animi, insipientia autem quasi insanitas quaedam, quae est insania eademque dementia; multoque melius haec notata sunt verbis Latinis, quam Graecis: quod aliis quoque multis locis reperietur[4]. Sed id alias; nunc, quod instat. 11. Totum igitur id, quod quaerimus, quid et quale sit, verbi vis ipsa declarat. Eos enim sanos quoniam[5] intelligi necesse est, quorum mens motu, quasi morbo, perturbata nullo sit; qui contra affecti sint[6], hos insanos appellari necesse est. Itaque nihil melius, quam quod est in consuetudine sermonis Latini, quum *exisse ex potestate* dicimus eos, qui effrenati[7] feruntur aut libidine aut iracundia; quanquam ipsa iracundia libidinis est pars. Sic enim definitur: iracundia[8] ulciscendi libido. Qui igitur exisse ex potestate dicuntur, idcirco dicuntur, quia non sint[9] in potestate mentis, cui regnum to-

3 Tregd. ex solo Krarupii de R. testimonio om. *id:* quod improbat Wes. Em. II. p 47. 4 Nonnullae edd. vett. et Gud. II. Marb. Vind. 2. *reperitur*, itemque Gud. 1., sed eadem manus superscripsit *e.* V. ad I. 15, 35: *arbitrabimur.* 5 Sic Or. c. plurimis codd. et optimis, ut R. Gud. 1. 2. Vat. (P. *quo*); alii deteriores om. *quoniam.* V. Adn. 6 Sic R. P. Gud. 1. II. Marb. Mon. 2.: *sunt* Or. c. vulg. 7 D. et Gud. 1. *ecfrenati:* quod probat Kl. in Add. p. 126.; W. e coni. *effrenate.* Male; Or. apte comp. *incitatus*, *pronus*, *praeceps feror.* 8 Haec interpunctio debetur *Mosero* pro vulg. *sic enim definitur irac.* 9 Sic codd. optimi R. P. Gud. 1. aliique et aliquot edd. vett.; Or. c. vulg. *sunt.* Cf. ad 4, 9. extr.

consilium, cogitationem (Gr. τὸν νοῦν, τὸ νοερόν). Infra c. 15, 33: parere enim censet *animum rationi.* de Nat. D. II. 59. init.: *animum* ipsum *mentemque* hominis, rationem, consilium, prudentiam. Sic apud Homerum κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν (*Geist und Herz*). Quum autem separatim haec nomina ponuntur, utrique utraque fere vis tribuitur, ut verbis utar *Goerenzii* ad Academ. II. 11, 34. V. nos ad II. 22, 53. Docte utriusque nominis vim atque potestatem illustravit *Ochsner* Ecl. Ciceron. p. 94 sq. Cf. *Wyttenb.* ad Legg. I. 22, 59. p. 144. **Cr.**

haec rebus nomina posuerunt] Unus Ox. Aug. Vind. et cod. Urs. *imposuerunt* legunt. At cf. N. D. I. 17: sunt enim *rebus* novis nova *ponenda nomina.*

a Socrate acceptum] „Imprimis ex Alcibiade secundo, qui a Platone quidem non est profectus, sed vere Socraticus est.“ *Wolf.*

quae — dementia] *Ernestius* uncis cinxit verba: *quae est ins.*, *Wolfius* etiam *eademque dementia.* At *Orellius* omnia vindicavit, dicens, ea habere iam Nonium p. 122. Merc., et omnino esse necessaria; „*insanitas* enim, vocabulum tum novum, nihil aliud significabat, quam *Ungesundheit.* Iam dicit, sapienter insaniae (quae eadem est dementia) quasi insanitati cuidam mentis, hoc ipsum insaniae nomen imposuerunt maiores nostri.“

Sed id alias; nunc etc.] Eadem ellipsis infra 36, 73: Sed de hoc alias; nunc illud satis est non attribuere ad amissionem amicorum miseriam nostram. V. nos in Gr. L. §. 151, b). *Klotzium* ad Lael. I, 1: Sed de hoc alias; nunc redeo ad augurem.

§. 11. *quid et quale sit*] Saepe haec iuncta reperiuntur. Fin. I. c. 11: nunc autem explicabo, voluptas ipsa *quae qualisque sit.* Ib. c. 9: Constituam, *quid* et *quale* sit id, de quo quaerimus. N. D. I, 22: Roges me, *quid* aut *qualis* sit deus. Quorum illud quam barbare dicunt *essentiam*, hoc *qualitatem* significat, uti explicat *Bremius* ad Fin. II. 3. p. 109.

Eos enim sanos quoniam] Alii omiserunt *quoniam*; at v. de hac collocatione Adnotata ad I. 8, 16.

exisse ex potestate] Infra IV. 36, 77: *Iratos proprie dicimus* exisse de potestate, *id est*, *de consilio*, *de ratione*, *de*

tius animi a natura tributum est. Graeci autem *μανίαν* unde appellent[1], non facile dixerim; eam tamen ipsam distinguimus nos melius, quam illi. Hanc enim insaniam, quae iuncta stultitia[2] patet latius, a furore disiungimus[3]. Graeci volunt illi quidem; sed parum valent verbo; quem nos furorem, *μελαγχολίαν* illi vocant. Quasi vero atra bili solum mens ac non saepe vel iracundia graviore vel timore vel dolore moveatur: quo genere Athamantem, Alcmaeonem, Aiacem, Orestem furere dicimus. Qui ita sit affectus, eum dominum esse rerum suarum vetant duodecim tabulae. Itaque non est scriptum: *si insanus*, sed: SI FVRIOSVS * ESCIT *[3]. Stultitiam[3]

1 R. P. Gud. 1. II. Marb. Mon. 1. et multae edd. vett. *appellant:* unde D. in ed. 2. susp. *appellarint.* 2 Sic R. P. Aug. unus Ox.; Or. c. vulg. *stultitiae.* V. ad V. 33, 96. 3 v. Adn.

mente. Minus recte *Turnebus* Advers. II. c. 11. hanc locutionem ex eo natam putat, quod furiosi non in sua, sed in agnatorum et gentilium fuerint potestate; tum translatam esse ad eos, qui vehementiore aliqua animi affectione teneantur. V. *Davis.* ad h. l. Graece ἐξίστασθαι ἑαυτῶν. Cf. nos ad Xenoph. Commentar. I. 3, 12.

Graeci μανίαν *unde appellent*] Sine dubio μανία descendit a ΜΑΩ, a quo μαιμάω, μαίομαι, quae significant *gestire, vehementer appetere*, ducta sunt. V. Lex. Gr. v. μαίνομαι. Aliquot edd. praeferunt *appellant:* quod immerito defendit *Wopkens.* Lectt. Tull. II, 5. p. 205., recte autem reiecit *Handius* ad h. l. V. Adnotata in V. 41. extr.

a furore disiungimus] *Tr.* e R. P. tribus Oxx. tribus Pall. scripsit *distinguimus:* quod librariorum mendum, ex proxime antecedenti *distinguimus* ortum, iure reiecit *Klotzius* in Add. p. 126., qui comp. N. D. I. 7, 16: qui honesta a commodis non nomine, sed genere toto *disiungerent.*

volunt illi quidem] Sc. insaniam a furore distinguere. V. Adnot. in I. 3, 6.

furere] Praesenti tempore usus est Cicero, quia fabulae, in quibus personae illae inducuntur, adhuc exstabant.

duodecim tabulae] His verbis: Si furiosus existit, agnatûm gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto. V. ad Herenn. I. c. 13. et de Invent. II. c. 50. *Davis.*

escit] Sic recte e coniectura Bouhierii c. Wolfio Orellius edidit pro vulgato *esse incipit:* quod est apertum glossema verbi *escit* (i. e. esse incipit, exsistit, erit, uti ad Herenn. I, 13: *si f. exsistit:* quod Schütz. recte mutavit in *escit*). Sic Lucr. I, 619: *escit. Escit* antique pro erit. C. Legg. III. 3, 9: *escunt.* V. *Forcellinii* Thes. Lat. h. v., *Nobbium* in Programm. Lipsiae anno 1826. edito, in quo insunt Lectt. Ciceron. p. 7 — 9., *Struvium* Über d. Lat. Dekl. u. Conj. p. 62., *Grut.* ad C. Legg. II. 24, 60. (ubi recte restitutum est *escunt*) p. 351. ed. Cr. et Mos. *Gronov.* ad Gell. XI. 18. *Wesenb.* Em. II. p. 48. Nonius p. 443, 5. Merc. legit *si furiosus esset:* unde Tregder scripsit *si f. esit* (i. e. erit): quanquam illud *esset* facilius ex *escit*, quam ex *esit* oriri potuit.

Stultitiam] Vulgo legebatur *stultitiam enim censuerunt inconstantiam, id est sanitate vacantem*, et sic omnes fere codd., etiam optimi R. (sed hic *stultitia*) P. Gr. b., legunt; Vat. et cod. Schotti consentiunt, sed pro *inconstantiam* habent *constantia;* quod (nuper etiam a *Wesenb.* Em. II. p. 50. probatum) c. Davisio et Orellio recepimus: quinque Pall. et Fab. *sl. e. c. constantiam i. e. s. v.;* Gud. 1. legit *stultitia e. c. inconstantia* etc.; Tregder c. Nonio p. 443. edidit *insaniam enim censuerunt, id est inconstantiam s. v.:* quod iure reiecit *Wesenb.* l. d., qui egregie docet, Nonii auctoritatem h. l. esse perexiguam; Wolfius *insaniam e. c. constantia i. e. s. v.;* at primum omnes codd. *stultitiam* praeferunt praeter El. 2., in quo legitur *insaniam e. c. esse inconstantiam mentis sanitate v.;* sed constat, hunc cod. innumerabilibus locis interpolatum esse ab Italo sec. XV. Neque omnino hac mutatione opus est, quum e Stoicorum mente, uti supra c. 4, 9. et c. 5, 10. vidimus, *insania* et *stultitia* eandem vim

enim censuerunt, constantia, id est sanitate, vacantem, posse tamen tueri mediocritatem officiorum et vitae communem cultum atque usitatum; furorem autem[4] esse rati sunt mentis ad omnia caecitatem. Quod quum maius esse videatur, quam insania; tamen eiusmodi est, ut furor in sapientem cadere possit, non possit insania. Sed haec alia quaestio est; nos ad propositum revertamur.

VI. 12. Cadere, opinor, in sapientem aegritudinem tibi dixisti videri. *A.* Et vero[1] ita existimo. *M.* Humanum id quidem, quod ita existimas. Non enim silice nati sumus, sed est * naturâ fere *[2] in animis tenerum quiddam atque molle, quod aegritudine, quasi

4 Quatt. Oxx. Rehd. Mon. 2. et Non. l. d. om. *autem*. VI. 1 Sic Or. c. R. P. Gr. aliisque: *et vere* Mon. 2. duo Oxx. et ed. P.; *ego vero* edd. vett. fere omnes ante Grut. V. Adn. 2 Sic optime Bentl. Ciceronis manum restituit. Cf. II. §. 47. Vulgo (edd. vett. fere omnes) et Marb. Vind. 1. *naturale in an.;* quod recepit quidem Kl., sed nunc in Add. p. 127. coniecturae Bentl. postponit, corruptelam ex compendio scripturae ortam ratus. Optimi codd., ut R. P. Gr. et plerique omnes *naturabile in an.*

habeant. Etiam c. 6, 13. legitur: ita sunt altae stirpes *stultitiae*. Ern. coni. *st. e. c. id est inconstantiam s. v.;* etiam nonnullae edd. vett. verba *id est* ante *inconstantiam* habent; *Klotzii* denique coniectura non est digna, quae commemoretur.

mediocritatem officiorum] Stoici enim duplex posuerunt officium, *perfectum* atque *medium;* cf. C Off. I. 3, 8. V. nos in libro d. *de Ciceron. in philos. mer.* p. 234. *Mediocritas officiorum* gravius dictum est pro mediocribus officiis. V. ad c. 1, 1. Perperam *Klotzius* mediocria officia intelligit ea, quae etiam ab infirmioribus ingeniis quodammodo expleri possint.

ad omnia caecitatem] Dictum est, ut *ad omnia caecus*. Liv. 21, 54: hostem *caecum* ad has belli artes habebitis. Coel. ap. Cic. ep. VIII, 13: neque *hebes ad id*, quod melius sit, intelligendum. Infra c. 15, 33: *hebetare aciem ad miserias contemplandas*. 33, 79: Chrysippi (consolatio) *ad veritatem firmissima* est, *ad tempus* aegritudinis *difficilis*. IV. 17, 37: *intolerabile ad demittendum animum — laetabile ad efferendum*. Fin. II. 20, 63: *timidus ad mortem:* ubi v. *Ottonem* p. 144. N. D. II, 62: *ad rationem sollertiamque praestantior*. Dom. 32: *illustrius ad laudem*. Catil. I, 5: quod est *lenius ad severitatem*. V. *Ernestii* Clav. Cic. v. *ad*. Corn. Nep. Dion. VIII, 1: homo et callidus et *ad fraudem acutus*. In eiusmodi exemplis *ad* aut respectum (in Beziehung auf) aut, ubi cum gerundio gerundivove iunctum est, consilium vel consecutionem notat. Cf. *Ellendt.* ad C. de Or. I. 4, 15. Vol. II. p. 16. et nos in Gr. L. §. 119, 1.

furor in sapientem — non insania] E Stoicorum sententia. V. Diog. Laert. VII. 118. In tota enim hac disputatione Stoicorum vestigiis institit Cicero.

cadere possit, non possit] Ubi duorum contrariorum orationis membrorum unum commune est verbum, aut id, si posterius membrum est negativum, repetitur, aut negationi *non* additur *item*. Cf. I. 48, 116: rationes — *defuerunt*, ubertas orationis *non defuit*. Lael. 5, 19: ex propinquitate benevolentia tolli *potest*, ex amicitia *non potest*. V. nos in Gr. L. §. 133. Not. 8. Ubi negativum membrum praecedit, necessaria est repetitio verbi. Infra IV. 31, 67: contractionem animi recte fieri *nunquam* posse, elationem *posse*. V. 39, 114: Democritus alba et atra discernere *non poterat*, at vero bona mala — *poterat*. pro Milone 9, 26: dictitabat, consulatum Miloni eripi *non posse*, vitam *posse:* ubi v. *Matthiaeum* p. 224. Idem apud Graecos, ut Plat. Gorg. p. 525. C: αὐτοὶ μὲν οὐκέτι ὀνίνανται οὐδέν, ἄλλοι δὲ ὀνίνανται. Plura collegit *Stallbaumius* ad Plat. Lys. p. 209. C.

Cap. VI. §. 12. *Et vero*] H. e. et profecto. V. Adnotata in I. 11, 24.

silice nati] Apposite *Camerarius* comparat Odyss. τ, 163: οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου οὐδ' ἀπὸ πέτρης. Adde Acad. II. 31, 100: non enim (sapiens) est e saxo sculptus aut e robore dolatus; habet corpus, habet animum.

tempestate, quatiatur. Nec absurde Crantor ille, qui in[3] nostra Academia vel in primis fuit nobilis: „Minime, inquit, assentior iis, qui istam nescio quam indolentiam magno opere laudant, quae nec potest ulla esse, nec debet. * Ne aegrotus sim[4]; sin, is, qui* fuerat, sensus adsit, sive secetur quid sive avellatur a corpore. Nam istuc[5] nihil dolere non sine magna mercede contingit immanitatis in animo, stuporis in corpore.“ — 13. Sed videamus, ne haec oratio sit hominum assentantium nostrae imbecillitati et indulgentium mollitudini; nos autem audeamus non solum ramos amputare miseriarum, sed omnes radicum fibras evellere. Tamen aliquid relinquetur fortasse; ita sunt altae stirpes stultitiae; sed relinquetur id solum, quod erit necessarium. Illud quidem sic habeto, nisi sanatus animus sit, quod sine philosophia fieri non potest, finem miseriarum nullum fore. Quamobrem quoniam coepimus, tradamus nos ei curandos: sanabimur, si volemus. Et progrediar quidem longius; non enim de aegri-

3 R. P. Gud. II. 2. sex Oxx. Aug. Mon. 1. 2. Marb. om. *in*. „Nimirum facillime excidit *in* inter *i* et *n*, si scriptum fuit QVINOSTRA.“ *Mos.* 4 v. Adn. 5 Sic R. P. Gud. 1. Marb. et edd. vett. permultae; *istud* Or. c. vulg.

Crantor] qui librum *de luctu* conscripserat. V. nos in l. d. p. 113. 2). Locus autem, quem respexit Cicero, exstat ap. Plutarch. in Cons. ad Apollonium. T. VII. p. 317. ed. Hutt. (c. 3. p. 407 sq. ed. Wyttenb.)

vel in primis nobilis] Sic pro Arch. poët. init. *vel in primis* hic A. Licinius fructum a me repetere prope suo iure debet: ubi *Stürenburg.* p. 23. fallitur, quum nec alibi apud Tullium nec apud quenquam scriptorem hanc locutionem reperiri monet. Nam saepissime apud Tullium legitur, uti *Ellendt.* ad de Or. II, 22. Voll. II. p. 214. demonstravit.

Minime — indolentiam etc.] Graece: Οὐ γὰρ ἔγωγε συμφέρομαι τοῖς τὴν ἀγρίαν ὑμνοῦσι καὶ σκληρὰν ἀπάθειαν, ἔξω τοῦ δυνατοῦ καὶ τοῦ συμφέροντος οὖσαν.

Ne aegrotus sim] Sic edidit Wolfius, secutus Bouhierium. Et vero haec emendatio maxime firmatur scriptura, quae est in R. P. Gud. 1. Vat. aliisque multis codd., *nec aegrotassem si inquit* (*inquid*) *fuerat sensus adsit.* Alii eodem fere ducunt; alii aliter turbant. Vulgata (edd. vett.) sic: *Ne aegrotus sim, inquit; sed, si fuerim, sensus adsit:* quam scripturam recepit Ernestius, nisi quod pro *adsit* scripsit *absit.* Davisius cum P. Victorio locum sic corrigendum arbitratus est: *Ne aegrotassim; sin quid fuerit, sensus adsit.* Etiam Tregd. *sin quid fuerit* recepit; Tischer edidit *sin, inquit, qui fuerat,* de repetito *inquit* comp. II. 19, 44. N. D. I. 7, 17. de Or. II. 3, 13. 74, 298. Graeca sunt: Μὴ γὰρ νοσοῖμεν· νοσήσασι δὲ παρείη τις αἴσθησις, εἴτ' οὖν τέμνοιτό τι τῶν ἡμετέρων, εἴτ' ἀποσπῶτο.

sive secetur quid sive avellatur] De coniunctivo cum *sive — sive* copulato v. ad I. 25, 60.

sine mercede] H. e. incommodo, damno. Graeca verba sunt: τὸ γὰρ ἀνώδυνον τοῦτο οὐκ ἄνευ μεγάλων ἐγγίνεται μισθῶν τῷ ἀνθρώπῳ: ubi *Wyttenb.* comp. C. Famil. I, 9. *Moser* addit C. pro Domo 11, 29: data *merces* est erroris mei magna. V. *Schütz.* Ind. Lat. h. v. *extr.* Sententia: Si quis ita obduruit ad dolorem, ut eo nullo modo afficiatur; magnam et humanitatis in animo et sensus in corpore facit iacturam. De gen. *immanitatis, stuporis* v. ad I. 45, 109.

§. 13. *videamus, ne*] V. ad I. 34, 83.

Tamen aliquid] Etsi modis omnibus miseriarum radices evellere studeamus, *tamen.* Sic saepe *tamen* in initio enuntiati ponitur, ut ex orationis tenore aliquid mente supplendum sit V. *Ruhnken.* Dictat. in Terent. Andr. V. 3, 23.

quod erit necessarium] Scil. ad tuendam naturam humanam. De seq. *habeto* v. ad 17, 38.

de omni animi — perturbatione] H. e.

tudine solum, quanquam id quidem primum, sed de omni animi, ut ego posui, perturbatione, (morbo, ut Graeci volunt,) explicabo. Et primo, si placet, Stoicorum more agamus, qui breviter adstringere solent argumenta; deinde nostro instituto vagabimur.

VII. 14. Qui fortis est, idem est fidens; — quoniam *confidens* mala consuetudine loquendi in vitio ponitur, ductum verbum a *confidendo*, quod laudis est. — Qui autem est fidens, is profecto non extimescit; discrepat enim a timendo confidere. Atqui [1] in quem cadit aegritudo, in eundem timor. Quarum enim rerum praesentia sumus in aegritudine, easdem impendentes et venientes timemus. Ita fit, ut fortitudini aegritudo repugnet. Veri simile est igitur, in quem cadat [2] aegritudo, cadere in eundem timorem et infractionem quandam [3] animi et demissionem. Quae in quem cadunt, in eundem cadit, ut serviat, ut victum, si quando, se esse [3] fateatur. Quae qui recipit, recipiat idem necesse est timiditatem et ignaviam. Non

VII. 1 v. Adn. 2 Gud. 1. Duisb. duo Oxx. Vind. 2. Mon. 1. et edd. vett. (praeter P.) ante Gebh. *cadit*. Male. 3 v. Adn.

de perturbatione animi omnino. V. ad c. 3, 6: *de universa philosophia.*

breviter adstringere] Cf. c. 10, 22. Cf. *Engelbronner*. ad Cicer. de Legg. I, 13. p. 90. Cr. *Moser* comp. de Fat. 14, 32: haec arctius *adstringi* ratio non potest. Brut. 95, 327: verborum *adstricta* comprehensio.

Cap. VII. §. 14. *quoniam*] H. e. usus sum vocabulo *fidens*, quoniam *confidens* cett. De diversa significatione verbi *confido* et participii *confidens* cf. *Bremium* ad Fin. II, 3. p. 115. *Orellius* docet, *confidentiae* nomen in laude positum adhuc reperiri apud Plautum Mil. II. 2, 76., sed iam in vitio positum ibid. II. 2, 36. *Klotzius* addit Ter. Andr. V. 2, 14: *confidens*, catus: ubi pari modo cum laude dicitur. V. *Heindorf*. ad Hor. Serm. I. 7, 7. p. 216. ed. Wüst.

Atqui] Sic recte Or. c. b. Marb. Gud. 2. Aug. Mon. 2. et aliquot edd. vett. pro vulg. (etiam R.) *atque*: quod nuper recepit *Tregder*, notatus ab *Wesenbergio* Em. I. p. 14., qui verissime demonstravit, in assumenda conclusionis alicuius propositione minore non *atque* poni, sed *atqui* (III. 10, 21. V. 14, 40. 15, 43. all. ll.), *autem* (III. 7, 14 extr. 15. 9, 19. 21. all. ll.), *at* (III. 7, 15. 9, 19. V. 16, 48. all. ll. V. *Goerenz*. ad Legg. I. 17, 40. et *Hand*. Tursell. Vol. I. p. 431. nr. 12.), denique *et* (III. 4, 9. 7, 15. 8, 18. V. 17, 49. N. D. I. 40, 110. all. ll.), discernendosque esse eos locos, ubi per *atque* nova aliqua conclusio argumentumve adnectatur (V. 15, 43: atque etiam et cett. 18, 53: ubi v. Adnotata nostra.) De frequenti litterarum *i* et *e* in codd. confusione v. ad II. 8, 20. et Var. Scr. ad V. 15, 43., ubi etiam *atque* et *atqui* in codd. permixta sunt.

infractionem quandam] Sic *Or.* c. plurimis codd. et edd. vett. ante Gebh.; *Klotzius* et *Tregder* e R. P. Gud. 1. Vat. aliisque et Nonio p. 122. receperunt *infr. quidem*: quorum ille *et — quidem* comparat cum Graeco καὶ — γέ: quod ab h. l. alienissimum est. Verissime *Wolfius* docet *quandam* significare, nomen *infractionis* tum quidem non videri admodum fuisse usitatum. Et vero etiam ob metaphoricam huius nominis notationem paene necessarium est hoc pronomen. Scriptura autem *quidem* ex compendio scripturae facile oriri potuit.

victum, si quando, se esse] Hanc germanam scripturam, quam praeter alios codd. etiam optimi R. P. Gud. 1. exhibent, cum *Davisio* recte restituit *Orellius* pro vulg. *victum se quandoque esse*, comp. *Parei* mantiss. lexic. crit. p. 117. *Burmann*. ad Valer. Flacc. V, 474. *Garaton*. ad Milon. p. 242. Bonon. Vocabulum *quandoque* apud Ciceronem ad Fam. VI. 19, 2. legitur: ego me Asturae diutius arbitror commoraturum, quoad ille *quandoque* veniat; sed ibi non *interdum*, quod eius, quem nunc tractamus, loci sententia requirit, sed *aliquando* significat. Illa el-

cadunt autem haec in virum fortem. Igitur ne aegritudo quidem. At nemo sapiens, nisi fortis. Non cadet[4] ergo in sapientem aegritudo. 15. Praeterea necesse est, qui fortis sit, eundem esse magni animi; qui magni animi[5] sit, invictum; qui invictus sit, eum res humanas despicere atque infra se positas arbitrari. Despicere autem nemo potest eas res, propter quas aegritudine affici potest. Ex quo efficitur, fortem virum aegritudine nunquam affici. Omnes autem sapientes fortes. Non cadit igitur in sapientem aegritudo. Et quemadmodum oculus conturbatus non est probe affectus ad suum munus fungendum, et reliquae partes totumve corpus, statu quum est motum, deest officio suo et muneri: sic conturbatus animus non est aptus ad exse-

4 Sic R. P. Gud. 1. Aug. aliquot Oxx. et add. vett. fere omnes; Or. c. aliis codd. *cadit*. V. ad §. 15. extr. 5 In R. P. Gud. 1. Rehd. duob. Pall. exciderunt *qui magni animi* ob antec. *eundem esse magni animi;* Vat. *qui autem m. a. sit.*

liptica locutio *si quando* est elegantissima et comparari potest cum frequentissimo *si forte*, de quo doctissime agit *Muretus* V. L. XVI, 9. V. *Matthiaeum* ad or. pr. Mil. 38, 104. *Klotzius* comparat *sive adeo* (Verr. III. 46, 110.), *si quidem* (ap. Mar. Victorin. expos. in rhetor. Cic. I. p. 2.).

§. 15. *res humanas despicere*] de Orat. II. 84, 344: Sapientia et magnitudo animi, qua omnes res humanae cernuntur tenues et *pro nihilo putantur:* ubi v. *Pearcium*. de Legg. I. 23, 62: quam *contemnet*, quam *despiciet*, quam *pro nihilo putabit* ea, quae vulgo dicuntur amplissima? — Ibi observanda est gradatio verborum. *Contemnere* enim dicuntur res, quas inanes atque leves esse existimant; *despicere* res, quas infra se, infra dignitatem suam positas arbitrantur; *pro nihilo putare* res, quas nullius plane momenti ducunt. V. *Ochsner*. Ecl. Cicer. p. 38.

ad suum munus fungendum] V. nos in Gr. L. §. 131. Not. 9. *Ochsner*. Ecl. Cic. p. 62. *Bremium* ad Nep. Datam. I, 4.

Nunquam igitur est] *Beier* ad Offic. I. 19, 64. p. 151. c. multis edd. vett. inverso ordine legere vult: *nunquam est igitur:* quod certe h. l., ut in concludendi formula, non placet. Ad futurum *vacabit*, quod in consecutione et conclusione poni solet, cf. infra c. 8, 18: et sunt illa sapientis: *aberit igitur* a sapiente aegritudo. §. 19: qua quoniam vacat, aegritudine etiam vacabit. V. *Goerenz*. ad Fin. III. 8, 28. p. 346. qui c. 8, 19. e duobus suis codd. recte corrigendum censet: nunquam igitur sapiens *irascetur* (pro *irascitur*).

Cap. VIII. §. 16. *qui sit temperans*] Huc referenda sunt verba, quae §. 18. demum sequuntur: *eum necesse est esse constantem*. Tota oratio maxime impedita est atque implicata, quum non solum complures interpositiones inter se excipiant, sed etiam ipsis interpositionibus aliae insertae sint. V. ad I. 13, 30. et II. 1, 3. Caussam huius ἀνακολούθου orationis *Orellius* verissime repetit a summa Ciceronis in vertendo Graeco vocabulo σωφροσύνης dubitatione ac fluctuatione demonstratque eam egregie apparere in hac ipsa turbatae orationis conformatione. De v. *eamque* pro *cuiusque* dicto v. ad V. 3, 8.

haud scio an recte] H. e. Fortasse quam virtutem Graeci σωφροσύνην vocant, Latine *frugalitas* rectius appellari possit; quanquam Graeci nomini *frugalitatis* multo angustiorem tribuunt notionem: nam quos nos latissima significatione appellamus *frugi* homines, eosdem angusta significatione dicunt χρησίμους, i. e. utiles. At apud nos nomen *frugalitatis* latissime patens complectitur omnem abstinentiam, omnem innocentiam et reliquas virtutes. — Formula autem *haud scio an* pro *certo*, *sine dubio*, *non dubito quin* (cf. infra III. 23, 55: *haud sciam an plurimum*), apud Ciceronem longe frequentissima, fluxisse videtur ex eadem veterum urbanitate, e qua etiam aliae multae profectae sunt locutiones, ut *vide, ne* (v. ad I. 34, 83.), quae rem certissimam dubitanter proponunt. II. 17, 41. et *haud scio, an ita sit,* ut nunc fit. Nostro loco geminus legitur Fin. V. 3, 7: Aristoteles, quem, excepto Platone, *haud scio an recte* dixerim princi-

quendum munus suum. Munus autem animi est ratione bene uti, et sapientis animus ita semper affectus est, ut ratione optime utatur. Nunquam igitur est[6] perturbatus. At aegritudo perturbatio est animi. Semper igitur ea sapiens vacabit.

VIII. 16. Veri etiam simile illud est, qui sit temperans — quem Graeci σώφρονα appellant eamque virtutem σωφροσύνην vocant, quam soleo equidem tum[1] temperantiam, tum moderationem appellare, nonnunquam etiam modestiam; sed haud scio, an recte ea virtus frugalitas appellari possit, quod angustius apud Graecos valet, qui frugi homines χρησίμους appellant, id est tantummodo utiles; at illud est latius; omnis enim abstinentia, omnis innocentia — quae apud Grae-

6 v. Adn. VIII. 1 Mos. edidit *cum t.*, nulla addita auctoritate, neque addicente dicendi consuetudine. V. ad V. 25, 72.

pem philosophorum. et p. Ligar. 9: Quae fuit unquam in ullo homine tanta constantia? constantiam dico? *nescio, an melius* patientiam possim dicere. Similiter IV. 23, 52: *nescio, ecquid* ipsi nos fortiter — fecerimus; si quid fecimus, certe irati non fecimus: ubi de hac formula (*nescio*, *ecquid*) affirmante *Moser* attulit *Beier.* in Exc. ad C. Lael. p. 216: ubi comparantur Verr. III. 12, 29. Fin. IV. 24, 67.; *ecquis* enim non, ut *quis*, simpliciter interrogat, sed cum dubitatione quadam; cf. *Hand.* Turs. II. p. 351 sqq. Doctissime formulam *haud scio an* persecutus est et illustravit *Gernhard.* in Exc. II. ad Lael VI, 20. Cf. *Ramshorn.* L. Gr. §. 174. *Kühner.* §. 159, 5. *Hand.* Tursell. I. p. 310 sqq. Pari ratione dicitur *dubito an:* de qua formula v. infra ad IV. 22, 50: ubi accuratius in harum locutionum rationem inquisivimus.

frugalitas —, quod angustius etc.] H. e. id, quod frugalitatem dicimus, angustius apud Graecos valet.

frugi homines χρησίμους] V. infra IV. 16, 36. Cf. Quinctil. I. 6, 29: ut quum M. Caelius se esse *hominem frugi* vult probare, non quia abstinens sit, (nam id ne mentiri quidem poterat:) sed quia *utilis* multis, id est fructuosus, unde sit dicta *frugalitas.* Praeclare *Orellius frugalitatis* et σωφροσύνης vim exposuit. Verba *frugi, frugalitas* ducta sunt e prisca Romanorum vita; proprie enim *ager frugi* sc. ferendae aptus (vel antiquius pro *ager frugis*) dicitur; tum transfertur ad hominem probum, strenuum, prudentem, moderatum, qui in iis, quae facit, semper iustam tenet mensuram, ut proverbii locum obtineat, *hominem frugi omnia recte facere* (IV. 16, 36.); hinc non solum de viris, qualis fuit L. Piso, cui *Frugi* cognomen erat, integritatis innocentiaeque specimen, sed etiam de servis bonis, strenuis, moderatis dicitur. Σωφροσύνης notio latissime patet; est enim ea virtus, quae nos in omnibus quascunque tractamus rebus σώζειν τὴν φρένα, i. e. recta uti ratione, iubet sibique subiectas habet temperantiam, moderationem, modestiam, constantiam, continentiam.

omnis enim abstinentia] Haec est scriptura codicum, quam *Ernestius* deseruit, scribens *omnem enim abstinentiam, omnem innocentiam*, ut videlicet ad usitatam constructionem revocaretur oratio. At scripturae libris manuscriptis uno consensu exhibitae recte patrocinium suscepit *Davisius.* Oratio est ἀνακόλουθος: cuius generis exempla in his libris reperiuntur permulta. V. ad II. 1, 3. Imprimis frequens est illud genus ἀνακολουθίας, quo primum nominativus positus est, deinde verbum, quod dativum vel accusativum requirit, sequitur, quum scriptor aliam in mente habuerit constructionem, ut h. l. *omnis enim abstinentia, omnis innocentia — frugalitate continetur.* V. *Ruhnken.* Dictat. in Terent. Hecyr. III. 1, 6: *Nam* nos omnes, *quibus est alicunde aliquis obiectus labos, Omne quod est interea tempus, priusquam id rescitum est*, lucro est (quasi scribere voluisset: *lucramur* v. *lucro habemus*). *Ramshorn.* L. Gr. §. 207. Cf. Adnot. in V. 29, pr. et *Bremium* ad Fin. II, 33. p. 244 sqq. Rursus admoneo, talia in his aliisque Ciceronis de philosophia libris, qui dialogi forma compositi sunt, de industria quodam modo quaesita esse

cos usitatum nomen nullum habet, sed habere potest ἀβλάβειαν; nam est innocentia affectio talis animi, quae noceat nemini — reliquas etiam virtutes frugalitas continet. Quae nisi tanta esset et si iis angustiis, quibus plerique putant, teneretur, nunquam esset L. Pisonis cognomen tanto opere laudatum. 17. Sed quia nec qui propter metum praesidium reliquit, quod est ignaviae; nec qui propter avaritiam clam depositum non reddidit, quod est iniustitiae; nec qui propter temeritatem male rem gessit, quod est stultitiae, *frugi* appellari solet: eo tres virtutes, fortitudinem, iustitiam, prudentiam, frugalitas complexa est[2]; (etsi hoc quidem commune est virtutum; omnes enim inter se nexae et iugatae[3] sunt:) reliqua igitur et quarta virtus *erit*[4] ipsa frugalitas. Eius enim videtur esse proprium motus animi appetentes[5] regere et sedare semperque adversantem libidini moderatam in omni re servare constantiam: cui contrarium vitium nequitia

2 Sic Or. c. plurimis codd. et optimis, ut R. P. Gud. 1. Gr., et multis edd. vett. pro *est compl.* 3 Sic Or. c. plurimis codd. et optimis, ut R. P. Gud. 1., et plurimis edd. vett. pro *coniugatae.* 4 v. Adn. 5 Sic Or. c. Mon. 1. et ed. Lamb. pro reliquorum *appetentis*, antiqua forma accusativi.

a Cicerone, ut orationem ad sermonis consuetudinem conformaret eique gratam quandam negligentiam conciliaret.

ἀβλάβεια] Adiectivum ἀβλαβής significatione *innocens* apud probatissimos scriptores reperitur.

cognomen] *Frugi* enim cognomen habebat L. Piso, quia tanta virtute et integritate, ut etiam illis optimis temporibus, quum hominem invenire nequam neminem posses, solus tamen *Frugi* nominaretur. Cic. pro Font. c. 13. *Neidius.*

reliqua igitur et quarta virtus erit] Sic scripsi e coniectura. Scriptura codicum est: *reliqua igitur et quarta virtus ut sit ipsa fr.* Eam recepit *Klotzius*, verba ita coniungens: eo tres virtutes — frugalitas complexa est; reliqua igitur et q. ut s. i. f. At durissima est coniunctio verborum *igitur* et *ut* (= ὥστε). *Tregd.* e *Madvigii* coni.: *Reliqua igitur est, quarta virtus ut sit, ipsa frugalitas* (h. e. restat ipsa frugalitas, quae sit quarta virtus): quae ratio item admodum dura est. Multae edd. vett. et Aug. nonnullique Oxx. post *frugal.* addunt *necesse est. Or.* c. D. e coni. *Reliquum igitur est, quarta virtus ut sit ipsa fr.*

§. 18. *nequitia ab eo — ab eo*] Prius *ab eo Ernestius*, posterius *Manutius* exterminavit. Geminatio verborum nulla idonea est caussa, cur verba MSStorum auctoritate munita proscribamus, praesertim ubi enuntiatio aliqua longior interiicitur. Saepe etiam cum vi quadam repetitur. Cf. 28, 71: Ergo *id*, quod alii rectum opinantes, aegritudini se solent dedere, *id* hi turpe putantes, aegritudinem repulerunt. 29, 72: Ergo *Oileus ille* apud Sophoclem, qui Telamonem antea de Aiacis morte consolatus esset, *is* quum audisset etc. Alia v. ap. *Madvig.* ad Fin. V. 8, 22: *id ipsum* honestum, quod amplecti vult, *id* efficit turpe. Cf. ad IV. 14, 32. 17, 37.

nequicquam] Varro L. L. IX. §. 5: Ex *ne* et *quicquam*, media extrita syllaba, coactum est *nequam*. Itaque ut eum, quem putamus esse *non hili*, dicimus *nihili*; sic in quo putamus esse *nequicquam* dicimus *nequam*. Cf. *Forcellinii* Thes. Lat. v. *nequam:* ubi etiam complures collecti sunt loci, in quibus *homini frugi* opponitur *homo nequam*. Sed recte docet *Klotzius*, originationem propositam falsam esse et vocabulum *nequitiae* cum *nequire* cohaerere significareque *Nichtsnützigkeit.*

nihili dicitur] Sic scripsi c. Mos. e Gud. 1. (a pr. m.) Vind. 2. duob. Oxx. Rehd. Gud. 2. Mon. 1. trib. Leidd. et plurimis edd. vett. pro *nihil d.*, quod habent R. P. aliique. *Moser* comp. Varronis locum L. L., quem modo ad *Nequicquam* attulimus, et VIII. p. 111: Dicimus *hic homo n i h i l i est* et *huius hominis n i h i l i* et *hunc hominem n i h i l i. Wesenberg.* Em. II. p. 4., qui item prae-

dicitur. 18. *Frugalitas*, ut opinor, a *fruge*, qua nihil melius e[6] terra; *nequitia* ab eo (etsi erit hoc fortasse durius; sed temptemus; lusisse[7] putemur, si nihil sit;) ab eo, quod *nequicquam* est in tali homine: ex quo idem *nihili*[8] dicitur. — Qui sit frugi igitur vel, si mavis, moderatus et temperans, eum necesse est esse constantem; qui autem constans, quietum; qui quietus, perturbatione omni vacuum: ergo etiam aegritudine. Et sunt illa sapientis. Aberit igitur a sapiente aegritudo.

IX. Itaque non inscite Heracleotes Dionysius ad ea disputat, quae apud Homerum Achilles queritur hoc, ut opinor, modo:

Corque meum penitus turgescit tristibus iris,
Quum decore atque omni me orbatum laude recordor.

19. Num manus affecta recte est, quum in tumore est? aut num aliud quodpiam[1] membrum tumidum ac turgidum non vitiose se habet?

6 Unus Ox. *n. alius est a t.*; Gud. *n. m. est terra*; Duisb. Aug. *n. m. est in t.*: Mon. *n. m. est e t.*: quod recipiendum censet *Wes.* Em. II. p. 53., quod C. in *relativa* enuntiatione vix unquam ne *est* quidem aut *sunt* omiserit, comp. c. 10, 22. IV. 38, 82. et de omisso *est* v. eius Em. I. p. 17. not. 7 Sic R. P. Vat. Ball. (nisi quod R. *iusisse*, P. *iussisse*); Or. aliique *tentemus*; *lusisse*; alii interponunt *et*; plerique codd. corrupte *temerius iusisse*. 8 v. Adn. IX. 1 v. Adn.

fert *nihili*, contulit Plaut. Pseud. IV. 7, 23. Asin. II. 3, 29. 4, 66. Stich. I. 3, 35. vereque docet, non esse veri simile, Ciceronis et Varronis aetate utrumque (homo *nihili* et h. *nihil*) aeque usitatum ita fuisse, ut in eadem notatione alter alterum posuerit. Quos *Orellius* ad scripturam *nihil* firmandam attulit locos (§. 77. IV. §. 74: ubi sine dubio legendum *nihili*. p. Sest. §. 114: ubi c. Matth. ex Hotom. coni. *nihili putaret* legendum, ad Q. Fr. I. 2, 14: noli spectare, *quanti* homo sit; *parvi* enim *pretii* est, qui iam *nihil* sit: ubi vel lusus verborum *nihili* requirit, uti verissime docet Wes.), non multum probant. Neque ex Augustino de Vita Beata c. 8. p. 301. ed. Benedict.: „ipsam nequitiam — ex eo, quod *nequicquam* sit, id est ex eo, quod *nihil* sit, veteres dictam esse voluerunt," certi quicquam concludi posse docet *Wes.* Cf. Addenda ad I. 8, 15.

necesse est esse constantem] V. Adnotata ad IV. 37, 80.

Et sunt illa sapientis] V. Adnotata in c. 7, 14: *Atqui*.

Cap. IX. *ad ea disputat*] Supra I. 4, 7: *ad id* aut sedens aut ambulans *disputabam*. De hac structura v. *Ruhnken*. Dictat. in Terent. Andr. Prol. v. 15. Similiter infra IV. 21, 48: Quid *ad has disputationes possint dicere?* et ib. 20, 46. elliptice: Exspecto, quid *ad ista*. III. 32, 78: *ad* Epicuri consolationem satis est ante *dictum*. Divin. II. 3, 8: *dicendum* est mihi *ad ea*, quae a te dicta sunt. Cf. *Schoemannum* ad N. D. I. 8, 19. Miro modo *Handius* in Tursell. T. I. p. 110 sq. *disputare ad aliquid* explicat certis rebus vel quaestionibus propositis disserere et secundum eas certa via ac ratione instituere disputationem. *Ad* est *in Betreff*, *in Rücksicht*, *in Beziehung*.

Corque] Iliad. ι, 646:

ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ, ὁπ-
πότ' ἐκείνων
μνήσομαι, ὥς μ' ἀσύφηλον ἐν Ἀρ-
γείοισιν ἔρεξεν.

iris] De plurali numero v. ad IV. 2, 3.

§. 19. *aliud quodpiam*] Sic in nonnullis codd. legi testatur *Turnebus* in Adv. 26, 6., et sic legitur in Vind. 205.; ed. vet. Bouh. *aliud quidpiam*; R. P. Gud. 1. b. duo Oxx. Aug. Mon. 1. 2. Duisb. aliique quinq. Pall. *aliquod quippiam*; *I. F. Gronov.* ad Liv. XLI, 6. et *Ruhnken.* ad Rutil. p. 187. coni. *aliquodpiam* (duo Oxx. *aliquidpiam*), quod probant *Goerenz.* ad Fin. V. 6, 16. et *Max. Schmidtius* in Comment. de Pron. Gr. et Lat. Halis 1832. p. 58.; sed quum pronomen *aliquispiam* codicum auctoritate

sic igitur inflatus et tumens animus in vitio est. Sapientis autem animus semper vacat vitio, nunquam turgescit, nunquam tumet; at iratus [1] animus eiusmodi est; nunquam igitur sapiens irascitur [2]. Nam si irascitur, etiam concupiscit. Proprium est enim irati cupere, a quo laesus videatur, ei quam maximum dolorem inurere. Qui autem id concupierit, eum necesse est, si id consecutus sit, magno opere laetari. Ex quo fit, ut alieno malo gaudeat. Quod quoniam non cadit in sapientem, ne ut irascatur quidem cadit. Sin autem caderet in sapientem aegritudo, caderet etiam iracundia. Qua quoniam vacat, aegritudine etiam vacabit. 20. Etenim si sapiens in aegritudinem incidere posset, posset etiam in misericordiam, posset in invidentiam. Non dixi *invidiam* [3], quae tum [4] est, quum invidetur; ab *invidendo* autem *invidentia* recte dici potest, ut effugiamus ambiguum nomen *invidiae;* quod verbum ductum est a nimis intuendo fortunam alterius, ut est in Melanippo [4]:

Quisnam florem liberum invidit meum?

2 v. Adn. in c. 7, 15. extr. 3 Sic Or. c. optimis codd., ut R. P. Gud. 1., multisque aliis, et permultis edd. vett.; Nonius p. 443. et nonnulli codd. deteriores *in invid.:* quod per se non male se habet; (cf. ad V. 36, 105: *iis* dico *litteris.*), nec displicet *Wesenbergio* II. p. 24. 4 v. Adn.

careat, de eo vehementer dubitandum est, v. *Madvig.* Opuscc. Acadd. p. 464 sqq.; edd. vett. plurimae *aliquod quoppiam.*

in vitio est] H. e. vitiosus est. De hac locutione *Orellius* comparat de Rep. I, 28. et *Creuzer.* ad Legg. III, 15. p. 730. Adde infra IV. 8, 17: ut et *in laude* et *in vitio* nomen hoc *sit.* 37, 79: perturbationem — esse *in opinione* (i. e. opinatam).

at iratus] *Ernestius* e Vat. *irati*, ob antecedentia *sapientis animus;* at recte dicitur *iratus animus, sapiens animus* non item. Sic c. 7, 15. *conturbatus animus* opponitur *sapientis animo.*

§. 20. *Etenim*] *Et* copulat hanc enuntiationem cum antecedenti, *enim* autem asseverandi vim habet (*und fürwahr*): unde fit, ut *etenim* saepe non tam, ubi proxima confirmanda sunt, usurpatur, quam ubi oratio in universa argumentatione progreditur, ut saepe fere idem sit ac *porro, praeterea.* V. *Madvig.* ad Fin. I. 1, 3. p. 8. et in Opusc. acad. alt. p. 30. comp. N. D. II, §. 77. Divin. II, §. 89. et 142. Adde N. D. II. 16, 42: ubi cf. *Schoemann.* et infra IV. 17, 40.

quae tum est, quum invidetur] Non opus est coniectura Bouhierii *quae etiam est* etc., neque Bentleii *quae item est* etc. *Klotzius* verba *quum invidetur* interpretatur quum invidia exercetur, ut ambiguum relinquatur, utrum invidia ab aliquo exerceatur, an in aliquem. Rectius *Orellius* sic: quo vocabulo *tum* rectius utare, quum alicui ab aliis invidetur, quam quum tu ipse alteri invideas: quae est potius *invidentia.*

invidentia] Cf. IV. 7, 16.

Melanippo] „Hanc Accii fabulam saepe laudant Festus et Nonius. Quodnam fuerit eius argumentum, divinando assequi conatus est *G. I. Vossius* ad Fragmm. Tragic. p. 163.“ *Davisius.* Pro *Melanippo,* quod pauci, sed optimi codd. R. P. Gud. 1. b. et Mon. 2. (*Melaenippo* duo Oxx.) exhibent, plurimi codd. et multae edd. vett. legunt *Menalippo.* De perpetua horum nominum in codd. permutatione cf. *Beierum* ad Off. I. 31, 114. et ad h. l. *Orellium,* qui laudat Varron. L. L. VI. p. 347. Speng. Fest. Dacierii p. 285. *Bothium* in Poët. Scen. p. 56. et 217. Apud Nonium p. 500. Merc. legitur: *Accius Menalippo: „Unde aut quis mortalis florem liberum invidit meum,“* et multis aliis locis hoc nomen hac forma constanter ap. Non. affertur. Assentior *Klotzio,* qui nomina *Menalippus, Menalippa* et *Melanippus, Melanippa* iam a veteribus Romanis inter se confusa

Male Latine videtur; sed praeclare Accius[5]; ut enim *videre*, sic *invidere florem* rectius, quam *flori*. Nos consuetudine prohibemur; poëta ius suum tenuit et dixit audacius.

X. 21. Cadit igitur in eundem et misereri, et invidere. Nam qui dolet rebus alicuius adversis, idem alicuius etiam secundis dolet[1]. Ut Theophrastus interitum deplorans Callisthenis[2], sodalis sui, rebus Alexandri prosperis angitur; itaque dicit, Callisthenem incidisse in hominem summa potentia summaque fortuna, sed ignarum, quemadmodum rebus secundis uti conveniret. Atqui quemadmodum misericordia aegritudo est ex alterius rebus adversis, sic invidentia aegritudo est ex alterius rebus secundis. In quem igitur cadit misereri, in eundem etiam invidere. Non cadit autem invidere in sapientem; ergo ne misereri quidem. Quod si aegre[3] ferre sapiens soleret, misereri etiam soleret. Abest ergo a sapiente aegritudo. 22. Haec sic dicuntur a Stoicis concludunturque contortius. Sed latius aliquanto[4]

5 Sic Gud. 1. sept. Oxx. Marb. Aug. et nonnull. edd. vett.: R. P. et reliqui *Actius;* Or. c. L. Brut. Sylb. W. *Attius;* v. V. Scr. ad I. 44, 105. X. 1 R. P. Gud. 1. et pauci alii *solet:* quod ab h. l. alienum est et sine dubio ortum suum debet glossatori, qui in repetito *dolet* offendit. 2 v. Adn. 3 Sic Or. c. duobus regiis ap. Lall. et, ut vdtr., aliquot Oxx. itemque paucis edd. vett. pro vulg. *quod si hoc aegre ferre;* verae scripturae proximi sunt R. P. Gud. 1. aliique, qui habent: *quod si haec referre.* „Totus error inde ortus est, quod nesciebant librarii, *aegre ferre* idem esse, quod *aegritudine affici.*" *Mos.* 4 v. Adn.

videri censet, quum codd. semper varient et Graeca nomina propria saepe depravata sint, comparato *C. Keilio* in Specim. Onomatologi Graeci p. 36 sqq., in primis p. 41 sq. *Orellius* c. b. in marg. edidit *Melanippa.* V. eum in Onomast. Tull. v. *Melanippa.*

Quisnam florem] De constructione verbi *invidendi Davisius* conferre iubet Sanct. Minerv. III, 3. (p. 485. ed. Baueri) Gronov. ad Tacit. Ann. I, 22. et Intt. ad Quinctil. IX. 3, 1.

dixit audacius] Non audacius dixisse Accium, sed ex more seculi sui, monet *Wolfius.*

Cap. X. §. 21. *Theophrastus interitum deplorans Callisthenis*] In libro, qui inscriptus est Καλλισθένης ἢ περὶ πένθους. De morte Callisthenis varia tradunt scriptores. *Davisius* affert Arrian. Exped. IV, 14. Diog. L. V, 5. et *Freinshem.* ad Curt. VIII. 8, 21. V. *Davisium* ad h. l.

Callisthenis] *Orellius* c. D. ed. 2. et Gud. 2. pro vulg. *Callisthenis* edidit *Callistheni*, uti etiam *Goerenzius* ad Acad. II. 6, 16. p. 36. legendum censet. Ac profecto haec scriptura admodum probabilis est; nam *s* littera in scr. *Callisthenis* facile ex *s* subsequenti (*sodalis*) accrescere potuit. Constat autem, Ciceronem Graeca nomina tertiae flexionis in *es* exeuntia in genitivo finire solere in *i*. Sic c. optimis codd. I. 41, 98. V. 16, 46. *Ulixi* et IV. 33, 71. *Ganymedi* legitur; porro sic apud Ciceronem leguntur genitivi optimorum codd. auctoritate muniti: *Praxiteli*, *Aristoteli*, *Agathocli*, *Diocli*, *Pericli*, *Themistocli*, *Timarchidi*, *Demostheni*, *Lacydi*, *Aristidi*, *Archimedi*, *Thucydidi*, all. Paucis locis genitivi horum nominum in *is* exeuntes in bonae notae codd. firmiter stant, ut Tusc. III. 22, 54. et V. 31, 88. *Carneadis*, Fin. I. 2, 4. *Euripidis*, ib. II. 35, 119. *Herculis.* Cf. *Ottonem* ad Fin. II. 34, 116. p. 187. *Madvig.* ad Fin. I, 5. p. 31 sq. V. 5, 12. p. 632. *Zumpt.* ad Verr. IV. 2, 4. Vol. II. p. 655. *Ellendt.* ad de Or. I. 19, 88. Vol. II. p. 55 sq. *C. L. Schneider.* L. Gr. II. p. 163 sqq. *Ramshorn.* §. 29. *Kühner.* §. 21. b).

aegre ferre] Hoc loco idem est quod *aegritudine affici.*

§. 22. *concludunturque contortius*] Supra etiam II. 18, 42. de Stoicis: qui *contortulis* quibusdam et minutis conclu-

dicenda sunt et diffusius; sententiis tamen utendum eorum potissimum, qui maxime forti et, ut ita dicam, virili utuntur ratione atque sententia. Nam Peripatetici, familiares nostri, quibus nihil est uberius, nihil eruditius, nihil gravius, mediocritates vel perturbationum vel morborum animi mihi non sane probant. Omne enim malum, etiam mediocre, *malum*[5] est; nos autem id agimus, ut id in sapiente nullum sit omnino. Nam ut corpus, etiam si mediocriter aegrum est, sanum non est; sic in animo ista[6] mediocritas caret sanitate. Itaque praeclare nostri, ut alia multa, molestiam, sollicitudinem, angorem propter similitudinem corporum aegrorum aegritudinem nominaverunt. 23. Hoc propemodum verbo Graeci omnem animi perturbationem appellant; vocant enim πάθος, id est morbum, quicunque est motus in animo turbidus. Nos melius; aegris enim corporibus simillima animi est[7] aegritudo; at non similis aegrotationis est libido, non immoderata laetitia, quae est voluptas animi elata et gestiens. Ipse etiam metus non est morbi admodum similis, quanquam aegritudini est finitimus; sed proprie, ut aegrotatio in corpore,

5 Sic recte Or. e corr. Bouhierii pro vulg. *magnum est.* Cf. verba subsequentia: *nos — sanum non est.* Etiam Kl., qui in ed. vulgatam defendi posse putabat, nunc in Add. p. 130. probat emendationem Bouhierii. 6 Rehd. et paucae edd. vett. *in animo si est ista m.:* quod Kl. recepit quidem, nunc autem in Add. reiicit. 7 Sic R. P. Gud. 1. ed. D. pro vulg. *est animi.*

siunculis — effici volunt non esse malum dolorem. Divin. II, 51: *contorquent* et ita concludunt. Cf. supra III. 6, 13. extr.

latius aliquanto] Quae concluduntur contortius a Stoicis, ea *multo latius et diffusius* a me dicenda sunt; at eleganter posuit *aliquanto*, quo sententia modestius effertur. Ex hoc autem loco luculenter apparet, *aliquanto* diversum esse a vocula *paullo;* nam verba *aliquanto latius* spectant ad totam sequentem huius libri disputationem. V. ad II. 27, 66. Pro *aliquanto* R. P. Gud. 1. Mon. 1. octo Oxx. et quatt. edd. vett. exhibent *aliquando:* quod placuit *Klotzio,* qui comp. de Or. I. 29, 133: Sed, si placet, sermonem alio transferamus et nostro more *aliquando*, non rhetorico loquamur. V. nos ad I. 1, 1.; sed a nostro loco alienissimum est.

familiares nostri] V. nos in libro d. *de Cic. in phil. mer.* p. 77 sq.

quibus nihil est uberius] V. ad I. 2, 5.

mediocritates] H. e. mediocres status. Infra III. 31, 74: Hic mihi afferunt *mediocritates.* Acad. II. 44, 135: *mediocritates* illi probabant. Cf. ad IV. 2, 3.

§. 23. *corporibus — animi est aegritudo*] Est genus quoddam comparationis quae appellatur compendiariae, de qua v. ad I. 1, 2. Proprie enim dicendum erat, uti *Wolfius* interpretatur: animi aegritudo simillima est affectionis corporis aegrotantis. De compositione pluralis numeri cum singulari v. ad II. 23, 54.

elata et gestiens] Ein ausgelassenes und sich gebärdendes Vergnügen. Cf. c. 11, 24. et Adnotata in IV. 6, 13.

nomen habet non seiunctum a dolore] „Aegritudinis nomen eiusmodi est, ut eius significatio a doloris significatione non sit seiuncta.“ *Moser.*

inventa — reperta] V. ad I. 47, 114. De re *Menkius* in Observv. ined. affert Hippocrat. de Flatib. p. 570. T. I. Opp. ed. Kühn.

Cap. XI. §. 24. *nec vero*] *und wahrlich nicht, und zwar nicht;* affirmative dicitur *et quidem.* V. *Seyffert.* ad Lael. 12, 42. p. 284.

genere — partibus] de Invent. I. 10, 22: *Genus* est, quod plures *partes* complectitur, ut animal. *Pars* est, quae subest generi, ut equus. Sed saepe eadem res alii genus, alii pars est cett. Cf. infra IV. 6, 11. 7. 9. 13. V. 25, 71.

sic aegritudo in animo, nomen habet non seiunctum a dolore. Doloris huius igitur[8] origo nobis explicanda est, id est caussa efficiens aegritudinem in animo, tanquam aegrotationem in corpore. Nam ut medici, caussa morbi inventa, curationem esse inventam putant; sic nos, caussa aegritudinis reperta, medendi facultatem reperiemus.

XI. 24. Est igitur caussa omnis in opinione, nec vero aegritudinis solum, sed etiam reliquarum omnium perturbationum, quae sunt genere quattuor, partibus plures. Nam quum omnis perturbatio sit animi motus vel[1] rationis expers, vel rationem adspernans, vel rationi non obediens, isque motus aut boni aut mali opinione citetur[1]; bifariam quattuor perturbationes aequaliter distributae sunt. Nam duae sunt ex opinione boni, quarum altera voluptas gestiens, id est praeter modum elata laetitia opinione praesentis magni alicuius boni, altera, quae est immoderata appetitio opinati magni boni rationi non obtemperans, vel cupiditas recte vel libido dici potest[1]! 25. Ergo haec duo genera, voluptas gestiens et libido, bonorum opinione turbantur, ut duo reliqua, metus et aegritudo, malorum.

8 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. Aug. pro vulg. *dol. igitur huius.* V. Adn. in I. 6, 12. XI. 1 v. Adn.

Eandem vim habent *formae generum*, Fin. II, 9. et aliis locis. Nostrates dicere solent *species.*

vel rationis] De Bouhierii sententia *vel* W. seclusit, alii eiecerunt; immerito. Audiamus *Nissenium:* Haec tria genera sunt motuum animi, quorum primo voluptas comprehenditur, quae proprie eam partem hominis attingit, quae expers est rationis; alteri subiecta cupiditas est, quae praefracte rationem aspernatur; tertio denique metus et aegritudo, quibus vires hominis adeo extenuantur, ut obedire rationi nequeat. Etenim duo haec genera animi motuum etsi sic conspirant, ut neutrum rationi obediat, ita tamen differunt, ut in altero contumacia, in altero imbecillitas inobedientiae sit caussa.

citetur] Davisius in ed. 2. correxit *excitetur*, sed in ed. 3. *citetur* restituit; Ern. suspicabatur legendum esse *cieatur*; Lamb. Fr. Fabr. HWolf. in marg. *concitetur*. At optime sese habet codicum scriptura, de qua *Moser* profert Martini-Lagunae Adnn. ad C. epp. ad Famil. I, 5. in Seebod. I. et Kl. Annall. Philoll. Suppl. II. 3. p. 373. Verbum *citandi* significat provocare; aliis locis a Cicerone de personis usurpatur, hoc autem loco ad rem translatum est.

opinati] V. Adnot. in c. 14, 30.

altera, quae est immod. appet. op. magni boni rat. non obtemperans, vel cupiditas recte vel libido dici potest] Sic ego nunc (in ed. IV.) scribendum duxi, praeeuntibus Davisio, Wolfio, Tregdero. Plurimi codd. et optimi, ut R. P. Gud. 1., exhibent: *altera cupiditas quae recte vel libido dici potest quae est immod. appet. op. m. b. rat. non obtemperans vel cupiditas recte vel libido dici potest.* Nonnulli codd. et plurimae edd. vett. inter *obtemperans* et *vel cupiditas* inserunt *quae.* Quae delevi verba, addita sunt a librario archetypi, qui primum post *altera* ad *cupiditas*, deinde quum se revocasset et *quae* scripsisset, ad *recte vel libido d. potest* aberravit, uti verissime observavit *Wesenberg.* Em. I. p. 6., qui etiam receptam scripturam probavit. Cod. Gryphianus et aliquot edd. vett. habent: *altera cup. quae recte vel lib. dici potest quae est imm. app. op. m. b. r. n. obtemperans*, omissis verbis ultimis *vel cupid. recte vel lib. de p.* Hanc scripturam recepit *Orellius*, sed deleto priore *quae* post v. *cupiditas.* Man. L. aliique e coni. ediderunt: *altera vel cup. r. vel l. d. p., quae — obtemperans. Ergo. Klotzii* in Add. p. 131. coniectura sine dubio iam pridem ab ipso est reiecta.

§. 25. *bonorum opinione turbantur*]

Nam et metus opinio magni mali impendentis, et aegritudo est opinio magni mali praesentis, et quidem recens opinio talis mali, ut in[2] eo rectum videatur esse angi; id autem est, ut is, qui doleat, oportere opinetur se dolere. His autem perturbationibus, quas in vita[3] hominum stultitia quasi quasdam furias immittit atque incitat, omnibus viribus atque opibus repugnandum est, si volumus hoc, quod datum est vitae, tranquille placideque traducere. Sed cetera[4] alias; nunc aegritudinem, si possumus, depellamus. Id enim sit[5] propositum, quandoquidem eam tu videri tibi in sapientem cadere dixisti, quod ego nullo modo existimo. Tetra enim res est, misera, detestabilis, omni contentione, velis, ut ita dicam, remisque fugienda.

XII. 26. Qualis enim tibi ille videtur

2 Lamb. et Fr. Fabr. om. *in*. At v. ad I. 21, 48. 3 v. Adn. 4 Sic omnes fere codd., etiam optimi: R. P. Vat. Gr. Gud. 1. et multae edd. vett.; *ceteras* (sc. perturbationes) Or. c. plurimis edd. vett. et paucis codd. 5 v. Adn.

Breviter dictum pro: *nascuntur tamque turbide moventur*, ut recte explicat *Orellius*, qui apposite confert IV. 15, 34: ex qua concitantur perturbationes, i. e. oriuntur cum turba. Topic. 26, 99: huic generi, in quo et misericordia et iracundia et odium et invidia et ceterae animi affectiones *perturbantur:* ubi *Lambinus* temere legit *concitantur*.

et quidem recens opinio] Quum enim inveteraverit opinio de malo aliquo urgente ac familiaritas quaedam cum illo sit contracta, aegritudo sensim evanescit. *Neidius*. Cf. 12, 26. et in primis 31, 75.

in vita] *in vitam* cum Lambino, Davisio, Ernestio ediderunt Wolfius et Orellius, qui scripturam *in vita* ex vitiosa omissione lit. *m* finalis profectam putat; codd. et ceterae edd. habent *in vita:* quod etiam Wolfius in ed. I. retinuit; nec immerito, opinor; nam verba *in vita hominum* absolute posita accipi possunt (quum homines vivunt), ut ad verba *immittit atque incitat* cogitatione supplendum sit *in eam;* de Legg. II. 14, 36. in omnibus codd. legitur: quum multa eximia divinaque videantur Athenae tuae peperisse atque ita *in vita* hominum attulisse, tum cett.: ubi v. Adn. *Moseri* p. 269. Etiam *Klotzius* revocavit *in vita*, sed nunc in Add. p. 132. restituendum censet *in vitam*, quod etiam nuper *Tregder* restituit.

quasi quasdam furias] V. ad II. 4, 11.

hoc, quod datum est vitae] H. e. hoc vitae tempus, quod nobis concessum est.

Id enim sit propositum] Davisius coniecit *id enim fuit pr.*, Bouh. *id enim est prop.*, ut videtur, particulae *enim* cum coniunctivo compositione offensus. At v., quae attulit *Wopkens*. Lectt. Tull. I, 14. p. 108., N. D. II, 12: audiamus *enim* Platonem cett. Divin. II, 36: externa *enim* videamus. Infra IV, 17. V, 24. Fin. V, 19. Recte ad haec *Handius:* Ipsi particulae (*enim*) nulla ratio cum coniunctivo modo. Ea in quacunque evocatione et exhortatione pr., qua remotis alienis rebus ad id, quod considerandum sit, accedere iubemus. Verti potest per *nämlich*. Graeci, quod sciam, non ita loquuntur. *Klotzius* coniunctivum non adhortativum esse statuit, sed dubitativum: „diess möchte nämlich unsere Aufgabe sein." Quae ratio non est probanda, quum coniunctivus adhortativus *depellamus* proxime antecedat. De particula *enim* paullo post repetita cf. infra IV. 17, 40. et *Hand.* Tursell. II. p. 396 sq.

velis, ut ita dicam, remisque] Proverbialis locutio pro omnibus viribus opibusque, omni conatu. Sic Plaut. Asin. I. 3, 5: *remigio veloque*, quantum poteris, festina et fuge. Proprie C. Fam. XII. 25, 3: inde *ventis remis* (alii codd. *remisque*) in patriam omni festinatione properavi. Silius I, 568: *remis velisque* impellite puppim. Similiter de Offic. III. 33, 116: *viris equisque* (ut dicitur), si honestatem tueri ac retinere sententia est, decertandum est: ubi v. *Beier*. p. 407. Comparari potest, quod comicorum poëtarum proprium est, *manibus pedibusque* aliquid facere. Terent. Andr. I. 1, 134, ubi v. *Ruhnkenium*.

Cap. XII. §. 26. *Tantalo prognatus*]

Tántalo prognátus, Pelope nátus, qui quondam á socru[1]
Oénomao rege Hippodameam[2] *ráptis nanctust*[3] *núptiis?*
Iovis iste quidem pronepos. Tamne ergo abiectus tamque fractus?
Nolite, inquit, *hospités, ad me adíre! illico ístim!*
Ne cóntagió mea bonís umbrave óbsit;
— tanta vís sceleris ín corpore haéret.
Tu te, Thyesta, damnabis orbabisque luce propter vim sceleris alieni?
Quid? illum filium Solis nonne patris ipsius luce indignum putas?
Refúgere oculi, córpus macie extábuit,
Lacrimáe peredere húmore exsangués genas;
Sitú nidoris[4] *bárba paedore hórrida atque*
Intónsa infuscat péctus illuvíe scabrum.

XII. 1 v. Adn. 2 Sic D. et codd. R. P. Gud. 1. Rehd.; *Hippodamiam* Or. c. vulg. 3 Sic R.; eodem ducit Gud. 1., qui habet *nanctus;* v. *Halm.* ad Sestian. 5, 12. p. 103; Or. c. vulg. *nactust.* 4 R. P. Gud. 1. II. b. Aug. Marb. aliique *situ nitoris;* cod. Urs. et codd. Turnebi (Adv. 26, 6.) *Situ liventes:* quod recepit Or., addens tamen videri sibi ingeniosam Itali seculi XV. correctionem; D. coni. *Situ'st in ore.* V. Adn.

Thyestes, filius Pelopis, nepos Tantali, pronepos Iovis. *Neidius.* Sunt autem versus trochaici septenarii ex Ennii Thyeste sumpti, quos primus *Bentleius* numeris suis reddidit, *socru* substituens vulgato *socero*, quod est in omnibus codd. Vulgo legebatur: *a socero O. r. H. raptu nactus est nuptiis,* et prosae ordine omnia usque ad *nuptiis* expressa erant. De *socru* monet Nonius p. 223. Merc. hoc: *Socrus et masculino genere veteres dici posse voluerunt.* Sic Accius ap. Priscian. p. 698. ed. Putsch. (T. I. p. 218. Kr.) *a socru suo.* Naevius autem ap. Nonium p. 223. *socri tuo.* Dativus *socro* legitur, uti *Klotzius* in Add. p. 132. observat, ap. Murator. Inscriptt. 532. Cf. *Orellium* ad h. l. et *Hartung.* über d. Kasus, ihre Bildg. u. Bdtg. in d. Gr. u. Lat. Spr. p. 135.

qui quondam] Scilicet *Pelops,* non *Pelopis filius.* V. Indic. hist. v. *Hippodamia.* Pindar. Olymp. I, 70. ed. Boeckh.

Iovis iste quidem etc.] Licet fuerit Iovis pronepos, tamen tam abiectus.

Nolite] Sunt versus bacchiaci tetrametri. V. eruditissimam adnotationem *Bentleii* ad h. l. in Emendatt. ad Tuscul. Cf. de Orat. III. 41, 164. In ultimi versus initio aliquid excidit. *Bentleius* supplet: *Meo* tanta etc. In primo versu, in quo continuata serie *ad me adire illico istic* legebatur, *Wolfius* ea verba recte exclamandi signo separavit et pro *istic*, auctore *Bouhierio*, suasore *Mureto* in Varr. Lectt. 12, 11., scripsit *istim*, h. e. istinc, ut sententia sit: *ilico vos istinc proripite.* Ut *istim* antique dicitur, ita *illim* pro *illinc.* Cf. *Forcellinii* Thes. Latin. v. *illim*, *Hartung.* l. d. p. 228. *Wesenberg.* Em. Cic. epist. p. 124 sq. *Lachmann.* ad Lucret. 3, 880., qui hos versus sic constituendos putat: *Nolite, h., ad me adire. ilico istic,* | *Ne c. m. b. u. obsit,* | *Stetis. t. v. s. i. c. h. Ern.* coni. *istinc:* quod est in Gud. II. *Klotzius*, qui retinuit vulg., vertit *auf der Stelle* (*bleibt*) *dort,* et *istic* comparat cum Gr. αὐτοῦ (Eur. Ph. 900: ἐπίσχες αὐτοῦ). Idem verba *tanta — haeret* Ciceronis orationi adiunxit, quod nemo probabit et ipse in praef. p. XI. improbare videtur.

propter vim sceleris alieni] Sc. Atrei, fratris, qui Thyestae liberos mactatos ei comedendos apposuerat.

illum filium Solis] V. Indic. v. *Aeetes.*

Refugere] Sunt versus senarii iambici. In tertio versu ultima syllaba *que* trahenda est pronuntiando ad versum sequentem: de qua duorum versuum in unum coniungendorum arte nuper disputavit *Carolus Lachmannus* ad Lucret. II, 118. p. 81., qui idem h. l. pro *situ nidoris* legendum coniicit *situm inter oris. Refugere oculi* h. e. oculorum splendor quasi se recepit, oculi hebescunt. *Menkius* in Observv. ined. comp. Luciani Timon. c. 17. ὀφθαλμοὺς ὑποδεδυκότας. Plutarch. Anton. c. 83. Eur. Med. 689.

Situ nidoris] H. e. propter situm nidoris barba infuscat. *Situm nidoris* ac-

Haec mala, o stultissime Aecta, ipse tibi addidisti, non inerant in iis[5], quae tibi casus invexerat; et quidem inveterato malo, quum tumor animi resedisset; (est autem aegritudo, ut docebo, in opinione mali recentis[6];) sed maeres videlicet regni desiderio, non filiae. Illam enim oderas, et iure fortasse; regno non aequo animo carebas. Est autem impudens luctus maerore se conficientis, quod imperare non liceat liberis. 27. Dionysius quidem tyrannus, Syracusis expulsus, Corinthi pueros docebat; usque eo imperio carere non poterat. Tarquinio vero quid impudentius, qui bellum gereret cum iis, qui eius non tulerant superbiam? Is, quum restitui in regnum nec Veientium nec Latinorum armis potuisset, Cumas contulisse se[7] dicitur inque ea urbe senio et aegritudine esse confectus.

XIII. Hoc tu igitur censes sapienti accidere posse, ut aegritudine opprimatur, id est miseria? Nam quum omnis perturbatio mise-

5 Sic SELM aliaeque edd. vett.; Or. c. vulg. *his*. V. ad I. 3, 5. 6 Haec: *est autem — recentis* Ern. ut ex alio loco huc temere et casu translata uncis sepsit; at recte monet W., Ciceronem suae oblitum esse personae, quam induxerat, quasi aliquid seorsim dicentem. 7 Sic Or. c. D. et R. P. Gud. 1. 2. Marb. Vind. 1. Aug. Duisb. pro vulg. *se cont.*

cipit *Beroaldus* pro putore ustrinae et rei ustulatae, ut ap. Virgil. XII, 301: Illi ingens barba reluxit *nidoremque ambusta* dedit. Ceterum cf. V. Scr.

tumor animi] Infra III. 31, 76: erat enim in *tumore animus*. Cf. c. 9, 19.

videlicet] H. e. *sine dubio*, cum ironiae vi. V. Adnotata in I. 21, 48.

regni desiderio] Erat enim ipsi aureum vellus pignus regiae dignitatis, quo erepto regnum amissum iri in fatis erat. *Neidius.*

liberis] Liberis, libertate fruentibus hominibus.

§. 27. *Dionysius*] Duo fuerunt Dionysii, pater et filius, tyranni Syracusanorum. H. l. intelligendus est filius. Allata exempla cum ipsa disputatione non cohaerent eoque tantum consilio a Tullio in partes vocata, ut demonstraret, quam *impudens luctus* fuisset nonnullorum hominum, qui *maerore se confecissent, quod imperio privati essent.* De vocula *quidem* in exemplis afferendis v. ad I. 22, 51.

Corinthi pueros docebat] Cf. Valer. Maxim. VI. 9, 6. extr. Lucian. Gall. §. 23. Iustin. XXI, 5. Aliter narrant Athenaeus XII. p. 529. Aelian. V. H. IX, 8. V. *Davisium.*

usque eo] Adeo cupidus erat regnandi, ut ludi magister esse puerisque sibi traditis imperare mallet, quam aliud quodpiam negotium suscipere. *Neidius.* Ceterum *usque eo non* vertenda sunt *so wenig.* V. ad IV. 35, 74.

cum iis] Romanis.

Cumas contulisse se dicitur] V. quos *Davisius* attulit Livium II, 21. Dionys. Hal. VI, 21. et diversa narrantem Augustinum C. D. III, 15. — De seq. *inque ea urbe* pro frequentiore *in eaque urbe* v. nos in Gr. L. §. 117. Not. 3. Cf. *Halm.* ad Sestian. 18, 41. p. 154.

Cap. XIII. *id est miseria*] *Id est* apud Ciceronem saepe significat: *quod nihil aliud est, quam.* Academ. I. 8, 32: verborum etiam explicatio probabatur, id est, qua de caussa quaeque essent ita nominata: ubi v. *Goerenz.* p. 51. Ibid. c. 2, 6: si Epicurum, id est, si Democritum probarem: ubi v. eundem *Goerenz.* p. 10. Accurate de verbis *id est* hac vi positis agit *Madvigius* ad Fin. II, 2. p. 145. Adde *Kritz.* ad Sall. Iug. XXXI, 20. p. 190. Cf. Adnotata nostra in I. 31, 75.

quum — tum] V. infra ad V. 39, 113.

Habet ardorem libido etc.] H. e. libido coniuncta est cum ardore. V. ad IV. 36, 77.

miseria carere] V. ad I. 16, 88.

§. 28. *Atque hoc quidem*] *Wolfius* cum Victorio correxit *atqui hoc quidem*; sed vulgata firmissime stat et recte revocata est ab *Orellio.* Miror equidem, eam sol-

ria est, tum carnificina est aegritudo. Habet ardorem libido, levitatem laetitia gestiens, humilitatem metus; sed aegritudo maiora quaedam, tabem, cruciatum, afflictationem, foeditatem; lacerat, exest animum planeque conficit[1]. Hanc nisi exuimus sic ut abiiciamus, miseria carere non possumus. 28. Atque[2] hoc quidem perspicuum est, tum aegritudinem exsistere, quum quid ita visum sit, ut magnum quoddam malum adesse et urgere videatur. Epicuro autem placet, opinionem[3] mali aegritudinem esse natura, ut, quicunque intueatur in aliquod maius malum, si id sibi accidisse opinetur, sit continuo in aegritudine[4]. Cyrenaici non omni malo aegritudinem effici censent, sed insperato et[5] necopinato malo. Est id quidem non mediocre ad aegritudinem augendam; videntur enim omnia repentina graviora. Ex hoc et[6] illa iure laudantur:

XIII. 1 *Turneb* Adverss. 27, 6. in verbis *lacerat — conficit* senarium alicuius poëtae sibi deprehendisse videtur: quam opinionem nemo facile probabit. 2 v. Adn. 3 Ern. c Gebh. *opinione*, quod est in cod. Sigonii et in cod. Urs., qui habet: *opinione m.a.e. natām:* apertum glossema. V. Adn. 4 R. Vat. Gud. 1. II. duo Oxx. Pal. tert. *in aegritudinem:* quod c. Gebh. recepit Mos. Ego hoc dicendi genus plane a Ciceroniana dicendi consuetudine abhorrere contendo; saepe autem litteram *m* in optimis codd. additam esse, multis exemplis demonstravit *Wesenb.* Em. II. p. 26. 5 Pauci deteriores codd. et pleraeque edd. vett. ante Gebh. om. *et.* V. Adn. et V. Scr. c. 19, 45. 6 v. Adn.

licitatam esse a viro sagacissimo. Particula *atqui* in conclusionibus inservit assumptioni: quae hoc loco nulla est. Contra particula *atque* aptissima est. Saepissime enim in enuntiati principio, adiuncta fere vocula *quidem* ita ponitur, ut transitum ad rem novam notet. Pari modo *ac — quidem* vel etiam simpliciter *ac* dicitur. Cf. V. 2, 6: *Ac* philosophia *quidem.* de Orat. I. 1, 1: *Ac* fuit *quidem.* 2, 4: *Ac* mihi repetenda est. 6: *Ac* mihi *quidem.* 3, 11: *Atque* in hoc ipso numero. 4, 13. pr. 14: *Ac* primo *quidem.* Cf. supra ad c. 2, 4. et ad IV. 12, 27. et *Hand.* in Tursell. Vol. I. p. 502 sq.

ita visum sit, ut — videatur] Eiusmodi eiusdem verbi brevi verborum intervallo iteratio haud infrequens est apud optimum quemque scriptorem. C. Nep. Alcib. X, 1: ut ad Regem *mitteretur,* eodem tempore Critias ceterique tyranni — *certos* homines — *miserunt,* qui eum *certiorem* facerent. C. de Orat. III. 10, 39: Sed *usitatis* ita poteris *uti,* lectissimis ut *utaris.* V. ad I. 22, 52. Plura exempla collegerunt *Bremius* ad Nep. Themist. III, 3. p. 39. *Ochsner* Eclog. Cicer. p. 5. *Gernhard.* ad Offic. I. 3, 8.

Epicuro placet] Infra c. 15, 32: (Epicurus) *censet, necesse esse omnes in aegritudine esse, qui se in malis esse arbitrentur.* Quod igitur hic *necesse esse,* id nostro loco *natura esse* dicitur. *Natura* h. e. uti natura fert, uti necessarium est, Graece φυσικῶς. Stoici contra non naturae, sed voluntati tribuunt aegritudinem.

et necopinato] In verbis *necopinatus, necopinans, necopinus* particula negativa *nec* valet *ne,* quod in compositis idem est, quod *non.* Cf. I. 39, 94: *necopinantes.* III. 19, 45: omnia repentina et *necopinata* esse graviora. V. quos laudat *Ruhnken.* ad Terent. Andr. I. 2, 9. *Klotzius,* qui arroganter, ut solet, hanc explicandi rationem exagitavit, illud *nec* comparat cum Graeco οὐδέ eandemque fere vim ei tribuit, quam habent particulae *ne — quidem,* sine dubio in errore versatur, oblitus verborum *negotium* (i. e. *nec* = *ne otium*), *negligo* (i. e. *nec* = *ne lego*), neque secum reputans, usum vocabuli *nec* pro *ne — quidem* apud Ciceronem eiusque aequales maxime dubium esse (v. Adnotata in I. 26, 65.). Verbum *inopinatus* apud Ciceronem rarius reperitur, ut c. 23, 55., nunquam *non opinans.*

Ex hoc et illa iure laudantur] Duo pessimae notae Oxx. voculam *et* omittunt. *Laurentius Valla* negavit, Ciceronem particulam *et* pro *etiam* posuisse.

Ego, quum genui, tum morituros[7] *scivi et ei rei sustuli.*
Praeterea ad Troiam quum misi ob defendendam Graeciam,
Sciebam[8] *me in mortiferum bellum, non in epulas mittere.*

XIV. 29. Haec igitur praemeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum, quae venientia longe ante videris. Itaque apud Euripiden[1] a Theseo dicta laudantur; licet enim, ut saepe facimus, in Latinum illa convertere:

Nam qui haec audita a docto meminissem viro,
Futuras mecum commentabar miserias;
Aut mortem acerbam, aut exsili maestam fugam,
Aut semper aliquam molem meditabar mali,

7 Sic B. P. Gr. Gud. 1. Vat. 1. aliique; *moriturum* Or. c. aliis codd. V. Adn. 8 Male Or. c. L. contra codd. *scibam*; recte Mos. revocavit *sciebam*, quod per συνίζησιν pronuntiandum, comp. *Ruddim.* Prosod. p. 48. XIV. 1 Sic B. P. Gud. 1. II.; Or. c. vulg. *Euripidem.* V. ad I. 27, 65.

In cuius posthac sententiam complures discesserunt Ciceronis editores. Verum quum non pauci in eius scriptis legantur loci, ubi *et* omnium codd. auctoritate nititur, neque negari possit, alios eiusdem aetatis saepius particulam *et* hac vi usurpasse, neque in ipso vocabulo quicquam insit, quod huic significationi repugnet, quum etiam Graecum καί et coniunctionis et adverbii vim habeat: nulla exputari potest caussa idonea, cur hunc particulae *et* usum a Cicerone abiudicemus, modo teneamus, eum rarissimum esse nec fere reperiri, nisi ante pronomina vel singula nomina, et ubivis particulam *et* minorem vim habere, quam *etiam*, ut infra IV. 34, 73: Probe *et* ille. III. 19, 46: aliquid videamus *et* cibi. *Orellius* comparat ad Q. Fr. I. 1, 10: simul *et* illud Asia cogitet. ib. 12: simul *et* illud cogita. De hoc usu multi disputaverunt, v. *Handium* in Tursell. Vol. II. p. 499 sqq., *Creuzerum* ad N. D. I, 39. p. 179., *Moserum* ad h. l., *Weberum* in: Uebungsschule f. d. Lat. Stil. Exc. IV. p. 520 sq. ed. 2., qui quae Handius fusius disputavit, paucis complexus est; sed multi in eo erraverunt, quod, ubicunque *et*, non sequente altero *et*, legitur, continuo id pro *etiam* dictum esse pronuntiaverunt. Nam multi sunt loci, in quibus apparet orationem esse ἀνακόλουθον. Cf. Adnotata in III. 26, 63. Quanquam accedere non possum sententiae *Ottonis*, qui in Exc. III. ad Fin. p. 380. omnes locos, in quibus *et* pro *etiam* dicatur, aut emendandos esse e codd., aut ex anacolutho explicandos esse. Originem huius usus *Kritzius* ad Sall. Cat. 35, 3. p. 163. recte repetivit ex eo, quod alterum membrum orationis, si facile mente suppleri posset, omissum esset, ut h. l.: ex hoc *et alia laudari possunt, et illa* iure laudantur.

Ego quum] Sunt tetrametri trochaici catalectici ex Ennio petiti. Cf. cap. 24, 58. et Senec. Cons. ad Polyb. c. 30: „Quanto ille iustior, qui, nuntiata filii morte, dignam magno viro vocem emisit: „*Ego, quum genui, tum moriturum scivi* — Deinde adiecit rem maioris et prudentiae et animi, *et huic rei sustuli.*" Liquide patet, haec esse verba Telamonis, quum ei mors Aiacis nuntiata esset. Telamo enim duo filios, Aiacem et Teucrum, in bellum Troianum miserat. „Aiax ob Achillis arma sibi negata gladio se transiecit; alterum vero exulare iussit pater, quia fratris mortem, Ulyssea versutia praematuram, ferro non vindicarit." Verba sunt *Davisii* ad h. l. Res trita et in vulgus nota. Pluralis *morituros*, optimorum codd. auctoritate munitus, referendus est ad utrumque filium Telamonis; quod autem Seneca l. d. *moriturum* habet, id, uti recte monet *Klotzius*, ex eo explicandum est, quod is haec verba e memoria allata retulit ad unum Aiacem.

ei rei sustuli] H. e. et ad mortem educavi. V. *Ruhnkenium* in Terent. Andr. I. 3, 14. Verba *ei* et *rei* μονοσυλλάβως pronuntianda sunt. *Moser* conferre iubet *Forbigerum* ad Lucret. III, 931. *Fr. Grotefend.* L. Gr. II. §. 82. b.

ob defendendam Graeciam] Praepositio *ob*, propriam ac suam vim servans, nonnunquam ponitur ad *consilium*, quod

Ut, si qua invecta diritas casu[2] *foret,*
Ne me imparatum cúra lacerarét repens.

30. Quod autem Theseus a docto se audisse dicit, id de se ipso loquitur Euripides. Fuerat enim auditor Anaxagorae, quem ferunt, nuntiata morte filii, dixisse: *Sciebam me genuisse mortalem.* Quae vox declarat, iis esse haec acerba, quibus non fuerint cogitata. Ergo id quidem non dubium, quin omnia, quae mala putentur[3], sint improvisa graviora. Itaque quanquam non haec una res efficit maximam aegritudinem, tamen quoniam multum potest provisio animi et praeparatio ad minuendum dolorem, sint semper omnia homini humana meditata.

2 W. de Bouh. sententia *casus.* Male. 3 Sic Or. c. optimis codd., ut R. P. aliisque et plerisque edd. vett.; *putantur* alii codd. et edd. vett.

loquentis animo *obversatur*, notandum. Sall. Iug. 89, 1. existumans Iugurtham *ob suos tutandos* — venturum: ubi cf. *Kritz.* V. nos in Gr. L. §. 131, 10.

Cap. XIV. §. 29. *apud Euripiden*] in deperdita fabula, quae inscripta est *Theseus.* Euripid. Fragmm. p. 478. ed. Beckii. p. 93. b. ed. G. Dind. Verba Graeca sic se habent:

ἐγὼ δὲ τοῦτο παρὰ σοφοῦ τινος μαθὼν
εἰς φροντίδας νοῦν συμφοράς τ' ἐβαλλόμην
φυγάς τ' ἐμαυτῷ προστιθεὶς πάτρας ἐμῆς
θανάτους τ' ἀώρους καὶ κακῶν ἄλλας ὁδούς,
ὡς, εἴ τι πάσχοιμ' ὧν ἐδόξαζόν ποτε,
μή μοι νέορτον προσπεσὸν μᾶλλον δάκοι.

licet enim] Particula *enim* explicanda est sic: *itaque apud Eur. a Theseo dicta laudantur*, quae in Latinum sermonem conversa sic se habent; licet enim. De hoc elliptico *enim* particulae usu v. ad I. 6, 11.

aliquam molem] Sunt multi, uti *Wolfius*, *Orellius* ad h. l. et in Add. Cic. Opp. Vol. IV. P. 2., *Ruhnkenius* in Dictat. ad Ter. Heaut. I. 1, 17., *Bremius* ad de Fato 14. p. 56., *Goerenzius* ad Acad. II. 10, 30., qui *aliquis* a veteribus saepe pro *alius quis* dictum esse opinantur; sed hanc opinionem vanam esse atque inanem, ex iis apparebit, quae docui in Gr. L. §. 124. Not. 1. Singularibus enim notionibus communis notio ita adiungitur, ut communis non singularibus opponatur, sed per se spectetur, ut h. l. aut mors aut exsilium aut *omnino aliqua* mali moles. 19, 44: Quid? huic calix mulsi impingendus est, ut plorare desinat? aut *aliquid* eiusmodi? I. 30, 74: *aliqua* potestate. Alii loci aliam interpretationem admittunt, ut III. 18, 43: si vero *aliquid* etiam, h. e. si vero *aliquid* etiam accedat, quod nominare taedet. IV. 24, 53: qua (fortitudinis) notione aperta, quis est, qui aut bellatori aut imperatori aut oratori quaerat *aliquid:* ibi *aliquid* cum magna vi dictum est; sublata interrogatione huius enuntiationis sententia est haec: hac notione aperta, *nihil plane* requiritur. Multos locos contulit et explicavit *Ellendtus* ad C. de Or. II. 42, 178. Vol. II. p. 251 sqq. Adde quae *Halmius* ad Sestian. 64, 135. p. 303. considerate disputavit.

repens] H. e. repentina. Cf. 22, 52: hostium *repens* adventus magis aliquanto conturbat, quam exspectatus.

§. 30. *a docto — audisse*] Saepius Cicero dicit *audire ex aliquo* aut *de aliquo.* V. *Madvig.* ad Fin. Add. p. 865.

Anaxagorae] Laudat *Orellius* Anaxagorae Fragmm. ed. Schaubach. Lips. 1827. p. 20. (et 21.) Adde Diog. L. II, 10. Diod. Sic. I, 7. et 38. Gell. N. A. XV, 20. Athen. II, 88. p. 279. Schweigh. quos affert *Th. Rötscherus* in „Aristophanes u. sein Zeitalter." Berol. 1827. p. 242.

quem ferunt] Cf. Valer. Maxim. V. 10, 3. extr. Plura de hac narratione congessit *Davisius.*

multum potest] In eiusmodi formulis et *posse* et *valere* dicitur. Sic multum, plus, plurimum auctoritate *posse* aut *valere.* Terent. Heaut. Prol. 13: *poterit* a facundia; at Plaut. Aulul. II. 2, 9: haud a pecunia *valeo.* V. *Bremium* ad Corn. Nep. Dion. III, 3. p. 155.

meditata] Participium *meditatus* adiectivi potestate saepe apud Ciceronem passiva significatione reperitur, ut de Offic. I. 8, 27: Leviora enim ea sunt, quae repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quae *meditata* et praeparata

Et nimirum haec est illa praestans et divina sapientia, et perceptas[4] penitus et pertractatas res humanas[5] habere, nihil admirari, quum acciderit, nihil, antequam evenerit, non evenire posse arbitrari.

Quamobrem ómnes, quum secúndae res sunt máxume, tum máxume
Meditári secum opórtet, quo pacto ádvorsam aerumnám ferant.
Perícla, damna péregre rediens sémper secum cógitet,
Aut fílí peccatum, aút uxoris mórtem, aut morbum fíliae,
Commúnia esse haec, né quid horum umquam áccidat animó novom;
Quicquid praeter spem evéniat, omne id députare esse ín lucro.

XV. 31. Ergo hoc Terentius a philosophia sumptum quum tam commode dixerit, nos, e quorum fontibus id haustum est, non et dicemus hoc melius, et constantius sentiemus? Hic est enim ille vultus semper idem, quem dicitur Xanthippe praedicare solita in viro suo fuisse Socrate, eodem semper se vidisse exeuntem illum domo

4 Ern. c. paucis codd. *praeceptas:* cui vel additum *penitus* prorsus repugnat. 5 Sic D. et codd. B. Gud. 1. II. 2. Aug. Marb. Rehd. Vind. 2. Mon. 2.: *hum. res.* Or. c. vulg.

inferuntur. V. *Forcell.* Thes. Lat. v. *meditatus.* Caussa, cur deponentia saepe apud veteres scriptores passive ponantur, in eo quaerenda est, quod eorum forma activa antiquis temporibus in usu fuit. Supra c. 11, 24: appetitio *opinati* magni boni. IV. 6, 11: *opinatis* bonis. Et sic saepe adiectiva vi; de passive dicto *opinatum sit* c. 24, 58. v. Adn. V. *Ruhnken.* Dictat. in Terent. Phormion. II. 1, 18. *Ramshorn.* Lat. Gramm. §. 57. Not. 1. *Kühner.* §. 105. Not. 5.

nimirum] H. e. noli mirari, profecto haec est illa sapientia. V. ad I 22, 52.

nihil admirari] Apposite *Neidius* attulit illud Horatianum in Epist. I. 6, 1:

Nil admirari prope res est una, Numici,
Solaque, quae possit facere et servare beatum.

Nihil admirari est nulla re, sive laeta sive tristi, vehementer affici. Cf. V. 28, 81.

non evenire posse] *Tischer* dictum esse putat pro *evenire non posse* ob antecedens *nihil*, ad quod negatio *non* quam proxime se applicare soleat. Fallitur vir doctus permiscetque cum hoc loco eos, in quibus *nihil non, nemo non* pro v. *omnia, omnes* dicitur. Hoc autem quem nunc quum maxime tractamus loco negatio non ad *posse*, sed ad *evenire* pertinet. Nam τῷ συμβῆναι opponitur τὸ μὴ συμβῆναι, uti 16, 34: nihil esse, quod *non accidere* possit. V. nos in Gr. L. §. 138. Not. 7.

Quamobrem] Sunt tetrametri iambici. e Terent. Phorm. II. 1, 11 sqq. petiti, non ad verbum tamen, sed liberius. — Sequens *deputare* pendet ab *oportet.*

Cap. XV. §. 31. *Ergo — quum — dixerit*] Exspectamus ex legitimo Ciceronis usu, quem ad II. 17, 39. illustravimus: *Ergo* hoc *Terentius — tam commode dicit, nos — non — dicemus?* Hinc Wolfius in ed. 1. voculam *quum*, quae abest a cod. Urs. uno Ox. et Marb., uncis sepsit, Davisiusque plane delevit.

et dicemus hoc melius, et constantius sentiemus] De collocatione verborum *Klotzius* comparat de Sen. I, 3: sed de ceteris *et diximus multa et saepe dicemus.*

Hic est enim] *Enim* reddit rationem verborum *constantius sentiemus.*

vultus semper idem, quem] Aelian. V. H. IX, 7: Ἔλεγεν ἡ Ξανθίππη, μυρίων μεταβολῶν τὴν πόλιν κατασχουσῶν, ἐν πάσαις ὅμοιον τὸ Σωκράτους πρόσωπον καὶ προϊόντος ἐκ τῆς οἰκίας καὶ ἐπανιόντος ἀεὶ θεᾶσθαι. Offic. I. 26, 90: praeclaraque est aequabilitas in omni vita et *idem semper voltus eademque frons,* ut de Socrate itemque de C. Laelio accepimus: ubi v. quae affert *Beier* p. 202.

eodem semper se vidisse] E verbo *praedicare* eliciendum est participium *dicens.* Cf. ad c. 31, 76. *Klotzius* haec verba ἐπεξήγησιν antecedentium esse existimat et a *praedicare solita* pendere. *Stürenburg.* ad or. pro Arch. poëta V, 11. p. 81. per attractionem hunc locum scriptum

et revertentem. Nec vero ea frons erat, quae M. Crassi illius veteris, quem semel ait in omni vita risisse Lucilius, sed tranquilla et serena; sic enim accepimus. Iure autem erat semper idem vultus, quum mentis, a qua is fingitur, nulla fieret mutatio. Quare accipio equidem a Cyrenaicis haec arma contra casus et eventus, quibus eorum advenientes impetus diuturna praemeditatione frangantur, simulque iudico, malum illud opinionis esse, non naturae; 32. si enim in re esset[1], cur fierent provisa leviora? Sed est iisdem de rebus quod dici possit subtilius, si prius Epicuri sententiam viderimus, qui censet, necesse esse omnes in aegritudine esse, qui se in malis esse arbitrentur, sive illa ante provisa et exspectata sint, sive inveteraverint. Nam neque vetustate minui mala, nec fieri praemeditata leviora, stultamque etiam esse meditationem[2] futuri mali aut fortasse

XV. 1 v. Adn. 2 Pauci codd. deteriores *praemeditationem*, ut c. 14, 29. c. 16, 34; at quum modo praecesserit *praemeditata*, consulto C. abstinuit composito.

esse putat pro: quo eodem semper se vidisse virum suum Socratem exeuntem domo et revertentem, dicitur Xanthippe praedicare solita fuisse in illo.

M. Crassi] Plinius H. N. VII, 19: Ferunt Crassum, avum Crassi in Parthia interempti, nunquam risisse; ob id Agelastum (ἀγέλαστον) vocatum.

Lucilius] „Cfr. Lucilii Fragmm. c. n. Douzae Ed. Haverc. p. 245." *Orellius.* Adde Fin. V. 30, 92.

Iure] Non *merito* notat h. l., sed *necessario* (*natürlich*), *ex ipsa Socratis natura sequebatur*, ut semper idem esset eius vultus. Sall. Iug. 14, 10: dum Carthaginienses incolumes fuere, *iure* omnia saeva patiebamur: quod eleganter *Kritzius* interpretatur sic: rerum condicio ita ferebat, ut necesse erat; aliter fieri non poterat, quam ut — pateremur.

a Cyrenaicis] V. c. 13, 28.

arma —, quibus eorum advenientes impetus diuturna praemeditatione frangantur] Duplicem ablativum *Wolfius* sic explicavit: accipio haec arma, *quibus armis, i. e. praemeditatione diuturna*, eorum adv. imp. fr. Rectius *Klotzius* priorem ablativum *quibus* instrumentum, quo eorum advenientes impetus frangantur, posteriores ablativos *diuturna praemeditatione* modum, quo per illud instrumentum illi impetus frangantur, significare iudicat, comp. de Or. III. 44, 174: haec duo musici, qui erant quondam iidem poëtae, machinati ad voluptatem sunt, versum atque cantum, ut et verborum *numero* et vocum *modo delectatione* vincerent aurium satietatem: ad quem locum v. *Ellendt.* Vol. II. p. 436. et quem hic laudat *Matthiaeum* ad Cic. Mur. 40, 87. Cf. paullo post §. 33: voluptates, *quibus* ille et praeteritarum *memoria* et *spe* consequentium sapientis vitam refertam putat.

§. 32. *si enim in re esset*] Sic Or. c. b. octo Oxx. Gud. II. uno Leid.: quod nuper probavit *Wesenb.* Em. II. p. 53. Vulgo neque aliter plurimi codd. et optimi, ut R. P. Gud. I. *essent:* quod receperunt Kl. et Tr., quorum ille *essent* ad praecedentia v. *casus* et *eventus* refert et neutr. *provisa leviora* posita putat, quia *casus* et *eventus* ad generalem notionem revocati *mala* sint. At haec ratio durissima est. Omnia contra sunt planissima, si legitur *si enim in re esset* sc. malum illud, h. e. si enim malum illud (aegritudo) naturae esset. *Provisa* substantivi vices sustinet: *ea quae provisa essent;* ea autem mala esse intelligenda, quum per se patet, tum ex proxime antec. *malum illud*, comp. 13, 28: videntur enim omnia repentina graviora. 14, 30. 22, 52: *quod provisum* ante non *sit*, id ferire vehementius, et: omnia videri *subita* maiora. Scriptura *essent* originem suam sine dubio sequenti plurali: *fierent provisa leviora* debet.

iisdem de rebus quod] De verborum collocatione v. ad I. 8, 16.

necesse esse — esse — esse] De ter repetito *esse* exiguo intervallo v. ad I. 22, 52.

sive — sive] V. Adn. in c. 6, 12.

ne futuri quidem; satis esse odiosum malum omne, quum venisset; qui autem semper cogitavisset, accidere posse aliquid adversi, ei fieri illud sempiternum malum; si vero ne futurum quidem sit, frustra suscipi miseriam voluntariam: ita semper angi aut accipiendo aut cogitando malo. 33. Levationem autem aegritudinis in duabus rebus ponit, avocatione a cogitanda molestia et revocatione ad contemplandas voluptates. Parere enim censet animum rationi posse et, quo illa ducat, sequi. Vetat igitur ratio [3] intueri molestias, abstrahit ab acerbis cogitationibus, hebetat [3] aciem ad miserias contemplandas, a quibus quum cecinit receptui, impellit rursum et incitat ad conspiciendas totaque mente contrectandas varias voluptates, quibus ille et praeteritarum memoria, et spe consequentium sapientis vitam refertam

3 v. Adn.

§. 33. *in duabus rebus ponit, avocatione — et rev.*] In appositione omitti solet praepositio, quippe quae arctissime cohaereat cum substantivo, quod explicat. Cf. infra IV. 6, 11: ex malis —, metum *futuris*, aegr. *praesentibus*. de Inv. I. 5, 7: Aristoteles tribus in generibus rerum versari rhetoris officium putavit, demonstrativo, deliberativo, iudiciali. Repetitae ad appositionem maiore vi efferendam praepositionis exempla v. ad I. 11, 24: *in* caelum, quasi *in* domicilium suum. I. 10, 20. IV. 31, 67. V. *Ottonem* in Exc. VIII. ad Fin. p. 408. *Seyffert.* ad Lael. 23, 88. p. 505. nos in Gr. L. §. 117. Not. 2.

Vetat igitur ratio] Miror, interpretes haesisse in v. *ratio*. Agi enim putant de Epicuro, non de ratione. Quare *Davisius* eam plane delere vult; *Bentleius* in eius locum suffecit pronomen *nos*, ut sit *vetat igitur nos intueri; Ernestius* eam uncis cinxit. At insignem errorem erraverunt viri docti. Nimirum non de universa ratione hoc loco dicitur, sed de Epicuri ratione, h. e. de ratione, qualis est ex Epicuri sententia. Epicurus enim docebat, homines, duce natura aut ratione, abhorrere a rebus molestis acerbisque, sectari et expetere voluptates.

hebetat aciem] Sic Or. praeeunte Manutio e vet. cod. et El. 3.; reliqui omnes habent *hebetem aciem*, quod *Tregder* revocavit et *Klotzius* in Add. p. 134. probavit. Immerito, credo. Nam primum offendit asyndeton, quod in duorum orationis membrorum iunctura non usurpatur, nisi cum vi quadam oratoria: quae ab h. l. alienissima est; deinde ipsa loci sententia refragatur; acies enim non iam hebes est, sed hebetanda demum est. *Wesenberg.* Em. I. p. 15. scripturam *hebetat aciem*, unde, quum *at* ante *ac* omissum esset, corrigendo fieri *hebetem ac.* facile potuit, probaturus erat, nisi dubitaret, num ante Augusti seculum *hebetandi* verbum in usu fuisset; nam aliis locis Ciceronem *hebescere* (I. 30, 73.), *obtundere, praestringere, hebetem reddere* (Att. IX. 17, 2: me hebetem molestiae reddiderunt.) dixisse. Quamobrem suspicatur in archetypo, uti multa, sic h. l. ante *aciem* aut *reddit* aut *facit* (cf. §. 52: acriorem facit) excidisse. De *ad* praepositionis usu v. ad c. 5, 11.

cecinit receptui] Formula a re militari ducta, qua hic nihil aliud declaratur, nisi *avocare*. De hac formula *Menkius* in Observv. ined. laudat *Burmannum* ad Ovid. Met. I, 340.

rursum] V. ad I. 17, 40.

nostro more] Sc. eleganter et ornate, *suo* sc. illepide et inconsiderate. V. supra I. 3, 6.

Cap. XVI. §. 34. *Nihil est enim*] V. ad I. 27, 66. Pro *elevet* Ern. c. D. ex El. 3. et Petrens. (et sic duo Oxx. Marb.) scripsit *levetque:* quod post v. *obtundat* alienum est. *Elevet* optime se habet. Pari modo tentatus est locus in ep. Lucceii ad Famm. V. 14, 2: non intelliges duplicari sollicitudines, quas *elevare* tua te prudentia postulat? ubi Or. auctore Beiero edidit *levare*.

commentatioque parendi] H. e. cogitatio instituta de necessitate vitae aut naturae legi parendi. De v. *commentationis* (Betrachtung) v. ad I. 30, 74. *Meditatio* (Ueberlegung) *conditionis humanae* eandem fere vim habet; nam verba *meditatio* et *meditari* proprie di-

putat. Haec nostro more nos diximus, Epicurii[4] dicunt suo. Sed quae dicant, videamus; quo modo, negligamus.

XVI. 34. Principio male reprehendunt praemeditationem rerum futurarum. Nihil est enim, quod tam obtundat elevetque[1] aegritudinem, quam perpetua in omni vita cogitatio, nihil esse, quod non accidere possit[2], quam meditatio conditionis humanae, quam vitae lex commentatioque parendi, quae non hoc affert, ut semper maereamus, sed ut nunquam. Neque enim qui rerum naturam, qui vitae varietatem, qui imbecillitatem generis humani cogitat, maeret, quum haec cogitat; sed tum vel maxime sapientiae fungitur munere. Utrumque enim consequitur, ut et considerandis rebus humanis proprio philosophiae fruatur[3] officio, et adversis[3] casibus triplici con-

4 Sic Tregd. c. R. P. Gud. 1. *Epicurii:* quo etiam Mon. 1. 2. et Gud. II. ducunt, qui habent *Epicuri.* Or. c. vulg. *Epicurei.* V. ad I. 34, 82. XVI. 1 v. Adn. 2 Sic D. et R. P. Gud. 1. II. Aug. Vind. 1. 2. Marb. Mon. 1.: Or. c. vulg. *accidere non p.* V. ad III. 14, 30. 3 v. Adn.

cuntur de exercitatione et praeparatione ad ea, quae aliquando serio agenda sunt. Supra II. 17, 41: tantum exercitatio, meditatio, consuetudo valet. V. *Beier.* ad Offic. I. 31, 114. p. 245. Sic Plinius Paneg. 13, 1. *meditatio campestris* de armorum tractatione. Pari modo apud Graecos μελέτη et μελετᾶν proprie de iis exercitationibus dicuntur, quas rhetores, milites, alii instituunt; deinde de quavis exercitatione dicuntur. V. *Fischer.* ad Xenoph. Cyrop. I. 2, 10.

fruatur officio] Haec est vulgata, quam non solum plurimi codd. exhibent, verum etiam optimi, ut R. P. Gud. 1. b., sed quae et Latinitati quam maxime videtur adversari et sententiam notat haud sane concinnam. Quis, quaeso, Romanorum usquam dixit: *philosophiae officio frui?* *Wopkens.* quidem Lectt. Tull. I, 14. p. 112. comparat: de Amic. IV, 15: *recordatione nostrae amicitiae — fruor.* Flor. II, 6: *victoria frui;* sed haec exempla haudquaquam probant, Latine dici potuisse *philosophiae officio frui.* *Handius* interpretatur: officio fungendo delectari et consideratione rerum frui, collato Seneca ep. 93, 7: *omnium rerum cognitione fruiti sumus:* quod quidem exemplum multum mihi distare videtur a loco nostro. Deinde quae est illa sententia: *Qui imbecillitatem generis humani cogitat, non maeret, sed et proprio philosophiae officio fruitur et adversis casibus consolatione sanatur?* Videlicet *proprio philosophiae officio frui* est fructum capere ex proprio ph. officio. At enimvero quid tandem sibi vult illud *proprio?* Annon dicendum erat *philosophiae officio* vere *frui?* His igitur adductus caussis non dubito, quin rescribendum sit *fungatur:* quam scripturam Manutius Lambinusque, sive libros manuscriptos sive coniecturam secuti, dederunt et post eos Davisius, Ernestius, Lallemann. receperunt. Huc accedit auctoritas codd. Ball. El. 2. Guelf. Aug. trium Oxx. et, uti refert Lall., Vat., in quibus haec eadem scriptura est. Unde autem germanae scripturae corruptela nata sit, facile perspicitur. Scilicet quum haud ita longo verborum tractu antecedat v. *fungitur,* nescio quis delicatiore sensu eodem paullo post iterato vocabulo offensus *fungatur* in *fruatur* mutandum existimavit. Quodsi igitur *fungatur* ut unice veram scripturam reduxerimus, et Latinae orationi et sententiae egregie consultum erit. Voluit autem Cicero dicere hoc: Qui imbecillitatem generis humani cogitat, non maeret, sed tum vel maxime sapientiae fungitur munere; nam non solum considerandis rebus humanis id officium exsequitur, quod proprium est philosophiae, sed simul adversis casibus triplici consolatione sanatur.

adversis casibus] Eleganter quidem *Bentleius* scribendum suspicatur: *adversus casus triplici consolatione armetur* (cf. c. 15, 31: *arma contra casus et eventus*); at nihil movendum. Saepe enim ablativus substantivi, aut addito ei adiectivo aut non, ita ponitur, ut statum conditionemve, qua quid factum est, notet. *Adversis casibus* igitur est: quum adversi casus accidunt. Ablativus tem-

solatione sanetur; primum quod posse accidere diu cogitaverit[3]: quae cogitatio una maxime molestias omnes extenuat et diluit; deinde quod humana[3] ferenda intelligit, postremo quod videt malum nullum esse, nisi culpam[3]; culpam autem nullam esse, quum id, quod ab homine non potuerit praestari, evenerit. 35. Nam revocatio illa, quam affert, quum a contuendis nos malis avocat, nulla est. Non est enim in nostra potestate, fodicantibus iis rebus, quas malas esse opinemur, dissimulatio vel oblivio: lacerant, vexant, stimulos admovent, ignes adhibent, respirare non sinunt. Et tu oblivisci iubes, quod contra naturam est, qui quod a natura datum est[4] auxilium extorqueas[5] inveterati doloris? Est enim tarda illa quidem medicina,

4 Sic h. l. bene emendavit Tr. e codd. vestigiis. Vulgo legebatur *est, quod a nat. datum est aux.;* R. P. Vat. Gud. 1. II. b. Marb. tres Oxx. Pall. 3. 4. *est qui a* (aut *quia*) *nat. datum est aux.;* Or. c. Med. Duisb. Lall. *est, qui a nat. datum aux.;* El. 1. *est, quia a n. d. aux.;* Bouh. c. ed. vet. sua et duob. Leidd. Guelph. duob. Oxx. Mon. 1. Aug. b. (in marg.) *est, quod autem a n. d. est aux.* 5 Sic Or. c. plurimis codd., etiam R. P. Vat. Gud. 1. II. b.; pauci iique deteriores *extorques.*

pus significat. Nos quidem talem ablativum absolutum reddere possumus per praepositionem *bei.* Supra I. 5, 10: tibi ipsi pro te erit *maxima corona* caussa dicenda. 25, 60: *hoc nebuloso* et *caliginoso coelo.* 40, 96: lusit vir egregius *extremo spiritu.* II. 16, 38: *levi ictu.* N. D. II, 35: post autem *certioribus signis*, quale sit id, de quo dubitaverat, incipit suspicari. Infra IV. 6, 12: *ratione adversa* sollicitandum non est. Consule de hoc ablativi usu *Bremium* ad C. Nep. Themist. VIII, 2. *Heindorfium* ad N. D. II. 21, 54. *Ellendt.* ad Cic. Brut. LXIX, 242. *Ottonem* ad Cic. de Fin. I. 10, 33. *Held.* ad Caesar. B. C. I, 85. *August.* ad Eiusd. B. G. II, 9. *Kritz.* ad Sall. Cat. 11, 4. et ad 39, 3. *Kühner.* L. Gr. §. 115, 8.

primum quod cogitaverit] *Davisius* aliique et nuper *Tregder*, auctore *Bentleio*, ex uno huius cod. scripserunt *cogitavit*, quia sequitur *intelligit* et *videt.* At scriptura tentanda non erat. Scilicet *cogitaverit* non coniunctivus perfecti est, sed futurum exactum, quod huic loco aptissimum est. Sententia est enim: si quid accidet, id accidere posse diu cogitaverit. *Orellius*, sententiam meam improbans, explicat: *da er ja wohl gedacht hat, wie wir uns leicht vorstellen können.* Etiam *Wopkens.* Lectt. Tull. p. 108 sqq. in errore versatur et diversa exempla permiscuit.

una maxime] V. Adn. in II. 26, 64.

humana ferenda] Sic in omnibus fere codd., etiam Gud. 1. II. b, legitur. Infra V. 6, 17: qui omnia *humana*, quaecunque accidere possunt, tolerabilia ducat. *Bouhierius* comparat ad Att. XV. 20, 3: Sed *humana ferenda.* Exquisitissima est scriptura egregii cod. Vaticani: *humana humane fer.* Sic supra II. 27, 65: iidem morbos toleranter atque *humane ferunt:* ubi Gr. ἀνθρωπίνως φέρειν τὰς τύχας, τὸ συμβεβηκὸς et Plutarchi locum scripturae Vaticanae plane geminum φέρειν τὰ ἀνθρώπινα ἀνθρωπίνως contulimus. Pal. I. habet *humanae* (sic etiam R., sed correct. in *humane*): in qua scriptura utrumque vocabulum *Mosero* latere videtur. P. Gryph. tres Pall. exhibent *humane.* Haec codicum fluctuatio ducit quodammodo ad scripturam Vatic. Facile enim, uti acute monet *Moser*, librarii, si casu bis eodem modo scriptum esset *humana humana* aut *humane humane*, alterutrum non corrigendum, sed eiiciendum existimare poterant. Hae rationes atque momenta tam gravia sunt, ut, si unius alteriusve codicis auctoritas accederet, nullo modo dubitarem hanc Vaticani scr. cum Gebh. D. Ern. Mos. Kl. in Add. p. 134 sq. recipere.

malum nullum esse, nisi culpam] *Davisius*, auctore *Bentleio*, legit: *nisi culpa.* At recte *Camerarius* et *Wopkens.* Lectt. Tull. I, 14. p. 112. contra docent, quod Latini *culpam* vocarint, id nos hodie *malum morale* (Gr. ἁμάρτημα ἴδιον) et κατ' ἐξοχὴν *peccatum* dicere, ut ad Fam.

sed tamen magna, quam affert longinquitas et dies. Iubes me bona cogitare, oblivisci malorum. Diceres aliquid, et magno quidem philosopho dignum, si ea bona esse sentires [6], quae essent homine dignissima.

XVII. 36. Pythagoras mihi si diceret aut Socrates aut Plato: Quid iaces? aut quid maeres? aut cur succumbis cedisque fortunae? quae pervellere [1] te forsitan potuerit et pungere, non potuit certe vires frangere. Magna vis est in virtutibus; eas excita, si forte dormiunt. Iam tibi aderit princeps Fortitudo, quae te animo tanto esse coget [1], ut omnia, quae possint homine evenire, contemnas et pro nihilo pu-

6 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. 2. Aug. Marb. Mon. 1. pro vulg. *sent. esse.*
XVII. 1 v. Adn.

IX, 16: nihil esse sapientis praestare, nisi *culpam;* illud autem *delictum* dici, ut ibid. V. ep. 17: sapientes turpitudine, non casu; et *delicto suo,* non aliorum iniuria commoveri. Plutarch. in Consol. ad Apollon. 114. c: τὸ γὰρ μὴ δι' αὑτὸν κακῶς πράττειν ὁ μὲν Κράντωρ φησὶν οὐ μικρὸν εἶναι κούφισμα πρὸς τὰς τύχας, ἐγὼ δ' ἂν εἴποιμι φάρμακον εἶναι ἀλυπίας μέγιστον.

non potuerit praestari] H. e. non potuerit impedire, quominus eveniret. *Praestare rem aliquam* is dicitur, qui fidem facit, eam non eventuram, aut eius periculum in se recipit. Sic de Orat. I. 24, 113: Istam culpam, quam vereris, ego praestabo. *Davisius* comparat Fam. V, 17: Casum quem neque vitare quisquam nostrum nec praestare ullo pacto potest. Alia exempla larga manu suppeditat *Schütz.* in Lexic. Ciceron. h. v. Sequente accusativo c. inf. infra V. 10, 29.

§. 35. *ignes adhibent*] Exquisitius dictum pro vulgari *faces admovere.*

Et tu oblivisci iubes] *Et tamen tu, qui a natura datum auxilium inveterati doloris* (sc., ut supra c. 15, 31. legimus, Epicurus negabat *vetustate minui mala*) *extorqueas, oblivisci iubes?* (*quod contra naturam est*). De *et* v. ad I. 38, 92.

Est enim] *Enim* rationem reddit verborum *auxilium a natura datum.*

tarda illa quidem, sed tamen] V. Adnotata in I. 3, 6.

longinquitas et dies] V. ad II. 4, 12.

Cap. XVII. §. 36. *si diceret*] Observandum, ἀπόδοσιν nullam sequi; eam tamen latere §. 37. in verbis: *ad haec bona si me revocas* etc. Si oratio integra ac plena esset, hoc fere modo conformata esse debebat: *Pythagoras mihi si diceret, aut Socrates aut Plato: Quid iaces? aut quid maeres? — — parerem et sequerer;* at, subito abrupto orationis tenore suppressaque apodosi, Cicero, Epicurum appellans, novam exorditur protasin: *ad haec bona me si revocas.* Talis verborum complexio, in qua protasis destituta est apodosi, ita tamen, ut apodosis in alia constructione lateat, a grammaticis dicitur ἀνανταπόδοτον: cuius figurae exempla in iis Ciceronis scriptis, in quibus oratio quaedam negligentior regnat, nec omnia ad severas grammaticae leges revocata sunt, epistolas dico et libros, qui sunt de philosophia, non admodum sunt infrequentia. V. *Ramshorn.* §. 207. *Kühner.* §. 165. Not. 2. Cf. ad IV. 6, 13. Nec raro hoc vitium deprehenditur in partitionibus, in quibus post prius membrum non sequitur quidem alterum, sed in alia structura latet. V. ad IV. 27, 59. 35, 75. V. 9, 25. 27, 78.

quae pervellere te forsitan potuerit] Sic omnes codd.; sed aliquot edd. vett., ut videtur, e coni. legunt: *quae ut perv. te — potuerit.* At frustra; coniunctivus enim pendet a *forsitan* (= fors sit an). V. nos in Gr. L. §. 133, 2. B. Cf. *Wesenb.* Em. I. p. 5.

coget] Ern., auctore Bouhierio, ob seq. *patiatur,* ex uno Leid. dedit *cogat;* contra Or. *coget* quidem retinuit, sed c. uno Ox. et Vind. 1. scripsit *patietur.* Optime tutatur *Moser* codicum scripturas, dicens, quum utraque scriptura pro scriptoris sententia, utrum magis an minus certo aliquid affirmare velit, vera esse potuit, non esse, quod Ciceronem cogamus, ut vel priore loco magis dubitanter loquatur vel posteriore confidentius.

tes. Aderit Temperantia, quae est eadem moderatio, a me quidem paullo ante appellata frugalitas, quae te turpiter et nequiter facere nihil patiatur[1]. Quid est autem nequius aut turpius effeminato viro? Ne Iustitia quidem sinet te ista facere, cui minimum esse videtur in hac caussa loci, quae tamen ita dicet, dupliciter esse te iniustum, quum et alienum appetas, qui mortalis natus conditionem postules immortalium et graviter feras, te, quod utendum acceperis, reddidisse. 37. Prudentiae vero quid respondebis, docenti[2], virtutem sese esse contentam, quo modo ad bene vivendum, sic etiam[3] ad beate? quae si extrinsecus religata pendeat et non et[4] oriatur a se, et rursus ad se revertatur, et omnia sua complexa nihil quaerat aliunde; non intelligo, cur aut verbis tam vehementer ornanda, aut re tanto opere expetenda videatur — ad haec bona me si revocas, Epicure, parco, sequor, utor te ipso duce, obliviscor etiam malorum, ut iubes, eoque facilius, quod ea ne in malis quidem ponenda censeo. Sed traducis cogitationes meas ad voluptates. Quas? Corporis, credo, aut

2 Pauci deteriores codd. *dicenti:* quod iniuria a Wopkens. p. 114. et Handio ad eum defenditur. 3 Edd. vett. fere omnes et nonnulli codd. *sic et:* quod recepit Tr., quanquam plurimi optimique codd., ut R. et Pith. ap. Wes., habent *sic etiam.* Compendium *et* (i. e. *etiam*) facile in *et* mutari potuit. Ceterum cf. Adn. in c. 13, 28. 4 Sic Or. c. HWolf. D. c. R. ap. Berg. (Wes. Em. II. p. 44.; ap. Tr. R. om. *et*) Gud. 1. Gr. El. 3. Lall. et, ut vdtr., quinque Oxx.; eodem ducit Gud. II., qui habet *et non adoriatur*, et Aug., qui habet *et non exoriatur; Wes.* l. d. comp. Tusc. I. 20, 45: tum *et* — *et* rursum. III. 17, 37. 20, 74. de Or. I., §. 110. Fin. I. §. 55.; reliqui (nuper etiam Tr., quod probat Klotz. in Add. p. 136.) om. *et.*

a me quidem paullo ante (c. 8.) *appellata frugalitas*] Excidit his verbis Tullius inchoata oratione, qua Pythagoram, Socratem, Platonem loquentes induxit. Sed si orationis quae in dialogis esse solet formam cogitamus, non erit, quod in hac leviore negligentia offendamus.

mortalis natus] „Θνητὸς ὤν. Sulpic. ap. Cic. Famm. IV, 5: Visne te, Servi, cohibere, et meminisse hominem te esse natum. Sic etiam Phaedr. 3, 8. Sen. d. const. sap. c. 6. Lactant. Div. Inst. 3, 19.“ *Davisius.*

te, quod utendum acceperis, reddidisse] H. e. te bona, quae tibi utenda concessa sunt tantum ad tempus, non in perpetuum, reddidisse. Locus similis supra I. 39, 93: *natura dedit* usuram *vitae, tanquam pecuniae, nulla praestituta die.*

§. 37. *quo modo — sic etiam*] Observent tirones, in eiusmodi propositionibus correlativis: *quomodo, quemadmodum, ut, sicut — ita* aut *sic* rarissime apud Ciceronem in altero membro addi *etiam;* ubi autem additum sit, ibi significare *adeo, vel.* Itaque inter has duas sententias: *virtus sese contenta ut ad bene vivendum, sic ad beate* et *virtus s. e. ut ad bene vivendum, sic etiam ad beate* nonnihil intercedit discriminis. Priore enim sententia hoc dicitur: *virtus sese contenta est et ad bene et ad beate vivendum;* altero hoc: *v. s. c. e. ad bene vivendum, et vero etiam ad beate.* pro Marcell. 6. pr.: nostri enim sensus, *ut* in pace semper, *sic* tum *etiam* (i. e. adeo) in bello congruebant. Recentiores, nulla habita ratione huius discriminis, alteri membro *etiam* aut *et* addere solent, nostri scilicet et Graeci sermonis consuetudinem secuti.

extrinsecus religata) ab externis rebus pendens. *Neidius.*

oriatur a se] per se, sua vi, Gr. ἀφ' ἑαυτοῦ. Alii legunt *ex se.* At cf. Fin. II. 24, 78: ipsum *a se oritur* et sua sponte nascitur: ubi v. *Goerenz.* p. 239. Cf. ibid. V. 24, 69: officiis, quae *oriuntur a suo* cuiusque *genere* virtutis. Con-

quae propter corpus vel recordatione vel spe cogitentur. Numquid est aliud? rectene interpretor sententiam tuam? Solent enim isti negare nos intelligere, quid dicat Epicurus. 38. Hoc dicit, et hoc ille acriculus[5], me audiente Athenis, senex Zeno, istorum acutissimus, contendere et magna voce dicere solebat: eum esse beatum, qui praesentibus voluptatibus frueretur confideretque se fruiturum aut in omni aut in magna parte vitae, dolore non interveniente, aut si interveniret, si summus foret, futurum brevem, sin[6] productior, plus habiturum iucundi, quam mali: haec cogitantem fore beatum, praesertim si et ante perceptis bonis contentus esset, nec mortem nec deos extimesceret. Habes formam Epicuri vitae beatae verbis Zenonis expressam, nihil ut possit negari.

XVIII. 39. Quid ergo? huiusne vitae propositio et cogitatio aut Thyestem[1] levare poterit aut Aeetam[2], de quo paullo ante dixi, aut Telamonem, pulsum patria, exsulantem atque egentem? in quo haec admiratio fiebat:

5 Sic Or. c. Vat. Idem coniecerat Turneb.; R. P. Gud. 1. *agriculus;* Gud. II. 2. Marb. *egriculus;* alii *agricolus, egricolus;* alii codd. et plurimae edd. vett. *Graeculus;* Vict. coni. ἀκρόγολος. 6 Sic Or. c. multis codd. et optimis, ut R. P. Gud. 1. II. b. pro *si.* XVIII. 1 Sic R. P. Gud. 1. Rehd. Marb. Gud. II. (hi duo *Thiestem*) et edd. vett. Ven. (Mos.) Iunt. HWolf.; Or. c vulg. *Thyesten.* V. *Forcellin.* vv. Thyestes et Orestes. 2 Sic vulg. (R. P. *Aetam*); Mos. *Aeetan*, nescio, unde.

simili modo dicitur *nasci ab aliquo*, ut Offic. II. 5. Legg. III, 13. Vid. *Wopkens.* Lectt. Tull. II, 6. p. 217 sq.

ne in malis quidem] In malis scilicet non ea ducenda sunt, quae extrinsecus allata nobis aegritudinem parant, sed ea, quae inhonesta et turpia sunt.

Quas?] De praepositione in interrogatione omissa v. ad I. 39, 93.

credo] ironice. V. ad I. 22, 52.

Solent enim isti negare etc.] Eadem res notatur a Cicerone in Fin. II. 4, 12.

§. 38. *ille acriculus*] Per irrisionem dictum de eo, qui in disputando facile stomacho iracundiaque vehementius effervescit; hinc: *contendere et magna voce dicere solebat. Wolfius:* ein kleines, knurriges Männchen, das leicht aufbraust; *Kernius:* jenes reizbare Männchen. De forma huius adiectivi v. ad II. 19, 45. Ceterum scriptura fluctuatur. Vid. V. Scr. Varias virorum doctorum de h. l. sententias recensuit *Moser* Exc. XI. p. 382 sqq. De Zenone Epicureo v. quos locos excitavi in libro d. *de Ciceron. in phil. mer.* 39. ad not. 7).

Habes formam Epicuri vitae b.] Iniuria hoc exemplum confunditur cum iis, in quibus ex uno substantivo duo genitivi diversae rationis apti sunt: de qua constructione v. ad II. 15, 35. Nam genitivus *Epicuri* non pendet a *forma*, sed a genitivis *vitae beatae.* De collocatione verborum *nihil ut* v. ad I. 8, 16. De verbo *habes*, quod idem fere notat, quod *cognitam habes*, uti nos dicimus: *hier hast du*, cf. IV. 14, 33. Verr. V. 23, 60: *Habetis* unius civitatis firmum auxilium amissum ac venditum pretio; *cognoscite* nunc novam praedandi rationem. V. *Halm.* ad Sestian. 63, 132. Frequens est: *sic habeto*, ut III. 6, 13.

Cap. XVIII. §. 39. *Quid ergo?*] Τί οὖν; supple: *videtur?* δοκεῖ; Qua cum admiratione e superioribus aliquid colligendi formula veteres usi sunt, quum ex iis, quae non satis credibilia videntur, ea, quae parum consentanea sunt, eliciuntur, uti explicat *Beier* ad Offic. III. 20, 81. p. 336 sq.

de quo paullo ante] Quum c. 12, 26. et Thyestae et Aeetae mentio fiat, *Davisius*, auctore *Bentleio*, scripsit *de quis.* Hoc vero est Ciceronem corrigere, ut bene ait *Moser.* Eo ipso tempore, quum haec scribebat, fortasse non recordabatur priorem Thyestae mentionem.

in quo] de cuius immutata conditione

Hícine[3] *est ille Télamon*[4], *modo quem glória ad caelum éxtulit?*
Quem ádspectabant? cúius ob os Graíi óra obvertebánt sua?

40. Quod si cui, ut ait idem, *simul animus cum re concidit*[5], a gravibus illis antiquis philosophis petenda medicina est, non[6] ab his voluptariis. Quam enim isti bonorum copiam dicunt? Fac sane esse summum bonum non dolere; quanquam id non vocatur voluptas; sed non necesse est nunc omnia: idne est, quo traducti luctum levemus? Sit sane summum malum dolere; in eo igitur qui non est, si malo careat, continuone fruitur summo bono? 41. Quid tergiversamur, Epicure? nec fatemur eam nos dicere voluptatem, quam tu idem, quum os perfricuisti, soles dicere? Sunt haec tua verba necne? In eo quidem libro, qui continet omnem disciplinam tuam, (fungar

3 R. P. Gud. 1. *haecine;* reliqui *hiccine,* quod immerito revocavit Mos. 4 Sic meliores codd., ut R. P.; Or. c. aliis *ille Telamo;* vulgo *Telamon* (*Telamo*) *ille.* V. ad I. 47, 113. 5 Sic Or. c. Vind. 1. 2. Gud. 2. Rehd. Mon. 2. et, ut vdtr., duob. Oxx., itemque omnibus fere edd. vett.; *animus rem condidit* plurimi codd. et optimi, ut R. P. Gud. 1. II. Gr. b., et ed. P.; hinc Mos. c. D. in ed. 2. et 3. edidit *animus re cum concidit*, Kl. susp. *animus re concidit.* 6 R. P. Gud. 1. II. aliique codd. *si non;* unde D. coni. *sed non*, quod habent Aug. et unus Ox. At illud *sed* sine dubio est glossa. V. Adn.

quidam mirabundus dicebat. *Neidius.* Cic. de Fin. I. 2, 4: in quibus hoc primum est, *in quo admirer* (nobis: *wobei*). N. D. II. 48, 124: *in quo admirandum est;* sed etiam ponitur pro: *admirari propter aliquid.* V. ad V. 9, 24. De anteced. *atque* egentem v. ad V. 14, 41.

Hicine] Sunt tetrametri trochaici catalectici, ex Ennii fabula, quae inscripta erat *Telamo*, petiti. Posteriorem versum Cicero ad se ipsum retulit in Famm. IX. 26, 2.

§. 40. *animus cum re concidit*] H. e. animus et res. Similiter Ovid. Pont. IV. 12, 47:

Crede mihi: miseros prudentia prima relinquit,
Et sensus *cum re consiliumque* fugit.

Terent. Eun. II. 2, 10: Simul *consilium cum re* amisti? ubi v. *Ruhnk.*

antiquis] Vid. c. 17, 36. princ.

non ab his voluptariis] Ubi orationis affirmativum membrum excipitur negativo, particulae copulativae *et*, *ac* posteriori membro adduntur, quum hoc prius corrigit (*und vielmehr*), omittuntur contra, quum, inverso ordine, prius membrum cum adversativo *sed* posteriori membro postponi potest, ut h. l. *non ab his vol., sed a gravibus illis.* Supra II. 12, 29: quasi de verbo, non de re laboretur. Sall. Cat. 41, 20: in luctu atque miseriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum esse. Contra: Cic. pro Rosc. Am. 33, 92: quasi nunc id agatur, quis ex tanta multitudine occiderit, *ac non* hoc quaeratur cett. V. *Kritz.* ad Sall. Cat. 42, 15. *Hand.* Tursell. I. p. 475. *Kühner.* L. Gr. §. 138b, 2.

necesse est nunc omnia] V. ad I. 15, 34: Sed quid poëtas?

in eo igitur qui non est etc.] Sit sane summum malum dolere; sed ex eo non consequitur, ut is, qui non dolet (non est in dolendo), etiamsi malo (i. e. dolore) careat, continuo fruatur summo bono. Verba *si malo careat* eo consilio addita sunt, ut explicarent antecedentia *in eo igitur qui non est.* De pronomine *qui* postposito v. Adnotata in c. 15, 32.

si malo careat] H. e. si malo vacet; at v. Adnotata in I. 36, 88. Sic paullo post §. 41. *dolore carere.*

§. 41. *Quid tergiversamur*] H. e. Quid dubitamus fateri, nos intelligere voluptatem nullam aliam, nisi quam sensibus percipiamus: quam tu idem, omni abiecto pudore, soles dicere? *Tergiversari* est effugia quaerere (στροφὰς στρέφεσθαι). *Gesner* in Thes. L. metaphoram ductam putat ab iis, qui terga vertentes adhuc tamen pugnant nec se victos fateri volunt. *Beier* ad Off. III. 33, 118. eam repetendam potius censet ab iis, „qui *subinde terga dant ante tubam, memores, galeatum sero duelli poenitere;* ergo qui cunctanter accedunt ad

enim iam interpretis munere, ne quis me putet fingere;) dicis haec: „Nec equidem habeo, quod intelligam bonum illud, detrahens eas voluptates, quae sapore percipiuntur; detrahens eas, quae auditu et cantibus; detrahens eas etiam, quae ex formis percipiuntur oculis, suaves motiones, sive quae aliae voluptates in toto homine gignuntur quolibet sensu. Nec vero ita dici potest, mentis laetitiam solam esse in bonis. Laetantem enim mentem ita novi, spe eorum omnium, quae supra dixi, fore, ut natura iis potiens dolore careat.“ 42. Atque haec quidem his verbis, quivis ut intelligat, quam voluptatem norit Epicurus. Deinde paullo infra: „Saepe quaesivi, inquit, ex iis, qui appellabantur sapientes, quid haberent, quod in bonis relinquerent, si illa detraxissent, nisi si vellent voces inanes fundere: nihil ab iis potui cognoscere, qui si virtutes ebullire volent[7] et sapien-

7 Sic Non. p. 26. et omnes codd. praeter Duisb. Gud. 2. Rehd. Marb., qui habent *nolent*, uti c. D. aliisque edidit Or. V. Adn.

certamen neque audent se palam fateri adversarios, idque evitare cupiunt.“

os perfricuisti] Pudorem omnem abiecisti. *Beroaldus* comparat Plin. h. n. praef. (p. 4. Bip.): *Perfricui frontem* nec tamen perfeci. Martial. XI, 277: *perfricuit frontem* posuitque pudorem. Sic Gr. μέτωπον τρῖψαι, παρατρίψασθαι dici, demonstrat *Victorius* VIII, 4. Varr. Lectt., a Fr. Fabricio laudatus. *Moser* comparare iubet Erasmi Adag. p. 316. Perperam *Klotzius* hanc locutionem intelligit de eo, qui nescit, quid agat, qui dubius atque anceps haeret.

Sunt haec tua verba necne?] In directa quae dicitur interrogatione usitatius est *annon*, quam *necne*. V. nos in Gramm. L. §. 158, 5.

In eo quidem libro] Περὶ τέλους, h. e. de finibus bonorum et malorum. Laert. X. §. 6: Οὐ γὰρ ἔγωγε ἔγω, τί νοήσω τἀγαθόν, ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ γυλῶν ἡδονάς, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι' ἀφροδισίων καὶ τὰς δι' ἀκροαμάτων καὶ τὰς διὰ μορφῆς. Eandem sententiam iisdem fere verbis retulit Athenaeus VII. p. 278. 280. XII. p. 546. Cf. Tullium de Fin. II. 3, 7: ubi v. *Madvigium*.

Nec — habeo, quod intelligam] *Non habeo, quod dicam* est *non habeo* (*mihi deest*) *aliquid, quod* dicam, dicere possim; *quod* est adiectivum; *non habeo, quid dicam* est *nescio, dubito, quid* dicam; *quid* est interrogativum. Ergo ubi haec formula simpliciter significat *mihi deest aliquid* nec ullam dubitandi deliberandive adiunctam habet notionem, semper dicendum est *non habeo, quod dicam*. Exposuerunt de his formulis subtiliter, sed obscurius, *Handius* ad Wopkens. Lectt. p. 169., clare ac perspicue *Wesenbergius* in Em. Cic. epist. p. 51 sqq.

quae ex formis etc.] Athenaeus VII. p. 280: τὰς διὰ μορφῆς κατ' ὄψιν ἡδείας κινήσεις.

ita novi] Novi mentem ita laetantem esse, ut speret, futurum esse, ut natura iis omnibus, quae supra dixi, potiens dolore careat. Vocabulum *ita* praeparat ad sequentia. Infra IV. 6, 13: (laetitia) quam *ita* definiunt, sine ratione animi elationem: ubi v. Adn. *Klotzius* comparat pro Caecin. 18, 35: qui heres institutus esset *ita:* mortuo postumo filio. V. *Hand.* Tursell. III p. 482 sq. Cf. *Madvig.* ad Fin. III. 16, 53.

§. 42. *quivis ut intelligat*] V. ad I. 8, 16.

quam voluptatem norit Ep.] Fin. II. 3, 8: Verum hoc loco sumo, verbis his eandem certe *vim voluptatis* Epicurum *nosse*, quam ceteros: ubi v. *Madvig.* V. *Klotz.* in Quaest. Tull. p. 52 sqq.

nisi si] *Nisi* simpliciter est nostrum: *wenn nicht, nisi si: ausser wenn.* Exempla collegit *Ruhnken.* in Dictat. ad Ter. Andr. I. 5, 14. Cf. *Ramshorn.* §. 193. *Kühner.* §. 154. Not. 11.

voces inanes fundere] Cf. ad V. 26, 73.

virtutes ebullire volent] Sententiam huius loci recte explicavit *Wesenbergius* ap. Madvig. ad Fin. V. 27, 80: Si ceteri philosophi, ut solent, virtutes et sapientias ebullire volent, re diligenter examinata, nihil aliud dicere reperientur, sed tantum viam voluptatis com-

tias, nihil aliud dicent, nisi eam viam [8], qua efficiantur eae voluptates, quas supra dixi." Quae sequuntur, in eadem sententia sunt, totusque liber, qui est de summo bono, refertus est [9] et verbis et sententiis talibus. 43. Ad hanccine [1] igitur vitam Telamonem illum revocabis, ut leves aegritudinem? et si quem tuorum afflictum [2] maerore videris, huic acipenserem potius, quam aliquem Socraticum libellum dabis? hydrauli hortabere ut audiat voces potius, quam Platonis? expones, quae spectet, florida et varia? fasciculum ad nares admovebis? incendes odores? et [3] sertis redimiri iubebis et rosa? si vero aliquid etiam — tum plane luctum omnem absterseris.

XIX. 44. Haec Epicuro confitenda sunt, aut ea, quae modo expressa ad verbum dixi, tollenda de libro, vel totus liber potius abiiciundus [1]; est enim confertus voluptatibus. Quaerendum igitur, quemadmodum aegritudine privemus eum, qui ita dicat:

8 L. et D e Nonio *vim*. Male. 9 Sic El. 3. Rehd. Duisb. Mon. 2.; Or. c. plurimis codd. om. *est;* edd. vett pleraeque habent *est* post *talibus*. 1 Tr. c. Gud. 1. *hancine*. 2 Non. p. 550. *affectum;* nimirum memoria lapsus. 3 Or. Tr. *et* uncis inclusit: quod probat *Wes*. I. p. 31.; facile ex antecedenti *es* oriri potuit. XIX. 1 Sic Or. c. R. P.; eodem ducit Gud. II., qui habet *abicundus*. Vulgo *abiiciendus*. V. V. Scr. 25, 60.

parandae monstrare; ea est enim (cf. Fin I, 13 sqq.) vis et utilitas sapientiae et virtutis, ut ad voluptatem certissimam nos ducant, non ut per se expetantur. *Ebullire virtutes* dicuntur philosophi, qui vocabula *virtutes* et *sapientias* cum fastu et ostentatione in disputationibus suis iactant et prae se ferunt. Eleganter *Kernius:* die Worte „Tugend" und „Weisheit" entsprudeln lassen. Sic Fin. V. 27, 80: Dixerit hoc idem Epicurus, Semper beatum esse sapientem: — quod quidem solet *ebullire* nonnunquam. *Bentleius* comparat Graecum παφλάζειν. Cum salsa quadam irrisione Epicurus *sapientias* (σοφίας) numero plurali dixit, qui non ideo h. l. positus est, quod plures philosophi ita loquuntur (v. nos ad IV. 2, 3.), sed quod nomen sapientiae *semper* in ore atque sermone habent. Unde apparet, locum a *Klotzio* allatum de Or. III. 27, 107: „quae exercitatio nunc propria *duarum philosophiarum* putatur" nostro loco longe esse dissimillimum.

sententiis talibus] Observanda est rarior vocabuli *talibus* collocatio pro *talibus sent.:* cuius e Cicerone exempla collegit *Iordanus* ad or. p. Caecina 13, 38. p. 206.

§. 43. *acipenserem*] Hic piscis apud antiquos Romanos, non item posteriores, in lautioribus et delicatioribus epulis habebatur. V. *Heindorf.* ad Horat. Sat. II. 2, 47. Cf. Fin. II. 8, 24.

hydrauli] *Hydraulus* s. hydraulicum organon (*Wasserorgel*) fuit instrumentum musicum, simile ei, quod nos *Orgel* vocamus, nisi quod in hoc follibus inflatur spiritus tibiis, in illo autem aquae tormento spiritus aut ventus tibias intrare cogebatur. *Ernestius* in Clav. Cicer. et *Schütz.* in Ind. Lat. h. v. *Wolfius* et *Billerbeckius* locis ab *Ernestio* allatis addiderunt *Wernsdorf.* ad Poët. Lat. Min. T. II. p. 395. Athen. IV. p. 174. Suet. Ner. 41. Herons Beschreibung der Wasserorgel, aus d. Griech. übersetzt v. J. C. Vollbeding. Berlin 1793. 8.

odores] H. e. *suffimenta*. V. ad V. 21, 62.

sertis redimiri — et rosa] Sic Curtius IV. 4, 5: *coronis floribusque*. In eiusmodi locis non esse agnoscendam figuram dicendi, quae ἓν διὰ δυοῖν appellatur, recte observat *Klotzius*. De *sertis* aut *coronis*, laetitiae signo, cf. ad I. 35, 86: *coronati — fuerunt*.

si vero aliquid etiam] Est honesta aposiopesis, qua reticentur ἀφροδίσια, uti recte docuerunt interpretes. Terent. Andr. II. 1, 25: *Numquidnam amplius tibi cum illa fuit?* ubi v. *Ruhnken*. C. de Fin. II. 10, 29: eam autem (sc. voluptatem) ita persequitur, quae palato percipiatur, quae auribus; cetera addit, quae si appelles, *honos praefandus sit*.

— Pol, míhi fortuna magis nunc defit, quám genus.
Námque regnum súppetebat mi, út scias, quanto é loco,
Quántis opibus, quibús de rebus lápsa fortuna óccidat[2].

Quid? huic calix mulsi impingendus est, ut plorare desinat? aut aliquid eiusmodi? Ecce tibi ex altera parte ab eodem poëta:

Ex ópibus summis ópis egens, Hectór, tuae.

Huic subvenire debemus; quaerit enim auxilium:

Quíd petam praésidi aut éxsequar? quóve nunc
Áuxilio éxili[3] *aút fuga*[3] *fréta sim?*
Árce et urbe órba sum. Quo áccidam[4]*? quo ápplicem?*
Cúi nec arae patriae domi stant; fractae et disiectae iacent,
Fána flamma déflagrata, tósti alti stant párietes,
Déformati atque ábiete crispa . . .

Scitis[5], quae sequantur; et illa[6] in primis:

2 R. P. Vat. Gud. 1. II. duob. Pall. Fabr. *accidat.* V. Adn. 3 v. Adn. 4 Sic Or. c. b. (hic ex corr.) pro vulg. *accedam:* quod etiam R. P. ap. Wes. habent. 5 v. Adn. 6 Sic acute Tr. e coni., quam etiam Kl. in Add. probat: eo enim ducunt R. P. Gud. 1. II., qui habent *et illam primis,* Marb. Vind. 2. duo Oxx., qui habent *et illum in primis;* Or. c. vulg. *et illud in primis.*

Cap. XIX. §. 44. *expressa ad verbum*] V. supra ad c. 4, 7.

eum, qui ita dicat] Rursus Telamonis verba e tragoedia, quibus exilium suum deplorat, in quod ob fratrem Phocum a se interfectum pulsus fuerat. Cf. §. 39. *Neidius.*

Pol] Sunt rursus tetrametri trochaici catalectici. *Defit* antique pro deficit. De pronuntiatione verborum *quibus* et *rebus* (*quibu, rebu*) v. ad I. 9, 18.

fortuna occidat] Or. c. optimis codd. (v. V. Scr.) *accidat;* sed sententia flagitat *occidat:* quod etiam *Wes.* I. p. 33. recipiendum iudicat. Eandem horum verborum permutationem supra ad I. 35, 85. vidimus. *Moser* recepit quidem *occidat*, sed illud defendi posse putat Ennii loco, qui legitur N. D. III. 30, 75. et de Fat. 15, 35.

Ex opibus] Est senarius iambicus. De annominatione *opibus* (= potentia) et *opis* (= auxilii) v. ad 27, 64.

Huic] Scil. Andromachae, quae haec verba profert apud Ennium. Versus autem qui sequuntur tres priores sunt cretici tetrametri: quos ad numeros suos revocavit *Bentleii* acumen. Vulgo sic exhibebantur:

Quid petam praesidi aut exsequar? quove nunc auxilio aut fuga
Freta sim? arce et urbe orba sum: quo accedam? *quo applicem?*

Posteriores autem versus sunt rursus tetrametri trochaici catalectici. Cf. *G. Hermannum* in Elem. doctr. metr. p. 205 sq. Vocabulum *exili*, quod in vulgata omittitur, legitur in omnibus fere codd., etiam optimis, ut R. P. Gud. 1., et compluribus edd. vett. Pro *fuga* Or. c. Ball. uno Ox. et Aug., nulla cogente necessitate, edidit *fugae.* Pro *patriae* ob metrum *Bentleius* scribendum censet *patris* vel *patri'. Domi* potius μονοσυλλάβως (*d'mi*) pronuntiandum esse, multis exemplis probavit *Chr. Wassius* de Licentt. Vett. Poëtt. p. 160. Cf. IV. 31, 67. *Fores* = *Fres.* Nullo modo probanda est *Wolfii* sententia, qui ultimam verbi *domi* syllabam corripiendam censet.

quo accidam] Sententia: ad cuius genua supplex accidam. — *quo applicem?* reflexive v. intransitive. V. Adnotata in I. 44, 107. Hoc verbum ex Romanorum sensu dictum esse, observavit *Orellius* (de *applicationis* iure v. quos ad Cic. de Orat. I. 39, 177. attulit *Harlessius;*), rectius *Klotzius* metaphoram a re nautica ductam esse censet.

abiete crispa] Quales trabes abiegnae esse solent, quum sunt adustae, non plane combustae, uti *Ernestius* interpretatur. *Forcellinius* h. v. explicat: *igne corrugata;* Kernius: *rauh gebrannt.*

Scitis] Sic recte Or. c. plurimis codd. et optimis, ut R. P. Vat. Gud. 1. b.; alii *scis:* apertum glossema. Cicero non solum auditorem, sed alios quoque in

O páter, o pátria, o Priami dómus!
Saeptum áltisonó cardíne templúm!
Vídi égo te, adstánte ope bárbaricá,
Tectís caelátis, láqueatís,
Áuro, ébore instrúctam régificé.

45. O poëtam egregium! quanquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur. Sentit, omnia repentina et[7] necopinata esse graviora. Exaggeratis igitur regiis[8] opibus, quae videbantur sempiternae fore, quid adiungit?

Haec ómnia vídi inflámmari,
Priamó vi vítam evítari,
Iovis áram sánguine túrpari.

46. Praeclarum carmen; est enim et rebus et verbis et modis lugubre. Eripiamus huic aegritudinem. Quo modo? collocemus in culcita[9] plumea, psaltriam adducamus, demus hedychrum, intenda-

7 Paucae edd. vett. om. *et*, aliae *et inopinata*. V. ad c. 13, 28. 8 Sic tres codd. D. et vet. cod. Urs.; reliqui *regis*. Quum alterum cum altero facillime permisceri potuerit, retinui c. Or. *regiis*, quod gravius est (quales erant Troianorum regum), quam *regis*, i. e. Priami solius. *Moser* comparat IV. 1, 1: *regiis* institutis: ubi duae edd. vett. exhibent *regis inst.* De *i* in codd saepe pro *ii* posito v. *Wesenb.* Em. II. p. 54., qui idem h. l. *regiis* praefert. 9 Aliquot deteriores codd. et nonnullae edd. vett. *culcitra:* quae prava forma iure reiecta est. Or. affert *Oudend.* ad Suet. Tib. 51.

mente habet. *Klotzius* comp. pr. Plancio 24, 59.

O pater] Sunt anapaestici dimetri. V. supra I. 35, 85. Pater intelligendus est Eetio, rex Thebae, in Asia minore sitae, cuius urbs ab Achille diruta est.

regifice] V. ad I. 28, 69.

§. 45. *ab his cantoribus Euphorionis*] *Euphorio* erat poëta (cf. Indic histor.), de cuius pretio iudicium valde ambiguum est. Cicero eum et hoc loco et de Divin. II, 64, ubi eum poëtam nimis obscurum vocat, carpere videtur. E Luciani quoque loco (πῶς δεῖ ἱστορ. συγγράφειν. Tom. IV. p. 215. ed. Bip.) colligi potest, eum in poëtis peioris notae fuisse. Quinctil. contra (X. 1, 56.) eius partes tueri videtur, auctoritate Virgilii nisus, *qui, nisi eum probasset, nunquam conditorum Chalcidico versu carminum fecisset in Bucolicis* (Ecl. 10, 50.) *mentionem.* — Cupide legebantur et ipse et eius similes ab iis, quorum sensus pulchri depravatior esset, omnesque poëtas severiores ac nervosiores, ut Ennium, negligerent. Hos poëtas et lectores vocat Cicero *cantores Euphorionis. Neidius. Davisius* adire iubet *Is. Casaubonum* ad Sueton. Tib. c. 70. et *Salmas.* Exerc. Plin. p. 856.; *Orellius Meinekium* de Euphorione p. 42 sqq.; *Moser* denique *A. Weichertum* in Poëtt. Latt. Hostii etc. Vitt. et Rell. Lps. 1830., qui p. 122. quum de Euphorione, tum de hoc Tullii loco et cogitate et eleganter disserit.

Exaggeratis] H. e. postquam Andromacha regis opes dinumeravit ac praedicavit. De huius verbi significatione v. ad V. 18, 51.

Haec omnia] V. supra I. 35, 85.

§. 46. *et verbis et modis lugubre*] Quia et verba gravitatem quandam, quae apta est luctui, prae se ferunt, et numeri anapaestici accommodatissimi sunt ad exprimendam summi doloris acerbitatem. *Modi* in musicis et in cantu significat varietatem sonorum, quae *melodia* appellatur, ut ait *Schütz.* in Lex. Cicer. h. v. Cf. ad I. 44, 106.

hedychrum] Unguentum erat. Dioscorides l. c. 61: Καὶ τὸ καλούμενον δὲ ἡδύχρουν, σκευαζόμενον δὲ ἐν Κῷ, τῆς αὐτῆς ἔχεται δυνάμεώς τε καὶ σκευασίας τῷ ἀμαρακίνῳ· εὐωδέστερον δὲ τυγχάνει.

aliquid videamus et cibi] Edd. ante Gebh. fere omnes et codd. Mon. 2. Vind. 1. ex glossemate *provideamus.* At simplex

mus[1] scutellam dulciculae potionis, aliquid videamus[2] et[2] cibi. Haec tandem bona sunt, quibus aegritudines gravissimae detrahantur! Tu enim paullo ante ne intelligere te[2] quidem alia ulla[3] dicebas. Revocari igitur oportere[4] a maerore ad cogitationem bonorum, conveniret mihi cum Epicuro, si, quid esset bonum, conveniret.

XX. Dicet aliquis: Quid? ergo tu[1] Epicurum existimabis[2] ista voluisse aut libidinosas eius fuisse sententias? — Ego vero minime. Video enim ab eo dici multa severe, multa praeclare. Itaque, ut saepe dixi, de acumine agitur eius, non de moribus. Quamvis spernat voluptates eas, quas modo laudavit; ego tamen meminero, quod videatur ei summum bonum. Non enim verbo solum posuit voluptatem, sed explanavit, quid diceret. „Saporem, inquit, et corporum complexum, et ludos atque cantus, et formas eas, quibus oculi iucunde moveantur.“ Num fingo? num mentior? Cupio refelli. Quid enim laboro, nisi ut veritas in omni quaestione explice-

1 Vulgo hic locus sic legebatur: *adducamus, hedrychum incendamus, demus scut.* Nos recepimus emendationem Davisii, quae cum codd. maxime conspirat; ii enim habent: *adducamus* (R. P. *aducamus*, sed in R. corr. *adducamus*) *demus* (R. P. Gud 1. II. b. aliique *damus*) *hedychrum* (R. Duisb. *hedrycum*; P. *hedrycrum*; Gud. 1. *aedricum*, alii aliter) *incendamus* (*intendamus* habent ed. vet. Bouh. et b.); Beroald. coni. *cedrum incendamus*; alii codd. et edd. *adducamus, hedychrum incendamus, demus scut.*: sic Or., nisi quod *intendamus* legit, ut uterque acc. *hed.* et *scut.* pendeat a v. *intendamus*; Kl., qui eandem recepit scripturam, verba *scut. dulc. pot* cum seqq. *aliquid vid. et cibi* coniungenda censet; Tr. e Madvigii coni., etiam Wesenbergio Em. I. p. 33. probata, *adducamus, hedychri incendamus scutellam, dulc. pot. aliquid vid. et cibi.* 2 v. Adn. 3 Sic Or. c. Gebh. ex Vat. et Fab.; *multa* R. P. Gud. 1. II. 2. aliique: *bona* alii codd; Kl., qui receperat *multa*, nunc in Add. probat *ulla*, quod sententia necessario requirit. 4 Sex Oxx. Aug. Duisb. *oportet*; quod receperat Kl., nunc autem in Add. iure reiicit: R. P. *oportet ea a m.*, sed ap. Wes. *oportet ea m.*; Gud. 1. II. *oportet ea m.*: in quibus scr. latet *oportere*. XX. 1 Sic interpunxi c. Mos., edd. vett.; Or. *Quid ergo? tu* etc. Cf. 32, 78: ubi item interpunctionem mutavi. Fin. II. 3, 7. recte sese habet: *Quid ergo?* 2 Sic scripsi c. Rehd. et uno Leid.; eodem ducit *existimabas*, quod est in plurimis codd., et optimis, ut R. P. Gud. 1.: Or. c. codd. Ball. Vind. 2. et multis edd. vett. *existimas*; Kl., qui receperat *existimabas*, nunc probat *existimas*.

quoque hac vi nonnunquam ponitur. ad Attic. V. 1, 3: ut prandium nobis *videret*. Ibid. XII, 21: talaria *videamus*. ad Famm. VII. 20, 2: sed valebis meaque negotia *videbis*. Similiter infra IV. 17, 35: ut semper *videat* sedem sibi ac locum sine molestia atque angore vivendi: ubi *Klotzius* interpretatur *sich nach Etwas umsehen*. Sic Graece nonnunquam ὁρᾶν. Theocrit. XV, 2: ὅρᾳ δίφρον, Εὐνόα, αὐτᾷ (sieh dich nach einem Stuhle für sie um): ubi *Wüstemannus* contendit Soph. Ai. 1165: σπεῦσον κοίλην κάπετόν τινʼ ἴδε τῶνδʼ. De *et* pro *etiam* v. ad III. 13, 28. Non opus est coniectura Olshausenii *ei* pro *et*.

detrahantur!] Post hoc verbum auctore Or. in ed. rec. pro interrogationis signo posui exclamationis signum; est enim sententia ironice expressa.

ne intelligere te quidem] *Lambinus* coni. *ne i. q. te*: quod probatur *Wesenbergio* Em. I. p. 22., comp. 20, 47: ne suspicari quidem se. Fin. II. 3, 7: ne intelligere quidem se. 10, 30: negat se posse ne suspicari quidem. N. D. I. 40, 111: se ne intelligere quidem. Etiam multis aliis locis (v. ad II. 5, 14. IV. 23, 52. V. 14, 40.), ubi vocula *quidem* non satis aptum locum occupavit, idem *Wesenb.* vocabula transponenda censet. Quae quidem ratio mihi nimis lubrica videtur.

tur? 47. At idem ait, non crescere voluptatem dolore detracto, summamque voluptatem nihil dolere. Paucis verbis tria magna peccata. Unum, quod secum ipse pugnat. Modo enim, ne suspicari quidem se quicquam bonum, nisi sensus quasi titillarentur [3] voluptate; nunc autem summam voluptatem esse dolore carere. Potestne magis secum ipse pugnare? Alterum peccatum, quod, quum in natura tria sint, unum gaudere, alterum dolere, tertium nec gaudere nec dolere, hic primum et tertium putat idem esse nec distinguit a non dolendo voluptatem. Tertium peccatum commune cum quibusdam, quod, quum virtus maxime expetatur, eiusque adipiscendae caussa philosophia quaesita sit, ille a virtute summum bonum separavit. 48. At laudat saepe [3] virtutem. — Et quidem C. Gracchus, quum largitiones maximas fecisset et effudisset aerarium, verbis tamen defendebat aerarium. Quid verba audiam, quum facta videam? Piso [4] ille Frugi semper contra legem frumentariam dixerat. Is, lege lata, consularis ad frumentum accipiundum [5] venerat. Animum advertit [6] Gracchus in concione Pisonem stantem; quaerit, audiente populo Romano, qui

3 v. Adn. 4 Kl. in Add. c. Vat. *L. Piso.* 5 Sic c. Tr. et Kl. in Add. ex R. et P. scripsi pro *accipiendum.* 6 Sic c. D. et Tr. scripsi ex R. P. Gud. 1., in quibus est *animam advertit;* Or. c. vulg. *animadvertit.* V. ad V. 23, 65.

Cap. XX. §. 47. *quasi titillarentur*] *Bentleius* ob latinitatem legendum putat *titillentur:* quod recepit Davisius. Immo vero latinitas efflagitat imperfectum; nam ad v. *modo* supplendum est *dicebat.* Cf. §. 41. 42. 46 De verbo *titillandi* cf. N. D. I. 40, 113: at has leviores dicis voluptates, quibus quasi *titillatio* (Epicuri enim hoc verbum est) adhibetur sensibus: ubi v. *Davisium* et *Creuzerum.* Cat. Mai. 14, 47. Fin. I. 11, 39. est Epicuri γαργαλίζω, γαργαλισμός. *Quasi* mitigat insolentiorem usum verbi *titillandi.* Cf. *Beier.* ad Offic. II. 18, 63.

unum gaudere] Si enim *gaudere* sit = + a; *dolere* erit = — a; itaque *nec gaudere nec dolere* erit = o; in hoc ergo peccabat Epicurus, quod ei erat + a = o: quod contradictorium est. *Neidius.*

cum quibusdam] philosophis.

quod, quum — expetatur — quaesita sit, — separavit] E vulgari Latini sermonis consuetudine exspectes *expeteretur — quaesita esset.* At *separavit* non perfectum quod dicitur historicum est, sed perfectum praesens, uti luculenter apparet ex antecedentibus *putat, distinguit* et seq. *laudat.*

§. 48. *At laudat saepe virtutem* Sic c. Mos. Tr. Klotzio in Add. ex omnibus fere codd. et optimis, ut R. V. Gud. 1. II., scripsi; Or. c. vulg. *at laudat, et saepe, v.,* ut *et* idem fere sit, quod *et quidem:* de quo usu v. ad II. 7, 17.

Et quidem] *Et quidem* in respondendo ponuntur, et hoc quidem loco cum irrisione quadam, ut haec insit sententia: *et pulchre quidem mones, etiam C. Gracchus.* Comparari possunt formulae illae tritae: *et recte, et recte quidem, et sane, et nimirum, et mehercule* cett., quibus in dialogis saepe alterius verba excipiuntur. Cf. *Goerenz.* ad Legg. I. 13, 36. p. 55. ad Academ. I. 12, 43. p. 67.

C. Gracchus] Quemadmodum C. Gracchus orationibus aerarii patronum egit, largitionibus autem maximis id effudit, ut verba illius cum factis pugnarent; ita Epicurus, quum in voluptate summum bonum ponit, quamvis saepe virtutem laudet, tamen a virtute summum bonum separat sibique contradicit. De re cf. *Beier.* ad Offic. II. 21, 72. p. 140.

qui sibi constet] V. ad II. 2, 5. De seq. *nolim* v. ad I. 27, 67.

mea bona] Scil. patrimonium publicum, cuius quisque civis particeps esset.

orationes Gracchi] V. C. Brut. 33,

sibi constet, quum ea lege frumentum petat, quam dissuaserit. „Nolim, inquit, mea bona, Gracche, tibi viritim dividere libeat; sed, si facias, partem petam.“ Parumne declaravit vir gravis et sapiens, lege Sempronia patrimonium publicum dissipari? Lege orationes Gracchi; patronum aerarii esse dices. 49. Negat Epicurus iucunde posse vivi, nisi cum virtute vivatur, negat ullam in sapientem vim esse fortunae, tenuem victum antefert copioso, negat ullum esse tempus, quo sapiens non beatus sit. Omnia philosopho digna, sed cum voluptate pugnantia. — Non istam dicit voluptatem. — Dicat quamlibet; nempe eam dicit, in qua virtutis nulla pars insit. Age, si voluptatem non intelligimus, ne dolorem quidem? Nego igitur eius esse, qui dolore summum malum metiatur, mentionem facere virtutis.

XXI. 50. Et queruntur quidem[1] Epicurei, viri optimi, (nam nullum genus est minus malitiosum,) me studiose dicere contra Epicurum. Ita, credo, de honore aut de dignitate contendimus. Mihi summum in animo bonum videtur, illi autem in corpore; mihi in vir-

XXI. 1 Sic Or. c. multis codd., etiam R. P. Gud. 1. II. b.; Tr. c. aliis codd. *quidam*. Male: per se enim patet, Ciceronem non omnes intellexisse Epicureos, sed Romanos, uti recte monet Kl. in Add. p. 139.

125. et *Ellendt*. in Prolegg. ad h. libr. p. XXXIX sqq. Ex C. Gracchi orationibus nonnulla nobis servata sunt fragmenta a Ciceronis Ambrosiano scholiasta. V. quae *Klotz*. laudat Meieri Fragmm. oratorum R.

patrimonium publicum] Scil. aerarium a patribus aut maioribus acceptum. C. p. Caecin. 26, 75: ea, quae a maioribus accepistis *publica patrimonia* iuris: ubi v. *Iordan*. p. 256 sq.

§. 49. *nempe*] H. e. certe, Gr. δήπου, *doch wol, nicht wahr? er meint doch offenbar* —? Inest irrisio quaedam. V. *Hartungum* Griech. Partik. T. I. p. 490 sq. et nos in Gr. L. §. 133. c). et in Gr. Gr. T. II. §. 692. extr. (Gr. schol. §. 315, 2.). Cf. ad I. 21, 48. et V. 5, 12.

Age, si Fac, nos non intelligere, quid Epicurus nomen *voluptatis* intelligi velit (quod saepe adversariis obiiciebat), nonne vis ac potestas nominis *doloris* liquet? Quum ergo dicat, summum malum esse dolorem, inde concludere licet, ei summum bonum videri voluptatem et non virtutem. *Neidius*.

Cap. XXI. §. 50. *Et queruntur quidem*] Queruntur Epicurei (Romani), inquit, me studiose [leidenschaftlich, *iracunde* §. 51.] contra Epicurum dicere. Si certamen esset de honore aliquo in civitate capessendo, suspicio foret, me iracundius in hoc certamine agere; in hac vero nostra disputatione omnes animi motus silere debebunt: agitur enim de summo bono ac virtute. Epicurei contra, quasi iniustissime cum iis agatur, opem vicinorum implorant, nec pauci inveniuntur, qui iniuria eos a me affectos esse putent. Ego ipsis concedam meque victum fatear, si rationibus me convincent. *Neidius*. Tota haec oratio plena est salsae irrisionis. Modo attendas ad haec: *viri optimi*. Supra II. 19, 44: Venit Epicurus, homo minime malus, vel potius *vir optimus*. I. 3, 6. de Epicureis: ab *optimis* illis quidem viris, sed non satis eruditis. de Or. III. 17, 64: sunt enim (Epicurei) *boni viri* et, quoniam sibi ita videntur, beati. Cf. *Goerenz*. ad Legg. I. 7, 21. p. 27 sq. Sic saepe apud poëtas comicos dicitur *bonus vir*, ut Ter. Andr. III. 5, 10: ehodum, *bone vir* (*bon homme*), quid agis? Ibid. V. 2, 5. Porro *minus malitiosum; malitiosus* saepe idem fere significat, quod *callidus*, *vafer*: cum quibus verbis saepius coniunctum legitur. V. locos excitatos in *Schütz*. Lex. Ciceron. h. v. Deinde de *credo* v. ad I. 22, 52.

tute, illi in voluptate. Et illi pugnant, et quidem vicinorum fidem implorant; multi autem sunt, qui statim convolent. Ego sum is, qui dicam me non laborare, actum[2] habiturum, quod egerint. 51. Quid enim? de bello Punico agitur? de quo ipso quum aliud M. Catoni, aliud L. Leutulo videretur, nulla inter eos concertatio unquam fuit. Hi nimis iracunde agunt, praesertim quum ab iis non sane animosa defendatur sententia, pro qua non in senatu, non in concione, non apud exercitum, neque ad[3] censores dicere audeant. Sed cum istis alias, et eo quidem animo, nullum ut certamen instituam, verum dicentibus facile cedam. Tantum admonebo: si maxime verum sit, ad corpus omnia referre sapientem, sive, ut honestius dicam, nihil facere, nisi quod expediat, sive omnia referre ad utilitatem suam[4], quoniam haec plausibilia non sunt, ut in sinu gaudeant, gloriose loqui desinant.

XXII. 52. Cyrenaicorum restat sententia, qui[1] tum aegritudinem censent exsistere, si necopinato quid evenerit. Est id quidem

2 L. coni. *ratum*. Male. V. Adn. 3 Sic Or. c. R. Vat. Gud. 1. b. et aliis plerisque codd. et paucis edd. vett. pro vulg. *apud*. V. Adn. 4 Immerito Bouh. verba *sive omnia — suam* pro glossa habuit. Eiusmodi redundantias ap. C. frequentes esse, recte monet *Nissen*. XXII. 1 v. Adn.

Et illi pugnant] Epicurei acriter studioseque quam susceperunt sententiam defendunt: ego contra, nulli certae consecratus disciplinae, si rationibus convictus ero, facile cedam sententiae illorum.

laborare] *Laborare* est h. l. laboriose pugnare. *Actum habiturum quod egerint* est rem ab Epicureis actam (i. e concertationem ab iis studiose agitatam) transactam existimaturum. Bene *Orellius* observat, Ciceronem h. l. loqui tanquam virum in alto dignitatis gradu constitutum, cui odiosae sint umbratiles scholarum rixae et concertationes. Aliis locis hanc locutionem legere me non memini. Wolfius *actum habere* vertit per: *sich Etwas gefallen lassen, für abgethan halten*. Orellius comparat: *actum est, es ist abgethan, aber Nichts ausgerichtet* (ut *fuit, vixit*).

§. 51. *Quid enim?*] Non enim agitur nunc de reipublicae caussa, in qua acri concertationi sententiaeque propugnationi facilius locus dari possit: quanquam in gravissima de bello Punico caussa, quum aliud M. Catoni, aliud L. Lentulo videretur, nulla inter eos concertatio unquam fuit.

animosa sententia] sane virilis et mascula. Aliter *Ernestius*, cui adstipulatur *Wolfius*: in qua vel defendenda vel oppugnanda facile vehementius moveantur animi. Neque *Nissenii* interpretatio placet, qui ita: „Talis, quae vi sua et dignitate animum patrono suo addit. Epicureorum vero sententia talis est, pro qua publice dicere non audeant. Hunc sensum efflagitant sequentia et quae leguntur in Fin. II. 22, 74." Cf. Adnot. in IV. 23, 51.

apud exercitum —, ad censores dicere] Utraque praepositio significat *coram*, eo tamen discrimine, ut is, qui *apud exercitum* dicat, a militibus cinctus esse aut inter milites versari putetur: is autem, qui *ad censores* dicat, non inter censores, sed in eorum propinquitate versari putetur. Exempla utriusque praepositionis collegit *Handius* in Tursell. Vol. I. p. 93 sqq. et p. 407.

nullum ut certamen instituam, verum dic. f. cedam] De eleganti verborum collocatione *nullum ut* v. ad I. 8, 16. et de asyndeto (de omisso *sed*) v. ad II. 2, 5. Etiam paullo post: *in sinu gaudeant, gloriose loqui desinant*.

in sinu gaudeant] H. e. secum, privatim (proprie *ore togae sinu obvoluto*). Comparat *Moser* Tibull. IV. 13, 8: procul absit gloria vulgi; Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu. Prop. II. 25, 30:

magnum, ut supra dixi; etiam Chrysippo ita videri scio, quod provisum ante non sit, id ferire [1] vehementius; sed non sunt in hoc omnia. Quanquam hostium repens adventus magis aliquanto conturbat, quam exspectatus, et maris subita tempestas, quam ante provisa, terret navigantes vehementius, et eiusmodi sunt pleraque. Sed quum diligenter necopinatorum naturam consideres, nihil aliud reperias, nisi omnia videri subita maiora, et quidem ob duas caussas: primum quod, quanta sint quae accidunt, considerandi spatium non datur; deinde quum [2] videtur praecaveri potuisse, si provisum esset, quasi culpa contractum malum aegritudinem acriorem facit. 53. Quod ita esse dies declarat, quae procedens ita mitigat, ut iisdem malis manentibus non modo leniatur aegritudo, sed in plerisque tollatur. Karthaginienses multi Romae servierunt, Macedones, rege Perse capto. Vidi etiam in Peloponneso, quum essem adolescens, quosdam Corinthios. Hi poterant omnes eadem illa de Andromacha deplorare: *Haec omnia*

2 Tr. e corr. Lamb. *quod* pro *quum:* qua correctione sequentium verborum structura turbatur.

In tacito cohibe gaudia clausa sinu. Sen. ep. 105: si bona tua non iactaveris, si scieris in sinu gaudere.

Cap. XXII. §. 52. *Cyrenaicorum — sententia, qui — censent*] Tres deteriores codd. exhibent *quae — censet:* quod ineptum glossema nullo modo defendi potest locis a *Davisio* allatis, V. 29, 83. N. D. III. 2, 5: quorum ratio longe alia est, neque in iis *sententia*, sed *oratio* legitur. Cf. ad c. 24, 57.

ut supra dixi] 13, 28. 14, 30.

Chrysippo] Quem spectat Chrysippi librum, est is sine dubio περὶ Ἀγαθῶν καὶ Κακῶν εἰσαγωγή, de quo v. *Baguet.* de Chrysippo §. CX. p. 280 sqq. *Moser.*

ferire] Est praeclara coniectura *Rivii* (quam confirmant quatt. Oxx. Vind. 2. Gud. 2.) pro *fieri:* quod *Klotzius* in ed. recepit et defendere conatus est, nunc autem in Add. reiicit. Cf. c. 23, 55: *feriunt* enim (ista necopinata) fortasse gravius. *Davisius* comparat Sen. Cons. ad Marciam c. 2: necesse est itaque magis conturbamur, qui quasi ex inopinato *ferimur.* Ep. 57. et 108.

non sunt in hoc omnia] Recte Wolfius post hanc dicendi formulam, quae semper in sententiae clausula ponitur, posuit punctum loco coli. V. *Goerenz.* ad Legg. II. 10, 24., qui comp. de Or. II. 53, 215. de Sen. III. 5. Adde de Or. III. 59, 221.

Quanquam — Sed] V. ad I. 37, 90.

magis aliquanto] V. ad II. 27, 66.

quum consideres] Exspectes *consideras;* sed quum subsequatur coniunctivus *reperias*, recte sese habet *consideres*, ut bene docuit *Orellius.* Utraque enuntiatio, et protasis et apodosis, rem significat, quae in cogitatione tantum ponitur. Cf. Legg. II. 1, 2: ductus vero aquarum, quos isti Nilos et Euripos vocant, quis non, *quum* haec *videat*, *irriserit?* V. nos in Gr. L. §. 140[b], c).

§. 53. *dies*] V. Adnot. in c. 30, 74.

quum essem adolescens] nam Corinthus a U. 609. (145 a. Chr.) a Mummio deleta a Iul. Caesare instaurata est. Cicero natus a. U. 648. (106 a. Chr.) *Neidius.* Ergo Ciceroni Corinthios quosdam captivos in senili aetate constitutos videre licuit.

illa de Andromacha] H. e. versus illos ex Ennii Andromacha sumptos. Sic saepe praepositio *de* usurpatur. *Orellius* contendit Rep. I. 18, 30: illa de Iphigenia. Offic. III. 21: Graecos versus de Phoenissis N. D. I. 8, 18: Platonis de Timaeo deum (*Heindorfius* de coni. male dedit *in Timaeo*), i. e. illum Platonis deum, qualis ab eo in Timaeo describitur. *Moser* addit *Beierum* ad Frgm. or. pro M. Tullio §. 47. p. 59: legem de XII. tabulis. *O. M. Müller.* ad C. de Or. III. 35, 141: versum quendam de Philocteta. Ceterum cf. c. 19, 45.

vidi . . .; sed iam decantaverant fortasse. Eo enim erant vultu, oratione, omni reliquo motu et statu, ut eos Argivos aut Sicyonios diceres; magisque me moverant Corinthi subito adspectae parietinae, quam ipsos Corinthios, quorum animis diuturna cogitatio callum vetustatis obduxerat. 54. Legimus librum Clitomachi, quem ille, eversa Karthagine, misit consolandi caussa ad captivos cives suos; in eo est disputatio scripta Carneadis, quam se ait in commentarium retulisse. Quum ita positum esset, videri fore in aegritudine sapientem, patria capta, quae Carneades contra dixerit, scripta sunt. Tanta igitur calamitatis praesentis adhibetur a philosopho medicina, quanta in inveterata[3] ne desideratur quidem; nec si aliquot annis post idem ille liber captivis missus esset, vulneribus mederetur, sed cicatricibus. Sensim enim et pedetentim progrediens extenuatur dolor, non quo[4] ipsa res immutari soleat aut possit, sed id, quod ratio debuerat, usus docet, minora esse ea, quae sint visa maiora.

3 Sic Aug. Duisb. MS. in marg. Asc. 2. et paucae edd. vett.; plurimi codd. etiam R. P. Gud. 1. II. et nonnullae edd. vett. om. *in:* quod facile a seq. *in* absorberi potuit; quanquam abl., suppleto *calamitate,* absolute accipi potest; v. ad III. 16, 34; alii codd. et edd. vett. *quanta inveteratae.* 4 W. c. duob. codd. Leidd. uno Ox. Aug. *non quod.* At v. Adn. in II. 26, 64.

decantaverant] H. e. cantare aut deplorare iam desierant.

vultu, oratione etc.] Sic Offic. I. 29, 102: *quorum omnium vultus, voces, motus statusque mutantur:* hinc non opus est, h. l. cum Manutio pro *oratione* legere *ornatu.* De re ipsa v. *Beier.* ad Offic. l. c. p. 223.

Argivos aut Sicyonios] quibus nihil calamitatis accidisset. *Neidius.*

parietinae] „Diess oder *diruti muri, diruta moenia, monumenta* ist der ächt Lat. Ausdruck für unser: *Ruinen*, nicht *ruinae; rudera* haben Tacit. u. Sueton. Diess bz. aber mehr die durchaus zu Geschiebe zerfallenen Mauern, nicht die noch nackt dastehenden Korinth's und unserer Schweizerburgen. Diess sind *parietĭnae.*“ *Orellius.*

callum vetustatis obduxerat] V. ad II. 15, 36.

§. 54. *commentarium*] Graece ὑπόμνημα, uti *Wolfius* explicat. V. nos in Prolegom. ad Xenophontis Commentar. VII. p. 28 sq.

positum esset] V. ad I. 4, 7.

mederetur] Imperfectum positum est, quia verbum *medendi* a Cicerone refertur ad illud tempus, quo loquitur. V. Adnotata in I. 12, 27: *haereret.*

debuerat] Sic dicitur ex linguae Latinae ratione. V. ad I. 49, 116:

Cap. XXIII. §. 55. *Quid ergo opus est — non quia repentina*] Si tempus, obiiciet aliquis, omnem aegritudinem levat, quid opus est consolari aliquem his verbis: *Nihil tibi inopinatum videatur?* Nonne idem effecturum fuerit tempus? Hoc verum quidem, sed usu rerum edocemur, hanc consolationem valere plurimum. Feriunt enim quidem inopinata fortasse gravius, sed aegritudo omnis exsistit non inde, quia inopinata sunt, sed quia recentia. Utilis igitur erit consolatio, si quidem dolor est *recens. Neidius. Rationem* bene Nissenius interpretatur rationum enumerationem.

tolerabilius] Quum Cicero dicere soleat *toleranter* dolorem pati (ferre), ut II, 17. Fam. IV, 6., Lambinus temere e coni. dedit *tolerantius.* Nam primum etiam aliis locis usus est *tolerabilius*, ut Fin. III. 13, 42: si dolores eosdem tolerabilius patiuntur: ubi v. *Madvig.* p. 419. ad Fam. XV, 20: quo tolerabilius feramus igniculum desiderii tui. V. *Forcellinii* Lex. h. v.; deinde ne id quidem videtur mihi parvi momēnti esse, quod *toleranter* quidem dixit, sed nunquam *tolerantius*, sed *tolerabilius.* — Prius *qui* est *quomodo.*

affert] V. Adnotata in I. 29, 70.

haud sciam an plurimum] Urbane pro: *id genus orationis* sine dubio *valet*

XXIII. 55. Quid ergo opus est, dicet aliquis, ratione[1] aut omnino consolatione illa[2], qua solemus uti, quum levare dolorem maerentium volumus? Hoc[3] enim fere tum habemus in promptu, nihil oportere inopinatum videri. Aut quì[4] tolerabilius[5] feret incommodum, qui cognoverit, necesse esse homini tale aliquid accidere? Haec enim oratio de ipsa summa mali nihil detrahit, tantum modo affert, nihil evenisse, quod non opinandum fuisset. Neque tamen genus id orationis in consolando non valet, sed id[6] haud sciam an plurimum. Ergo ista necopinata non habent tantam vim, ut aegritudo ex iis[7] omnis oriatur; feriunt enim fortasse gravius; non id efficiunt, ut ea, quae accidant, maiora videantur; maiora videntur, quia recentia sunt[8], non quia repentina. 56. Duplex est igitur[9] ratio veri reperiendi non in iis solum, quae mala, sed in iis etiam, quae bona videntur. Nam aut ipsius rei natura qualis et quanta sit, quaerimus, ut de paupertate nonnunquam, cuius onus disputando levamus,

XXIII. 1 D. in ed. 2. e coni. et Ern. *oratione*. V. Adn. 2 Sic Or. c. duob. Oxx. omnibus Leidd. vet. libro Lamb. et aliquot P. Manutii; reliqui *ulla:* quod a Kl. receptum et artificiose defensum ab eodem in Add. reiicitur. 3 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. aliisque multis pro *haec*. 4 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. aliisque multis codd. et multis edd. vett; *aut quid* b. et Marb.; *atqui* alii codd. et edd. vett. 5 v. Adn. 6 Tr. om. *id;* Mos. *sed id ipsum* explicat; Wes. Em. I. p. 6. *id* ex *sed* ortum opinatur. 7 Sic Mon. 1. et MS. in marg. Asc. Mos. 2. et edd. vett. SE. GWolf. V. ad I. 3, 5.; Or. c. vulg. *his*. 8 v. Adn. 9 Vind. 1. Aug. *duplex igitur r. est;* Mon. 2. Duisb. *igitur est r.* V. ad I. 27, 66.

plurimum. V. ad III. 8, 16. In hac formula coniunctivus ponitur, ubi res dubitantius etiam profertur, cf. Lael. 14, 51.

Ergo — repentina] Aegritudo dici non potest ex necopinatis oriri *omnis;* augent quidem necopinata aegritudinem; feriunt enim fortasse gravius; (de illo *enim* v. ad I. 6, 11.;) sed quum diligenter necopinatorum naturam consideres, non in ipsis necopinatis eam esse vim reperias, ut ea, quae accidant, maiora videantur; sed ob eam caussam mala necopinata maiora videntur, quod recentia sunt (quod illorum malorum recens adhuc est opinio), non quia repentina. Disputat h. l. Cicero e Stoicorum mente (v. 31, 75.). Plurimi codd., R. P. Gud. 1. Fabr. duo Pall. unus Leid. Mon. 2. Vind. 1. 2. Duisb., omittunt verba *maiora videntur;* Gud. 1. a pr. m. om. etiam *quia recentia sunt;* Or. c. Bouh. ex b aliisque deterioribus codd. edidit: *non id eff., ut ea, quae a., m. v. Quia rec. s., maiora videntur, non quia r.* Verba *maiora videntur* ob antec. *maiora videantur* facile excidere potuerunt, quum autem maxime necessaria sint, factum est, ut postea post verba *quia rec. sunt* adiicerentur. Quare optimo iure *Moser* huius loci scripturam ita constituit, uti edidimus, nullo vocabulo mutato, sed ordine tantum verborum, qui fuisse videtur, restituto. *Tregder,* omissis verbis *maiora videntur,* primum ante v. *non id eff.*, dein ante *quia* signum corruptelae praefixit. *Moseri* scripturam probavit etiam *Klotz.* in Add. p. 140.; *Wesenb.* in Em. I. p. 16. scribendum censet primum: *nam id efficiunt* (pro *non*), quia supra 13, 28. 14, 30. 22, 52. *mala subita maiora videri* dicantur; de *nam* cum *non* permutato comp. IV. 26, 56., ubi R. P. Gud. 1. *non solum* pro *nam* s. habent; deinde *videantur; sed maiora videntur, quia r. s., n. q. r.* At ita inter se pugnant hae sententiae: *nam opinata id effic., ut — maiora videantur* et *sed maiora videntur, quia recentia sunt, non quia repentia.* At enimvero quod Cicero sibi ipsi repugnare videtur, quum supra mala necopinata maiora videri dicit, hoc autem loco opinata id efficere, ut ea, quae accidant, maiora videantur, negat: id inde factum est, quod supra e plurimorum philosopho-

docentes, quam parva et quam pauca sint, quae natura desideret; aut a disputandi subtilitate orationem ad exempla traducimus. Hic Socrates commemoratur, hic Diogenes, hic Caecilianum illud:

Saépe est etiam súb palliolo sórdido sapiéntia.

Quum enim paupertatis una eademque sit vis, quidnam dici potest, quamobrem C. Fabricio tolerabilis ea fuerit, alii negent se ferre posse? 57. Huic igitur alteri generi similis est ea ratio consolandi, quae docet humana esse, quae acciderint. Non enim solum id continet ea disputatio, ut cognitionem afferat generis humani; sed significat, tolerabilia esse, quae et tulerint et ferant ceteri.

XXIV. De paupertate agitur; multi patientes pauperes commemorantur. De contemnendo honore; multi inhonorati proferuntur, et quidem propter id ipsum beatiores, eorumque, qui privatum otium negotiis publicis antetulerunt, nominatim vita laudatur, nec siletur illud potentissimi regis anapaestum [1], qui [2] laudat senem et fortunatum esse dicit, quod inglorius [3] sit atque ignobilis ad supremum diem per-

XXIV. 1 Paucae edd. vett. et duo deteriores codd. *anapaesticum*. V. Adn. 2 v. Adn. 3 R. P. sept. Oxx. Mon. 2. Gud. 2. Rehd. Duisb. *ingloriosus*: quod vocabulum nusquam ap. Latinos scriptores legitur.

rum mente disputavit, hoc autem loco Stoicorum, qui aegritudinem *recentem* opinionem magni mali praesentis esse statuebant, secutus est rationem.

§. 56. *Saepe est*] Est tetrameter trochaicus catalecticus.

§. 57. *Huic alteri generi*] Sc. per exempla docendi. Nam fere idem est dicere: hic vel ille homo infelix est, aut: omnibus hominibus malum accidere potest, ergo etiam tibi. *Neidius.*

cognitionem generis humani] H. e. ut cognoscamus, hanc esse humani generis conditionem, ut miseriis et calamitatibus obnoxium sit.

Cap. XXIV. *De paupertate agitur*] Si de paupertate agitur. V. ad II. 12, 28.

regis anapaestum] Agamemnonis apud Eurip. Iphig. in Aul. v. 15:

Ζηλῶ σε, γέρον,
Ζηλῶ δ' ἀνδρῶν ὃς ἀκίνδυνον
Βίον ἐξεπέρασ' ἀγνώς, ἀκλεής.

Anapaestum est versus ex anapaestis pedibus compositus, ut Or. 56, 190: (versus) plerosque senarios, sed etiam *anapaesta*. Ibid.: Ita factus est *anapaestus* is, qui Aristophaneus nominatur: ubi Or. perperam edidit *anapaesticus*. Fin. II. 6, 18: Graeci, qui hoc *anapaesto* citantur: ubi *anapaestum* (ut Gr. τὸ ἀνάπαιστον, τὰ ἀνάπαιστα) est carmen ex anapaestis compositum. Forma autem *anapaesticus* abstinet Cicero: nam, uti recte observavit *Orellius*, ante Servium et Sidonium Apollinarem haec forma non in usu fuisse videtur. Sic supra II. 16, 37: nec adhibetur ulla sine *anapaestis* pedibus adhortatio. *Davisius* contulit Lucian. T. I. p. 17: ἀναπαίστοις μέτροις ἐπογουμένη τὰ πολλά. Pari modo abstinuit Cicero formis *philosophicus* et *philologicus* (v. Adnotata nostra in V. 41, 121.). *Klotzius* de Gr. forma ἀναπαιστικός attulit *Schaeferum* ad Dionys. de Compos. Verb. p. 387.

qui laudat senem] Bentleius legendum coniecit *quo* sc. anapaesto. At omnium codd. et edd. scripturae firmum *Wopkens*. Lectt. Tull. I. 15. p. 115 sq. paravit praesidium multis excitatis exemplis, in quibus pari ratione relativum non ad substantivum, a quo pendet genitivus, sed ad genitivum ipsum relatum est. Sic supra c. 22, 52. legimus: *Cyrenaicorum* restat *sententia*, *qui* tum aegritudinem *censent* exsistere etc. Infra IV. 5, 10: *veterem illam* equidem *Pythagorae* primum, deinde *Platonis descriptionem* sequar, *qui* animum in duas partes dividunt. V. 17, 51: quo loco quaero, quam vim habeat *libra illa Critolai*, *qui* quum in alteram lancem animi bona imponat cett.: ubi v. Adn. V. 14. 40: *Laconis illud dictum — qui.*

venturus. 58. Similiter commemorandis exemplis orbitates quoque liberum[4] praedicantur, eorumque, qui gravius ferunt, luctus aliorum exemplis leniuntur; sic perpessio ceterorum facit, ut ea, quae acciderint, multo minora, quam quanta sint existimata, videantur. Ita fit sensim, cogitantibus ut, quantum sit ementita opinio, appareat. Atque hoc idem et Telamo[5] ille declarat:

Ego quum genui[6],

et Theseus:

Futúras mecum cómmentabar miserias,

et Anaxagoras: *Sciebam, me genuisse mortalem.* Hi enim omnes diu cogitantes de rebus humanis intelligebant, eas nequaquam pro opinione vulgi esse extimescendas. Et mihi quidem videtur idem fere accidere iis, qui ante meditantur, quod iis, quibus medetur dies, nisi quod ratio quaedam sanat illos, hos ipsa natura, intellecto eo, quod rem[6] continet, malum, quod opinatum sit esse maximum[6], nequaquam esse tantum, ut vitam beatam possit evertere. 59. Hoc

4 v. Adn. 5 Edd. ante Grut. et quatt. deteriores codd. *Telamon* (aut *Thelamon*). V. ad I. 47, 113. 6 v. Adn.

§. 58. *liberum*] Sic c. D., Mosero, Tregd., Kl. in Add. p. 141. ex R. P. Gud. 1. II. scripsi pro vulg. *liberorum*. Saepe illa forma a librariis oblitterata est. *Moser* commemorat Verr. V. 45, 118: ubi meliores codd. exhibent: ab extremo conspectu *liberum* exclusae, sed palimpsestus Vaticanus *liberorum* habet, ut iam antiquitus scriptura incerta fuisse Klotzio videatur. Hic affert Verr. I. 3, 7: ubi scriptura *liberum* non solum codd., sed etiam Nonii p. 365. auctoritate confirmatur. Sed iam Ciceronis aetate horum genitivorum in *um* pro *orum* desinentium usum fluctuatum multumque consuetudini datum esse, monet idem *Klotzius*, coll. C. Or. 46, 155 sq. Plura suppeditabunt *Ruddimann.* Inst. Gramm. L. I. p. 45 sq. not. 19. *K. L. Schneider* Ausf. Gr. d. Lat. Spr. II. I, p. 69 sq. Cf. nos in Gr. L. §. 15. Not. 5.

Ita fit sensim, cog. ut, q.] Sic haec verba ego c. *Wesenb.* Em. II. p. 55. distinxi pro vulg.: *ita fit sensim cogitantibus, ut, q.* Sententia enim est haec: *Ita fit, ut cogitantibus* (de humana conditione) *sensim* (non statim ut cogitare coeperunt) *appareat, quantum sit em. op.* Cf. verba seqq.: *diu cogitantes de rebus humanis intelligebant* cett. De collocatione voculae *ut* v. ad I. 8, 16.

Ego quum genui] Nonnulli deteriores codd. post *genui* addunt *tum moriturum scivi;* tres deteriores codd. addunt *tum morituros scivi et ei rei sustuli,* neque aliter R., sed a sec. manu; sed quum R. a pr. m. P. Gud. 1. II. Vat. b. a pr. m. aliique codd. nihil habeant, nisi *Ego quum genui*, supra autem c. 13, 27. integer versus cum aliis prolatus sit, Orellius cum aliis reliqua, quae aperte glossatoris manum redolent, uncis cinxit, ego cum Gebh., Mos., Tregd., Klotz. in Add. p. 142. plane delevi. Cf. c. 22, 53: *Haec omnia vidi*, ubi pari modo principium tantum versuum c. 19, 45. prolatorum commemoravit.

Futuras] Est trimeter iambicus.

quod rem continet] in quo cardo totius rei vertitur. Sic infra IV. 10, 23: qua oratione praetermissa minime necessaria, ea, *quae rem continent*, pertractemus. 31, 65: una res videtur *caussam continere.* N. D. I. 1, 2: quod vero maxime *rem caussamque continet.* Ceterum in eo quem nunc tractamus loco codicum scriptura valde fluctuatur. Nos secuti sumus Orellium, qui *quod rem continet, malum* edidit ex Pal. 5. Ball. Mon. 1. quinque Oxx. pro vulg. *quod remedium illud continet, malum*; optimi cod. R. P. Vat. Gud. 1. II. b. aliique complures *quod rem illud continet. m.*; D. aliique de Bentl. sententia *quod rem continet, illud m.*: quod probat etiam *Wes.* Em. I. p. 20., qui errorem natum

igitur efficitur, ut ex illo necopinato plaga maior sit, non ut illi putant, ut, quum duobus pares casus evenerint, is modo aegritudine afficiatur, cui ille necopinato[7] casus evenerit. Itaque dicuntur nonnulli in maerore, quum de hac communi hominum conditione audivissent, ea lege esse nos natos, ut nemo in perpetuum esse posset expers mali, gravius etiam tulisse.

XXV. Quocirca Carneades, ut video nostrum scribere Antiochum, reprendere[1] Chrysippum solebat laudantem Euripideum carmen illud:

Mortális nemo est, quém non attingít[2] *dolor*
Morbúsque; multis[3] *súnt humandi liberi,*
Rursúm creandi, mórsque est finita ómnibus:
Quae géneri humano angórem nequicquam áfferunt.
Reddénda terrae est[4] *térra; tum vita ómnibus*
Meténda, ut fruges. Sic iubet Necéssitas.

7 Sic Or. c. codd. plurimis et optimis, ut R. P. Vat. Gud. 1. II., et multis edd. vett.; alii deteriores codd. et multae edd. vett. *necopinatus.* XXV. 1 Sic D. et codd. R. P. Gud. 1.; *reprehendere* Or. c. vulg. 2 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. 2. b. Marb. Mon. 1. Rehd. quatt. Pall. duob. Oxx.; *attingat* reliqui, etiam Tr. recepit et Wes. I. p. 17. probavit. V. Adn. 3 Sic Or. e coni. L. pro vulg. *multi.* 4 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. aliisque; *est terrae* alii deteriores codd. et pleraeq. edd. vett.

esse putat e verborum *continet* et *illud* transpositione demonstratque eiusmodi transpositiones haud infrequentes in archetypo reperiri. Kl., qui in ed. *quod rem illud continet, m.* receperat et miro modo *quod* pro coniunctione (= *quia*) acceperat, nunc in Add. p. 142. recipiendam censet Bentl. coniecturam, quanquam non diffitetur pronomen *illud* necessarium non esse: quare suspicatur *quod rem ipsam continet, malum*, comp. 28, 67: *intelligi necesse est non rem ipsam caussam atque fontem esse maeroris.* Ego puto miram etiam optimorum codd. scripturam *quod rem illud cont.* ortam esse ex antiquissima glossa *remedium*, margini adscripta, qua sententia verborum *quod rem continet* explicaretur, deinde in verborum ordinem illata, indeque ex REMEDIVM factum REMILLVD.

opinatum sit esse maximum] HWolf. et D. infeliciter coni. *quod opinati sint esse m.; Hand.* ad Wopk. p. 116. delendum censet *esse.* Nam Cicero, inquit, non verbo tribuit passivam significationem, sed adiectivo *opinatum.* V. Adn. in c. 14, 30. Quum h. l. non solum verbum *opinandi*, sed etiam, ut sententia generalis significetur, passiva forma necessario requiratur, facile passivus verbi usus excusatur.

§. 59. *ut ex illo necopinato — sit*] Quia dies hominum dolori medetur; sed non omnis, quia ratio sic sanare homines potest, ut nihil inopinatum esse censeant. *Nissenius.* — *non ut illi* scil. Cyrenaici.

Cap. XXV. *nostrum Antiochum*] Cf. nos in libro d. *de Cicer. in philos. merit.* p. 159.

Euripideum carmen] Ex Euripidis fabula quae periit, inscripta *Hypsipyla* (p. 449. ed. Beckii, p. 113. ed. G. Dind.). Verba Graeca haec sunt:

Ἔφυ μὲν οὐδείς, ὅστις οὐ πονεῖ βροτῶν
Θάπτει τε τέκνα, γᾶτερ' αὖ σπείρει νέα
Αὐτός τε θνήσκει· καὶ τάδ' ἄγθονται βροτοὶ
Εἰς γῆν φέροντες γῆν· ἀναγκαίως δ' ἔχει
Βίον θερίζειν, ὥστε κάρπινον στάχυν.

Mortalis nemo est, quem non attingit] Sic optimi codd. (v. V. Scr.). Indicativus *attingit* ex Graeco more (ὅστις οὐ πονεῖ) et antiqua Latinorum scriptorum consuetudine dictus est. *Moser* advocat *Ruddimann.* Inst. L. L. II. p. 348 — 350. *Ramshorn.* L. Gr. §. 184. p. 551. 9. ed. I. *Kritz.* ap Sall. Cat. 19, 4. p. 93 sq. Nescio, cur Klotzius Wolfium notet, qui

60. Negabat genus hoc orationis quicquam omnino ad levandam aegritudinem pertinere. Id enim ipsum dolendum esse dicebat, quod in tam crudelem necessitatem incidissemus. Nam illam quidem orationem ex commemoratione alienorum malorum ad malevolos consolandos esse accommodatam. Mihi vero longe videtur secus. Nam et necessitas ferendae conditionis humanae quasi cum deo pugnare cohibet[5] admonetque esse hominem: quae cogitatio magno opere luctum levat, et enumeratio exemplorum non, ut animum malevolorum oblectet, affertur, sed ut ille, qui maeret, ferundum[6] sibi id censeat, quod videat multos moderate et tranquille tulisse. 61. Omnibus enim modis fulciendi sunt, qui ruunt nec cohaerere possunt propter magnitudinem aegritudinis. Ex quo ipsam aegritudinem λύπην Chrysippus, quasi solutionem[7] totius hominis, appellatam putat. Quae tota po-

5 Or. c. L. aliisque et uno Leid. El. II. *prohibet.* V. Adn. 6 Sic R. P. pro *ferendum.* De forma illa antiquiore in *-undus* exeunte fuse enucleateque disseruit *Iordan.* ad or. p. Caecina I, 1. p. 138 sqq. Cf. supra V. Scr. 19, 44. 7 Sic omnes fere codd., etiam R. P. Vat. Gud. 1. II. b.; *quasi* λύσιν *id est solutionem* vulgo, etiam Or. et Kl., quorum tamen hic nunc in Add. sententiam suam mutavit.

ad indicativum *attingit* addit: „altlat. für *attingat.*"

nequicquam] pro *frustra* proprie poëtarum esse docet *Wolfius*, legi tamen addit *Orellius* ap. C. pro Quinct. 25: „et sero, et *nequicquam pudet*," quanquam haec verba ex comico aliquo poëta vel ad formam locutionis Terentinae (Heaut. II. 3, 104: hodie sero ac nequicquam voles) expressa videri possint.

§. 60. *cohibet* Sic omnes fere codd., etiam optimi R. P. Gud. 1. II. Gryph. b., et iure hanc scripturam revocaverunt *Klotzius*, *Moser*, *Tregder*, quanquam structura verbi *cohibet* cum infinitivo iuncti rarissima est. Excitatur quidem a Forcellinio locus Hirtii ex Caes. B. G. VIII, 23: quem timor *cohibebat* cuiusquam fidei suam committere salutem; sed ibi Oudendorpius edidit *prohibebat*, quod etiam seqq. edd. receperunt. Adiungit *Klotzius* Cic. pro Caecin. 23, 66: Unde dejectus es? an inde, quo *cohibitus es* accedere? (uti legitur in plurimis codd. in eisque Erf. et vetustissimis edd. pro *prohibitus es:* quod retinuit *Iordan.* multisque rationibus defendere studuit.) Idem comparat Tac. Ann. II, 24: vix *cohibuere* amici, quominus eodem mari oppeteret. (pro quo etiam dici potuit *coh. oppetere.*) *Moser* excitavit locum ex Calpurn. Ecl. 4, 20: *iungere — cohibes.* Nuper scripturae *prohibet* patrocinium suscepit *Wesenberg.* Em. II. p. 55. Existimat enim *cohibere* et notione et structura diversum esse a *prohibendo;* huius propriam vim (*procul habere*), ut nudi ablativi (*introitu*), sic simplicis infinitivi (*introire*) complementum pati: illud (= *continere, coercere*) autem pro se ipsum ad id, *unde* quis cohibendo abstineatur, significandum neque ablativum neque infinitivum admittere; dici, ut *manus a b auro, hostem a praedandi licentia c o h i b.*, sic (Tac. A. II. 24.) *quem vix cohibuere, q u o - m i n u s — oppeteret* (= a morte oppetenda); infinitivum id potius significaturum, *ad* quod faciendum quis cohibendo cogeretur; de syllabis *con* et *pro* in codd. permixtis comp. Catil. IV. 11, 23: *conspicitis* c. v. scr. *prospicitis.*

admonetque esse hominem] Omisit Cicero pronomen *me* vel *te*, quo magis generalis efferretur sententia.

§. 61. *cohaerere*] consistere. Metaphora in hoc loco petita videtur ab aedificiis, quae, compage soluta, ne *ruant*, *fulcienda* sunt. Sic Har. Resp. 27, 60: vix haec, si undique *fulciamus, cohaerebunt.* Infra V. 28, 80: virtutes sine beata vita *cohaerere* non possunt nec sine virtute vita beata. *Orellius* attulit locum a criticis vehementer quidem, sed iniuria tentatum: N. D. II. 32, 82: gleba aut fragmentum lapidis aut aliquid eiusmodi nulla *cohaerendi* natura. Similia comparavit *Jordan.* ad or. p. Caecina 18, 52. p. 222.

quasi solutionem] Sic Socrates ap. Platon. Cratyl. p. 419. C.: ἥ τε λύπη

terit evelli, explicata, ut principio dixi, caussa aegritudinis. Est enim nulla alia, nisi opinio et iudicium magni praesentis atque urgentis mali. Itaque et dolor corporis, cuius est morsus acerrimus, perferetur[8] spe proposita boni, et acta aetas honeste ac splendide tantam affert consolationem, ut eos, qui ita vixerint, aut non attingat aegritudo, aut perleviter pungat animi dolor.

XXVI. 62. Sed ad hanc opinionem magni mali quum illa etiam opinio accessit[1], oportere, rectum esse, ad officium pertinere ferre illud aegre, quod acciderit: tum denique efficitur illa gravis aegritudinis perturbatio. Ex hac opinione sunt illa varia et detestabilia genera lugendi, paedores, muliebres lacerationes genarum, pectoris, feminum[2], capitis percussiones. Hinc ille Agamemno[3] Homericus et idem Accianus[4],

Scindéns dolore idéntidem intonsám comam.

In quo facetum illud Bionis, perinde stultissimum regem in luctu ca-

8 Sic R. P. Gud. 1. II. Mon. 2. duoque ut vdtr. Oxx. et nonnullae edd. vett.; *perfertur* Or. c. vulg., quod ex seq. *affert* originem duxisse vdtr. XXVI. 1 Duisb. et multae edd. vett. *accesserit*. Male. V. Adn. in II. 24, 58. 2 Duo Oxx. Rehd. Vind. 1. edd. vett. A. Ven. *femorum:* quod minus Ciceronianum; sed pro nom., acc. et voc. sing. *femen* semper dicitur *femur;* v. nos in Gr. L. §. 28, 6. 3 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. Vind. 2. uno Leidd. edd. vett. Gebh. Verb D.: reliqui *Agamemnon.* V. ad I. 47, 113. 4 Sic R. P. et sine dubio alii itemque pleraeque edd. vett.; Or. c. aliis *Attianus.* Vid. V. Scr. I. 44, 105.

ἀπὸ τῆς διαλύσεως τοῦ σώματος ἔοικεν ἐπονομασθῆναι, ἣν ἐν τούτῳ τῷ πάθει ἴσχει τὸ σῶμα. Quam contortas saepe et ridiculas veteres scriptores, in primisque Stoici, commenti sint verborum originationes, constat.

Cap. XXVI §. 62. *paedores — capitis percussiones*] *Davisius* adire iubet *Kirchmannum* de Funer. II. c. 11. 12. et *Feilhium* Antiq. Hom. III. c. 15.: *paedores* h. e. sordes, squalores, quibus luctum veteres testificari solebant: cf. c. 12, 26. *muliebres lacer.* In lege XII. tabular. ap. Cic. de Legg. II. 23, 59: Mulieres genas ne radunto neve lessum funeris ergo habento. De plurali numero abstractorum v. ad IV. 2, 3.

Agamemno Homericus] Iliad. X. 14 sq.
Αὐτὰρ ὅτ' ἐς νῆάς τε ἴδοι καὶ λαὸν Ἀχαιῶν,
Πολλὰς ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους ἕλκετο χαίτας.

Accianus] Agamemno in Accii fabula cognomine.

Scindens] interpretatur *Schuchius* ἀμύσσων, laud. *Lobeck.* ad Soph. Ai. 633.

In quo facetum illud Bionis Scil. dictum est. *Moser* comparat de Or. II. 61, 248: ridiculum est illud Neronianum vetus *in furace servo.* Off. I. 39, 139: quod quidem his temporibus *in multis* licet *dicere:* ubi *Beier* p. 282. attulit Or. II, 61: quod *in servo bono dici* solet. Fin. II. 4, 14: iuvare *in utroque dicitur.*

§. 63. *et Aeschines in Demosthenem*] in oratione contra Ctesiph. §. 77: ὃς ἔγραψε ψήφισμα στεφανῶσαι Δημοσθένην — χρυσῷ στεφάνῳ καὶ ἀναγορεῦσαι τὸν στέφανον ἐν τῷ θεάτρῳ Διονυσίοις τραγῳδῶν, ὅτι διατελεῖ τὰ ἄριστα καὶ λέγων καὶ πράττων τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων. *Davisius* comparat etiam Plutarch. Cons. ad Apollon. p. 119. et Vit. Demosth. II. p. 847. Vocula *et* ante v. *Aeschines* ex anacoluthia explicanda est. Orationem Cicero ita orditur, quasi pergere voluerit: *et* alii — solitudines captant; postea autem mutavit structuram. V. ad IV. 35, 74.

hostias immolavisset] tanquam in rebus laetis. Plusquamperfectum post *invehitur* sequitur, quia in praesente *inv.* vis praeteriti inest. V. nos in Gr. L. §. 140a. Not. 8.

verba contorquet H. e. summa vi et impetu profert. Metaphora ducta est a

pillum sibi evellere, quasi calvitio maeror levaretur. **63.** Sed haec omnia faciunt opinantes, ita fieri oportere. Itaque et Aeschines in Demosthenem invehitur, quod is septimo die post filiae mortem hostias immolavisset. At quam rhetorice! quam copiose! quas sententias colligit! quae verba contorquet! ut licere quidvis rhetori intelligas. Quae nemo probaret, nisi insitum illud in animis haberemus, omnes bonos interitu suorum quam gravissime maerere oportere. Ex hoc evenit, ut in animi doloribus alii solitudines captent, ut ait Homerus de Bellerophonte,

Qui miser in campis maerens errabat Aleïs[5],
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Et Nioba fingitur lapidea propter aeternum, credo, in luctu silentium. Hecubam autem putant propter animi acerbitatem quandam et rabiem fingi in canem esse conversam. Sunt autem alii, quos in luctu cum ipsa solitudine loqui saepe delectet[6], ut illa apud Ennium nutrix:

5 Est egregia Beroaldi coniectura pro *alienis*, quod omnes codd. occupavit. V. Adn. 6 Sic scripsi cum Gud. II. et duob. Oxx. pro *delectat*, quod reliqui habent. V. ad III. 31, 78. Etiam Wes. Em. I. p. 18. coniunctivum praeferendum censet, multis allatis exemplis, quibus demonstraret, archetypi in huiusmodi terminationibus auctoritatem esse exiguam. Cf. V. Scr. I. 6, 13: recordare. 9, 18. 13, 29. II. 13, 30. III. 6, 11. IV. 32, 68. all.

iaculis, quae vel manu vel machina aliqua torquentur. Infra IV. 36, 77: alternis versibus *intorquentur* inter fratres gravissimae contumeliae. Quinctil. IX. 2, 79: *iaculari* sententias. Cf. *Ellendt.* ad Brut. §. 326: *vibrans* oratio. et *Ernestii* Clav. Ciceron. h. v. *Bremius* ad Aeschin. Ctesiph. §. 78. p. 325. ed. Goth. locutionem *verba contorquet* ad illam dicendi figuram, quam παρονομασίαν appellant, refert: quod mihi non placet. Paullo post *rhetori* non, ut *Wolfius* existimat, pro *oratore* dictum est Graecorum more, sed cum vi quadam significat *dicendi artificem.* V. *Ellendt.* ad Cic. de Or. II. 3, 10. Vol. II. p. 165.

Homerus] Iliad. VI, 201 sq.

Ἤτοι ὁ κἀπ πεδίον τὸ Ἀλήϊον οἶος ἀλᾶτο,
Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.

De campis *Aleïs* Schol. ad Hom. l. d.: Ἀλήϊον πεδίον τῆς Κιλικίας καλούμενον ἀπὸ τῆς τοῦ Βελλεροφόντου ἄλης, τουτέστι πλάνης. *Davisius* addit Herodot. VI, 95. Strabon. XIV. p. 993. Etym. M. in Ἀλήϊον.

Et Nioba] Ob antecedens *alii* — *captent* exspectes orationem sic fere conformatam: *alii* aeternum silentium *servent*, ut Nioba. quae idcirco, credo, lapidea fingitur. Sed nonnunquam oratio liberius versatur et, quae secundaria esse debuerat sententia, primariam eam facit. V. *Wesenberg.* Adnot. Tusc. I. p. 22., qui comp. Off. I. 3, 8: Atque ea sic definiunt, ut, rectum quod sit, id off. perf. esse definiant; medium autem off. id esse *dicunt* (pro *dicant*), et *Madvigium* ad Fin. exc. I. p. 811.

propter aeternum cett.] „Wahrscheinlich Stoische Allegorisirung der Fabel von Niobe.“ *Wolf.* De hac fabula v. quos attulit *Davisius* Scholiast. ad Hom. Il. ω, 602. Pausan. in Attic. p. 49. Ov. Met. 6, 303 sqq. et quem *Klotzius* addit Heyn. ad Apollod. III. 5, 6. p. 587 sq.

acerbitatem quandam] H. e. nescio quam, nescio quantam. Cf. Adnotata in II. 4, 11. De Hecuba in canem conversa v. *Pflugk.* ad Eurip. Hecub. 1265: κύων γενήσει πύρσ' ἔχουσα δέρματα. Ov. Met. XIII, 549 sqq.

apud Ennium nutrix] Graeca apud Euripidem in Met. v. 57 sq. sic se habent:

Ἐγὼ γὰρ ἐς τοῦτ' ἐμβέβηκ' ἀλγηδόνος,
Ὥστ' ἵμερός μ' ὑπῆλθε γῆ τε κοὐρανῶ
Λέξαι, μολούσῃ δεῦρο, δεσποίνης τύχας

Cupído cepit míseram nunc me próloqui
Caelo átque terrae Médeaï[7] *miserias.*

XXVII. 64. Haec omnia recta, vera, debita putantes faciunt in dolore, maximeque declaratur[1], hoc[1] quasi officia iudicio fieri, quod, si qui forte, quum se[2] in luctu esse vellent, aliquid fecerunt humanius, aut si hilarius locuti sunt, revocant se rursus ad maestitiam peccatique se insimulant, quod dolere intermiserint. Pueros vero matres et magistri castigare etiam solent, nec verbis solum, sed etiam verberibus, si quid in domestico luctu hilarius ab iis factum est aut dictum, plorare cogunt. Quid? ipsa remissio luctus quum est consecuta, intellectumque est[3], nihil profici maerendo; nonne res[4] declarat, fuisse totum illud voluntarium! 65. Quid ille Terentianus ipse se poeniens[5], id est ἑαυτὸν τιμωρούμενος[6]?

7 Sic Or. ex optima emendat. Des. Erasmi pro *Medeae*, quod metro refragatur. XXVII. 1 v. Adn. 2 Sic Or. c. codd. plurimis et optimis, ut R. P. Gud. 1. II. b.; *se* om. deteriores codd. et edd. vett. ante Gebh. V. ad I. 41, 98. 3 Sic plurimae edd. vett.; sed plurimi codd., etiam optimi, ut R. P. Gud. 1. II. et multae edd. vett. *intellectaque est*, ut vdtr., ob anteced. *ipsa remissio — consecuta*; Or. c. aliquot Oxx. Rehd. Gud. 2. et ed. vet. Verb. *intellectumque* sine *est*. De repetito *est* v. ad I. 24, 54. 4 v. Adn. 5 Sic acute coni. Gulielmius pro vulg. *puniens*; in scriptura R. P. Gud. 1. aliorumque *poenitens* latet *poeniens*. V. ad I. 44, 107. 6 v. Adn.

Davisius comparat Iliad. ο, 36:

Ἴστω νῦν τόδε γαῖα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν

et Od. ε, 184. additque, hos Eurip. versus a comico Philemone ap. Athen. 7. p. 288. (Vol. II. p. 626. Dind.) traductos esse et a Theogneto ap. Athen. XV. p. 671. (Vol. III. p. 1494. Dind.)

Cap. XXVII. §. 64. *vera*] H. e. aequa, iusta. V. ad c. 29, 73.

declaratur] Sine caussa Orellius pro vulg. *declaratur* e Wolfii coni. edidit *declarat*, uti etiam in cod. Rehd. legitur. (Gud. 2. et Duisb. habent *declarat*; i. e. declaratur.) Vulgatam iure revocandam censet *Klotzius* in Lectt. Tull. I. p. 130. Bentleius legendum coniecit *declarant hoc quasi officium iudicio fieri. Quod* etc. Nihil difficultatis inest in vulgata; omissum scilicet est, ut saepe, ante relativum *quod* demonstrativum *eo*. V. ad V. 7, 20. *Wesenberg*. Em. II. p. 57. probat scr. *declarat*. Idem pro seq. *hoc* acute vidit legendum esse *haec*, quia in verbis *hoc — fieri* absurda haec inest tautologia: *ut „haec — recta putantes faciant in dolore," quasi officii iudicio fieri.*

verbis — verberibus] Per παρονομασίαν aut *annominationem* dictum. Cic. de Or. II. 63, 256: „Alterum genus est, quod habet parvam verbi immutationem, quod in littera positum Graeci vocant παρονομασίαν, ut *Nobiliorem, mobiliorem* Cato" etc. Cf. Auct. ad Herenn. IV. 21, 29. Terent. Heaut. II. 3, 115: Tibi erunt parata *verba*, huic homini *verbera*. Cic. Acad. I. 1, 2: nec tamen istum *cessare*, sed *celare*, quae scribat existimo. Tusc. I. 40, 95: *levius — levitati*. III. 19, 44: *opibus — opis*. IV. 28, 55: *libidinem — libidinis*. 31, 67: *Fortunam — fortunis*: ubi v. Adn. V. 41, 118: ne sobrius in *violentiam vinolentorum* incidat. Alia exempla collegit *Halmius* ad or. p. Sull. 21, 62. p. 129 sq.

consecuta] H. e. *ipsa remissio luctus quum est* secuta, ita quidem, ut simul *intelligatur*. V. ad I. 16, 36.

nonne res declarat] Nonnullae edd. vett. omitt. *res*, quod h. l. cum magna vi positum est; nos dicimus *die Sache selbst, die Erfahrung*. Cf. *Seyffert*. ad Lael. 5, 20. p. 116. Perperam *Klotzius* vocabulum *res* quasi pronominis vices sustinere existimat: quod ut aliis locis saepe fit, ita ab h. l. plane alienum est.

§. 65. *Terentianus*] Menedemus, qui ob filii absentiam se excruciabat. Heaut. Act. I. sc. I. 95. 83.

Decrévi tantispér me minus iniúriae,
Chremés[7]*, meo gnato fácere, dum fiám miser.*

Hic decernit, ut miser sit. Num quis igitur quicquam decernit invitus?

Maló quidem me quóvis dignum députem.

Malo se dignum deputat, nisi miser sit. Vides ergo opinionis esse, non naturae malum. Quid, quos[8] res ipsa lugere prohibet? ut apud Homerum quotidianae neces interitusque multorum sedationem maerendi afferunt, apud quem ita dicitur:

Namque nimis multos atque omni luce cadentes[9]
Cernimus, ut nemo possit maerore vacare.
Quo magis est aequom tumulis mandare peremptos
Firmo animo et luctum lacrimis finire diurnis.

66. Ergo in potestate est abiicere dolorem, quum velis, tempori servientem. An est ullum tempus, (quoniam quidem res in nostra po-

7 Sic plurimi codd. et optimi, ut R. P.; *Chreme* Or. c. uno Ox. edd. vett. M. HWolf. V. ad V. 21, 61. 8 Sic Vat. Gud. 1. Med. Marb. Rehd. Pal. III. a pr. m. b a sec. m. et tres Oxx. pro vulg. *quid, quod*, uti est etiam in R. et P., sed hic habet *quid, quod ipsa res* (pro *res ipsa*). Sententia: Quid dicam de iis, quos —? Kl., qui receperat *quid, quod*, nunc in Add. p. 144. probat *quid, quos*, quanquam ex scripturae diversitate suspicatur, fortasse restituendum esse: *Quid, quom.* W. monet, si legatur *quid, quod*, addendum fuisse *interdum:* quod cur necessario requiratur, non video. 9 Sic Or. ex acuta coni. Manutii et legitur in uno Ox. pro *carentes.* Cf. Homer. (v. Adn.) πίπτουσιν.

ipse se poeniens, id est ἑαυτὸν τιμ.] Multi editores offenderunt in verbis *id est* ἑ. τ. Sed aliis quoque locis Cicero Latinae interpretationi subiicit Graeca vocabula per *id est*, quod fere idem valet, quod *id est enim*, ut *id* non pro subiecto, sed pro praedicato accipiendum sit. V. *Wesenberg.* Adnot. Tusc. p. 3 sq. *Madvigium* ad C. Fin. I. 10, 33., nes ad V. 3, 9: Hos se appellare sapientiae studiosos, *id est enim* philosophos. *Davisius* comp. Acad. II. 29, 93: placet enim Chrysippo — quiescere, *id est*, quod ab his dicitur, ἡσυχάζειν. Quod autem *Orellius* dicit, significare voluisse Ciceronem Terentium melius facturum fuisse, si fabulae suae indicem fecisset *Ipse se poeniens;* non enim defuisse vocabulum Latinum; id, fateor, subtilius mihi, quam verius disputatum videtur. — *Meo* μονοσυλλάβως pronuntiandum.

deputat] Recte monet *Klotzius* in Add. p. 143 sq., ex hoc loco non sequi, verbum *deputandi* apud Ciceronem omninoque apud huius aetatis scriptores in usu fuisse, quum Cicero h. l. sine dubio hoc verbo usurus non fuerit, nisi in Terentiano loco praecessisset.

apud Homerum] Iliad. XIX, 226 sqq.:
Αἴην γὰρ πολλοὶ καὶ ἐπήτριμοι ἤματα πάντα
Πίπτουσιν· πότε κέν τις ἀναπνεύσειε πόνοιο;
Ἀλλὰ χρὴ τὸν μὲν καταδάπτειν, ὅς κε δάνῃσιν,
Νηλέα θυμὸν ἔχοντας, ἐπ' ἤματι δακρύσαντας.
Cum h. l. comparat *Davisius* Sen. ep. 63., ubi idem Homericus locus respicitur.

§. 66. *abiicere dolorem*] Non cum Wolfio *aliquem* supplendum est, sed pronomen *te*, quod e seqq. *quum velis* repetendum est. V. ad I. 38, 91. Male *Kernius* servientem refert ad *dolorem.* Ad locutionem *tempori servire* comparat *Moser* pro Sest. 6, 14. ad Att. VIII. 3. post med.

quoniam quidem] *Quoniam quidem* et, quod apud Ciceronem rarius reperitur, *quando quidem* respondent Graeco ἐπειδήπερ, *da ja nun einmal* (*sintemal und alldieweil*). Iunctarum particularum *quoniam quidem* exempla collegit *Wesenberg.* Em. I. p. 34. Parad. §. 41. R. P. III, 44. de Or. II. §. 122. Rosc. Am. §. 31. L. Agr. I, §. 8. Flacc. §. 68. all.

testate est,) cui non ponendae curae et[1] aegritudinis caussa serviamus? Constabat eos, qui concidentem vulneribus Cn.[2] Pompeium vidissent, quum in illo ipso acerbissimo miserrimoque spectaculo sibi timerent, quod se classe hostium circumfusos viderent, nihil aliud tum[3] egisse, nisi ut remiges hortarentur, et ut salutem adipiscerentur fuga; posteaquam Tyrum venissent, tum afflictari lamentarique coepisse. Timor igitur ab iis aegritudinem potuit repellere, ratio ac sapientia vera[4] non poterit?

XXVIII. Quid est autem, quod plus valeat ad ponendum dolorem, quam quum est intellectum, nihil profici et frustra esse susceptum? Si igitur deponi potest, etiam non suscipi potest. Voluntate igitur et iudicio suscipi aegritudinem, confitendum est. 67. Idque indicatur eorum patientia, qui quum multa sint saepe perpessi, facilius ferunt[1], quicquid accidit, obduruisseque iam[2] sese contra fortunam arbitrantur, ut ille apud Euripidem,

Si míhi nunc tristis primum illuxissét dies,
Nec tam aérumnoso návigavissém salo;
Essét dolendi caússa, ut iniecto équulei

1 Sic Or. c. Gud. 1. Duisb. Vind. 1. 2. Mon. 2. El. 2. et Col.; reliqui (etiam R. P.) om. *et:* quod inter duas voc. *ae* facile excidere potuit. 2 Mos. ex ed. Asc. 1. et Gud. 1. scripsit *Gn.*, comp. *Beier.* ad Off. II. 16, 57. p. 112. 3 Sic R. P. Gud. 1. II. 2. Aug. Marb. Duisb. (hic *aliud tamen*) et edd. vett. P. D.; *tum aliud* Or. c. vulg. 4 v. Adn. XXVIII. 1 Sic Or. c. duobus Oxx. Marb. Mon. 1. et omnes fere edd. vett.: quod nunc etiam Kl. in Add. probat; *ferant* reliqui codd. et edd. vett. S. E. D. 2 Sic acute emendavit Tr. ex R. P. Gud. 1. II. Med., qui habent *obduruisse quam sese* etc.; eodem etiam alia codicum vestigia, ut *quanquam, quasi,* ducunt; etiam Kl. in Add. p. 145. probat hanc emendat.; Or. c. quinque Oxx. Gud. 2. Rehd. Duisb. Mon. 1. Vind. 1. 2. et edd. vett. praeter D. omnibus.

Constabat] Bouh. suspicabatur *constat;* at recte imperfectum ad id tempus, quo Pompeius interemptus est, relatum est, ut recte docet *Wolfius.*

Tyrum] Alii scriptores Cyprum dicunt. V. *Wesseling.* Observatt. I. 13. p. 44. Livii Epit. Lib. CXII: Cornelia uxor et Sex. Pompeius Cypron refugerunt.

ratio ac sapientia vera] Or. e Bentl. coni. edidit *ratio ab sapienti viro.* Quamvis ingeniosa sit haec coniectura, etiam *Wesenbergio* III. p. 29. probata; tamen optimo iure a *Klotzio* est reiecta. Primum enim non apte Cicero Pompeianis sapientem virum opposuisset; deinde si id facere voluisset, sine dubio non *ab iis*, sed *ab illis* scripsisset; denique omnino h. l. non id agitur, ut vir sapiens ceteris hominibus opponatur, quum et antea et postea Cicero universe loquatur.

Cap. XXVIII. *etiam non suscipi potest*] Negatio *non* coniungenda est, uti recte *Wolfius* monet, cum *suscipi*, ut verba *non suscipi* quasi unam notionem significent. Unde patet, h. l. dici non potuisse *ne suscipi quidem.*

§. 67. *apud Euripidem*] Euripidis versus servantur apud Galen. de dogm. Hippocr. et Plat. IV. c. 7. (apud Beck. Fragmm. 167. p. 492.). Acute observavit *Orellius*, hos versus cohaerere cum eis, quos supra c. 14, 29. ex Euripidis Theseo attulit Cicero.

εἰ μὲν τόδ' ἦμαρ πρῶτον ἦν κακουμένῳ
καὶ μὴ μακρὰν δὴ διὰ πόνων ἐναυστόλουν,
εἰκὸς σφαδάζειν ἦν ἄν, ὡς νεόζυγα
πῶλον χαλινὸν ἀρτίως δεδεγμένον·
νῦν δ' ἀμβλύς εἰμι καὶ κατηρτυκὼς κακῶν.

Frenó repente táctu exagitantúr novo;
Sed iám subactus míseriis obtórpui.

Defetigatio [3] igitur miseriarum aegritudines quum faciat leniores, intelligi necesse est, non rem ipsam caussam atque fontem [4] esse maeroris. 68. Philosophi summi neque dum [5] tamen sapientiam consecuti nonne intelligunt, in summo se malo esse? Sunt enim insipientes, neque insipientia ullum maius malum est; neque tamen lugent. Quid ita? Quia huic generi malorum non affingitur illa opinio, rectum esse et aequum et ad officium pertinere aegre ferre, quod sapiens non sis, quod idem affingimus huic aegritudini, in qua luctus inest, quae omnium maxima est. 69. Itaque Aristoteles veteres philosophos accusans, qui existimavissent, philosophiam suis ingeniis esse perfectam, ait, eos aut stultissimos aut gloriosissimos fuisse, sed se videre, quod paucis annis magna accessio facta esset, brevi tempore philosophiam plane absolutam fore. Theophrastus autem moriens accusasse naturam dicitur, quod cervis et cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset, hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset, quorum si aetas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, ut, omnibus perfectis artibus, omni

3 Sic Kl. et Tr. ex R. et P. pro *defatigatio*. 4 Sic Or. c. quatt. Oxx. Aug. Marb. et plerisque edd vett.; sed reliqui fere omnes codd., etiam optimi Vat. R. P. Gud. 1. *non rem ipsam atque causam fontem esse:* quod defendit Nissen. dicens: *res* et *caussa* saepe iunguntur; Vind. 1. *rem ipsam fontem atque causam esse.* Kl. in Add. p. 146. transpositionem ortam esse putat ex compendio *cā*, quod omissum deinde alieno loco illatum esse videatur. 5 R. P. Gud. 1. H. aliique *neque nondum:* unde Bentl. coni. *summi quique, nondum tamen;* sed illud *nondum* apertum est glossema verborum *neque dum*, quod deinde post *neque* illatum est. Etiam id adversari recte monet Kl. Bentleii coniecturae, quod Cicero non facile utatur plurali superlativo cum *quique* coniuncto. V. nos in Gr. L. §. 124, 7, c).

§. 68. *Sunt enim insipientes*] E Stoica disciplina, qui non perfectam sapientiam consecuti sunt, insipientes iudicantur; insipientia autem summum malum est; ergo etiam summi philosophi, nondum tamen perfectam sapientiam consecuti, in summo malo versantur; neque tamen lugent et aegritudine premuntur, quia huic generi malorum (sc. insipientiae) nulla admiscetur opinio officiosi doloris.

quod idem] Scil. opinionem, rectum esse et aequum aegre ferre, affingimus huic aegritudini, propter quam homines lugere solent.

quae omnium maxima est] Haec verba referenda sunt non ad proxime praegressa, sed ad illa: *quod sapiens non sis: quae* scilicet aegritudo omnium maxima est.

§. 69. *cervis et cornicibus* Ovidius Metam. VII, 273:

Vivacisque iecur *cervi*, quibus insuper addit
Ora caputque *novem cornicis saecula passae.*

V. *Davisium*, qui comparat etiam poëtam ap. Stob. Serm. X. p. 127: Εἰ μὲν ζῆς ἐλάφου τανανὸν χρόνον ἢ ἐ κορώνης, Συγγνώμη πλείστον πλοῦτον ἀγειρομένῳ. Pedon. Albinovan. Eleg. II, 115. Auson. Idyll. XI, 12. XVIII, 3. De *cornicibus* v. Adnot. in I. 31. 77.

doctrina hominum vita erudiretur. Querebatur igitur, se tum, quum illa videre coepisset, exstingui. Quid? ex ceteris philosophis nonne optimus et gravissimus quisque confitetur, multa se ignorare et multa sibi etiam atque etiam esse discenda? 70. neque tamen, quum se in media stultitia, qua nihil est peius, haerere intelligant, aegritudine premuntur. Nulla enim admiscetur opinio officiosi doloris. Quid? qui non putant lugendum viris? qualis fuit Q. Maximus efferens filium consularem, qualis L. Paullus duobus paucis diebus amissis filiis, qualis M. Cato praetore designato mortuo filio, quales reliqui, quos in Consolatione collegimus. 71. Quid hos aliud placavit, nisi quod luctum et maerorem esse[6] non putabant viri? Ergo id, quod alii rectum opinantes aegritudini se solent dedere, id hi[7] turpe putantes aegritudinem reppulerunt[8]. Ex quo intelligitur, non in natura, sed in opinione esse aegritudinem.

6 Sic Or. c. plurimis codd. et optimis; pauci deteriores codd. et paucae edd. vett. om. *esse;* Mon. 2. et paucae edd. vett. habent *esse* post *putabant*, et ed. Ven. Mos. habet *esse* utroque loco. Abesse vix potest h. l.; facile *esse*, si per compendium scriptum erat, post *maerorem* excidere potuit. 7 Sic Or. c. optimis codd., ut R. P. Gud. 1., et edd. vett. E. HWolf. D. pro vulg. *id ii;* cod. Aug. et multae edd. vett. om. *id;* at v. Adn. 8 Sic R. P. Gud. 1. Mon. 1.; *repulerunt* Or. c. vulg.

hominum vita] pro hominibus dictum esse, docet *Wolfius*, ut apud Graecos βίος. *Moser* comparat pro S. Rosc. Am. 30, 84: „Sic *vita hominum* est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe atque emolumento accedere." Quem attulit alterum locum: Legg. II. 14, 36., is alienus est.

Querebatur] Ἡμεῖς, ὁπότ' ἀρχόμεθα ζῆν, τότ' ἀποθνήσκομεν, Theophrastus moribundus discipulis suis dixisse traditur. V. Diog. Laert. V. §. 41. *Davisius* comparat Hieronym. ad Nepotianum ep. II. p. 9. ed. Victor.: Sapiens ille vir Graeciae Theophrastus, quum, expletis centum et septem annis, se mori cerneret, dixisse fertur, se dolere, quod tum egrederetur e vita, quando sapere coepisset.

§. 70. *haerere intelligant*] Pluralis numerus post singularem ponitur, ut Fin. II, 1: Hic quum *uterque me intueretur* seseque ad audiendum *significarent paratos:* ubi *Otto* comparat or. pro Flacc. 41, 104: *Quotus* enim *quisque est*, *qui* hanc in republica sectam *sequatur* —, quum illam viam sibi *videant* expeditiorem. Plura de hac numeri enallage si quis cupit, adeat *Wopkens*. Lectt. Tull. I, 15. p. 117. ibique *Handium*, qui excitavit *Strothium* ad Liv. 22, 4. *Bremium* ad Cic. Fin. p. 136. *Goerenz.* ad Acad. II. p. 95. Sed quod Dav. in ed. 2. dedit *confitentur*, id plane abhorret a consuetudine Ciceronis, qui post *quisque* nunquam in eadem enuntiatione utitur plurali verbi, sed in subsequenti demum enuntiatione. V. nos in Gr. L. §. 103, 2.

Q. Maximus] de Sen. IV, 12: Multa in eo viro (Q. Fabio Maximo) praeclara cognovi, sed nihil est admirabilius, quam quomodo ille mortem filii tulit, clari viri et consularis. Est in manibus laudatio: quam quum legimus, quem philosophum non contemnimus? Plutarch. Fab. c. 24., ubi inter alia haec leguntur: ὡς ἀνήρ τε φρόνιμος καὶ πατὴρ χρηστός, ἤνεγκε μετριώτατα. Iidem viri, qui h. l., aliique commemorantur etiam a Cicerone ad Fam. IV, 6: quem locum *Moser* attulit, qui idem de verbo *efferendi* (Gr. ἐκφέρειν) comparare iubet *Kirchmannum* de Funerib. Rom. II, 1. p. 75 sq. De *L. Paullo* contulit *Beroaldus* Valer. Max. V. 10, 2. Senec. in Consol. ad Marc. c. 13. Plutarch. Aem. Paull. c. 36. De *M. Catone* cfr. praeclarus locus de Sen. 24, 84., ubi hic: O praeclarum diem, quum ad illud divinum animorum concilium coetumque proficiscar, quumque ex hac turba et colluvione discedam! Proficiscar enim non ad eos solum viros, de quibus ante dixi, verum etiam ad Catonem meum [filium sc.],

XXIX. Contra dicuntur haec: Quis tam demens, ut sua voluntate maereat? Natura affert dolorem, cui quidem Crantor, inquiunt, vester[1] cedendum putat. Premit enim atque instat, nec resisti potest. Itaque Oïleus ille apud Sophoclem, qui Telamonem antea de Aiacis morte consolatus esset, is quum audisset[2] de suo[3], fractus est. De cuius commutata mente sic dicitur:

Nec véro tanta praéditus sapiéntia
Quisquam ést, qui aliorum aerúmnam dictis állevans
Non ídem, quum fortúna mutata ímpetum
Convértat, clade súbita[4] *frangatúr sua,*
Ut illa ad alios dicta et praecepta éxcidant.

Haec quum disputant, hoc student efficere, naturae obsisti nullo modo posse; ii[5] tamen fatentur, graviores aegritudines suscipi, quam natura cogat. Quae est igitur amentia? ut nos quoque idem ab

XXIX. 1 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. aliisque multis codd. et multis edd. vett.; *noster* alii. Male. V. Adn. 2 Tr. ex R. *audivisset.* 3 Sic codd. plurimi et optimi, ut R. P. Gud. 1. II. b., et multae edd. vett.; alii deteriores codd. et aliae edd. vett. *de suo filio;* pauci deteriores codd. *de filio:* quod Or. germanum censet, quanquam retinuit coni. D. *de sui;* Ern. perverse e coni. *de sua.* V. Adn. 4 Sic Or. c. paucis deterioribus codd. et aliquot edd. vett.; sed plurimi codd. et optimi, ut R. P. Gud. 1., *ut subita;* Bouh. coni. *heu sub.:* quod non placet; Kl. recepit quidem *ut*, sed nunc in Add. reiicit, cum Mos. in hoc *ut* corruptelam latere ratus. Facile inferri potuit, oculo librarii ad seq. *ut* aberrante: cuius erroris multa exempla collegit *Wesenb.* Em. I. p. 6. 5 Sic Or. c. R. P. aliisque; *hi* Gud. 1. II. aliique; Ern. malebat *iidem*, quod si in codd. legeretur, praestaret.

quo nemo vir melior natus est, nemo pietate praestantior. Cuius a me corpus crematum est: quod contra decuit ab illo meum; animus vero non me deserens, sed respectans, in ea profecto loca discessit, quo mihi ipsi cernebat esse veniendum. Quem ego meum casum fortiter ferre visus sum, non quo aequo animo ferrem, sed me ipse consolabar, existimans, non longinquum inter nos digressum et discessum fore.

in Consolatione] *Davisius* in partes vocat Hieron. in Epitaph. Nepotiani p. 21: Praetermitto *Maximos*, *Catones*, Gallos, Pisones, Brutos, Scaevolas, Metellos, Scauros, Marios, Crassos, Marcellos atque Aufidios, quorum non minor in luctu, quam in bellis virtus fuit, et quorum orbitates in Consolationis libro *Tullius* explicavit.

§. 71. *Ergo id — id hi turpe*] V. Adnotata in III. 8, 18.

Cap. XXIX. *Contra dicuntur haec*] Peripateticorum affertur sententia, qui aegritudinem in natura positam esse, nec ei resisti posse, iudicant.

Crantor vester] Scil. veteris Academiae assecla.

apud Sophoclem] Graeca, quae exstant apud Stobaeum Serm. CXIII. (e Sophoclis deperdita tragoedia, quae inscripta erat Αἴας Λοκρός, v. Fragmm. Soph. ap. Brunck. p. 588. ap. Dind. p. 29. b.), sic se habent:

Τοὺς δ' αὖ μεγίστους καὶ σοφωτάτους φρενὶ
Τοιούσδ' ἴδοις ἄν, οἷός ἐστι νῦν ὅδε,
Καλῶς κακῶς πράσσοντι συμπαραινέσας·
Ὅταν δὲ δαίμων ἀνδρὸς εὐτυχοῦς τὸ πρὶν
Μάστιγ' ἐρείσῃ τοῦ βίου παλίντροπον,
Τὰ πολλὰ φροῦδα καὶ καλῶς εἰρημένα.

de suo] Scil. Aiace; hoc enim nomen erat filio Oïlei. Brevius dictum est pro quum audisset, suum filium mortuum esse. Scripturae *de suo filio*, *de filio* aperta sunt glossemata. Neque necessaria est coniectura Davisii *de sui* sc. filii morte, ut c. 32, 77: et de communi conditione vitae, et proprie, si quid sit *de ipsius*, qui maereat.

Quae est igitur amentia] Haec verba respondent superioribus: *Quis tam demens, ut sua voluntate maereat? Natura affert dolorem.* Scilicet adversarii dicunt,

illis[6] requiramus. 72. Sed plures sunt caussae suscipiendi doloris. Primum illa opinio mali, quo viso atque persuaso aegritudo insequitur necessario; deinde etiam gratum mortuis se facere, si graviter eos lugeant, arbitrantur. Accedit superstitio muliebris quaedam; existimant enim, diis immortalibus se facilius satisfacturos, si eorum plaga perculsi[7] afflictos se et stratos esse fateantur. Sed haec inter se quam repugnent, plerique non vident. Laudant enim eos, qui aequo animo moriantur; qui alterius mortem aequo animo ferant, eos putant vituperandos. Quasi fieri ullo modo possit, quod in amatorio sermone dici solet, ut quisquam plus alterum diligat, quam se. 73. Praeclarum illud est et, si quaeris, rectum quoque et verum, ut eos, qui

6 Sic Or. c. Gud. 1. 2. cod. Ursini; reliqui (etiam R. P.) *ab aliis:* quod recepit Kl. et fuse, sed frustra, defendit, nunc autem in Add. iure reiicit. V. Adn. *Alii* et *illi* saepe confunduntur in codd. V. *Bremium* ad Fat. c. 1. p. 5. Cf. *Beier.* ad Off. II. 9. p. 63. 7 v. Adn.

naturam afferre dolorem, nec ei resisti posse; iidem tamen fatentur, graviores aegritudines suscipi, quam natura cogat, h. e. non in natura, sed in opinione esse aegritudinem. Haec vero secum pugnant. Licetne igitur nobis idem ab illis requirere, quod illi a nobis requisiverunt, dicentes: *Quis tam demens* — ?

§. 72. *Sed plures sunt caussae*] Quoniam Peripateticorum sententiam sibi contradicere docuit, ad singula, quae ab illis obiiciantur, respondere aggreditur. Quod primum non in opinione, sed in natura esse aegritudinem dicunt, quia nemo tam demens sit, ut sua voluntate maereat, eo confutare studet, quod, quae caussae afferantur suscipiendi doloris, non in natura positas esse, sed in perversa hominum opinione demonstrat. §. 72. et 73.

Primum illa opinio mali] Prima suscipiendi doloris caussa posita est in illa opinione, aliquid esse malum; nam quum aliquid hominibus malum visum est, idque sibi persuaserunt, aegritudo insequitur necessario.

quo viso atque persuaso] Per attractionem quandam additum est *persuaso: quo persuaso,* non antecedente alio participio, certe non dixisset Tullius. Nominativus et accusativus *pronominum* cum passiva forma huius verbi iuncti saepius apud Ciceronem reperiuntur, ut II. 20, 47. *quod* si tibi *persuasum est.* V. *Ramshorn.* Lat. Gr. §. 118. Not. 1. *Kühner.* L. Gr. §. 114, 3.

eorum plaga perculsi] Ernestius cum duobus Oxx. legendum putat *percussi,* neque aliter legitur in Rehd. Gud. 2. Duisb., sed, ut equidem existimo, perperam. Neque probo *Bremium,* qui cum Lambino in Corn. Nep. Eumen. V, 1: *hac ille* p e r c u s s u s p l a g a *non succubuit* pro vulg. *perculsus* legit, ad Dion. V, 3. temere statuens, *percellendi* verbum dici, ubi actionis efficacia per longum tempus continuetur, quamvis motus vis initio haud admodum vehemens sit; *percutiendi* contra verbum notare subitum motum, primo quidem impetu vehementissimum, sed paullo post desinentem. Immo plane contrarium statuendum est. *Percellere* enim semper dicitur de rebus, sive levioribus sive gravioribus, quae, quum subitae, repentinae, necopinatae nobis accidant, animum nostrum consternant vehementerque initio quidem commovent, quanquam paullo post ad nos redire possumus, ut Sall. Iug. 58, 2: nostri *repentino* metu *perculsi.* Contra *percutere* dicitur de rebus magnis gravibusque, quae animum nostrum non consternant quidem et de gradu statuque suo deiiciunt, sed in intimos eius recessus penetrant et eum totum occupant occupatumque in longum tempus tenent. Verborum discrimen alii aliter exposuerunt. V. *Bentleium* ad Horat. Epod. XI, 2., *Ruhnken.* in Dictatis ad Terent. Andr. I. 1, 98., qui Bentleii vestigia premit, *Goerenz.* ad Academ. I. p. 20., qui Bremii sententiae adstipulatur, *Kritz.* ad Sall. Cat. 6, 4. p. 33 sq., qui Bremii sententiam cum Bentleii consociavit, et *Ellendt.* ad C. de Or. II, 70. p. 312 sq., qui maxime cum Bremio conspirat. Hoc autem loco, ubi hoc verbum cum *plaga,* deinde

nobis carissimi esse debeant, aeque ac nosmet ipsos amemus; ut[8] vero plus, fieri nullo pacto potest. Ne optandum quidem est in amicitia, ut me ille plus, quam se[9], ego illum plus, quam me; perturbatio vitae, si ita sit, atque officiorum omnium consequatur[1].

XXX. Sed de hoc alias; nunc illud satis est, non attribuere ad amissionem amicorum miseriam nostram, ne illos plus, quam ipsi velint, si sentiant, plus certe, quam nosmet ipsos, diligamus. Nam quod aiunt, plerosque consolationibus nihil levari, adiunguntque, consolatores ipsos confiteri se miseros, quum ad eos impetum suum fortuna[1] converterit: utrumque dissolvitur. Sunt enim ista

8 Multi codd., etiam R. P. Gud. 1., et plurimae edd. vett. *at:* quod recepit quidem Kl., signum interrogationis post *plus* ponendum censens: *at vero plus?* nunc autem in Add. *ut* praefert. 9 Sic Or. c. Vat. R. P. Gud. 1. aliisque plerisque codd. et nonnullis edd. vett.; alii codd. et plurimae edd. vett. *quam se amet:* quod recepit quidem Kl., nunc autem in Add. reiicit. 1 v. Adn. XXX. 1 *fortuna* om. R. P. Gud. 1. 2. multique alii et edd. P. Ven. Alt.; at necessarium est, neque ullo modo satisfacit ratio Davisii, qui *miseria* ἀπὸ κοινοῦ repetendum putat.

etiam cum *afflictos* et *stratos* iungitur, aptissimum est, uti recte vidit *Nissenius*, vocabulum *perculsi*.

inter se — repugnent] Sic N. D. I. 12, 30: *inter sese* vehementer *repugnantia:* quem locum attulit *Moser*, comp. Gernh. ad Lael. XXII, 82. p. 168 sq.

Laudant — vituperandos] De hac eleganti enuntiationum contrariarum collocatione v. Adnotata in II. 4, 11. Coniunctivus *moriantur* dictus est ex mente eorum, qui laudant: eadem ratio est coniunctivi *ferant*.

§. 73. *si quaeris*] H. e. si in rem accuratius inquiris. Formula est affirmandi pro *ut verum dicam, non diffiteor*, pro quo aliis locis dicitur *si verum quaeris*. Omnino autem haec forma ibi usurpatur, ubi lector plura requisiturus videatur: qua vi alibi dicuntur: *si etiam hoc quaeris, noli quaerere, ne forte quaeras, quid quaeris?* uti docet *Beier* ad Offic. III. 20, 80. Cf. *Ernestii* Clav. Cic. v. *quaero*.

et verum] H. e. aequum, iustum. Sic saepe *verum est* pro *aequum est*, *fas est*, *decet* ponitur. Supra c. 27, 64: haec omnia recta, *vera*, debita putantes. *Davisius* in partes vocat Caes. B. G. IV, 8. Horat. Ep. I. 7, 98:

Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.

V. *Gronov.* et *Drakenb.* ad Liv. II. 48, 2. et *Ruhnken.* Dictat. in Terent. Andr. IV. 1, 5. *Ernestius* Clav. Cic. h. v. affert Quint. 5: *verum* fuit postulare. Legg. II 5. 7. Sic ap. Graecos δίκαιος. V. *Lobeck.* ad Soph. Aiac. 547. p. 281.

nosmet ipsos] V. Adnotata in I. 30, 73.

plus] Latine utrumque dicitur, et *plus* et *magis amare aliquem; plus* poni potest, quia etiam dicitur *multum amare*. Pari modo Latini scriptores dicunt *plus horrere, exhorrescere, timere* aliaque verba affectum significantia. Catull. III, 5: Quem (sc. passerem) *plus* illa oculis suis *amabat*. V. *Madvig.* ad Fin. I, 2. p. 13. et nos in Gr. L. §. 157. Not. 1. Differt ab his exemplis quod II. 16, 37: „scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non *plus* numerant, quam humeros, lacertos, manus," quia *numerare* c. duplici acc. iunctum idem est, quod *iudicare*.

consequatur] Nonnulli deteriores codd. *consequetur;* at v. nos in Gr. L. §. 154. 3. 1) et quem *Moser* laudat *Beier.* ad Off. I. 10, 32.

Cap. XXX. *Nam quod aiunt*] Iam Cicero respondet ad ea, quae porro Peripatetici obiecerant (V. c. 29, 71.), plerosque consolationibus nihil levari, consolatoresque ipsos confiteri se miseros, quum ad eos impetum suum fortuna converterit. Ceterum *nam quod aiunt* aut *nam quod dicunt* est formula transeundi et connectendi, apud veteres scriptores frequentissima, pro: *quod attinet ad id, quod aiunt*. Cf. infra IV. 26, 57. V. *Ruhnken.* Dictat. in Terent. Heaut. Prol. 16. et *Ochsner.* Ecl. Ciceron. p. 278.

dissolvitur] refutatur, διαλύεται, argumenti vis infirmatur atque infringitur, uti recte interpretatur *Moser*, comp. de Divin. II, 4. de Or. II, 38. V. *Schütz.*

non naturae vitia, sed culpae. Stultitiam autem accusare quamvis copiose licet. Nam et qui non levantur, ipsi ad se miseriam[2] invitant, et qui suos casus aliter ferunt, atque ut[3] auctores aliis ipsi fuerunt, non sunt vitiosiores, quam fere plerique, qui avari avaros, gloriae cupidos gloriosi reprehendunt. Est enim proprium stultitiae, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum. 74. Sed nimirum hoc maximum est experimentum[4], quum constet aegritudinem vetustate tolli, hanc vim non esse in die positam, sed in cogitatione diuturna[5]. Nam si et[6] eadem res est, et idem est homo; quì potest quicquam de dolore mutari, si neque de eo, propter quod dolet, quicquam est mutatum, neque de eo, qui dolet? Cogitatio igitur diuturna, nihil esse in re mali, dolori medetur, non ipsa diuturnitas.

XXXI. Hic mihi afferunt mediocritates. Quae si naturales

2 v. Adn. 3 Sic plurimi codd. et optimi, ut R. P. b.; edd. vett. plurimae *atque ut aliis auct.*; D. delevit *ut*. V. Adn. 4 Omnes fere codd., etiam optimi, ut R. P. Vat. Gryph. Gud. 1. II., *exprimendum*. Cum hoc librariorum errore Kl. comp. simillimum I. 36, 88, ubi *arguendum* pro *argumentum* scriptum erat. 5 Et hic; et paullo post in plurimis codd., etiam optimis R. P. Vat. Gud. 1., *diurna*, frequenti permutatione, de qua *Mos.* laudat Drakenb. ad Liv. 28, 24. p. 886. Stuttg. 6 Tr. c. R. P. Mon. 2. et multis edd. vett. om. *et*. (R. ap. Wes. II. p. 44. habet c. reliquis codd. *et*.) V. Var. Scr. c. 17, 37.

Lexic. Ciceron. h. v. *Menkius* in Observv. ined. comp. pr. Rosc. Am. 29, 82.

non naturae vitia, sed culpae] Infra IV. 37, 81: Qui autem *non natura*, sed *culpa vitiosi* esse dicuntur. Hoc loco dissolvitur Lambini coniectura, qui pro *culpae* reponendum censebat *stultitiae*. Praeterea *Davisius* attulit Donatum ad Ter. Hecyr. II. 1, 31: Videtur unum dixisse *opera* et *culpa*, et tamen non est idem. *Opera* enim est, si scientes laesimus; *culpa*, si nescientes: quorum alterum *sceleris*, alterum *stultitiae* est.

quamvis copiose] H. e. vel copiosissime. V. Adnotata in I. 21, 47.

ipsi ad se miseriam invitant] Sic *Davisius* ex Ursini cod. et sic Mon. 2.; sed idem in ed. 1. legendum suspicatur: *ipsi se ad m. inv.*: quod etiam *Wesenb.* Em. I. p. 17. probavit; est sane elegans coniectura; nam *se* facile ob antecedentem syllabam *si* excidere potuit: cuius erroris in archetypo multa exempla collegit *Wes.* l. d.; huc accedit, quod plurimi codd., etiam R. P. Vat. Gud. 1. II. b. habent *ipsi ad miseriam*; cf. c. 34, 82: quod (aegritudo) non natura exoriatur, sed iudicio, sed opinione, sed quadam *invitatione* (sc. *sui*) ad dolendum, quum id decreverimus ita fieri oportere. W. ed. 1. et Tr. ediderunt *ipsi miser.*; Aug. Vind. 1. et pleraeque edd. vett. *ipsi alios ad mis.*, repugnante loci sententia.

aliter, atque ut] *Nissenius* comparat Cic. Verr. II. 1, 46, 119: quod iste *aliter, atque ut* edixerat, decrevisset. Fin. II. 6, 18: Si magis placeret suo more loqui, *quam ut* omnes Danai. *Moser* advocat Forcellin. ed. nov. Germ. p. 271. a., ubi similes nostro Ciceronis loci afferuntur. *Handius* ad Wopkens. p. 119. affert ad Attic. XVI, 13., ubi sic antiquam scripturam restituendam putat: *de Antonii itineribus nescio quid aliter audio atque ut ad te scribebam*. Cf. eundem in Turs. I. p. 269. Proprie est: *alio modo, atque eo modo, quo auctores aliis ipsi fuerunt*. Voculam *ut* exulare iussit Ernestius.

§. 74. *nimirum*] H. e. noli dubitare. V. Adnotata in I. 22, 52.

in die] H. e. in longinquitate temporis. Sic cap. 16, 35: longinquitas et *dies*. c. 22, 53: quod ita esse *dies* declarat, *quae* procedens ita mitigat cett.: e quo loco apparet, vocem *diei* hoc significatu feminini generis esse. Infra IV. 17, 39: qui si error stultis extenuetur *die*.

Cap. XXXI. *Hic mihi afferunt*] Peripatetici enim animi perturbationum atque ita aegritudinis mediocritatem admitti volebant (v. supra c. 16, 22.), do-

sunt, quid opus est consolatione? Natura enim ipsa terminabit modum; sin opinabiles, opinio tota tollatur. Satis dictum esse arbitror, aegritudinem esse opinionem mali praesentis, in qua opinione illud insit, ut aegritudinem suscipere oporteat. 75. Additur ad hanc definitionem a Zenone recte, ut illa opinio praesentis mali sit recens. Hoc autem verbum sic interpretantur[1], ut non tantum illud recens esse velint[1], quod paullo ante acciderit, sed quam diu in illo opinato malo vis quaedam insit, ut[2] vigeat et habeat quandam viriditatem, tam diu appelletur recens. Ut Artemisia illa, Mausoli, Cariae regis, uxor, quae nobile illud Halicarnassi fecit sepulcrum, quamdiu vixit, vixit in luctu, eodemque etiam confecta contabuit. Huic erat illa opinio cotidie[3] recens, quae tum denique non appellabitur[4] recens, quum vetustate exaruit. Haec igitur officia sunt consolantium, tol-

XXXI. 1 v. Adn. 2 Sic Or. c. b. et edd. vett. CVML. pro vulg. *et*, quod etiam R. et Pith. ap. Wes. habent. 3 Sic scripsi c. Gud. 1. II. Duisb. pro vulg. *quotidie*. 4 Sic c. D. scripsi, quum omnes fere codd., etiam R. P. Gud. 1, legant *appellabatur:* quod ferri non potest; Or. c. codd. Bak. Med. uno Leid. Gud. 2. *appellatur:* quod etiam Kl. nunc in Add. p. 148. recipiendum censet, quum in ed. habeat et frustra defenderit *appellabatur*.

lorique cedendum esse iudicabant. Ad quod Cicero sic respondet: Si perturbationum mediocritates in natura ipsa, non in opinione positae sunt; nulla consolatione opus est; natura enim ipsa aegritudinis modum terminabit. At illae ipsae mediocritates, quae mihi a Peripateticis obiiciuntur, non naturales sunt, sed opinabiles, h. e. in hominum opinione positae; ergo etiam tolli possunt. Aegritudinem autem nihil aliud esse, nisi opinionem et quidem recentem (quod recte addunt Stoici) mali praesentis, in qua opinione illud insit, ut aegritudinem suscipere rectum sit, ex iis, quae supra a nobis dicta sunt, apparet. Haec est igitur quasi conclusio ex omni superiore disputatione ducta: *Aegritudinem opinionem esse praesentis mali recentem.* Cui disputationi adiiciuntur officia eorum, qui alios aegritudine pressos consolari volunt.

§. 75. *Additur — ut*] *Ut* post *additur* positum est, quia non res, quae est, indicatur, sed res, quae cogitatione informanda sit. Off. II. 12, 42: *adiuncto* vero, ut iidem etiam prudentes *haberentur*, nihil erat, quod homines his auctoribus non posse consequi se arbitrarentur. Cf. *Haasium* ad Reisigii „Vorlesungen über Lat. Sprachwissenschaft" p. 554 sq.; sed Caes. B. C. I, 87: *addit* etiam, *ut restituatur*, huc non est referendus, quia *addit* significat *praeterea imperat.* C. Lael. 18, 65: *addendum* eodem est, *ut ne* criminibus aut inferendis delectetur aut credat oblatis: ubi *ut ne* (non *ut non*) sequitur, quia in *addendum* notio praecipiendi latet. V. *Seyffert.* ad h. l. p. 404. V. quae supra diximus ad c. 3, 5: *Qui vero probari potest, ut.*

interpretantur — velint] Sic recte Davisius edidit e R. P. et Med. nec aliter Gud. 1. II. b. aliique multi et ed. vet. Bouh. Intelligendi sunt enim Zenonis asseclae. Ernestius vulgatam *interpretatur — velit* secutus est.

nobile illud — sepulcrum] „Huc respicit A. Gell. N. A. 10, 18. V. etiam Strabon. lib. XIV. p. 969. 970. Hieronym. adv. Iovin. l. I. p. 345. Horum uterque cum Tullio Mausolum, Cariae regem, fuisse statuunt, ut faciunt etiam Plin. H. N. lib. 36, c. 3. et Lucian. in dial. Diogen. et Mausoli T. I. p. 311. Idem clare conficitur ex Herodot. 7, 99. et Valer. Max. IV. 6, 1: Me certe fugiunt, qui [ut Gellius l. d.] eum provinciae Graecae praefectum dixerunt. Adeatur etiam Suidas in Ἀρτεμισία." *Davisius.*

quamdiu vixit, vixit] Fin. II. 21, 68: sed tamen aliquid, quod nobis non *liceat*, *liceat* illis. ad Attic. II. ep. 24: quod ad te aliqua admonitione aut obiurgatione *scripsi*, *scripsi* propter diligentiam cautionis meae. Plura suppeditabunt *Goerenz.* ad Fin. V. 32, 95. et *Iordan.* ad Or. p. Caecin. 1, 3. p. 146.

lere aegritudinem funditus, aut sedare, aut detrahere quam plurimum, aut supprimere nec pati manare longius, aut ad alia[5] traducere. 76. Sunt, qui unum officium consolantis putent, malum illud omnino non esse, ut Cleanthi placet. Sunt, qui non magnum malum, ut Peripatetici. Sunt, qui abducant[6] a malis ad bona, ut Epicurus. Sunt, qui satis putent ostendere, nihil inopinati accidisse, † nihil mali †. Chrysippus autem caput esse censet in consolando, detrahere illam opinionem maerenti, si se[7] officio fungi putet iusto atque debito.

5 Sic Or. c. R. P. Vat. Gr. b. et plerisque aliis codd.; alii male *ad aliam tr.*; Ern. c. Guelf. *ad alia mentem tr.* ex interpol. 6 De *abducant, satis putent, colligant* v. Adn. 7 v. Adn.

§. 76. *Sunt, qui — putent*] Sic vulgo legitur. Davisius ex El. 2. dedit *putant* (et sic Mon. 2. Vind. 1.), quia in sequentibus indicativus positus esset: *sunt qui abducunt, sunt qui satis putant, sunt etiam, qui colligunt.* Orellius tamen c. Wolfio e coni. Ernestii contra omnium codd. et edd. vett. auctoritatem dedit: *abducant, satis putent, colligant.* V. Orellii ed. 1829. Coniunctivum etiam *Tregd.* recepit, et *Wes.* I. p. 17. probavit. Ego quoque Orellium secutus sum, quanquam magis mihi placet c. Davisio legere: *sunt, qui — putant* et *sunt, qui abducunt —, sunt qui — putant;* sed difficile est h. l. rem diiudicare, quia optimi codd. primum *putent,* deinde indicativum habent, uti I. 9, 18: sunt — qui — *putant;* paullo post: sunt qui — *censeant.* Res hac ratione videtur constituenda. Post *sunt qui* et indicativus et coniunctivus, diversa tamen ratione, ponitur. Indicativus sequitur, quum scriptor certos quosdam homines, sive ii antea iam commemorati sunt, sive menti obversantur, notare vult. Coniunctivus autem ponitur, quum attributiva notio tanquam ea, quae ex alicuius personae aut rei natura sequitur aut ducitur, significanda est, ut haec insit sententia: homines, qui ita sunt comparati, aut qui eiusmodi sunt, ut. Veluti *sunt, qui dicant* est *sunt homines, qui ita comparati sunt, ut dicant.* Cf. nos in Gr. L. §. 146. Not. 7. et *Bremium* ad Corn. Nep. Milt. III, 2. p. 18. Iam vero quoniam haec dicendi formula ibi poni solet, ubi non certos quosdam homines significamus, liquide apparet, cur in hac structura multo frequentior sit coniunctivus, quam indicativus. Explicationis caussa nonnulla exempla afferre licebit. Offic. I. 24, 82: Ut enim *sunt,* quemadmodum supra dixi, *qui* urbanis rebus bellicas *anteponunt;* sic reperias multos, quibus periculosa et calida consilia quietis et cogitatis et splendidiora et maiora videantur. H. l. indicativus recte sese habet, quia intelliguntur, de quibus supra dixerat. Ibid. §. 82: *Sunt* enim, *qui,* quod sentiunt, etiam si optimum sit, tamen invidiae metu non *audent* dicere: ubi tamen Ernestius, uno suffragante MS., correxit *audeant.* Sallust. Catil. c. 18: *Sunt qui ita dicunt:* quod Cortius rescripsit, omnium fere codd. auctoritate nisus, ac recte quidem maxime ob additam voculam *ita.* Alia res est, ubi verbo *sunt* subiectum vel praedicatum additum est. In eiusmodi locis et indicativum et coniunctivum sequi, certum est. III. 26, 63. rectius sine dubio scribitur *delectet.* Porro a prosae orationis scriptoribus secernendi sunt poëtae, qui indicativo et coniunctivo promiscue utuntur. Ceterum hanc dicendi rationem viri docti certatim enucleare et illustrare conati sunt: quorum sententias diversas inter seque discrepantes dinumerare et recensere quum ab hoc loco alienum esse videatur, si quis eas examinare velit, adeat, ut alios taceam, *Bremium* ad Cicer. de Finib. I, 20. p. 97 sq. *Gernhard.* ad Offic. I. 2, 5. p. 8. *Heindorf.* ad Horat. Sat. I. 4, 24. p. 92. et ad Cic. N. D. II, 32. p. 195. *Beier.* ad Offic. I. 2, 5. p. 11. *Matthiaeum* ad or. pro P. Sextio XLV, 96. *Kritz.* ad Sallust. Catil. XIX, 4. *Ruddimann.* Inst. L. L. II. p. 349. Stallb. *Ramshorn.* Lat. Gr. §. 177, 1. *Kühner.* L. Gr. I. d.

unum officium consolantis putent] Post *putent* Davisius, Lambinum Bentleiumque secutus, adiecit *docere;* hoc enim vel simile vocabulum deesse orationi complendae, comp. c. 32, 77: erit igitur in consolationibus prima medicina *docere,* aut nullum malum esse, aut etc. Etiam *Wesenb.* Emend. I. p. 15. Lambini supplementum verissimum iudica

Sunt etiam, qui haec omnia genera consolandi colligant; alius enim alio modo movetur, ut fere nos in Consolatione [8] omnia in consolationem unam coniecimus; erat enim in tumore animus, et omnis in eo tentabatur curatio. Sed sumendum tempus est non minus in animorum morbis, quam in corporum. Ut Prometheus ille Aeschyli, cui quum dictum esset:

Atqui, Prometheu, te hóc tenere existumo,
Medéri posse rátionem [9] *iracúndiae,*

8 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. b. aliisque multis et ed. vet. P.; Tr. c. aliis deterioribus codd. et edd. vett. fere omnib. om. *in Consolatione.* Temere. Ad haec enim verba necessario referenda sunt sequentia: *erat in tumore an.*, sc. tum, quum Consolationem scribebamus. Cf. *Wes.* Em. II. p. 58. Sch. corr. *in Consolatione omnia in unum coniec.* 9 H. Steph. ob Gr. λόγοι coni. *orationem:* quod iniuria recepit Tr.; λόγος et rationem et orationem significat.

aut certe pro *unum off. consolantis* scribendum fuisse *unam consolationem.* Quod cur plane necessarium sit, non video. *Tregder* offendit h. l. et post *putent* notam lacunae addidit. At nihil desideratur; nam in v. *consolantis* illud ipsum verbum, quod h. l. requiri putat V. D., latet. Cf. supra c. 15, 31: *eodem semper se vidisse.* Infra c. 32, 77. similiter *docere* supplendum. Consolatio enim sine doctrina aliqua praeberi nequit, ut recte monet *Orellius.* Sic etiam infra IV. 38, 83. legitur: animi morborum una *sanatio* est, omnes opinabiles esse et voluntarios, h. e una sanatio est, quum cogitamus aut nobis persuademus etc. Cf. *Wyttenbachium* ad Select Princ. Historic. p. 302. De Graecis v. *Stallbaumium* ad Plat. Protag. p 323, A. (p. 64. ed. Goth.)

ut Cleanthi placet, — ut Peripatetici — ut Epicurus] Davisius coniecit *Peripateticis;* at locus de structura geminus est Academ II. 39, 124: Si est: trisne partes habeat, *ut Platoni placuit*, rationis, irae, cupiditatis; — an, *ut Xenocrates,* numerus nullo corpore: ubi etiam alii legunt *Xenocrati.* V *Goerenz.* et *Wopkens.* Lectt. Tull. I, 8. p. 61.

nihil mali] In hac perversa scriptura omnes codd. (praeter Vind. 1.: *opinanti accidisse mali*) consentiunt. *Orellius,* etsi hanc scripturam corruptam censet, eam tamen retinuit et sic fortasse explicari posse putat: „*nihil* igitur, vere quod dici possit, *mali.*“ Quae tamen explicatio ipsi satisfacere non videtur. Suspicatur enim legendum esse: *nihil soli* (dativ.) e §. 79. *Manutius* et *Lambinus* correxerunt *nihil novi.* At acute pervidit *Davisius,* quum ceterorum quae hic referuntur decretorum patroni nominati sint, etiam huius sententiae patronorum nomen sequi debere. Hos autem Cyrenaicos fuisse, vel ex iis liquet, quae legimus supra 13, 28. 15, 31. 22, 52. Hinc acute legendum coniicit *ut Cyrenaici.* Neque vero cuiquam offensioni erit, quod haec emendatio a vulgata scriptura nimium videatur recedere. Nam primum, in nominum propriorum scriptura saepe insigniter lapsi sunt librarii; tum, *si ductus attendas litterarum, a vulgata tam longe non abeunt, quam prima facie censeri queat,* ut ipsis Davisii verbis utar. *Wesenb.* l. d. p. 10. acute coniicit vocabulo *inopinati* superscriptum fuisse *mali* (cf. c. 13, 28.), dein propter *nihil mali* prave repetitum excidisse illud *ut Cyrenaici. Orellius* in ed. recent. suspicatur *ut Aristippus,* quod vocabulum, subsequente nomine similiter sonante *Chrysippus*, loco moveri potuerit.

opinionem maerenti, si se officio fungi putet] Sic Or. c. aliquot Oxx. Aug. Pall. 1. 2. 3. Vind. 1. omnesque edd. vett.; sed plurimi codd., etiam R. P. Gud. 1. II. Vat. *maerentis se off.* Bentleius coni. *maerenti, se officio fungi pio et iusto,* offensus structura *opinionem, si — putet.* At saepius pro accusativo c. inf. enuntiatio conditionalis explicationis caussa subiicitur. Verr. III. 91, 213: multo isti perniciosius sit dicere, se in re improbissima voluisse Antonium imitari, quam *si* defendere *possit*, nihil in vita se M. Antonii simile fecisse. Cf. *Bakium* ad Legg. I. 4, 12.

omnis in eo] Scil. *tumore,* non *animo.*

Aeschyli] Prometh. Vinct. v. 377. Oceanus loquitur:

Οὔκουν, Προμηθεῦ, τοῦτο γιγνώσκεις, ὅτι
Ὀργῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι;

Cui Prometheus respondet:

Ἐάν τις ἐν καιρῷ γε μαλθάσσῃ κέαρ
Καὶ μὴ σφριγῶντα θυμὸν ἰσχναίνῃ βίᾳ.

cui quum dictum esset — respondit]

respondit[1]:

Siquidem qui, tempestivam medicinam ádmovens,
Non ád gravescens[2] *vólnus illidát manus.*

XXXII. 77. Erit igitur in consolationibus prima medicina docere, aut nullum malum esse, aut admodum parvum; altera et de communi conditione vitae et proprie, si quid sit de ipsius, qui maerent, disputandum; tertia, summam esse stultitiam frustra confici maerore, quum intelligas, nihil posse profici. Nam Cleanthes quidem sapientem consolatur, qui consolatione non eget. Nihil enim esse malum, quod turpe non sit, si lugenti persuaseris, non tu illi luctum, sed stultitiam detraxeris; alienum autem tempus docendi. Et tamen non satis mihi videtur vidisse hoc Cleanthes, suscipi aliquando aegritudinem posse ex eo ipso, quod esse summum malum Cleanthes ipse fateatur[1]. Quid enim dicemus, quum Socrates Alcibiadi persuasisset, ut accepimus, eum nihil hominis esse, nec quic-

1 Sic plerique codd., etiam R. Gud. 1. b.; Or. c. P. Gud. 2. et plerisque edd. vett. *respondet.* V. ad II. 21, 49. 2 v. Adn. XXXII. 1 v. Adn.

Per genus quoddam attractionis dictum pro: *qui, quum ei dictum esset, respondit.* V. ad I. 34, 84.

Siquidem qui] Exspectes *quis*, quod in Duisb. legitur et respondet Graeco τὶς; et fortasse *quis* legendum est; nam *S* ante *T* facile excidere potuit. Si scriptura *qui* germana est, explicanda est sic: *si quis, qualis esse debet.* V. nos in Gr. L. §. 125. Not. 1. et ad IV. 14, 33. Eadem scripturae varietas IV. 8, 17. 20, 46. *Siquidem* in responsione pari modo legitur ap. Terent. Adelph. V. 9, 22: Syre, processisti hodie pulchre. „*Si quidem* porro, Micio, tu tuum officium facies" cett. *Ja, wenn.* Sic Gr. εἴ γε. Cf. ad II. 17, 39. Omnino *quidem*, γέ, in responsione frequentia sunt. V. *Hartung.* Griech. Partik. T. I. p. 393 sq.

ad gravescens] Septem Oxx. Duisb. Marb. Mon. 1. 2. edd. C. V. Rob. Steph. habent *aggravescens;* dein pro *manus* duo Oxx. habent *manu;* et sic legendum censent Cam., Bouh., nuper Wes. Em. I. p. 29. Ac sane multum habet, quo sese commendet haec scriptura. Respondet enim plane Graecis verbis καὶ μὴ σφριγῶντα θυμὸν ἰσχναίνῃ βίᾳ. De structura *illidere aliquid* apposite W. comp. Har. Resp. §. 55: (serpens) compressa atque *illisa;* et de *manu* Lucret. 4, 621: plenam spongiam — *manu* premere ac siccare. Cels. praef. *manu* mederi; neque vero Ciceronem *ad gr. voln.*, sed certe *in gr. v.* dicturum fuisse statuit. Finalis autem *s* nonnunquam in codd. prave additi multa collegit exempla.

Cap. XXXII. §. 77. *disputandum*] Exspectabatur *disputare*, ut paullo ante *docere.* Bene *Moser:* Continuatur oratio, quasi pro *altera* dictum sit *deinde;* aliter *Klotzius*, qui Ciceronem primum orationem sic conformare voluisse putat: *altera* (*erit medicina in consolationibus*) *et de communi cond. vitae et proprie* (*de eo*), *si quid sit de ipsius* (*conditione*), *qui maereat, disputandum;* deinde verbum plane omisisse; sed fateor, me non intelligere, quid sibi velit V. D.; tam obscura est eius oratio. *Ernestius* verbum *disputandum* ut spurium exclusit; *Wolfius* et *Schützius* id reduxerunt. Ac recte quidem. Verborum ordo id necessario efflagitat; nec illud male nos habere potest, quod oratio paullo negligentius decurrit. Nam, quod iam identidem monuimus, in his dialogis saepe Cicero gratae sermonis negligentiae indulsit.

tertia] E superioribus supplendum est: *docere.* Cf. ad c. 31, 76: *unum officium consolantis putent.*

sapientem consolatur] dicens: *nihil malum esse, quod turpe non sit:* quae tamen medicina soli sapienti, qui consolatione non eget, accommodata esse possit.

ex eo ipso] Scil. ex animi turpitudine. Ergo si cui, qui aegritudinem suscepit ex animi turpitudine, Cleanthis medicinam admovere voles, nihil proficies.

quam inter Alcibiadem, summo loco natum, et quemvis baiulum interesse, quum se Alcibiades afflictaret lacrimansque Socrati supplex esset, ut sibi virtutem traderet turpitudinemque depelleret; quid dicemus, Cleanthe? num[2] in illa re, quae aegritudine Alcibiadem afficiebat, mali nihil fuisse? 78. Quid? illa Lyconis qualia sunt? qui aegritudinem extenuans parvis ait eam rebus moveri, fortunae et corporis incommodis, non animi malis. Quid? ergo[3] illud, quod Alcibiades dolebat, non ex animi malis vitiisque constabat? Ad Epicuri consolationem satis est ante dictum.

XXXIII. 79. Ne illa quidem firmissima consolatio[1] est, quanquam et usitata est, et saepe prodest: *non tibi hoc soli.* Prodest haec quidem, ut dixi, sed nec semper nec omnibus. Sunt enim, qui respuant; sed refert, quo modo adhibeatur. Ut enim tulerit quisque eorum, qui sapienter tulerunt, non, quo quisque incommodo affectus sit, praedicandum est. Chrysippi[2] ad veritatem firmissima est,

2 R. P. Vat. Gud. 1. tres Pall. tres Oxx. Marb. Duisb. Aug. *tum:* quod nihil videtur esse, nisi mendum librariorum. 3 De interpunctione v. V. Scr. 20, 46. XXXIII. 1 Sic codd.: *cons. firm.* edd. vett. omnes praeter D. et P. 2 b. et nonnulli alii deteriores codd. et multae edd. vett. *Chrysippi auctoritas;* alii deteriores codd. et paucae edd. vett. *Chrysippi ratio.* Utrumque ex interpol.

quod — fateatur] Exspectes aut *fatebatur*, ut est in Pal. 5. Vind. 2. uno Ox., aut *fatetur*, ut est in Aug. et nonnullis edd. vett. At verba putandi, dicendi et simil., a quibus pendet acc. c. inf., in enuntiationibus secundariis saepe in coniunctivo ponuntur. V. nos in Gr. L. §. 140 b, d). Si v. *Cleanthes* non esset repetitum, sine dubio C. *fateretur* scripsisset. *Wesenb.* Em. II. p. 40. *fateatur* corruptum habet.

quum Socrates Alcibiadi] Augustin. C. D. XIV. c. 8: „Alcibiadem ferunt, si me de nomine hominis memoria non fallit, quum sibi beatus videretur, Socrate disputante et ei, quam miser esset, quoniam stultus esset, demonstrante, flevisse.“ Aliunde res non constat. Assentior *Orellio*, cui haec narratio ex aliquo deperdito Platonis loco petita videtur. Castigatur quidem, inquit, Alcibiades in Alcib. I., nec tamen ita, ut lacrimas fundat; neque ad Symp. p. 215. E. Ciceronis verba referri possunt, quia additum *quemvis baiulum* sine dubio ex ipso Graeco scriptore expressum est, ut multa in Tusculanis ex scholis et dictatis philosophorum Graecorum petita videntur, quos audivit, et ex aliorum libris, qui interciderunt.

nihil hominis esse] Gravius et efficacius pro: nihil in eo inesse, quod homine, qualis debet esse, dignum esset. *Homo κατ' ἐξοχήν* dicitur, qui sapientiae praeceptis imbutus est. Cf. *Schütz.* Lexic. Ciceron. v. *homo.*

se — afflictaret] Usitatius *afflictaretur* est, uti 27, 66. *Klotzius* comp. Ter. Eun. I. 1, 31: ne te afflictes. Sall. C. 31, 3: mulieres *afflictare sese*, manus supplices ad coelum tendere. *Tischer* addit ad Att. III. 12, 1: tu me accusas, quod *me afflictem. Klotz.* in Add. p. 149. observat dativum *sibi* etiam ad *turpitudinemque depelleret* repetendum esse, comp. ad Fam. V. 20, 4: ut mulcta tam gravis *Valerianis praedibus ipsique T. Mario depelleretur.* post redit. in sen. 8, 19: qui primus post meum discessum metum *bonis*, spem *audacibus*, timorem *huic ordini*, servitutem *depulit civitati:* ubi v. *Savels.* p. 117 sq.

Ad E. consolationem] V. ad 9, 18.

Cap. XXXIII. §. 79. *non tibi hoc soli*] Comparat *Camerarius* Eur. Alc. 430 sqq. Iliad. ε, 382.; *Moser* Eur. in Cresphonte X. p. 97. ed. Dind. (Poëtt. Scen.); *Davisius* Timoclis versus ap. Athenaeum VI. p. 223. et Stob. Serm. 123. p. 616.

ad veritatem] Si rem ipsam intueris. V. ad V. 20, 57.; de praep. *ad* v. ad III. 5, 11.

ad tempus aegritudinis difficilis. Magnum opus[3] est probare maerenti, illum suo iudicio et, quod se ita putet oportere facere, maerere. Nimirum igitur ut in caussis non semper utimur eodem statu; (sic enim appellamus controversiarum genera;) sed ad tempus, ad controversiae naturam, ad personam accommodamus: sic in aegritudine lenienda; nam quam[4] quisque curationem recipere possit, videndum est. 80. Sed nescio quo pacto ab eo, quod erat a te propositum, aberravit oratio. Tu enim de sapiente quaesieras, cui aut malum videri nullum potest, quod vacet turpitudine, aut ita parvum malum, ut id obruatur sapientia vixque appareat; qui nihil opinione affingat assumatque ad aegritudinem nec id putet esse rectum, se quam maxime excruciari luctuque confici, quo pravius nihil esse possit. Edocuit tamen ratio, ut mihi quidem videtur, quum hoc ipsum proprie

3 Sic Or. c. P. aliisque deterioribus codd.; *onus* alii multi, etiam R. Vat. Gud. 1. Gryph. Male; repugnat sententia; cf. c. 34, 84. 4 Sic R. ap. Wes III. Praef. P. Gud. 1. El. 3. Aug. Rehd. Mon. 1. Marb. Vind. 1. plurimi Oxx. et edd. vett. ante Gebh. fere omnes; eodem ducit Gud. II., qui habet *numquam;* Or. c. tribus codd. Gebh. et codd. Lall. *in aegritudine lenienda, quam quisque c. r. p., v. e.:* quod etiam Kl., qui in ed. receperat *nam quam*, nunc in Add. p. 150. probat.

Nimirum igitur] H. e. quae quum ita sint, *noli mirari*, in aegritudine lenienda, quam quisque curationem recipere possit, videndum esse. V. ad I. 22, 42.

eodem statu] *Status* (*constitutio*, στάσις). Quae Cicero (Topic. c. 25.) ad explicationem huius vocabuli affert, eo fere redeunt, ut *statu* comprehendatur, quicquid quis ad diluendam accusationem vel infringendam sententiam alicuius dicere possit. *Neidius.*

§. 80. *Sed nescio quo pacto*] Proposita erat haec quaestio: *Utrum caderet in sapientem aegritudo necne:* qua quaestione soluta, universam aegritudinem disputatione complexus, de eius natura et caussis et curatione exposuit.

Edocuit — contractum] Sententiae sic cohaerent: Etsi hac disputatione de sapiente tantum quaesitum erat, tamen (etsi proprie non quaerebatur, num quod esset malum, nisi quod idem dici turpe posset;) ratio nos ita edocuit, ut intelligeremus, quicquid esset in aegritudine mali, id — opinionis errore esse contractum. *Tamen* iteratum est ob verba παρενθετικῶς interiecta.

num quid esset malum] Pro *quid* omnes fere codd. exhibent *quod;* R. habet compendium *qd̄*, P. *quidem; quid* legitur in Vind. 1. Mon. 1. uno Ox. et latere videtur in scriptura multarum edd. vett. *ne quidem ullum es. m.* Ego *quid* recepi auctore *Wesenb.* Em. I. p. 19., qui docet Latine dici aut *nihil est* (*est* copula) *malum, nisi* (*id*) *quod turpe est* (comp. II. 12, 29. 13, 30. V. 7, 18. 8, 21. 9, 27. Acad. II. 42, 130. Fin. IV. 19, 54. V. 28, 83.), aut *nullum est* (verbum plenum = es gibt) *malum praeter turpitudinem* (V. 8, 21. 10, 29. Fam. II. 16, 1. Fin. II. 3, 7. V. 25, 73.). Vocabula *quid* et *quod* in codd. saepe confundi demonstrat *Tregder* in Praef. p. IX sq.

§. 81. *unum omnium maximum*] V. ad II. 26, 64. Ceterum non solum de universa aegritudine exposuit, sed etiam gravissima et acerbissima aegritudinis genera persecutus est: quibus opponuntur ea, quae sequuntur, ut leviora, de paupertate, de vita inhonorata cett.

Cap. XXXIV. *scholae*] V. ad I. 4, 8.

de omni casu] Sic Or. c. D. et plurimis codd. optimisque, ut R. P. Gud. 1. Ernestius cum vulgata legit *et de omni casu:* quod probat *Goerenz.* ad Academ. II. 27, 86. p. 158., sed errat, quum docet, particulam *et* saepe colligendi et comprehendendi vim habere, ut infra V. 4, 10: *et cuncta;* nam haec vis non in *et*, sed in *cuncta* inest. Cf. *Wesenberg.* Adnot. in Tusc. p. 6. Contra optimorum codd. fidem nihil mutandum. V. ad IV. 31, 66.

opus enim quaerunt] *Orellius* interpretatur Gr. ἐργολαβοῦσι: de quo *Moser*

non quaereretur hoc tempore, num quid[5] esset malum, nisi quod idem dici turpe posset; tamen ut videremus, quicquid esset in aegritudine mali, id non naturale esse, sed voluntario iudicio et opinionis errore contractum. 81. Tractatum est autem a nobis id genus aegritudinis, quod unum est omnium maximum, ut, eo sublato, reliquorum remedia ne magno opere quaerenda arbitraremur[6].

XXXIV. Sunt enim certa, quae de paupertate, certa, quae de vita inhonorata et ingloria dici soleant; separatim certae scholae sunt de exsilio, de interitu patriae, de servitute, de debilitate, de caecitate, de omni[1] casu, in quo nomen poni solet calamitatis. Haec Graeci in singulas scholas et in singulos libros dispertiunt; opus enim quaerunt; quanquam plenae disputationes delectationis sunt[2]. 82. Et tamen ut medici toto corpore curando minimae etiam parti, si condoluit, medentur; sic philosophia, quum universam aegritudinem sus-

5 v. Adn. 6 Nonnulli deteriores codd. *arbitremur*. V. ad I. 4, 7. XXXIV. 1 Duo Oxx. et Mon. 1. *et omni*, omisso *de* *et de omni* edd. vett. praeter D., unus Ox. et Vind. 1. V. Adn. 2 Sic b. cod. Fabr. et tres Oxx.; eodem modo h. l. Turneb. e coni. constituerat. Eademque scr. latet in scriptura plurimorum codd. et optimorum R. P. Vat. Gud. 1. II. Gr., qui exhibent: *quanquam plane* (*planae* R Gud. 1. et ed. P.) *disputationis delectationis sunt. Et* (Vat. *summae* pro *sunt. Et*; SVMMAE et SVNTET facile permutari potuerunt:) *tamen* etc.; *plenae* etiam duo codd. Schotti, et *disputationes* quatt. Oxx. aliique codd. habent; Or., ut nos, nisi quod *sunt delectationis* legit, ut est in Mon. 2.

comparare iubet Wyttenb. ad Plut. de discern. adul. etc. p. 532. (ed. Lips. T. I. p. 422.) *Menkius* l. d. comparat Gr. πολυπραγμονοῦσι, in partes vocato Liv. V, 3: Sic hercule, tanquam artifices improbi, *opus quaerunt*, qui et semper aegri aliquid esse in re publica volunt, ut sit, ad cuius curationem a vobis adhibeantur. „Iocose in philosophos, qui scribendi materiam anxie quaerunt, sicut pauperes occasionem laborandi et quaerendi, unde vivant.“ *Ernestius.*

§. 82. *Et tamen*] Sententiarum nexus: Philosophi singulas disputationes de singulis calamitatibus, e quibus aegritudo nasceretur, conscripserunt. Facile quidem eiusmodi disputationibus aut scholis carere possumus; nam si quis de universa aegritudine eiusque genere eo, quod unum est omnium maximum, recte edoctus erit, reliquorum remedia non magnopere quaeret. Attamen, ut medici — medentur, sic philosophia non acquiescit in tollenda universa aegritudine, sed singularum calamitatum suppeditat proprias consolationes. Verba *et tamen* etc. opponuntur verbis: *tractatum — arbitraremur.* — Ceterum *tamen* recurrit, quod saepius fit, ubi haec particula ei sententiae, cui postponi debebat, praemittitur.

si condoluit] De perfectis *condoluit, exstitit, momordit* et cett. v. ad II. 24, 58.

sic philosophia] Structura huius loci est ἀνακόλουθος. Orationem enim Cicero sic exorditur, quasi hoc fere modo scribere voluerit: sic philosophia, quum (i. e. postquam) universam aegritudinem sustulit, tamen, si quis error alicunde exstitit, ... aut si quid eorum, quae modo dixi, exstitit, *medetur et consolationes adhibet, si singularum rerum sunt propriae consolationes.* Editores variis modis huic impedito loco succurrere studuerunt. Ego delevi *et*, quod, inter *exstitit* et *si* in codd. interiectum, facile ex antecedenti *exstitit* oriri potuit. *Orellius* verba sic interpunxit: *sic, philosophia quum* etc., et verba *et si* uncis cinxit: sed haec distinctio ob ἀνοίζετον *ut medici* ferri non potest; verba autem *et si* omnium codd. auctoritate nituntur, nisi quod Rehd. verba *et si sing. rerum* plane omisit, et pauci deteriores codd. *et sic* pro *et si* legunt, et unus Ox. voculam *si* omisit, quae facile a sequenti verbo *singularum* absorberi potuit. *Ernestius* legendum suspicabatur *sic phi-*

tulit, tamen si quis error alicunde[3] exstitit, si paupertas momordit, si ignominia pupugit, si quid tenebrarum offudit exsilium, aut eorum, quae modo dixi, si quid exstitit, si[3] singularum rerum sunt propriae consolationes, de quibus audies tu quidem, quum voles. Sed ad eundem fontem revertendum est, aegritudinem omnem procul abesse a sapiente, quod inanis sit, quod frustra suscipiatur, quod non natura exoriatur, sed iudicio, sed opinione, sed quadam invitatione ad dolendum, quum id decreverimus ita fieri oportere. 83. Hoc detracto, quod totum est voluntarium, aegritudo erit sublata illa maerens; morsus tamen et contractiunculae[3] quaedam animi relinquentur. Hanc dicant sane naturalem, dum aegritudinis nomen absit grave, tetrum, funestum, quod cum sapientia esse atque, ut ita dicam, ha-

3 v. Adn.

losophiae et *ei* pro *et si; Nissenius* ita: *sic in philosophia* etc. *L., Sch.,* nuper *Tr.* deleverunt plane *et si*, ut apodosis ordiretur a verbis *singularum rerum; Wolfius* Ciceronem scribere voluisse ratus *sic philosophia ..... medetur*, deinde autem mutata structura dixisse *singularum r. s. p. c.*, verba *et si* uncis sepsit. *Brutus* coniunctim *etsi* scribendum et ante id punctum ponendum censet, ut *etsi* vim corrigendi habeat (v. Adnotata nostra in IV. 29, 63.). Alii *etiam* pro *et si* legendum coniecerunt. *Keilius* in Progr. d. p. XIX. locum sic constituendum censet: *sic philosophia, quum universam aegritudinem sustulit, sustulit etiam* etc. et pro *et si* coniunctim *etsi* scribendum. Quae ratio vix cuiquam probabitur. *Klotzius* denique in Quaest. Tull. p. 111 sq. orationem ἀναχόλουθον esse statuens nihil mutandum censet, verba autem *et si singul.* etc. sic interpretanda: *et si singulae res propriis rationibus sunt curandae consolandaeque*, vel: *et quaecunque res singulae singulis consolationibus egent.*

alicunde exst.] Sic scripsi e coni. *Ernestii*, probata *Wesenbergio* Em. II. p. 59., pro *aliunde*. Sententia enim est haec: *si quis error* (h. e. si qua opinio mali praesentis, in quo angi oportere videatur) *alicunde*, h. e. ex aliqua una re (ex singulis rebus) *exstitit*, philosophia proprias consolationes adhibet, uti *medici minimae etiam parti, si condoluit, medentur.* De *aliunde* et *alicunde* in codd. confusis v. ad I. 23, 53.

si quid tenebrarum offudit] N. D. I. 3, 6: quae lucem eriperet et quasi *noctem* quandam rebus *offunderet.* Infra V. 2, 6: haec indoctorum animis *offusa caligo* est.

audies] libro quarto Tuscul. Disp. Ad seqq. *Sed ad eundem fontem revertendum est* ex antecedd. supplendum est *in singulis rebus.*

§. 83. *contractiunculae — relinquentur*] Sic legunt omnes codd. et Non. p. 92.; *Bentleius* legendum putat *contractiuncula — relinquetur*, quia sequatur *hanc*, semperque Cicero dixerit *contractio animi* et *doloris morsus* numero sing., non *contractiones* et *morsus.* At optime contra *Handius*, Wopkensium secutus, p. 119: „Nihil integrius est scriptura codicum; *hanc dicant sane naturalem* positum est pro: *hoc dicant naturale*, et relatum ad *aegritudinem.*“ — „Sed tum dixerit, inquies, Cicero, aegritudinem, quae iam sublata esset, licere dici naturalem, modo non appelletur aegritudo; atque ita aegritudinem vocabit id, a quo abesse nomen illud velit. Sed non ita est argutandum; similiter enim Acad. II, 46: reliquae virtutes, quarum esse nulla potest, nisi erit gratuita; nam quae — voluptate ad officium impellitur, ea non est virtus, sed fallax imitatio simulatioque virtutis. de Divin. I, 50: Multa medici praesentiunt; sed nullam eorum divinationem voco, ne illam quidem, qua moniti Lacedaemonii sunt, h. e. sed nihil tale vel nullam talem eorum praesensionem voco divinationem“ cett. *Wopkens. Orellius* recepit quidem coniecturam Bentleii, postea autem ad codicum scripturam rediit.

quod cum sapientia esse atque — habitare — possit] V. 24, 69: Quo tandem igitur gaudio affici necesse est sa-

bitare nullo modo possit. Atque[4] stirpes sunt aegritudinis quam multae! quam amarae! quae, ipso trunco everso, omnes elidendae[5] sunt, et, si necesse erit, singulis disputationibus. Superest enim nobis hoc, cuicuimodi[6] est, otium. Sed ratio una omnium est aegritudinum, plura nomina. Nam et invidere aegritudinis est, et aemulari, et obtrectare, et misereri, et angi[7], lugere, maerere, aerumna affici, lamentari, sollicitari, dolere, in molestia esse, afflictari, desperare. 84. Haec omnia definiunt Stoici, eaque verba, quae dixi, singularum rerum sunt, non, ut videntur, easdem res significant, sed aliquid differunt, quod alio loco fortasse tractabimus. Hae[8] sunt illae fibrae stirpium, quas initio dixi, persequendae, et omnes elidendae[5], ne unquam ulla[9] possit exsistere. Magnum opus et difficile,

4 Sic R. P. Gud. 1. II. b. Mon. 2. tres Oxx. ed. vet. Bouh.; *atqui* reliqui; Or. (etiam Kl. et Tregd.) ex Bentl. coni. *At quae stirpes sunt aegritudinis!* V. Adn. 5 Sic Or. c. optimo P. (sed §. 84. *eligendae*) b. sex Oxx. Mon. 1. 2. Vind. 2. omnibus codd. Bouh. et edd. vett. omnibus, praeter Gebh. et D.; eodem ducit Vat., qui habet *eliciendae;* R. Gud. 1. II. aliique *eligendae*, quod nuper revocavit Tr.; Kl. recepit quidem *eligendae*, sed nunc in Add. p. 151. coni. *eiiciendae* vel *eiciendae*, ut legitur Divin. II. 72, 149: superstitionis stirpes omnes *eiiciendae* sunt. V. Adn. Eadem scripturae varietas §. 84. 6 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. Vind. 2. Venet. et plurim. edd. vett.; alii codd. et edd. vett. *cuiusmodi;* Aug. *cuiusquemodi.* V. Adn. 7 Sic R. P. Gud. 1. multique alii codd. et nonnullae edd. vett.; Or. c. aliis om. *et.* 8 D. ex R. P. aliisque codd. legit *haec* (i. e. haece). V. ad I. 11, 22. V. Scr. 9 Sic R. P. Gud. 1. II. aliique; Or. c. vulg. *ulla unquam.*

pientis animum *cum his habitantem* pernoctantemque curis. Apte *Wolfius* comp. Gr. συνοικεῖν τινι. De coniunctivo *quod — possit* v. nos in Gr. L. §. 146, 3. 2).

Atque stirpes — quam multae!] Hanc multorum optimorumque codd. scripturam (v. V. Scr.) cum *Mosero* revocavi. De verborum collocatione *Wopkens.* Lectt. Tull. p. 120. H. contulit Fin. II, 12: Nunc vero suppeditabit nobis Atticus noster ex thesauris suis *quos et quantos viros!* Divin. II, 58: quorum quidem defensio repetita *quam longe* est! De particula *atque* v. ad III. 2, 4.

elidendae] Scriptura *eligendae* (v. V. Scr.) huius loci rationi et naturae nullo pacto apta est. Contra egregie sese commendat altera scriptura *elidendae*, h. e. radicitus evellendae, extrahendae, exstirpandae. V. ad II. 11, 27. Dicitur quidem etiam *eligere herbas*, uti Columell. IV. c. 5. pro legendo evellere; sed alterum verbum rem multo fortius et efficacius denotat.

cuicuimodi est] H. e. qualecunque est. *Cuicuimodi* rarius vocabulum est, saepe a librariis depravatum. Vid. V. Scr. Sic ad Attic. III. 22, extr.: Tu ad me velim omnia, *cuicuimodi* sunt, scribas. Infra V. 41, 121: ubi enim melius uti possumus hoc, *cuicuimodi* est, otio? (ubi Orellius vehementer addubitandum dicit, num non pluribus locis *cuiusquemodi*, de quo v. Forcellinium, legendum sit.) Fin. III. 9, 30: *cuicuimodi* sunt. Cf. *Gronov.* ad A. Gellium N. A. II, 8. *Goerenz.* et *Moserum* ad Legg. II. 5, 13. *Cuicuimodi* est forma genitivi pronominis *quisquis* pro *cuiuscuiusmodi.* V. nos in Gr. L. §. 38. Not. 2. De formis pronominis *quisquis* cf. *Madvig.* ad Fin. III. 14, 45.

§. 84. *alio loco*] Infra IV. c. 8.

Hae sunt illae fibrae] Tirones observent, pronomen *hic* ab initio sententiae ita poni cum vi quadam, ut in eo lateat particula *autem.* Sic supra II. 13, 30: *Haec* est copia verborum. V. *Goerenz.* ad Academ. II. 24, 78. p. 143.

ne unquam] De verborum iunctura *ne unquam, ne quisquam, ne usquam* in enuntiationibus finalibus pro *ne quando, ne quis, necubi* v. *Stürenburg.* in Commentat. II. ad Offic. p. 213. Scilicet *unquam, quisquam, usquam* in his enuntiationibus ponuntur, ut maior vis posita sit in iis, quam in ceteris verbis. Ubi autem aliquid interdicitur vel metuitur, constanter dicitur *ne quando, ne quis,*

quis negat? quid autem praeclarum non idem arduum? sed tamen id se effecturam philosophia profitetur; nos modo curationem eius recipiamus. Verum quidem haec hactenus. Cetera, quotiescunque voletis, et hoc loco, et aliis parata vobis erunt.

necubi, quia in eiusmodi enuntiationibus res ipsa, quae interdicitur vel metuitur, urgetur, non tempus, non locus, non persona.

praeclarum non idem arduum] Notum proverbium: χαλεπὰ τὰ καλά, itemque δύςκολα τὰ καλά, et virtutis viam arduam proponere Hesiodum [ἔργα κ. ἡμ. 290.], quum ait: μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' ἀρετήν. *Camerarius. Menkius* in Observv. ined. affert Erasmi Adagia II. 1, 12. p. 284. et Platon. de Rep. p. 435. C: ἴσως γάρ, ὦ Σώκρατες, τὸ λεγόμενον ἀληθές, ὅτι χαλεπὰ τὰ καλά: ubi v. *Astii* comment. p. 494.; cf. ibid. p. 497. D. Adde *Stallbaumium* ad l. d. p. 301. ed. Goth.

Verum quidem haec hactenus] *Wolfius* comp. Gr. καὶ ταῦτα μὲν τοιαῦτα, *Moser* καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα, laudans Viger. p. 176. ed. Herm. Miror, *Goerenzium* ad Academ. I. 5, 18. p. 29. nostro loco particulam *quidem* delendam iudicasse. Sic plane Graece dicitur ἀλλά γε; *quidem*, γέ, confirmant antecedentia: *ja, allerdings, freilich. — Ja! das wollen wir thun; jedoch für heute genug.* Cic. de Legg. II. 6, 14: de eius legis laude dicam, quod idem et Zaleucum et Charondam fecisse video; *quanquam quidem* (καίτοι γε) illi non studii et delectationis, sed rei publicae caussa leges civitatibus suis conscripserunt. Erravit *Seyffert.* ad Lael. 10, 33., quum *quanquam quidem* non iungi posse dicit, nisi ita, ut *quidem* non ad totam sententiam concessivam pertineat, sed ad singularem eius notionem. Eur. Iph. T. 703: ἀτὰρ τὸ τοῦ θεοῦ γ' οὐ διέφθορέν σέ πω μάντευμα, καίτοι γ' ἐγγὺς ἕστηκας φόνου, *quanquam quidem* morti vicinus es. V. *Hartung.* Griech. Partik. T. I. p. 411. *Wesenb.* Em. I. p. 19 sq. legendum censet *verum haec quidem hact.*, quia *haec* et *cetera* inter se opponantur, comparans III. §. 4. 42. IV. §. 3. I. §. 99. 119. V. §. 11. 39. Acad. I. §. 21. Off. I. §. 19. III. §. 17. Inv. II. §. 115.; opposita esse inter se illa vocabula nemo negabit; at oppositionis vis sua sponte elucet.

M. TULLII CICERONIS
TUSCULANARUM DISPUTATIONUM

AD

M. BRUTUM

LIBER QUARTUS.

I. 1. Quum multis locis nostrorum hominum ingenia virtutesque, Brute, soleo mirari[1]; tum maxime in iis studiis[2], quae sero admodum expetita in hanc civitatem e Graecia transtulerunt. Nam quum a primo Urbis ortu regiis institutis, partim etiam legibus auspicia, caerimoniae, comitia, provocationes, patrum consilium, equitum peditumque descriptio, tota res militaris divinitus esset constituta; tum progressio admirabilis incredibilisque cursus ad omnem excellentiam factus est, dominatu regio re publica liberata. Nec vero hic locus est, ut de moribus institutisque maiorum, et disciplina ac temperatione civitatis loquamur; aliis haec locis satis accurate a nobis dicta sunt, maximeque in iis sex libris, quos de re publica scripsimus. 2. Hoc autem loco consideranti mihi studia doctrinae multa

I. 1 v. Adn. 2 Sic S.; eodem ducunt b. Gud. 2. Duisb. ed. P., in quibus est *in hiis st.;* multae edd. vett. *iis in st.;* alii codd. (etiam R. P. Gud. 1.) *in his st.*, male; v. ad I. 3, 5.

Cap. I. §. 1. *mirari*] Cod. Gud. II. et ed. E. exhibent *admirari*. *Admiror* maiores *Klotzius* vertit: ich bewundere die Vorfahren; *miror* maiores: d. V. erscheinen mir wundervoll, ut gravius sit, quam *admirari*. Comparat *Moser* de Inv. II. 1, 2: Quum puerorum igitur formas et corpora magno hic opere *miraretur*.

provocationes] Provocationem ad populum iam a regibus fuisse, ipse Cicero auctor est de Rep. II, 31. Conferre iubet *Davisius* Livium VIII, 33. et Valer. Maxim. VIII, 1.

divinitus] quod proprie significat Graecum θεόθεν, saepius a Cicerone ponitur pro divine, excellenter. de Orat. I. 7, 28: illa, quae philosophi *divinitus* ferunt esse dicta. *Moser* addit C. ad Fam. I, 9: quae sunt apud Platonem scripta *divinitus*.

progressio admirabilis incredibilisque cursus] De hac eleganti verborum collocatione v. ad II. 4, 11.

temperatione civitatis] V. ad I. 10, 21.

sex libris — de re publica] Vide sis nos in libro d. *de Ciceronis in philos. meritis*. p. 45 sqq.

§. 2. *Hoc autem loco*] Sententiarum nexus est hic: Uti mores et res publica divinitus a maioribus nostris constituta est; ita studia doctrinae iam antiquitus ab iis arcessita aliunde, nec solum arcessita, sed etiam conservata et culta videntur. Neque vero id mirum est; florebat enim in ipsa Italia Pythagoras cett.

sane occurrunt, cur ea quoque arcessita[3] aliunde, neque solum expetita, sed etiam conservata et culta videantur. Erat enim illis paene in conspectu praestanti sapientia et nobilitate Pythagoras, qui fuit in Italia temporibus iisdem, quibus L. Brutus patriam liberavit, praeclarus auctor nobilitatis tuae. Pythagorae autem doctrina quum longe lateque flueret, permanavisse mihi videtur in hanc civitatem, idque quum[4] coniectura probabile est, tum quibusdam etiam vestigiis indicatur. Quis enim est[5], qui putet, quum floreret in Italia[6] Graecia potentissimis et maximis urbibus, ea quae magna dicta est, in iisque[7] primum ipsius Pythagorae, deinde postea Pythagoreorum tantum nomen esset, nostrorum hominum ad eorum doctissimas voces aures

3 v. Adn. 4 W. e coni. et Mon. 2. *tum*. Male. V. Adn. in V. 25, 72. 5 Sic R. Gud. 1. II. Aug. Duisb. Vind. 1. 2. Marb. Mon. 1. 2. et edd. vett. D. et Gebh.; reliqui (etiam cod. P.) *quis est enim*. V. ad I. 27, 66. 6 Immerito Ern. verba *in Italia* uncis cinxit: quae si omisisset Cic., verba seqq. *ea quae m. d. est* praemittenda fuerunt. 7 Sic Mon. 1. Gud. 2. Duisb.; Or. c. vulg. *in hisque*. V. ad I. 3, 5.

arcessita] Sic R. P. Gr. Vat. Gud. 1. aliique codd.; alii deteriores codd. et pleraeque edd. vett. *accersita*. *Arcesso* et *accerso* sunt diversae tantum formae eiusdem verbi. *Arcesso* ex *ar*, i. e. antique pro *ad* (cf. *arbiter*, *arveho*, porro in SC. de Bacch. *arfuerunt*, *arvorsum*: plura contulit *Ramshorn*. L. Gr. §. 9. p. 10. ed. 2.) et *cesso*, quod ex *cio*, ut *facesso* ex *facio*, *lacesso* ex *lacio*, factum est, ortum, sine dubio antiquior et germana forma est. *Accerso* ex transpositione litterae *r* et geminatione litterae *c* natum est. *Orellius* comparat Toscanorum *frebbe* pro *febbre*, *interpetre* pro *interprete*. V. *Ramshorn*. l. d. et doctam observationem *Kritzii* ad Sall. Cat. XL, 6. p. 190. *Klotzius* in Add. p. 152. laudat *R. Stürenb.* Commentation. de verbis *arcessendi* et *accersendi*, Hilperus. 1839., qui non recte significationis discrimen constituit, *Ellendt*. ad de Or. II. 27, 117. *Wagner*. Orthogr. Vergilian. in h. v.

auctor] Atavus generis tui clarissimi. *Neidius*. Cf. Brut. 14, 53: Quis enim putet, celeritatem ingenii *L. Bruto* illi, *nobilitatis vestrae principi*, defuisse?

ea quae magna dicta est] H. e. eam dico, quae magna dicta est. Divin. I. 19, 36: Contemnamus etiam Babylonios, *eos*, *qui* numeris stellarum cursus et motus persequuntur. N. D. I. 13, 35: Nec audiendus Theophrasti auditor, Strato, *is*, *qui* physicus appellatur. Infra c. 6, 14: stulti autem aegritudo est, *ea qua* afficiuntur in malis opinatis. ibid. c. 8, 18: obtrectatio autem est, ea, quam etc. 36, 77: eius qui. Interdum etiam verbum *dico* additur, uti supra I. 32, 78: Num quid igitur est caussae, quin amicos nostros Stoicos dimittamus, *eos dico*, *qui* aiunt animos manere. V. *Goerenz*. ad de Legg. I. 16, 45. p. 70. *Ramshorn*. L. Gr. §. 158. *Kühner*. §. 123. Not. 5.

nostrorum hominum] Hi genitivi a v. *aures* eo consilio disiuncti sunt, quo maiore vi efferrentur. V. nos in Gramm. L. §. 167, 1.

§. 3. *Numam Pythagoreum*] de Or. II. 37, 154. de Rep. II, 15: ubi v. *Moserum* p. 243 sqq. Livius I, 18. princ.: Auctorem doctrinae eius (Pythagorae), quia non exstat alius, falso Samium Pythagoran edunt: quem, Servio Tullio regnante Romae, centum amplius post annos in ultima Italiae ora, circa Metapontum Heracleamque et Crotona iuvenum aemulantium studia coetus habuisse constat. Cf. eund. XL, 29. et Dionys. Hal. II c. 59. Quam late sparsa fuerit haec perversa opinio non solum inter poëtas, sed etiam patres ecclesiasticos atque adeo rerum auctores, docte demonstravit *Davisius*, coll. Ovid. Met. XV. init. Fast. III, 153. Clem. Alex. Strom. I. p. 338. V. p. 648. Hieronym. in Iovin. 2. p. 386. Cyrill. in Iulian. 6. p. 193. Plin. H. N. XIII, 13. Diod. in Excerpt. Peiresc. p. 230.

instituta] Quod omnes meliores codd. aliique exhibent (v. V. Scr.) *constituta* plane ab usu non solum Ciceronis, sed omnium illius aetatis scriptorum abhorret neque defendi potest, uti recte observavit *Klotzius* in Add. p. 152. locis,

clausas fuisse? 3. Quin etiam arbitror, propter Pythagoreorum admirationem Numam quoque regem Pythagoreum a posterioribus existimatum. Nam quum Pythagorae disciplinam et instituta[8] cognoscerent regisque eius aequitatem et sapientiam a maioribus suis accepissent, aetates autem et tempora ignorarent propter vetustatem: eum, qui[9] sapientia excelleret, Pythagorae auditorem crediderunt fuisse[1].

II. Et de coniectura quidem hactenus. Vestigia autem Pythagoreorum quanquam multa colligi possunt, paucis tamen utemur, quoniam non id agitur hoc tempore. Nam quum carminibus soliti illi esse dicantur et praecepta quaedam occultius tradere, et mentes suas a cogitationum intentione cantu fidibusque ad tranquillitatem tradu-

8 R. P. Vat. Gud. 1. II. multique alii codd. et ed. P. *constituta*. V. Adn. 9 D. in ed. 2. *quia*, ut vdtr. e coni. Male; nam *eum* idem fere est, quod *talem*. 1 Sic R. Gud. 1. 2. Aug. Marb. Duisb. Mon. 1. 2.; Or. c. vulg. *fuisse cred.*; P. et Gud. II. om. *crediderunt*.

quales sunt C. ad Att. VI. 1, 2: quod quaedam a se *constituta* resciderim, et ibid.: cogitabam eius multa inique *constituta* et acta tollere; nam in iis locis *constituta* est participium, quod saepe apud Ciceronem eadem vi usurpatur, qua *institutus*. Quare *Klotzius* l. d. illum scripturae errorem ex eo natum esse arbitratur, quod in archetypo compendium fuerit, quale *ĩstituta*, idque cum *ostituta* permutatum pepererit *constituta*. Mihi vero probabilius videtur, librarios hoc vocabulum ex suae aetatis loquendi consuetudine in Ciceronem intulisse.

Cap. II. *non id agitur*] V. ad I. 20, 46.

occultius] ut non perciperentur, nisi ab iis, qui interiore Pythagoreae philosophiae cognitione imbuti essent: eos dico, qui ἐσωτερικοὶ dicti sunt: quibus oppositi sunt discipuli ἐξωτερικοί, h. e. ii, qui instituerentur et praepararentur ad discenda ac percipienda secretiora et occulta disciplinae decreta. Diog. L. VIII, 15: ἔλεγόν τε καὶ οἱ ἄλλοι Πυθαγόρειοι μὴ εἶναι πρὸς πάντας πάντα ῥητά, ὥς φησιν Ἀριστόξενος ἐν δεκάτῃ παιδευτικῶν νόμων. Plura de hac re contulit et disputavit, quem *Klotzius* laudavit, *H. Ritter* in libro d. Gesch. d. Pyth. Phil. p. 42—45.

mentes suas] Tirones observent, Romanos pluribus vocabulis abstractis tanquam concretis plurativo numero uti, ubi sermo patrius ea tanquam abstracta singulari numero usurpat. Id fit, ubi abstracti notio ad plures pertinet. Sic h. l. Pythagorei dicuntur *mentes suas* cantu ad tranquillitatem traduxisse, non *mentem suam* (uti nos: *ihren Geist*); supra c. 1, 1. nostrorum hominum *ingenia* (non ingenium, *der Geist*); porro *animi militum* (*der Muth*). Quanquam etiam pro abstractis ponuntur, uti *ingenium hominum*, h. e. *ing. generis humani*. Eleganter in hanc rem disputavit *A. Grotefend*. Comment. d. p. 10. Omnino saepe nomina abstracta plurali numero ponuntur, quum varia genera, varii status, variae conditiones rationesve abstractae notionis significantur, deinde quum actio abstracti nominis repetita notatur; haec autem repetitio aut ad varias personas pertinet, uti modo vidimus, aut ad varia loca temporave. Cf. I. 16, 36: *formidines, Schreckbilder*. 33, 80: aegritudines, irae, libidinesque. 48, 116: clarae mortes (θάνατοι) pro patria oppetitae. 49, 116: optabiles mortes. III. 10, 22: mediocritates perturbationum: ubi cf. Adnot. 4, 7: reliquae quoque perturbationes animi, formidines, libidines, iracundiae. (ut de Rep. I, 38: libidines, quae sunt innumerabiles, iracundiaeve.) 25, 62: ex hac opinione sunt illa varia et detestabilia *genera* lugendi: paedores, muliebres lacerationes genarum, — capitis percussiones. IV. 6, 14: tres constantiae. V. 6, 16: quos nulli metus terrent, nullae aegritudines exedunt, nullae libidines incitant, nullae futiles laetitiae exsultantes languidis liquefaciunt voluptatibus. 39, 113. valetudines: ubi v. Adnot. Offic. I, 22: fortitudines. 29: quietes. 36: tarditates, festinationes, celeritates. Fin. I, 15: assiduitates. IV, 27: omnes avaritiae. Sall. Cat. XV, 4: animus neque vigiliis neque quietibus sedari potuit: ubi v. *Kritz*. p. 77. Adde nobilitates Cic.

cere; gravissimus auctor in Originibus dixit Cato, morem apud maiores hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes. Ex quo perspicuum est, et cantus tum fuisse rescriptos[1] vocum sonis[1] et carmina. 4. Quanquam id quidem etiam XII tabulae declarant, condi iam tum solitum esse carmen: quod ne liceret fieri ad alterius iniuriam, lege sanxerunt. Nec vero illud non eruditorum temporum argumentum est, quod et deorum pulvinaribus, et epulis magistratuum fides praecinunt: quod proprium eius fuit, de qua loquor, disciplinae. Mihi quidem etiam Appii Caeci carmen, quod valde Panaetius laudat epistola quadam, quae est ad Q. Tuberonem, Pythagoreorum[1] videtur. Multa etiam sunt in nostris institutis ducta ab illis, quae praetereo,

II. 1 v. Adn.

Off. I, 32: luctus et orbitates; infra V. 6, 16. Porro: potentiae, desperationes, velocitates, impietates, honestates, vetustates, timiditates, infidelitates, maerores, fugae: quae quidem omnia apud Ciceronem leguntur. Porro: Sall. Cat. XIV, 5: *adolescentium familiaritates:* ubi v. *Kritz.* p. 73. V. nos in Gr. L. §. 104, 2. 3). *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 72. *Ellendt.* ad de Or. III. 14, 53. Vol. II. p. 379 sqq. *Bremium* ad Fin. I, 8. p. 45. et in primis *C. G. Iacobum* in Comm. de usu numeri plur. ap. poët. Lat. Numburgi 1841. p. 7 sqq. Sic Gr. μανίαι poët., ταλαιπωρίαι, aerumnae, φρονήματα, animi, φιλίαι etc. Sic Hom. Od. I, 7: αὐτῶν γὰρ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο· quanquam Homerus nomina abstracta numero plurali notare solet. V. *Nitzsch.* ad l. d. et quem laudat *Spohn.* de extr. Odyss. parte p. 106. Adde *Naegelsbach.* Excurs. XX. ad Iliad. p. 336 sqq. et nos in Gr. Gr. T. II. §. 408. [Gr. schol. §. 243, 3, 3).]

in Originibus] V. ad I. 2, 3. De exquisitiore verborum collocatione: *gr. auct. in O. d. C.* plura contulit *Wopkens.* Lectt. Tull. II, 6. p. 220., ut pro Ligar. c. 1: propinquus meus ad te Q. Tubero detulit. N. D. III, 32: cur — pontifex maximus est Q. Scaevola trucidatus. Fin. I, 3: ut a Scaevola est praetore salutatus Athenis Albucius. Sic saepe appositio interiecta una vel pluribus verbis avellitur a nomine, ad quod pertinet. — *canerent ad tibiam.* V. ad I. 2, 3.

rescriptos vocum sonis] *Ernestius* Clav. Ciceron. v. *rescribere* interpretatur h. l. sic: *cantum illorum certos modos esse factos signisque expressos*, quod nos vocamus *komponiren.* Vocabulum *rescriptos* ad v. *cantus* tantum pertinet, non etiam ad *carmina.* *Ursinus, Lambinus, Fr. Fabricius, I. F. Gronovius* ad Liv. VII, 2. legendum suspicati sunt *descriptos:* quod Or. in Adn. probat dicens: Qui vulgatam (sc. *rescr.*) defendunt, explicare debent de notis a musicis supra singulas syllabas positis. Nuper etiam *Wesenberg.* Em. III. p. 1. huius coniecturae patrocinium suscepit. Wolfius tentabat *perscriptos*, uti legitur in Mon. 2.: Nissenius *restrictos.* At nihil movendum. *Rescribere* enim est cantus *scribendo* (h. e. notis signisve) *revocare* vel *redigere* ad aptos vocum sonos: quanquam etiam verbum *describendi* in hac re non incommodum est, ut Liv. 7, 2: descripto iam ad tibicinem cantu. Pro *sonis* fuit qui legendum suspicaretur *notis:* quod probavit Wolfius. „Sed accuratius videtur vulgata significare: notas, quibus sonos acutos et graves indicare soliti fuerint musici," uti monet Orellius, qui comparat veterum Italorum: *comporre, cantare un suono.*

§. 4. *XII tabulae*] de Rep. IV, 10. (ed. M. p. 291. ex Augustin. C. D. II. 9.): „XII tabulae quum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt, si quis occentavisset sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri." Verba ipsa huius legis in Tab. VIII. *de delictis* sic sese habent: SEI (si) QVEI (quis) PIPVLOD (convicio) OCENTASIT CARMENVE CONDISIT (condiderit) QVOD INFAMIAM FACSIT (fecerit) FLAGITIOMQ ALTEREI FVSTE FERITOD (feriatur). V. *I. N. Funccii* Legg. XII. Tabb. VII. Lex 8. Cf. *Heindorf.* ad Horat. Sat. II. 1, 82 sq.

ne ea, quae peperisse[1] ipsi putamur, aliunde didicisse videamur[2]. 5. Sed, ut ad propositum redeat oratio, quam brevi tempore quot et quanti poëtae, qui autem oratores exstiterunt! facile ut appareat, nostros omnia consequi potuisse, simul ut velle coepissent.

III. Sed de ceteris studiis alio loco et dicemus, si usus fuerit, et saepe diximus. Sapientiae studium vetus id quidem in nostris; sed tamen ante Laelii aetatem et Scipionis non reperio, quos appellare possim nominatim. Quibus adolescentibus Stoicum Diogenen[1] et Academicum Carneadem video ad Senatum ab Atheniensibus missos esse legatos. Qui quum rei publicae nullam unquam partem attigissent, essetque eorum alter Cyrenaeus, alter Babylonius; nunquam profecto scholis essent excitati neque ad illud munus electi, nisi in

2 Verba *aliunde didicisse videamur* R. P. Gud. 1. II. 2. Rehd. Duisb. Mon. 1. quatt. Oxx. hic omissa transposuerunt post *nostros* in §. 5. III. 1 Sic D. et codd. R. P. Gud. 1.; Or. c. vulg. *Diogenem*. V. ad I. 26, 65.

Nec vero] significant non solitum transitum ad novam rem, sed simul *gradationem*, ut Gr. οὐδὲ μήν. V. *Hartung*. Griech. Partik. T. II. p. 381 sq.

deorum pulvinaribus] H. e. solennibus epulis ad deorum pulvinaria, quum fierent lectisternia. *Davisius* in partes vocat Salmasium Exercit. Plin. p. 122. Ablativi *pulvinaribus* et *epulis* significant, uti recte observat *Verburg.*, tempus, quo pulvinaria sternuntur et epulae exhibentur, ut dr. *gladiatoribus*, *ludis*. V. nos in Gr. L. §. 115, 12.

Appii Caeci carmen] *Orellius* ad Wolfii scholas docet, praeter hunc locum tria tantum eius exstare vestigia: apud Pseudo-Sallustium de rep. ord. I, 1., Festum in *stuprum*, Priscianum 8. p. 792. P., comp. Spalding. ad Quintil. T. IV. p. 591., sed vix credibile esse illud carmen Pythagoreum fuisse. Cf. *Goettlingium* ad Hesiod. p. XXXI. ed. 2. *Baehrium* Gesch. d. Röm. Litt. I. p. 306.

epistola ad Tuberonem] V. *Madvig*. ad Fin. IV, 9. p. 523. et *F. G. van Lynden* de Panaetio. p. 116. De *Tuberone* v. eundem l. d. p. 51.

Pythagoreorum] Genitivus significat Appii carmen a Pythagoreis originem duxisse; *Pythagoreum*, quod Or. (nuper etiam Tregd. et Moser in censura d.) ex paucis deterioribus codd. edidit, ad Pythagoreorum sententiam compositum esse. Plane contrarium perperam *Klotzius* statuit. De re *Menkius* in Observv. ined. laudat *Aug. Krausii* Gesch. d. Röm. Litt. T. I. p. 115.

peperisse] R. P. et Pal. III. habent *perperisse*, unde Davisius coni. *reppe-risse*: quod recepit Tregd. Gud. 2. legit *percepisse*. At vulgata firmissime stat et multis locis, in quibus verbum *pariendi* eadem vi usurpatur, defenditur a *Wopkens*. Lectt. Tull. I, 16. p. 121. H., ut Fin. III, 1: nobis — etiam verba parienda sunt. Or. 32: spinosiora multa pepererunt. ad Fam. IV, 13: illa etiam, quae ipse ingenio studioque peperisti. N. D. II, 29. Legg. II, 14.

§. 5. *qui autem oratores*] Particula *autem* inservit orationis gradationi indicandae, ut idem fere valeat, quod *imprimis*, *demum*. Sic infra V. 20, 57: qua pulchritudine urbem, quibus *autem* opibus praeditam servitute oppressam tenuit civitatem! Cf. IV. 36, 77: quis *autem* malitia te (superavit)? Cf. *Handium* in Tursell. Vol. I. p. 568. et *Goerenz*. ad Legg. I. 17, 47. p. 75.

facile ut appareat] V. ad I. 8, 16. De *simul ut*, quod pro *simulatque* apud Tullium non saepe, uti dicit *Goerenz*. ad Acad. II. 16, extr., sed paucis tantum locis legitur, v. *Madvigium* ad Fin. II. 11, 33. p. 203. et in Add. p. 869.

Cap. III. *vetus id quidem —, sed tamen*] V. Adnot. in I. 3, 6.

Laelii] V. nos in libro d. p. 20.

video] V. ad c. 23, 50.

missos esse legatos] Vide, si placet, de hac legatione, quae exposuimus in libro d. p. 9 sqq. Ceterum h. l. tertium legatum, Critolaum Peripateticum, praetermisit Cicero.

Cyrenaeus] Carneades. — *Babylonius* Diogenes Stoicus.

scholis excitati] Exquisitius dictum pro: e scholis, in quibus vitam umbra-

quibusdam principibus temporibus illis fuissent studia doctrinae. Qui quum cetera litteris mandarent, alii ius civile, alii orationes suas, alii monumenta maiorum: hanc amplissimam omnium artium, bene vivendi disciplinam, vita magis, quam litteris persecuti sunt. 6. Itaque illius verae elegantisque philosophiae, quae ducta a Socrate in Peripateticis adhuc permansit et idem alio modo dicentibus Stoicis, quum Academici eorum controversias disceptarent, nulla fere sunt aut[2] pauca admodum Latina monumenta, sive propter magnitudinem rerum occupationemque hominum, sive etiam, quod imperitis ea probari posse non arbitrabantur: quum interim, illis silentibus, C. Amafinius[3] exstitit dicens, cuius libris editis commota multitudo contulit

2 Optimi codd. R. P. Gud. 1. II. cum aliis *ac:* qui error ex compendio scripturae facile oriri potuit. 3 Sic R. P. Vat. Gr. (ap. Brut.) Gud. 1. (nisi quod hic habet *Amifin.*) multique alii; neque aliter cod. Mediceus ad Famm. 15, 19.; Or. c. aliis codd. et plerisque edd. vett. *Amafanius.* Eadem scripturae varietas §. 7.

tilem agebant, protracti. Ceterum argumentum, quo Cicero probare conatur, iam tum studia doctrinae viguisse inter Romanos, et longissime arcessitum est et vero vanissimum.

temporibus illis] H. e. pro temporum illorum ratione, aut: *ut* temporibus illis (de quo voculae *ut* usu ad I. 8, 15. diximus). de Orat. II. 23, 98: vel eloquentissimo *temporibus illis.* V. *Ellendt.* ad Brut. VII, 28. p. 26.

vita magis quam litteris] Ad illustrandum hunc locum facit de Fin. III. 3, 11. V., si tanti est, nos in l. d. p. 9.

§. 6. *elegantis*] V. ad I. 23, 55.

idem alio modo] Hoc Zenonis, Stoicae disciplinae auctoris, novandi studium quum aliis locis, tum in principio libri IV. de Fin. vehementer exagitavit et carpsit Cicero.

Academici] Non veteres Academici intelligendi sunt, qui Platonis magistri doctrinam germanam ut plurimum expresserunt nec nisi in nonnullis locis ab illo desciverunt, sed novae Academiae asseclae, qui, quum nulli certae addicti essent disciplinae, aliarum scholarum controversias, rationum momentis excussis et inter se comparatis, disceptare et diiudicare poterant. Cf. nos in l. d. p. 145 sq. et Prolegom. p. 3.

C. Amafinius] V. nos in l. d. p. 22. et Adnot. in I. 3, 6.

exstitit dicens] Perperam Lambinus aliique delendum censuerunt *dicens;* nam opponitur antecedenti *silentibus;* neque offendere potest participium *dicens* adiunctum verbo *exstitit;* hoc enim est *exortus est* (*prodiit*) et *dicebat.* V. *Moserum* ad Divin. I. 25, 52: *Est* (i. e. inducitur) apud Platonem Socrates — dicens Critoni etc.

ad eandem potissimum disciplinam] quam sectabatur Amafinius, sc. Epicuream. De re ipsa v. nos in l. d. p. 21.

invitabantur] Sic primus edidit Wolfius, neque aliter legitur in Vind. 1., ita ut numerus pluralis per figuram, quae a grammaticis constructio κατὰ σύνεσιν appellatur, referretur ad nomen collectivum *multitudo.* Orellius conferre iubet Fin. I. 7, 25: *multitudinem* — quod ita *putant.* Vulgo legitur *invitabatur,* quod mirabiliter *Klotzius* in Lectt. Tull. I. p. 131. ita intelligit, ut non ad multitudinem referendum sit, sed ipsum in se orationis subiectum contineat (*weil man eingeladen wurde*); nunc autem in Add. p. 154. *invitabantur* recipiendum censet. Cf. *Madvigium* ad Fin. l. d. p. 36 sq. et nos in Gr. L. §. 103, 2. Ernestius auctore Bouhierio perperam correxit *invitabat.*

illecebris blandis voluptatis] Hanc optimorum codicum R. P. (ap. Wes.) Gud. 1. II. aliorumque itemque plurimarum edd. vett. scripturam auctore *Wesenbergio* Em. III. p. 1 sq. revocavi pro *blandae*, quod, plurimorum quidem, sed deteriorum codd. auctoritate fultum, edidit Or. Per se quidem eleganter *blanda voluptas* dicitur, uti apud Lucret. II, 966. IV, 12. 59., h. e. voluptas sensibus blandiens eoque homines ad se illiciens. Apposite *Wes.* l. d. comparat Finn. I. 10, 33: *blanditiis praesentium voluptatum deleniti atque corrupti* (= illecti). Off. II. 10, 37: *voluptates, blandissimae dominae.* Neque negari potest, Ciceronem ita lima-

se ad eandem potissimum disciplinam, sive quod erat cognitu perfacilis, sive quod invitabantur[4] illecebris blandis[4] voluptatis, sive etiam, quia nihil erat prolatum[5] melius, illud, quod erat, tenebant. 7. Post Amafinium[3] autem multi eiusdem aemuli rationis multa quum scripsissent, Italiam totam occupaverunt: quodque maximum argumentum est, non dici illa subtiliter, quod * et tam *[6] facile ediscantur, et ab indoctis probentur, id illi firmamentum esse disciplinae putant.

IV. Sed defendat quod quisque sentit; sunt enim iudicia libera; nos institutum tenebimus, nullisque[1] unius disciplinae legibus adstricti, quibus in philosophia necessario pareamus, quid sit in quaque re maxime probabile, semper requiremus. Quod quum saepe alias[2],

4 v. Adn. 5 Sic R. P. Gud. 1. II. Aug. Marb. aliique et ed. D.; Or. c. vulg. *prolatum erat.* 6 v. Adn. IV. 1 v. Adn. 2 Duisb. *alias saepe;* at v. *Hand.* Tursell. I. p. 223.

tius scripturum fuisse; nam in verbis *illecebris blandis voluptatis* inest pleonasmus quidam, ut in loco a *Wes.* allato ad Fam. XV. 16, 3: delenitus illecebris voluptatis. At vero non solum apud poetas, sed etiam apud solutae orationis scriptores atque ipsum Ciceronem reperiuntur loci, ubi adiectivum a substantivo regente ad id, quod regitur, aut contra translatum sit. *Wesenb.* comparat N. D. II §. 69: spe *dubiae* salutis (pro spe dubia s., uti ad Att. VIII. 13, 1). Ibid. §. 98: fontium *gelidas* perennitates — speluncarum *concavas* altitudines. Nep. Dion. 1, 1: *utraque* tyrannide Dionysiorum. 2: *generosum* maiorum famam. 4: *crudelissimum* nomen tyranni. Liv. 1, 9: *violati* hospitii foedus, alia. In eiusmodi locis substantivum regens cum genitivo attributivo in unum quasi nomen coaluit, ut adiectivum, quod accedit, modo ad illud modo ad hunc se accommodare possit. Apud Graecos poetas haec structura longe est frequentissima. V. nos in ampliore Gr. Gr. T. II. §. 473. Not. et §. 477, 3. Quae quum ita sint, optimorum codicum auctoritatem sequendam duxi.

§. 7. *et tam facile*] Recepi nunc (in ed. 4.) hanc *Davisii* emendationem, quam etiam *Wesenberg.* Em. III. p. 2. rectissimam dixit: ad *tam facile edisc.* supple: quam facile illa edisci satis constat, i. e. perfacile, uti §. 6: quod erat cognitu *perfacilis.* R. P. Gud. 1. II. quinque Oxx. aliique et edd. vett. pleraeque habent *etiam* pro *et tam.* Or. coni. *et iam* interpretans: ex quo semel ab Amaf. prolata sunt: quod mihi non probatur; pauci deteriores codd. dant *et* pro *etiam.* Kl. in Add. p. 154. *etiam* ex permutatione vocabuli *et* et compendii *et̄* (i. e. *etiam*) ortum putat.

Cap. IV. *defendat quod quisque sentit*] Haec est legitima collocatio verbi *quisque* aut *quis* pro: defendat quisque, quod sentit. V. nos in Gr. L. §. 124, 7. a). Cf. *Madvig.* ad Fin. III, 20. p. 464. *Seyffert.* ad Lael. 9, 29. p. 200. Supra I. 4, 7: ponere iubebam, de quo *quis* audire vellet pro: ponere quem iub., de quo audire vellet. Cf. *Wopkens.* Lectt. Tull. I, 16. p. 121: qui etiam hos Graecos locos attulit: Dion. Hal. Antiq. I, 48: κρινέτω δ' ὡς ἕκαστος τῶν ἀκουόντων βούλεται. Ioseph. Ant. II. 76, 5: περὶ μὲν οὖν τούτων ὡς ἑκάστῳ δοκεῖ διαλαμβανέτω.

nullisque unius] Hanc omnium fere codd. optimorumque, ut R. P. Gud. 1., scripturam auctore *Nissenio* cum *Klotzio* et *Tregdero* revocavi pro Bentleii correctione *nulliusque unius:* quam paucorum deteriorum codd. auctoritate firmatam recepit *Orellius.* Non enim Cicero significare voluit, se nullius omnino disciplinae, sed *non unius,* h. e. certae cuiusdam disciplinae legibus adstrictum esse. Cf. V. 29, 82: quoniam te *nulla* vincula impediunt *ullius* certae disciplinae. *Nullis legibus adstrictus sum* gravius dictum est pro: legibus adstrictus *non* sum. Contra *nullus unus* est *nullus omnino,* ut *nemo unus, nihil unum,* similiter *quivis unus, quicunque unus, quis unus, aliquis unus,* de quibus v. *Goerenz.* ad Fin. V. 7, 19. p. 552. *Beier.* ad Off. II. 12, 41. p. 81. *Ellendt.* ad Brut. §. 320. p. 231. Quodsi igitur legitur *nullius unius d. l. adstr.,* haec exit sententia: Cice-

tum nuper in Tusculano studiose egimus. Itaque expositis tridui disputationibus, quartus dies hoc libro concluditur[3]. Ut enim in inferiorem ambulationem descendimus, quod feceramus idem superioribus diebus, acta res est sic[4]. 8. *M.* Dicat, si quis vult, qua de re disputari velit. *A.* Non mihi videtur omni animi perturbatione posse sapiens vacare. *M.* Aegritudine quidem hesterna disputatione videbatur, nisi forte temporis caussa nobis[5] assentiebare. *A.* Minime vero; nam mihi egregie probata est oratio tua. *M.* Non igitur existimas cadere in sapientem aegritudinem? *A.* Prorsus non arbitror. *M.* Atqui, si ista perturbare animum sapientis non potest, nulla poterit. Quid enim? metusne conturbet? at earum rerum est absentium metus, quarum praesentium est aegritudo. Sublata igitur aegritudine, sublatus[6] est metus. Restant duae perturbationes, laetitia gestiens et libido, quae si non cadent in sapientem, semper mens erit tranquilla sapientis. 9. *A.* Sic prorsus intelligo. *M.* Utrum igitur mavis? statimne nos vela facere, an quasi e portu egredientes paullulum remigare? *A.* Quidnam est istuc? non enim intelligo.

3 Ern. c. ed. vet. Bouh. *concludetur*, nulla cogente necessitate. 4 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. et reliquis plerisque codd.; alii *sic acta res est.* 5 Sic b. (a sec. m.) unus Ox. Vind. 1. Mon. 2. (hic addito *non*) aliique et multae edd. vett.; eodem ducit Gr., qui habet *novis; novi* R. P. Gud. 1. II. b. (a pr. m.) Aug. Mon. 1. quatt. Oxx. Marb. et ed. vet. P.; *non vi* Vat.: unde Bentl. coni. *non re;* alii codd. om. *nobis.* Codicum turbas ex eo ortas putat Kl., quod *nobis* per compend. *nob̃* scriptum fuisse videatur. 6 Sic Gud. 1. II. b. Marb. Duisb. sept. Oxx. Vind 2.; R. P. aliique codd. *et sublatus:* unde D. acute *etiam subl.;* voc. *etiam* ex compend. *et̄* facile oriri potuit; quanquam illud *et* ex ultima syllaba praecedentis vocabuli nasci potuit; exempla, in quibus *et* ex *e* natum est, collegit *Wes.* I. p. 31.; cf. nos ad V. 31, 87.; at *et sublatus* adversatur Ciceronis loquendi consuetudini. V. *Wopkens.* Lectt. Tull. p. 122. H.

ronem ab *omnium omnino disciplinarum* legibus abhorrere. — De philosophandi ratione, quam secutus est Cicero, disputavimus in libro d. *de Cic. in phil. mer.* p. 66—74. et 79—81.

in inferiorem ambulationem] de Divinat. I. 5, 8: „Quibus de rebus, — quum essem cum Q. fratre in Tusculano, disputatum est. Nam quum ambulandi caussa in Lyceum venissemus; (id enim superiori Gymnasio nomen est).“ Itaque *superior ambulatio* dicebatur *Lyceum*, ubi ambulare solebant; *inferior ambulatio* erat *Academia*, locus in eodem Ciceronis Tusculano, ubi disputationes de philosophia instituebantur. Cf. II. 3, 9. *Ambulatio* h. l. significat ambulacrum s. locum, ubi ambulatur. Cf. de Orat. I. 7, 28. princ.

§. 8. *temporis caussa*] *Neidius* explicat: temporibus inserviens, motus auctoritate mea, ne dubitationibus tuis taedium mihi exhiberes; *Kernius:* nach Zeit u. Umständen dich richtend; elegantissime *Seyffertus* ad Lael. 8, 26. p. 181: im Drange des Augenblicks, = tempori cedens, qui apte comp. Fam. IV, 9: tempori cedere id est necessitati parere. Cf. Lael. l. d.: qui simulatione amicitiae coluntur et observantur *temporis caussa*, der besonderen Lage, besonderer Umstände wegen (durch Rücksicht auf unser Bedürfniss). Acad. II. 35, 113: nec dico *temporis caussa*, sed ita plane probo. Contra *Klotzium* demonstravit *Seyff.*, nunquam hanc locutionem notare *auf den Augenblick:* pro *temporis caussa* (nach den Umständen) dici etiam *pro tempore* (Caes. B. G. 5, 8.), *ex tempore* (Off. II. 9, 33: expedire rem et consilium *ex tempore* [i. e. ad tempus accommodatum] capere posse); denique *ad tempus* (Fam. X. 9, 3: *ad tempus* consilium capiam, i. e. ad tempus con-

V. *M.* Quia Chrysippus et Stoici, quum de animi perturbationibus disputant, magnam partem in iis partiendis et definiendis occupati sunt; illa eorum perexigua oratio est, qua medeantur animis nec eos turbulentos esse patiantur; Peripatetici autem ad placandos animos multa afferunt, spinas partiendi et definiendi praetermittunt; quaerebam igitur, utrum panderem vela orationis statim, an eam ante paullulum dialecticorum remis propellerem. *A.* Isto modo vero. Erit enim hoc totum, quod quaero, ex utroque perfectius. 10. *M.* Est id quidem rectius; sed post requires, si quid fuerit obscurius. *A.* Faciam equidem; tu tamen, ut soles, dices ista ipsa obscura planius, quam dicuntur a Graecis. *M.* Enitar equidem; sed intento opus est animo, ne omnia dilabantur, si unum aliquid[1] effugerit. Quoniam quae Graeci πάθη vocant, nobis perturbationes appellari magis placet, quam morbos, in his explicandis veterem illam equidem Pythagorae primum, dein[2] Platonis descriptionem sequar, qui animum in duas partes dividunt: alteram rationis participem faciunt, alteram expertem; in participe rationis ponunt tranquillitatem, id est placidam

V. 1 Sic R. P. Gud. 1. II. Aug. unus Ox. et nonnullae edd. vett.: *aliquod* Or. c. vulg. 2 Sic R. P. Gud. I. II.; *dehinc* unus Ox.: *deinde* Or. c. vulg. De v. *dein* laudat *Moser* Goer. ad Finn. IV. 18, 50. p. 484. Hand. Tursell. II. p. 239.

silium accommodabo): quod tamen significare potest etiam *in aliquod tempus* (eine Zeit lang, für den Augenblick), ut Lael. 15, 53: coluntur tamen simulatione duntaxat *ad tempus*.

§. 9. *Utrum — ? statimne —, an*] V. ad IV. 27, 59.

vela facere] *Ernestius* in Clav. Ciceron. v. *remigare* sic explicat: Utrum malis statim copiose et late disputari, an ante adhuc aliquamdiu subtiliter rem persequi, quemadmodum qui portum egrediuntur non statim vela dant, sed lentius progrediuntur; id autem fit remigando. Cf. c. 5. princ.

Cap. V. *Chrysippus et Stoici*] Chrysippus, unus Stoicorum excellentissimus, nominatim appellatur, ceteri generali nomine significantur. Hunc dicendi morem pluribus exemplis illustravit *Davisius*, qui conferre iubet *I. F. Gronovium* ad Liv. III, 25. Sic Homer. Il. τ, 63: Ἕκτορι μὲν καὶ Τρωσὶ τὸ κέρδιον. Aesch. Choëph. 145: ξὺν θεοῖσι καὶ Γῇ καὶ Δίκῃ. Tullius de Divin. I, 53: Fore, ut armis *Darius et Persae ab Alexandro et Macedonibus* vincerentur. Petron. Sat. c. 2: Pindarus novemque lyrici Homericis versibus canere timuerunt. Cf. *Popponem* ad Thuc. I, 116. Vol. III, 1. p. 563.

dialecticorum remis] H. e. an orationem exordirer more dialecticorum a subtiliore disputatione, quae lentius progreditur.

Isto modo vero] H. e. *profecto* isto modo, sc. ut orationem incipias a spinis partiendi et definiendi; deinde copiosiore oratione uterer; *ex utroque* i. e. e Stoicorum et Peripateticorum ratione. De vocula *vero* v. Adnot. I. 11, 24.

§. 10. *dilabantur*] Cato apud Ciceron. de Fin. III. 22, 74. disciplinam Stoicam sic praedicans inducitur. Admirabilis compositio disciplinae, incredibilisque rerum traxit ordo. — Quid non sic aliud ex alio nectitur, ut non, si ullam litteram moveris, *labent* omnia? nec tamen quicquam est, quod moveri possit.

Pythagorae — Platonis descriptionem] Diog. L. 8, 30. de Pythag. haec tradit: τὴν ἀνθρώπου ψυχὴν διαιρεῖσθαι τριχῇ, εἴς τε νοῦν καὶ φρένας καὶ θυμόν· νοῦν μὲν οὖν καὶ θυμὸν εἶναι καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ζώοις, φρένας δὲ μόνον ἐν ἀνθρώπῳ. De Platone v. ad I. 10, 20. et II. 21, 47. Stoici contra perturbationes collocabant in eadem sede, cui rationem adsignabant. Plutarch.

quietamque constantiam; in illa altera motus turbidos tum[3] irae, tum cupiditatis, contrarios inimicosque rationi. 11. Sit igitur hic fons; utamur tamen in his perturbationibus describendis Stoicorum definitionibus et partitionibus, qui mihi videntur in hac quaestione versari acutissime.

VI. Est igitur Zenonis haec definitio, ut *perturbatio* sit, quod πάθος ille dicit, aversa a recta ratione, contra[1] naturam, animi commotio. Quidam brevius, perturbationem esse appetitum vehementiorem; sed vehementiorem eum volunt esse, qui longius discesserit a naturae constantia. Partes autem perturbationum volunt ex duobus opinatis bonis nasci et ex duobus opinatis malis; ita esse quattuor: ex bonis *libidinem* et *laetitiam*, ut sit laetitia praesentium bonorum, libido futurorum; ex malis *metum* et *aegritudinem* nasci

3 v. Adn. VI. 1 v. Adn.

Placit. IV. c. 21. Stoici dicunt εἶναι τῆς ψυχῆς ἀνώτατον μέρος, τὸ ἡγεμονικόν, τὸ ποιοῦν τὰς φαντασίας καὶ τὰς συγκαταθέσεις καὶ ὁρμάς· καὶ τοῦτο λογισμὸν καλοῦσιν. Plura affert *Davisius*. Cicero igitur Pythagoram et Platonem (v. *Stallbaumium* ad Plat. Phaedr. p. 246. A.) in eo sequitur, quod animum in duas partes dividendum censet, alteram rationis participem, alteram expertem, in qua exsistant perturbationes; in reliqua vero disputatione redit ad Stoicorum disciplinam. — De seq. relat. *qui* v. Adn. in III. 24, 57: *qui laudat senem.*

tum irae] Unus D. et unus Ox. habent *cum irae:* quod si plurium librorum auctoritate confirmatum esset, recipiendum censerem ob ea, quae ad V. 25, 72. exposui; sed defendi potest *tum* ita, ut haec sit sententia: in altera motus turbidos, qui *modo* ira, *modo* cupiditate concitantur. Etiam *Wes.* Em. I. p. 23. requirit *quum.*

Cap. VI. §. 11. *Zenonis definitio*] Diog. Laert. 7, 110: Ἔστι δὲ αὐτὸ τὸ πάθος κατὰ Ζήνωνα ἡ ἄλογος καὶ παρὰ φύσιν ψυχῆς κίνησις ἢ ὁρμὴ πλεονάζουσα Hic locus confirmare videtur coniecturam Salmasii, qui ad Simplicium p. 55. legit *et contra naturam;* sed haec verba ita accipienda sunt, ut verborum *aversa a recta ratione* explicationem contineant; neque aliter infra c. 21, 47. legitur. Post verba *haec definitio* recte sequitur *ut*, non accusativus c. inf., quia haec constructio usurpatur, quum aliquid esse aut factum esse pronuntiatur, coniunctio autem *ut* ponitur, quum quis indicare vult, rem aliquam certo quodam modo cogitandam esse. Cf. §. 14. Hinc dicitur *sic* vel *ita definire, ut.* Cf. infra c. 21, 47. c. 9, 20: *hoc modo describunt, ut.* c. 11, 27. Offensionum *definitiones sunt eiusmodi, ut.* V. Adn. in III. 3, 5. Aliis locis solum accusativum Cicero ponit, ut infra 8, 18: ea *sic definiunt: pigritiam, metum consequentis laboris* cett. Vel etiam *dicunt* c. inf. sequitur, uti infra c. 8. princ.: Haec definiunt hoc modo. *Invidentiam esse dicunt aegritudinem* cett. V. *Ochsner.* l. d. p. 79.

Partes] V. Adnotata in III. 11, 24.

opinatis] V. ad III. 14, 30.

futuris — praesentibus] De omisso *ex* v. ad III. 15, 33.

eadem afficiunt aegritudine instantia] Arrian. Epict. III. c. 26, p. 360: ὧν γὰρ προσδοκωμένων φόβος γίνεται καὶ λύπη παρόντων. *Davisius. Instantia* respondet Graeco ἐνεστώς. Cf. 30, 64. *Moser* comp. de Or. II. 25, 105: in deliberationibus plerumque ex futuri, raro etiam ex *instantis* aut facti. A. ad Herenn. II, 5: id dividitur in tempora tria: praeteritum, *instans*, consequens. Quintil. V, 10: praeteritum, *instans*, futurum.

§. 12. *ut adepta*] Particula *ut* participio addita caussam, quam significat participium, magis effert. V. *I. H. C. Eggersium* in Quaestionn. Tull. Alton. 1842, p. 13., qui laudat *Schmidium* ad Hor. ep. I. 7, 41: ut neque planis Porrectus spatiis nec multae prodigus herbae.

simul obiecta] pro: *Simul atque* obi. V. *Ramsh.* L. Gr. §. 188. Not. 2. *Kühner.* §. 150, 1. *Otton.* ad Fin. III. 6, 21.

βούλησιν] Hanc igitur opponebant Stoici *libidini*, quam appellabant ἐπιθυ-

censent, metum futuris, aegritudinem praesentibus. Quae enim venientia metuuntur, eadem afficiunt aegritudine[2] instantia. 12. *Laetitia* autem et *libido* in bonorum opinione versantur, quum libido ad id, quod videtur bonum, illecta[3] et inflammata rapiatur, laetitia, ut adepta iam aliquid concupitum, ecferatur[4] et gestiat. Natura enim omnes ea, quae bona videntur, sequuntur fugiuntque contraria. Quamobrem simul obiecta species est cuiuspiam[5], quod bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura. Id quum constanter prudenterque fit, eiusmodi appetitionem Stoici *βούλησιν* appellant, nos appellamus[6] *voluntatem*. Eam illi putant in solo esse sapiente; quam sic definiunt: voluntas est, quae quid cum ratione desiderat. Quae autem, ratione adversa[6], incitata est vehementius, ea libido est vel cupiditas effrenata, quae in omnibus stultis invenitur.

2 Sic Or. c. Vat. Gud. 1. aliisque, eodem ducunt R., in quo est *afficiunt aegritudinē*, et P. Fabr. duo Pall., in quibus est *afficiunt aegritudinem;* multi codd. deteriores et pleraeque edd. vett. *efficiunt aegritudinem:* quod a Kl. receptum est, nunc ab eodem in Add. p. 156. iure reiicitur; idem bene monet, hanc alteram scr. ex eo natam videri, quod librarii ad v. *afficiunt* accusativum obiecti requisivissent. 3 Sic Or. c. Mon. 1. 2. Vind. 1. (in marg.) compluribus Oxx. aliisque et edd. vett. omnibus ante Gebh.; *iniecta* Vat. R. P. Gud. 1. II. tres Pall. Fabr.: quam scr. Or. e vetere scr. *inlecta* ortam verissime iudicavit. Ern. *iniecta* defendi posse putat ex N. D. I. 20. in quam se animus *iniiciens* atque intendens; sed *iniicere se in aliquid* recte dr., non *ad aliquid.* 4 Sic R. Gud. 1. et ed. D.; eodem ducunt scr. P. *hecferatur*, Gud. II. *et feratur*, un. Ox. *eo efferatur;* Or. c. vulg. *effer.* V. ad I. 19, 43. II. 8, 20. III. 7, 14. 5 Sic R. P. Gud. 1. Rehd. Marb. Vind. 1.; *cuiusp. est* Or. c. vulg. 6 v. Adn.

μίαν. Diog. Laert. 7, 116: Τῇ δὲ ἐπιθυμίᾳ ἐναντίαν φασὶν εἶναι τὴν βούλησιν, οὖσαν εὔλογον. Pro seq. *appellamus* coniunctivum *appellemus* legendum suspicatur *Wesenbergius* Em. I. p. 18., quia indicativus falsam illam habeat sententiam, id constantiae genus, quod Stoica quadam terminologia βούλησις appellaretur, a *Latinis* vulgo appellari *voluntatem* esse solitum, comp. II. 13, 30. III. 5, 11.; Ciceronem autem hoc dixisse, licere Latino vocabulo, quod vulgari dicendi consuetudine latius pateret, sic quoque uti, utque sic uterentur, hortatum esse: quam in sententiam scribendum esse *appellemus*, ut III. 4, 7. extr. *dixerimus.* Fin. III. §. 20. (ubi vulgo omnes ex Th. Bentleii coni. *appellemus*, archetyp. *appellamus*) c. Madv. adn., 21. 24. 33. 45. 52. IV. §. 74. Acad. II. §. 17. N. D. I. §. 109. all.; similiter infra IV. 6, 13: *appelletur*, *nominetur*, 12, 28: *dicatur*, *nominetur*, *habeat* nomen. Quod IV. 6, 13. legitur: tum illud gaudium dicitur, id breviter dictum esse pro: (*a Stoicis*) χαρά, *id est gaudium, dicitur;* supra autem III. 33, 79. recte dici: *statu* (*sic enim appellamus controversiarum genera*), ut de usitato iam rhetorico vocabulo *status.* Indicativo modo certe dicendum fuisse *ego appello* (comp. Fin. III. §. 20. 45. 55. 69. Acad. II. §. 54.) aut *nos appellemus licet*, ut Fin. IV. §. 17. Acad. I. §. 40., aut *nos appellare possumus*, ut Acad. I. §. 30. (comp. Tusc. III. 4, 7. IV. 6, 13: *dici potest.*) Denique multa idem *Wes.* collegit exempla, in quibus eiusmodi terminationes, ut *at* et *et*, *ant* et *ent*, *antur* et *entur*, *amus* et *emus*, in codd. confusae sunt. Haec omnia tam eleganter ac subtiliter sunt disputata, ut, si ulla accederet codicum auctoritas, ego dubitaturus non fuerim hanc coniecturam in verborum ordinem recipere.

ratione adversa Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. 2. Aug. Vind. 2. Marb. Rehd. Mon. 1. sex Oxx. et nonnullis edd. vett.; *adversa ratione* plurimae edd. vett.; Bouh. coni. *rationi adversa;* L. *aversa a ratione:* Or. coni. *a ratione aversa:* quod recepit Tr. et probavit Wes. Em. III. p. 28.; cf. §§. 11. 13. 22. 34. 47. 61. *Wes.* opinatur, Ciceronem non *adversa*

13. Itemque quum ita movemur, ut in bono simus aliquo, dupliciter id contingit. Nam quum ratione animus movetur placide atque constanter, tum illud *gaudium* dicitur; quum autem inaniter et effuse animus exsultat, tum illa *laetitia gestiens* vel *nimia* dici potest, quam ita definiunt: sine ratione animi elationem. Quoniamque ut bona natura appetimus, sic a malis natura declinamus, quae declinatio, si[6] cum ratione fiet, *cautio* appelletur, eaque intelligatur in solo esse sapiente; quae autem sine ratione et cum exanimatione humili atque fracta, nominetur metus; est igitur *metus* a ratione aversa[7] cautio. 14. Praesentis autem mali sapientis[8] affectio nulla est; stulta[9] autem aegritudo est, ea, qua afficiuntur in malis opinatis animosque demittunt et contrahunt rationi non obtemperantes. Itaque

7 Sic Or. c. cod. Gr. et L. e libris vett., cf. c. 6, 11. c. 21, 47.; R. P. Gud. 1. II. tres Pall. Med. Bak. Vind. 1. Mon. 2. unus Ox. *ratione aversa* (omisso *a*): quod recepit D.; alii codd. et edd. vett. *ratione adversa*, ut §. 13.; cod. Col. aliquot Oxx. et nonnull. edd. vett. *rationi adversa*, ut §. 13.; cod. Col. aliquot Oxx. et nonnull. edd. vett. *rationi adversa*. 8 Bentl. coni. *sapienti*. At v. ad II. 15, 35. 9 v. Adn.

scripturum fuisse, sed *adversante*, ut §. 14., aut *invita*, ut §. 78., aut *repugnante*, ut §. 79. At quum C. supra III. 16, 34. *adversis casibus* dixerit, neque omnino quicquam in v. *adversa* insit, quod latinitati repugnet; plurimorum optimorumque codd. scripturam cur mutemus, nulla est idonea caussa.

§. 13. *ita movemur*] H. e. afficimur. „*Moveri* geht oft auf Seelenbeschaffenheit, Seelenstimmung; daher sagt man auch von einem witzigen Kopf *acute movetur* (C. Famm. XV. 21, 5.)." *Wolf.*

gaudium] quam appellabant χαράν; eam opponebant *laetitiae*, quam appellabant ἡδονήν. Laert. 7, 114: ἡδονή ἐστιν ἄλογος ἔπαρσις ἐφ' αἱρετῷ δοκοῦντι ὑπάρχειν. §. 116: τὴν μὲν χαρὰν ἐναντίαν φασὶν εἶναι τῇ ἡδονῇ, οὖσαν εὔλογον ἔπαρσιν. Hinc saepe *gaudium* et *laetitia* iunguntur, ut Sall. Cat. 48, 1: ubi v. *Kritz.* p. 218. V. *Doederlinii* Synonym. Vol. III. p. 242 sq. De verbis *gestiens* (*sich gebärdend*) et *sine ratione animi elatio* (*vernunftlose Erhebung des Gemüths*) cf. supra III. 10, 23: laetitia, quae est voluptas animi *elata* (ausgelassen) et *gestiens*. 11, 24: voluptas *gestiens*, id est praeter modum *elata* laetitia opinione praesentis magni alicuius boni. Fin. III. 10, 35: ego malo laetitiam appellare (sc. ἡδονήν) quasi *gestientis* animi *elationem* voluptariam.

ita definiunt] Cf. Fin. II. 4, 13: qui eam (voluptatem) *sic definiunt*, *sublationem* animi sine ratione. V. ad III. 18, 41.

declinatio, si cum ratione fiet] Sic vulgo legitur. Bentleius in hac vulgata scr. soloecismum et anacoluthon latere putat, primum quia praegressis verbis: *quae declinatio, si cum ratione fiet*, exspectetur: *sin autem sine ratione*, tum quia protasi non respondeat apodosis. Quare grammaticam constructionem ad sanitatem restituturus delendam censet voculam *si*, quam omnium codicum et edd. vett. auctoritas tuetur. Et in hanc sententiam discesserunt Davisius, Lallem., Ernestius, Wolfius, nuper Tregder. Ego vero locum sanissimum esse arbitror, nec quicquam loco movendum. Neque vero perspicio, Bentleii correctione verborum ordinem ad grammaticae rationis normam esse revocatum. Nam apodosis, quam sibi visus est restituisse, nulla est; certe apud Ciceronem, quantum sciam, nusquam legitur propositio hoc modo conformata: *Quoniam — declinamus: quae declinatio cum ratione fiet, cautio appelletur*, pro *ea declinatio, quae cum ratione fiet*. Verborum quidem ordinem, retenta vulgata, non recte procedere, equidem non nego; at huius rei culpa transferenda non est ad librarios, sed ad ipsum Ciceronem, qui, uti iam saepius monuimus, in his ipsis libris saepissime vulgaris sermonis negligentiam sectatus est. Scilicet sine dubio statuendum est h. l. anantapodoton, ea figura, quam iam supra ad III. 17, 36. vidimus, qua apodosis cum parenthesi coaluit.

cautio] εὐλάβεια. Diog. Laert. 7, 116: τὴν δὲ εὐλάβειαν (ἐναντίαν φασὶν

haec prima definitio est, ut aegritudo sit animi adversante ratione contractio. Sic quattuor *perturbationes* sunt, tres *constantiae*, quoniam aegritudini nulla constantia opponitur.

VII. Sed omnes perturbationes iudicio censent fieri et opinione. Itaque eas definiunt pressius, ut intelligatur, non modo quam vitiosae, sed etiam quam in nostra sint potestate. Est ergo[1] *aegritudo* opinio recens mali praesentis, in quo demitti contrahique animo rectum esse videatur; *laetitia* opinio recens boni praesentis, in quo efferri[2] rectum esse videatur; *metus* opinio impendentis mali, quod intolerabile esse videatur; *libido* opinio venturi boni, quod sit ex usu iam praesens esse atque adesse. 15. Sed quae iudicia quasque

VII. 1 Sic R. P. Gud. 1. 2. Marb. Mon. 1. 2. Rehd. Vind. 2.; *igitur* Or. c. vulg. V. Adn. 2 Sic D. et cod. Gud. 1., eodem ducit *et ferri* in Gud. II.; Or. c. vulg. *efferri*. V. ad 6, 12. V. Scr.

εἶναι τῷ φόβῳ, οὖσαν εὔλογον ἔκκλισιν· φοβηθήσεσθαι μὲν γὰρ τὸν σοφὸν οὐδαμῶς, εὐλαβηθήσεσθαι δέ.

§. 14. *stulta*] Sic R. P. Vat. Gud. II. unus Leid. omnes Pall. et Oxx. Rehd.; Orellius c. edd. vett. et reliquis codd. edidit *stulti* (etiam Wesenbergio III. p. 12. probatum), ut transitus a singulari (*stulti*) ad pluralem *afficiuntur* statuendus sit. Non male; v. ad c. 31, 65: *perturbationem — omnes eas* esse in nostra potestate. Sed ex tota oratione ad v. *afficiuntur* subiectum facile cogitatione suppleri potest. Quod autem Orellius ait, oppositionem *sapientis* necessario requirere *stulti*, id verum non esse recte monet *Moser*: eadem enim, quanquam paullo liberior est, oppositio latet in v. *stulta*. Bentl. coni. *stultis autem* vel *stultorum autem* ob seq. plur. *afficiuntur*. Quod autem ad iterationem voculae *autem* attinet, multos consimiles locos comparavit *Wopkens*. l. d. p. 53., ut infra c. 16. V. 15. 18. N. D. II, 23.

ea, qua] H. e. eam dico, qua. V. ad 1, 2.

constantiae] quas Stoici appellabant εὐπαθείας. Diog. Laert. VII. 115. Cf. Augustin. C. D. XIV. 8.

Cap. VII. *omnes perturb. iudicio censent fieri et opinione*. „In hoc capite plane sequitur Cicero Chrysippum. V. Baguet. de Chrysippo §. 113 sq. p. 285—315." *Moser*.

pressius] accurate, subtiliter. Fin. IV. 10, 24: quae a te dicta sunt, *pressius* agamus. Acad. II. 9, 29: Antiochus ad istum locum *pressius* videbatur accedere. V. *Ruhnkenium* ad Vell. Paterc. II. 129. 2. ap. Kritzium p. 542. Ad sententiam comp. *Ochsner* l. d. Fin. III. 10. Tusc. IV, 38. Acad. I, 10. V. *Schütz*. Lexic. Ciceron. v. *presse*.

vitiosae] E Stoicorum sententia omnis opinio in vitio ponebatur; *in nostra sint potestate*, quia perturbationes voluntarias esse censebant opinionisque iudicio suscipi. Academ. I, 10.

quam in nostra sint potestate] V. supra ad II. 4, 10.

Est ergo] Sic optimi libri pro *igitur*. Vid. V. Scr. „Si quis dixit se velle de aliqua re exponere, ipsam explicationem incipit verbo *ergo* inserto et ita orationem nectit ex voluntate sua. Sic ponitur particula in initio expositionis." *Hand*. in Tursell. II. p. 461 sq., qui praeter alia comp. Acad. I. 5, 18. Quam facile autem *ergo* et *igitur* permutentur in codd. ob similitudinem compendiorum $\overset{1}{g}$ (i. e. *igitur*) et $\overset{o}{g}$ (i. e. *ergo*), docet quem *Moser* laudat *Baring*. in Clav. Diplom. VII. tab. 4. et 6. *Goer*. ad Finn. II. 9, 26. IV. 13, 34. *Beier*. ad Off. I. 37, 134. III. 16, 67. 20, 81.

aegritudo] Andronic. Rhodius p. 523: λύπη δόξα πρόσφατος (recens) κακοῦ παρουσίας, ἐφ' ᾧ οἴονται δεῖν συστέλλεσθαι (contrahi): ἡδονὴ δόξα πρόσφατος ἀγαθοῦ παρουσίας, ἐφ' ᾧ οἴονται δεῖν ἐκτείνεσθαι (efferri). De v. *recens* v. III. 31, 75. De his definitionibus cf. Diog. Laert. VII, 110.

ex usu iam praesens esse atque adesse] *Ex usu esse* est expedire, *praesens esse* referendum est et ad tempus et ad locum, *adesse* ad locum, quasi ad pedes, ante pedes, Graece τὸ παρόν. Offic. I. 4, 11: belua ad id solum, quod adest

opiniones perturbationum esse dixi, non in eis perturbationes solum positas esse dicunt, verum illa etiam, quae efficiuntur perturbationibus, ut aegritudo quasi morsum aliquem doloris efficiat, metus recessum quendam animi et fugam, laetitia profusam hilaritatem, libido effrenatam appetentiam. *Opinationem*[3] autem, quam in omnes definitiones superiores inclusimus, volunt esse imbecillam[4] assensionem. 16. Sed singulis perturbationibus partes eiusdem generis plures subiiciuntur, ut *aegritudini* invidentia, (utendum est enim docendi caussa verbo minus usitato, quoniam invidia non in eo, qui invidet, solum dicitur, sed etiam in eo, cui invidetur;) aemulatio, obtrectatio, misericordia, angor, luctus, maeror, aerumna, dolor, lamentatio, sollicitudo, molestia, afflictatio, desperatio et si quae sunt de genere eodem. Sub *metum*[4] autem subiecta sunt pigritia, pudor, terror,

3 Pauci deteriores codd. *opinionem.* Cf. 11, 26. Acad. II. 24, 78. 4 v. Adn.

quodque praesens est, se accommodat. Fin. I. 17, 55: corpore nihil nisi praesens et quod adest sentire possumus: ubi v. *Bremium* p. 82. Cf. *Ruhnken.* Dictat. in Terent. Adelph. III. 3, 39. et *Aug. Grotefend.* Commentar. z. d. Material. Lat. Stylüb. p. 90. Quum *praesens* et de loco et de tempore, nec *adesse* minus de tempore, quam de loco dicatur, *Madvigius* ad Fin. l. d. p. 107. his vocabulis coniunctis tantum gravius rei tempore praesentis notionem significari statuit.

§. 15. *Sed quae iudicia*] Sententia est: Stoici in iis iudiciis opinionibusque, e quibus perturbationes nasci dixi, non solum ipsas perturbationes positas esse dicunt, verum illa etiam, quae efficiuntur perturbationibus. Ceterum Stoici in hoc doctrinae loco variabant, nec Cicero eorum mentem penitus videtur perspexisse. Galenus Dogm. H. et P. V. c. 1. p. 155: Χρύσιππος μὲν οὖν ἐν τῷ πρώτῳ περὶ παθῶν ἀποδεικνύναι πειρᾶται, κρίσεις τινὰς εἶναι τοῦ λογιστικοῦ τὰ πάθη· Ζήνων δ' οὐ τὰς κρίσεις αὐτάς, ἀλλὰ τὰς ἐπιγιγνομένας αὐταῖς συστολὰς καὶ λύσεις, ἐπάρσεις τε καὶ πτώσεις τῆς ψυχῆς ἐνόμιζεν εἶναι τὰ πάθη. Plura dat *Davisius.* De structura enuntiationis *Ochsner* l. d. comparat Divin. II, 26: quas autem res casus affert, magna stultitia est earum rerum deos facere effectores. N. D. III, 16: nam quos ab hominibus pervenisse dicis ad deos, tu redde rationem, quemadmodum id fieri potuerit. Off. III, 22. Legg. II, 5.

non in eis perturbationes solum] Si sententiam spectas, *solum* referendum est ad *perturbationes;* nam opponuntur verba *verum illa etiam, quae efficiuntur perturbationibus;* sin autem grammaticam spectas, *solum* referendum est ad totam enuntiationem; nam adverbium est. Sed saepius adverbium *solum* (= modo, tantum) pro adiectivo ponitur, h. e. accuratior definitio, quae proprie ad subiectum aut obiectum pertinet, ad praedicatum transfertur. Cf. infra 14, 31. 19, 44. Fin. I. 13, 44: ut saepius *solum* — sine aegritudine possit et sine metu vivere: ubi *Madvig.* apte comparat Off. I. 7, 22: „non nobis *solum* nati sumus" cum Fin. II. §. 45: non *sibi* se *soli* natum. *Klotzius* comp. pro Marcello 3, 9: celebrabantur illae quidem non *solis nostris,* sed paene omnium gentium litteris atque linguis. V. eundem ad Lael. 8, 28. p. 137 sq., ubi plures locos contulit, ut Lael. 27, 102: nec *mihi soli* versatur ante oculos, qui illam semper in manibus habui, sed etiam posteris erit clara et insignis. V. *Goerenz.* ad Fin. l. d. p. 61., *Gernhard.* ad Off. l. d. p. 29.

imbecillam assensionem] Sic plurimi optimique codd., etiam R. ap. Wes. III.; P. Aug. Vind. 1. et edd. S. E. HWolf. exhibent *imbecillem;* sed haec forma non est Ciceroniana, v. *Madvig.* ad Fin. V. 24, 71. et nos in Gr. L. §. 30. Not. 3. De Stoicorum assensione atque approbatione, quam Graeci συγκατάθεσιν vocant, consule Academica II. 12, 37: ubi v. *Hülsemannum* p. 493. I. 11, 40 sq. 42. extr. *errorem autem et temeritatem et ignorantiam et* opinationem *et suspicio-*

timor, pavor, exanimatio, conturbatio, formido; *voluptati* malevolentia [laetans malo alieno][4], delectatio, iactatio et similia; *libidini* ira, excandescentia, odium, inimicitia, discordia, indigentia, desiderium et cetera eiusmodi.

VIII. 17. Haec autem definiunt hoc modo. *Invidentiam* esse dicunt aegritudinem susceptam propter alterius res secundas, quae nihil noceant invidenti. Nam si quis[1] doleat eius rebus secundis, a quo ipse laedatur, non recte dicatur[2] invidere, ut si Hectori Agamemno[3]; qui autem, cui alterius commoda nihil noceant, tamen eum doleat his frui, is invideat[4] profecto. *Aemulatio* autem dupliciter illa quidem dicitur, ut et in laude et in vitio nomen hoc sit. Nam et imitatio virtutis aemulatio dicitur; sed ea nihil hoc loco utimur; est enim laudis; et est aemulatio aegritudo, si eo, quod concupierit,

VIII. 1 Or. c. Gud. 1. II. Vat. (hic *quid oleat*); R. P. *quid doleat;* reliqui *quis:* quod praetuli. V. ad III. 31, 76: *si quidem qui. Stürenb.* ad or. pr. Arch. p. 89. requirit h. l. *si qui;* at v. ad IV. 14, 33. 2 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. b. quinque Oxx. Aug. Mon. 1. 2. Marb. Rehd. Duisb.; reliqui *dicitur.* 3 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. 2. Marb. Vind. 2.; alii *Agamemnon.* V. ad I. 47, 113. 4 Sic R. P. Gud. 1. II. b Ball. unus Leid. Vind. 1. Mon. 1. 2. Aug. Rehd. Marb. tres Oxx.; Or. c. aliis codd. et omnibus edd. vett. usque ad D. *invidet.*

nem et uno nomine omnia, quae essent aliena firmae et constantis assensionis, *a virtute sapientiaque removebat* (Zeno).

§. 16. *partes — plures*] V. Diog. Laert. 7, 110. Observanda est structurae varietas: *singulis pert. subiiciuntur* (ut de Or. I. 42, 189: partes autem sunt, quae *generibus iis*, ex quibus manant, *subiiciuntur:* ubi v. *Ellendt.* Fin. II. 4, 13: *huic verbo* omnes — duas res *subiiciunt.* Off. I. 27, 96: aliud *huic subiectum.* Top. VIII, 33: quae *cuique* genere *subiiciantur.*); dein *sub metum subi.* (v. ad V. 1, 2), denique rursus *voluptati.* Similia collegit *Wopkens.* Lectt. Tull. II, 7. p. 226. H. Sic infra c. 11, 25: odium *mulierum*, dein *in* hominum *universum genus:* ubi v. Adn. Hinc ne hoc quidem loco Lambinus audiendus, qui e coni. *metui autem subiecta sunt* cett. legit. Quod autem sex Oxx. Gud. II. Aug. Vind. 1. praebent *sub metu autem subi. s.*, id Ciceronis consuetudini adversatur. Cf. V. Scr. 8, 18. Idem vitium occupaverat Fin. II. 15, 48., sed nunc a Madvigio sublatum est.

malevolentia laetans malo alieno] Gr. ἐπιχαιρεκακία. Sic c. 9, 20: ut malevolentia sit voluptas ex malo alterius sine emolumento suo. Diog. L. 7, 114: ὑφ' ἣν (sc. ἡδονήν) τάττεται κήλησις, ἐπιχαιρεκακία, τέρψις, διάχυσις. Pro *laetans* h. l. Nonius p. 16. per errorem legit *lactans.* Verba *laetans alieno malo*, a Bentl. suppositicia habita, a D., Ern., W., Tregd. uncis cincta, nuper etiam a Wesenb. Em. I. p. 23. damnata sunt. Vetus est glossema; nam iam apud Nonium reperitur. Quam maxime offensioni est haec malevolentiae definitio, quum cetera nomina definitione careant; infra c. 9, 20. recte additur definitio. Prius c. Or. defendi haec verba, sed iam, re denuo perpensa, non dubito, quin a glossatore profecta sint.

Cap. VIII. §. 17. *Invidentiam*] Diog. L. 7, 111: φθόνος ἐστὶ λύπη ἐπ' ἀλλοτρίοις ἀγαθοῖς. Cicero addidit *quae nihil noceant invidenti. Aemulatio:* Ibid. ζῆλος λύπη ἐπὶ τῷ ἄλλῳ παρεῖναι, ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ. Stobaeus Ecl. II, 7. p. 178. H: ζῆλος δὲ λύπη ἐπὶ τῷ ἕτερον ἐπιτυγχάνειν ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ, αὐτὸν δὲ μή· λέγεσθαι δὲ καὶ ἑτέρως ζῆλον μακαρισμοῦ ἔνδειαν, ἤτοι ἄλλου μίμησιν ὡσεὶ κρείττονος. Cf. infra 26, 56.

illa quidem — sed] V. ad I. 3, 6.

concupierit] Nonnullae edd vett. *concupierit quis.* At subiectum ex v. *aemulatio* eliciendum est, uti recte statuit *Klotzius*, comp. Graeca in Il. dd. ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ; saepe enim apud Romanos *quis* et apud Graecos τὶς, subiecti vicaria, omittuntur in sententiis generalibus, in definitionibus. Infra c. 11, 26: iudicatio se scire, quod ne-

alius potiatur, ipse careat. 18. *Obtrectatio* autem est, ea, quam intelligi *ζηλοτυπίαν*[5] volo, aegritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipse[6] concupiverit. *Misericordia* est aegritudo ex miseria alterius iniuria laborantis; nemo enim parricidae aut proditoris supplicio misericordia commovetur. *Angor*[7] aegritudo premens; *luctus* aegritudo ex eius, qui carus fuerit, interitu acerbo; *maeror* aegritudo flebilis; *aerumna* aegritudo laboriosa; *dolor* aegritudo crucians; *lamentatio* aegritudo cum eiulatu; *sollicitudo* aegritudo cum cogitatione; *molestia* aegritudo permanens; *afflictatio* aegritudo cum vexatione corporis; *desperatio* aegritudo sine ulla rerum exspectatione meliorum. Quae autem subiecta sunt sub *metum*[8], ea sic definiunt: *pigritiam* metum consequentis laboris: * * *; 19. *terrorem* metum concutientem, ex quo fit, ut pudorem rubor, terrorem pallor et tremor et dentium crepitus consequatur; *timorem* metum mali appropinquantis; *pavorem* metum mentem loco moven-

5 Codd. et omnes edd. usque ad W. *zelotypian* vel *zelotypiam.* 6 Pleraeque edd. vett. *quod ille ipse c.* Male. Cf. Graeca in Adn. 7 Sic R. P. Gud. 1. II. b. multique alii; Or. c. aliis codd. et omnibus fere edd. vett. *angor est aegr.* 8 Quinque Oxx. Aug. Mon. 1. Marb. et edd. vett. fere omnes *sub metu.* V. ad §. 16.

sciat: ubi etiam *se* referendum est ad illud cogitatione supplendum pron. indefinitum. c. 20, 46: ipsum illud aemulari, obtrectare non esse inutile, quum aut se non idem videat consecutum cett. de Orat. I. 8, 30: neque vero mihi quicquam praestabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere, quo *velit;* unde autem *velit*, deducere. V. nos in Gr. L. §. 101, 4. d). At in locis, qualis est infra IV. 26, 56: „quum sit *aemulantis* angi alieno bono, quod ipse non habeat." Acad. I. 1, 2: „*intemperantis* enim esse arbitror scribere quod occultari velit," in genitivis subiecta latent. V. *Hand.* ad Wopkens. Lectt. Tull. I, 1. p. 3 sq. De Graeca lingua cf. Platon. Apol. p. 29. B. ἡ τοῦ οἴεσθαι εἰδέναι (ἀμαθία), ἃ οὐκ οἶδεν. V. *Stallbaum.* ad Platon. Reip. I. p. 347. C. et nos in Gr. Gr. T. II. §. 414, 5. (Gr. schol. §. 238, 4, e.)

§. 18. *Obtrectatio*] Diog. l. c. ζηλοτυπίαν λύπην (εἶναι) ἐπὶ τῷ καὶ ἄλλῳ παρεῖναι ἃ καὶ αὐτὸς ἔχει. Stob. Ecl. eth. p. 176: ζηλοτυπίαν δὲ λύπην ἐπὶ τῷ ἕτερον ἐπιτυγχάνειν, ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ. Infra c. 26, 56: obtrectantis autem (sit), angi alieno bono, quod id etiam alius habeat. De *ea, quam* v. ad 1, 2.

Misericordia] Definitiones Graecas misericordiae perturbationum, quae leguntur apud Diogenem L. 7, 111 sqq., v. Prolegomena p. 27.

parricidae] Verborum *parricidae* et *parricidii* et originationem et significationes doctissime exposuit *Ed. Osenbrueggen.* in: Das altröm. *Paricidium,* Kiel. 1841, quanquam originatio ab eo proposita probanda non videtur.

§. 19. *terrorem*] „Excidisse h. l. videtur *pudoris* definitio, nisi ipsius Tullii est negligentia. Quocirca de Bentl. coni. D. 1. dedit: *pudorem et terrorem.* W. Sch. 2. cautius aliquanto: *pudorem * * * terrorem.*" *Orellius.* Stoici censebant αἰσχύνην εἶναι φόβον ἀδοξίας. *Wolfius* supplet: *pudorem metum infamiae concutientem; Wesenberg.* Em. III. p. 3: *pudorem metum calefacientem* aut simile participium sequenti *concutientem* aequale. Definitionem *pudoris* excidisse, non Ciceronis negligentia omissam esse, apparet ex seqq. *pudorem rubor.*

metum concutientem] Stobaeus Ecl. II, 7. p. 178. H: φόβος ἐκ φαντασίας ἀσυνήθους πράγματος. Neque aliter Diog. L. 7, 112. Ciceronis igitur definitio diversa est.

Tum pavor] Est tetrameter trochaicus catalecticus, petitus ex Ennii Alcmaeone. Hunc versum sic, ut edidimus, Or. c. aliis constituit e Cic. de Or. III. 38, 154. et 58, 218., ubi scriptura firmiter stat. In edd. vett. lege-

tem: ex quo illud Ennius[9]:

Túm pavor sapiéntiam omnem mí éxanimato expéctorat[1]; *exanimationem* metum subsequentem et quasi comitem pavoris; *conturbationem* metum excutientem cogitata; *formidinem* metum permanentem.

IX. 20. *Voluptatis* autem partes hoc modo describunt, ut *malevolentia* sit voluptas ex malo alterius sine emolumento suo; *delectatio* voluptas suavitate auditus animum deleniens; et qualis est haec aurium, tales sunt oculorum[1] et tactionum et odorationum et saporum, quae sunt omnes unius generis ad perfundendum animum tanquam illiquefactae voluptates. *Iactatio* est voluptas gestiens et se efferens insolentius. 21. Quae autem *libidini* subiecta sunt, ea sic definiuntur[2], ut *ira* sit libido poeniendi[3] eius, qui videatur laesisse iniuria; *excandescentia* autem sit ira nascens et modo exsistens, quae θύμωσις[4] Graece dicitur; *odium* ira inveterata; *inimi-*

9 Sic R. P. Gud. 1. Gr. Marb. duo Oxx.; Or. c. vulg. *Ennii:* quod sane habet, quo se commendet; nam quum *us* finale interdum nota quadam in codd. scriberetur, facile omitti potuit, uti aliis quoque locis. V. *Wesenberg.* Em. I. p. 28., qui et ipse praefert scr. *Ennii.* 1 v. Adn. IX. 1 Apud Nonium ed. Merc. v. *tactus* legitur: *q. h. a., tales sunt et oc. t. et od. et s.:* unde *Wes.* III. p. 4. suspicatur Nonii codicem habuisse *sunt et o. et t.* et ob eam caussam sic quidem certe scribendum esse: *sunt* [*et*] *o. et t.;* ut ap. Nonium *est* post — *is* et *et* ante *t*, sic ap. Cic. *et* post *t* excidisse. 2 Sic R. P. Vat. Gud. 1. II. b. multique alii; Or. c. aliis codd. et plerisq. edd. vett. *definiunt:* quod probat *Wes.* Em. II. p. 56. comp. §§. 14. 15. 17. 18. 20. 21. 22. 3 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II.; alii *puniendi.* V. ad I. 44, 107. 4 v. Adn.

batur *omnem mihi ex animo expectorat;* *Moser* in censura d. p. 539 sq. probat hanc scripturam, quia C. eundem versum duobus diversis locis e memoria facile diversa forma efferre potuerit; nec aliter legit Nonius Marcellus v. *expectorare;* et sic fere codd.; R. P. *mihi ex anima exspectaret*, Gud. 1. II. Marb. Duisb. *mihi ex anima exspectarent.* Davisius sic corrigebat: *mihi omnem ex animo expectorat.* Turnebus Advers. VII, 17. *ex animo expectorare* non minus ridiculum censet, quam si quis vicissim *ex pectore exanimare* dicat. At Davisius contra monet, etiam Accium in Phoenissis eadem locutione usum esse, uti testatur Marcellus v. *expectorare.* De v. *expectorare, exanimatus* observandum est, antiquos Romanorum poëtas eiusmodi vocabula et locutiones audaciores et exquisitiores in deliciis habuisse, uti supra I, 35. III, 19: *vitam evitare.* Cf. *Ochsner.* Eclog. p. 159.

Cap. IX. §. 20. *Voluptatis*] Diogenis L. 7, 113. 114. definitiones v. in Prolegomenis p. 27 sq. — Sequens *suo* referendum est ad pronomen indefinitum *alicuius* (voluptas), quod mente supplendum est.

qualis est haec aurium] sc. voluptas. Divin. in Caecil. 11: quum omnis arrogantia odiosa est, tum *illa ingenii atque eloquentiae* multo molestissima. In his exemplis in pronom. *hic, ille* (non *is*) maior vis est, quam in articulo nostro. Pronomina enim demonstrativa rem, quae iam antea commemorata erat, in mentem revocant. Si vero demonstrativa illa vis non inest in verbis, solus genitivus ponitur. Fin. I, 16: Quod si qui satis sibi contra hominum conscientiam septi esse et muniti videntur, *deorum* tamen horrent, uti exponit *Ochsner* Ecl. Cic. p. 179. V. nos in Gr. L. §. 123. Not. 7.

§. 21. *exsistens*] non idem significat, quod *nascens*, sed apparens et semet ostendens. V. *Davis.* ad de Divinat. I, 28.

θύμωσις] H. Stephanus in Thes. L. Gr. h. v. et Valckenarius in Diatribe p. 231. (p. 239. ed. Lips.) legendum censuerunt θυμός: quod recepit W.; nec

citia ira ulciscendi tempus observans; *discordia* ira acerbior, intimo odio et corde[4] concepta; *indigentia* libido inexplebilis; *desiderium* libido eius, qui nondum adsit, videndi. Distinguunt illud etiam, ut libido sit[5] earum rerum, quae dicuntur de quodam aut quibusdam, quae κατηγορήματα dialectici appellant, ut habere divitias, capere honores; indigentia[6] rerum ipsarum est, ut honorum, ut pecuniae. 22. Omnium autem perturbationum fontem esse dicunt *intemperantiam*, quae est a tota mente et a recta ratione defectio, sic aversa a praescriptione rationis, ut nullo modo appetitiones animi nec regi, nec contineri queant. Quemadmodum igitur temperantia sedat appetitiones et efficit, ut eae[7] rectae rationi pareant, conservatque consi-

5 *Distinguunt — sit.* Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. b. Aug. Marb. Mon. 1. 2. Duisb. (in hoc *fit* pro *sit*) Vind. 1. et edd. vett. (sed hae inverso ord. *sit lib.*); alii codd. *distinguitur*; alii *distinguunt etiam illud*: unde L. *d. etiam, illud ut l. s.* 6 Plurimi codd., etiam Vat. R. P. Gud. 1. II., per errorem *diligentia*. 7 Sic meliores codd. pro *hae*. V. ad I. 3, 5.

alio vocabulo usi sunt Laert. 7, 114. et Stob. Ecl. II, 7. p. 174. At recte *Orellius* vulg. Σύμωσις retinuit, vocabulum Συμώσεως Chrysippeum esse putans ideoque novatum, ne confunderetur haec *excandescentiae* notio cum Συμῷ Platonis. Porro si legitur Συμός, etiam legendum est *qui* e consueta dicendi ratione, uti monet *Ernestius*. V. Adnotata in c. 10, 23.

inimicitia] Singularis numerus hoc loco, ubi abstracta quae dicitur huius nominis notio definitur, aptus est; sed aliis locis, uti recte observavit *Klotzius*, hoc nomen a bonis scriptoribus non usurpatur, nisi plurali numero, uti *inimicitias* gerere, suscipere, ponere, deponere, exercere, *inimicitiae* cum aliquo mihi sunt vel intercedunt.

intimo odio et corde] *Wolfius* verba *odio et* uncis cinxit. Etiam *Orellius* locum corruptum esse putat. *Lambinus* coniecit *intimo animo et c.*, quod probat Orellius. *Moser* in Add. T. III. p. 396. c. cod. Mon. 1. legendum putat *intimo odio corde concepta:* quod mihi non probatur. *Klotzius* horum verborum patrocinium suscepit verbaque sic vertit: *im innersten Hassgefühle und Herzen.* At nemo, credo, Germanus ita loquatur. Ego quoque prius scripturam sanam putaveram; verba *intimo odio* statuebam significare fontem, e quo discordia conciperetur, et verba *intimo corde* locum, in quo discordia concipi cogitaretur. At hanc rationem ferri non posse, nunc mihi persuasit *Wesenbergius* Em. III. p. 4 sq., qui de hoc loco et subtilissime et doctissime disputavit. Ac primum quidem docet, Latine *intimum sensum, cogitationem, familiaritatem* dici, *intimum odium* non item. *Klotzius* quidem attulit e C. leg. agr. II. 6, 14: *odio penitus insito;* sed hoc idem fere est, quod odio quasi naturali, uti interpretatur *Wes.* Deinde idem iure negat, potuisse Ciceronem duos diversi generis ablativos non solum per *et* copulare, sed etiam uno atque eodem adiectivo (*int.*) definire; *odio* enim est abl. caussae moventis, *corde* abl. instrumentalis (I. 40, 96: praecordiis conceptam mortem. N. D. II. §. 138: pars (animae) concipitur cordis parte quadam. Verr. IV. §. 101: auribus cupid. conc. Catull. 61, 92: flammam pectore c. Virg. 11, 368: pectore robur c. Stat. Theb. 3, 310: corde metus c.) Denique illud absurdum esse demonstravit, Ciceronem in ea irae parte, quae est *discordia*, definienda alterius partis (*odii*) nomen posuisse itaque dixisse: *discordia est ira acerbior, ira inveterata concepta.* „Hoc luce clarius, inquit, verbis *intimo — conc.* nihil fuisse a C. significatum, nisi unde *discordiae* (irae tam acerbae, qua animi inter se distrahantur) nomen illustraretur.“ Quare c. Lamb. scribendum censet *intimo animo et corde c.*, comp. Ov. Met. 1, 166: ingentes animo concipit iras; et pervulgata illa de cogitatione et de intelligentia: *animo, mente, animo ac mente* (C. Legg. I. §. 59.) *aliquid concipere.* Cur autem Cicero non simpliciter dixerit *intimo animo*, sed etiam addiderit antiquius *corde*, per vocabulum *discordiae*, quod definitur, obscurum esse

derata iudicia mentis; sic huic inimica intemperantia omnem animi statum inflammat, conturbat, incitat; itaque et aegritudines et metus et reliquae perturbationes omnes gignuntur ex ea.

X. 23. Quemadmodum quum sanguis corruptus est, aut pituita redundat aut bilis, in corpore morbi aegrotationesque nascuntur; sic pravarum opinionum conturbatio et ipsarum inter se repugnantia sanitate spoliat animum morbisque perturbat. Ex perturbationibus autem primum morbi conficiuntur, quae vocant illi *νοσήματα*, eaque, quae sunt eis morbis contraria, quae habent ad res certas vitiosam offensionem atque fastidium; deinde aegrotationes, quae appellantur a Stoicis *ἀῤῥωστήματα*, iisque[1] item oppositae contrariae offensiones.

X. 1 Sic Duisb. (*hiisque*) unus Ox. (*isque*) Mon. 1. (*iis*, om. *que*) marg. Asc. 2. et edd. vett. S. E. HWolf.; Or. c. vulg. *hisque*.

non potest; apud antiquos poetas utrumque vocabulum saepius iungi, satis constat. *Wes.* comp. Lucr. 3, 295. Plaut. Capt. II. 3, 27. Pseud. V. 1, 26: *cordi* atque *animo* suo obsequentes. Depravationem scripturae *Wes.* sic explicat: propter superius illud *odium* antiquioris alicuius cd. lacuna vocabuli *animo* post *intimo* omissi in archetypo falso suppleta est, aut etiam compendium scripturae (*aio* cum lineola quadam, ut V. 6, 17. *oia* c. lin. pro omnibus in RP) male intellectum.

Distinguunt illud etiam, ut libido sit] Sic recte Or. cum optimis codd. legit; sed *illud* non recte mihi videtur interpretari: *sie machen auch die Unterscheidung*, ut pron. *illud* non ad *desiderium* referendum sit, sed ad sequentia praeparet. Immo *distinguunt illud etiam* est *dividunt desiderium etiam* (ita), ut sit etc. Sententia expressa est haec: Alii Stoici in libidinis partibus ponunt et *indigentiam* et *desiderium*. Sunt tamen etiam alii, qui *indigentiam* omittant, quum ea rerum ipsarum sit, h. e. significet *defectum* alicuius rei, ut honorum, ut pecuniae. Quare nomini *desiderii* latiorem subiiciunt notionem, ut non solum sit libido eius, qui nondum adsit, videndi, sed etiam omnium earum rerum, quae tanquam praedicata (*κατηγορήματα*) dicuntur de quodam, uti quidam dicitur *habere divitias*. Quod si igitur quispiam libidine agitatur sive divitias habendi, sive honores capiendi, eum non *indigentia*, sed *desiderio* agitari dicunt. Ergo ex illorum Stoicorum mente dicendum est: *desidero habere pecuniam, d. capere honores*, non *desidero pecuniam, honores*; contra non *indigeo habere pecuniam, i. capere honores*. Quod de *indigentia*, quam *σπάνιν* appellabant, dictum est, verum est; quod de *desiderio*, quem *πόθον* dicebant, nugatorium est. Nam et *desiderium* et *πόθος* saepissime apud optimae notae scriptores ad ipsas res referuntur. Nimirum in eiusmodi tricis et argutiis mirifice delectabantur Stoici.

§. 22. *gignuntur ex ea*] De verborum collocatione v. nos in Gr. L. §. 167, 1.

Cap. X. §. 23. *νοσήματα*] E perturbationibus tria exsistunt: morbi, aegrotationes, offensiones. Morbi et aegrotationes exsistunt e libidine ac laetitia; offensiones e metu. Perturbationes sunt motus animi subiti et concitati: qui neglecti quum inveteraverunt, efficiunt morbos (*νοσήματα*); qui quum penitus in animo insederunt et quasi summum gradum adepti sunt, exsistunt aegrotationes (*ἀῤῥωστήματα*), quae animum ita afflictum et fractum tenent, ut iis resistere non possit. Morbis autem et aegrotationibus contrariae sunt offensiones, quibus res certas fastidimus et detestamur. De offensionibus cf. *Tiedemann*. System d. Stoischen Phil. III. p. 267. Porro monendum est de structura: *morbi, quae vocant illi νοσήματα*: quod est genus quoddam attractionis, quo pronomen relativum genus suum non ad antecedentis, sed sequentis substantivi genus conformare solet. Supra I. 1, 1: *studio* sapientiae, *quae philosophia* dicitur. Cf. ad I. 10, 20. de Legg. I. 7: animal hoc providum — quem vocamus hominem: ubi inepte *Wyttenb.* comp. Terent. Andr. III. 5, 1: *scelus, qui me perdidit*. V. *Hand.* ad Wopkens. Lectt. Tull. p. 43., *Creuzer.* et *Moser.* ad Legg. l. d., *Bremium* ad Fat. c. 1. p. 3 sq.

Hoc loco nimium operae consumitur a Stoicis, maxime a Chrysippo, dum morbis corporum comparatur morborum animi similitudo. Qua oratione praetermissa minime necessaria, ea, quae rem continent, pertractemus. 24. Intelligatur igitur, perturbationem, iactantibus se opinionibus inconstanter et turbide, in motu esse semper; quum autem hic fervor concitatioque animi inveteraverit et tanquam in venis medullisque insederit, tum exsistit et morbus, et aegrotatio, et offensiones eae, quae sunt eis morbis aegrotationibusque contrariae.

XI. Haec, quae dico, cogitatione inter se differunt, re quidem copulata sunt, eaque oriuntur ex libidine et ex[1] laetitia. Nam quum est concupita pecunia, nec adhibita continuo ratio, quasi quaedam Socratica medicina, quae sanaret[2] eam cupiditatem; permanat in

XI. 1 Sic Vat. R. Gud. 1. 2. Rehd. Duisb. Mon. 1. et ed. D.; Or. c. vulg. om. *ex*. V. ad I. 12, 27. 2 v. Adn.

Ochsner. Ecl. Cic. p. 30 sq., *Kritzium* ad Sall. C. LV, 3. p. 291., *G. T. A. Krüger*. in Untersuchung. über d. Lat. Spr. III. Heft. §. 36 sqq., *Kühner*. L. Gr. §. 145, 7. b). *Bakius* ad Legg. I. 7, 22. peculiarem rationem eorum locorum esse arbitratur, in quibus Graeca Latinis subiiciantur; in eis relativum tum accommodari praecedenti nomini, si vocabulum tantum, non res significetur, ut Fin. V. 6, 17: *appetitum* animi, quem ὁρμὴν Graeci vocant; contra ubi vocabulo res ipsa indicetur, relativum accommodari sequenti. At huic regulae multa repugnant exempla. Sic etiam in Graeca lingua, quanquam rarius, quam in Latina, in qua illud attractionis genus in communem usum abiit. Herod. II, 124: τῶν οἰκημάτων, τὰς (i. e. ἃς) ἐποιέετο θήκας. Plat. Phaedr. p. 255. C: ἡ τοῦ ῥεύματος ἐκείνου πηγή, ὃν ἵμερον Ζεὺς Γανυμήδους ἐρῶν ὠνόμασε. V. nos in Gr. Gr. §. 786, 3. T. II. p. 505 sq. [Gr. schol. §. 332, 5, c).]

morbis corporum — morborum animi] V. ad II. 23, 54. *corporibus — animus*. — *Morborum animi similitudo* dictum est pro *morbi animi similes*. Cf. *Madvig*. ad Fin. V, 15. p. 692. — De seq. *qua oratione*, h. e. cuius rei or., v. ad I. 19, 45.

§. 24. *tum exsistit et morbus*] pro: tum *exsistere — morbum*. Oratio obliqua his verbis transiit in rectam. Supra II. 26, 62: videmusne, apud quos eorum ludorum, qui gymnici nominantur, magnus honos sit, nullum ab iis, qui in id certamen descendant, devitari dolorem? *apud quos autem venandi et equitandi laus viget, qui hanc petessunt, nullum fugiunt dolorem:* ubi Lambinus frustra legit: *eos nullum fugere dolorem*. Infra IV. 19, 43: haec nullam *habent* vim: ubi Bentl. coni. *habere*. V. 38, 111. Luculentum exemplum exstat in Fin. III. 15, 49: Si voluptas — sit in bonis, divitias quoque in bonis esse ponendas; at si sapientia bonum sit, non sequi, ut etiam divitias bonum esse dicamus: *neque ab ulla re, quae non sit in bonis, id quod sit in bonis, contineri potest; ob eamque caussam, — quum divitiae non sint in bonis, nulla ars divitiis contineri potest*. V. *Bremium* ad Fat. p. 80. *Madvig*. ad Fin. I, 9. p. 67. et *Wopkens*. Lectt. Tull. I, 11. p. 91. ed. Hand.

Cap. XI. *re quidem*] V. ad II. 17, 41.

eaque oriuntur] Scil. morbi et aegrotationes.

quae sanaret] Bentleius ex uno cod. correxit *quae sanet*, id latinitatem opinans efflagitare. Etiam Orellius et nuper Tregder hanc correctionem receperunt, postea tamen ille in ed. 1829. iure revocandam censet vulgatam *quae sanaret*. V. Adnotata nostra ad I. 4, 7.

exsistitque morbus] Senec. ep. 75: „(hoc) inter morbos animi interest et affectus, ut morbi sint inveterata vitia, affectus vero motus animi subiti et concitati, qui frequentes neglectique fecere morbum." Observandum est, h. l. *morbus* ut speciem, dein (*eique morbo*) generaliore notione dictum esse, ut c. 14, 32. extr. *aegrotationes morbique —; morbis* enim manentibus cett. Cf. *Wopkens*. Lectt. Tull. p. 124.

avelli] Or. e coni. *Wopkens*. in Lectt. Tull. p. 125. H. edidit *evelli*, ut Finn. II. 30, 97: *evelli* iussit (Ep.) eam, qua

venas et inhaeret in visceribus illud malum, exsistitque morbus et aegrotatio, quae avelli[2] inveterata non possunt; eique morbo nomen est avaritia. 25. Similiterque ceteri morbi, ut *gloriae cupiditas*, ut *mulierositas*, ut ita appellem eam[3], quae Graece φιλογύνεια dicitur, ceterique similiter morbi aegrotationesque nascuntur. Quae autem sunt his contraria, ea nasci putantur a metu, ut *odium mulierum*, quale in μισογύνῃ[4] Atilii[5] est, ut *in hominum universum genus*, quod accepimus de Timone, qui μισάνθρωποι appellantur[6], ut *inhospitalitas* est: quae omnes aegrotationes animi ex quodam metu nascuntur earum rerum, quas fugiunt et oderunt. 26. Definiunt autem animi *aegrotationem* opinationem vehementem de re non expetenda, tanquam valde expetenda sit, inhaerentem et peni-

3 D. c. R. P. Aug. Marb. *ut ita appellem, ea quae;* at *ut ita appellem* sine obiecto dictum latinitati adversatur; etiam Non. p. 142. confirmat omnium fere cod. scripturam *eam*. 4 v. Adn. 5 Sic meliores libri; Or. c. vulg. *Attil.* 6 Sic scripsi c. Tr. pro vulg. *qui* μισάνθρωπος *appellatur;* primum enim in optimis codd. R. P. Gud. 1. II. aliisque legitur *appellantur*, deinde Gr. nomen in codd. optimis corrupte legitur: μισανθρωποια P., *misanepωιτοια* R., *mis ane* PωITOCA Gud. 1., alii aliter. Cf. Adn.

erat transfixus, hastam. At codicum scripturam non esse tentandam, demonstrat locus ab *Handio* ad Wopk. l. d. allatus: ad Famm. V. 12, 16: (Ep.) qui tum denique sibi *avelli* iubet spiculum. Etiam Or. postea probavit *avelli*.

odium mulierum — in hom. univ. genus] Frustra Lamb. tentabat *ut hominum universi generis*. Cf. Off. I. 28, 99: adhibenda est igitur quaedam *reverentia adversus homines* et *optimi cuiusque* et *reliquorum*, pro: adversus homines et optimum quemque et reliquos. V. ad c. 7, 16.

μισογύνῃ] Sic c. Bouh. ediderunt Klotzius et Moser pro vulg. μισογύνῳ. Veram scripturam confirmant unus Ox., qui habet *inmissogine*, et Mon. 1., qui habet *in missogine*. Eandem proposuit *Meinekius* ad Menandri Reliqq. p. 115., laudatus a *Mosero*, qui de Atilio, poëta comico, attulit *A. Weichert.* in Poëtar. Latt. Hostii. etc. Vitis et Rell. Lips. 1830. p. 140. et *Baehrium* in Röm. Litteraturgesch. p. 51. et *G. I. Voss.* de Poët. Lat. p. 7 sq. Cic. ad Att. XIV, 20. eum *poëtam durissimum* vocat, et Licinius apud C. de Fin. I. 2, 5. *ferreum scriptorem:* ubi v. *Madvigium* p. 13. Ex hoc ultimo loco fuerunt qui concluderent, Atilium fuisse tragicum poëtam. Sed Μισογύνης fuit nomen fabulae Menandri. Ceterum pro μισογύνῃ scribendum censeo litteris Latinis *Misogyne;* nam primum omnes codd. Latinis litteris hoc nomen exhibent; deinde etiam suadent nomina Terentianarum fabularum.

Atilii] *Neidius* e §. 27. coniicit, fabulam fuisse Atilii Hippolytum inscriptam. De *Atilio* v. indic. histor.

de Timone, qui — appellantur] H. e. de T., cuius generis homines μ. appellantur. Timonis nomen complectitur h. l. omne genus hominum, in quos cadit odium universi generis humani. Fin. V. 31, 94: hic (Zeno) si *Peripateticus* fuisset, permansisset, credo, in sententia, *qui* dolorem *dicunt* malum esse: ubi v. *Madvig.* p. 790. Similiter infra 30, 64: de morte et de dolore — *disputatum est. Quae* si *probata sunt*, metu — liberati sumus. Cf. *Wesenb.* Em. III. p. 11 sq. V. nos in Gr. L. §. 145, 7, a). Apud Graecos eadem reperitur structura, ut Pl. Rp. 8. p. 554, a: θησαυροποιὸς ἀνήρ, οὗς δὴ καὶ ἐπαινεῖ τὸ πλῆθος. V. nos in Gr. Gr. T II. §. 784. p. 503. [Gr. schol. §. 332. Not. 1. a).]

§. 26. *Definiunt autem aegrotationem* etc.] „Quum animorum *morbi* et *aegrotationes* cogitatione tantum differant, Tullius aegrotationem, ἀῤῥώστημα, eo modo, quo reliqui νόσημα, definit. Laert. 7, 115: Νόσημα, οἴησις σφόδρα δοκοῦντος αἱρετοῦ. Sen. ep. 75: Morbus est iudicium in pravo pertinax, tanquam valde expetenda, quae leviter expetenda sunt. Stob. Ecl. eth. p. 177: Νόσημα δ' εἶναι δόξαν ἐπιθυμίας ἐῤῥυηκυῖαν εἰς ἕξιν καὶ ἐνσκιῤῥωμένην, καθ' ἣν ὑπο-

tus insitam. Quod autem nascitur ex offensione, ita definiunt, opinionem[7] vehementem de re non fugienda, inhaerentem et penitus insitam, tanquam fugienda. Haec autem opinatio est iudicatio[8] se scire, quod nesciat. *Aegrotationi* autem talia quaedam subiecta sunt, *avaritia, ambitio, mulierositas, pervicacia, ligurritio, vinolentia, cuppedia* et si qua similia. Est autem avaritia opinatio vehemens de pecunia, quasi valde expetenda sit, inhaerens et penitus insita; similisque est eiusdem generis definitio reliquarum. 27. *Offensionum* autem definitiones sunt eiusmodi, ut *inhospitalitas* sit opinio vehemens, valde fugiendum esse hospitem, eaque inhaerens et penitus insita; similiterque definitur et *mulierum odium*, ut Hippolyti, et, ut Timonis, *generis humani.*

XII. Atque ut ad valetudinis similitudinem veniamus[1] eaque collatione utamur aliquando, sed parcius, quam solent Stoici, ut sunt alii ad alios morbos procliviores; itaque dicimus gravedinosos quosdam[2], quosdam torminosos, non quia iam sint, sed quia saepe[3];

7 Or. coni. *opinationem* ob anteced. *opinat.:* quae caussa parum gravis est. 8 Sic Or. c. R. Vat. Gr. Gud. 1. duobus Oxx. uno Pal.; reliqui *iudicare:* quod est glossema rarioris vocabuli. XII. 1 Sic Or. c. vet. cod. Lamb. duobus Leidd. duobus Oxx. aliisque paucis deterioribus codd.; plures et omnes meliores, ut R. P. Gud. 1. II., *veniam:* quod ex compendio *veniamꝯ* (i. e. *veniamus*) ortum vdtr. V. V. Scr. V. 20, 57. 2 v. Adn. 3 Sic bene Mos. ex Gryph., probatum etiam *Wesenbergio* Em. II. p. 22; *quia saepe sint, sic* Aug. et sic Or.; reliqui codd. fere omnes, etiam R. P. Vat. Gud. 1., *quia saepe sint, alii.* Facile *sic* in codd. in *sint* transire potuit. Coniunctivus *sint* repugnat latinitati. V. ad §. 28.

λαμβάνουσι τὰ μὴ αἱρετὰ σφόδρα αἱρετὰ εἶναι, οἷον φιλογυνίαν, φιλοινίαν, φιλαργυρίαν· εἶναι δέ τινα καὶ ἐναντία τοῖς νοσήμασι κατὰ προκοπὴν γιγνόμενα, οἷον μισογυνίαν κ. τ. λ. *Davisius.*

Haec autem opinatio] Uterque, et qui aegrotatione laborat, et qui offensione, iudicat se scire, quod nesciat. Observanda sunt substantiva *opinatio* et *iudicatio*, §. 28. *lapsio, despicatio*, alia, quae *suo sibi Marte* finxisse videtur Cicero, uti ait *Goerenz.* ad Fin. I. 20, 67. p. 95.

iudicatio se scire, quod nesciat] V. Adnotata in c. 8, 17: *concupierit.*

cuppedia] φιλοψία, immoderata delicatorum ciborum cupiditas, uti recte exponit *Davisius.*

Cap. XII. §. 27. *Atque*] Particula transitum ad rem novam notans. Sic c. 13, 30. V. Adnotata in III. 13, 28. Cf. *Bremium* ad Corn. Nep. Eumen. X, 3. p. 282. Ad rem conf. Diog. Laert. 7, 115.

gravedinosos quosdam, quosdam] Prius *quosdam* omittunt codd. Gud. 1. II. 2. aliique et nonnullae edd. vett., ita quidem, ut ex seq. *quosdam* prius mente supplendum sit: qua dicendi brevitate nonnunquam scriptores in verbis *alii, interdum, nonnunquam* utuntur, quanquam, uti recte monet *Klotzius*, inter utrumque dicendi genus aliquid discriminis est; nam repetuntur verba *alii, interdum* etc., ubi par est orationis membrorum ratio, contra semel ponuntur, ubi actio quaedam significatur fieri solere, interdum tamen alia actio. *Davisius* comp. Curt. VII. 4, 11: obstat metus, *aliis* cupiditas (h. e. plurimis metus, aliis cup.). Liv. 3, 37: et iam ne tergo quidem abstinebatur: virgis caedi, *alii* securi subiici: ubi v. *I. F. Gronov.* V. *Ruhnkenium*, ab Orellio laudatum, ad Vell. II, 110: *rumpit* (sc. interdum), *interdum moratur.* De Graecis v. nos ad Xen. Anab. I. 10, 3: πολλοὺς μὲν τῶν ἁρπαζόντων ἀπέκτειναν, οἱ δὲ καὶ αὐτῶν ἀπέθανον. At quum scripturam datam et plerique libri Noniusque in *gravedinosi* et *tormines* exhibeant, et verborum collocatio elegantissima sit

sic alii ad metum, alii ad aliam perturbationem: ex quo in aliis *anxietas*, unde anxii; in aliis *iracundia* dicitur, quae ab *ira* differt; estque aliud iracundum esse, aliud iratum, ut differt *anxietas* ab *angore;* neque enim omnes anxii, qui anguntur aliquando; nec, qui anxii, semper anguntur, ut inter ebrietatem et ebriositatem[4] interest, aliudque est amatorem esse, aliud amantem. Atque haec aliorum ad alios morbos proclivitas late patet; nam pertinet ad omnes perturbationes. 28. In multis etiam vitiis apparet; sed nomen res non habet. Ergo et invidi et malevoli et lividi et timidi et misericordes, quia proclives ad eas perturbationes, non quia semper ferantur[5]. Haec igitur proclivitas ad suum quodque genus a similitudine corporis aegrotatio dicatur[6], dum ea intelligatur ad aegrotandum proclivitas. Sed haec in bonis rebus, quod alii ad alia bona sunt aptiores, *facilitas* nominetur, in malis *proclivitas*, ut significet lapsionem, in neutris habeat superius nomen.

4 Multi codd, etiam R. P. Vat., om. *et ebrios.* aperto librariorum lapsu; etiam Non. p. 444. habet ea. 5 v. Adn. 6 Sic Or. c. Mon. 1. 2. Duisb. Gud. 2.; quod nunc etiam *Klotzio* in Add. p. 160. probatur; *dicitur* reliqui; coniunctivum requirit seq. *nominetur;* Gud. II. *dr̄:* ex quo compendio intelligitur, quo modo *dicitur* oriri potuerit. V. ad c. 6, 12: *appellemus.*

ac vere Ciceroniana; equidem nihil mutandum existimo.

non quia iam sint] Voc. *iam* bene *Klotzius* interpretatur *eben;* significat repetitionem actionis aut id, quod quocunque tempore praesens est; *nunc* contra ipsum praesentiae punctum.

ex quo in aliis] „H. e. ex qua ratione, unde, *in Folge dessen.* Dicit Cicero: quoniam corporis et animi affectionibus, quibus homines saepe, non semper moventur, tribuimus tanquam perpetuam conditionem, ex hac ratione dicimus in aliis anxietatem, in aliis iracundiam." *Handius* ad Wopk. Lectt. Tull. I, 16. p. 126. Itaque Davisii coniectura *iracundia efficitur* pro *dicitur* aliena est ab huius loci sententia.

§. 28. *In multis etiam vitiis*] Quomodo vitia differant a perturbationibus, v. c. 13, 29. 30. princ.

et lividi *Wesenberg.* Em. I. p. 23. haec verba uncis includenda putat. Primum enim, inquit, neque *livendi* verbum neque quae inde derivata sunt de *invidia* C. usurpasse videtur; (usus ille inde ab Augusti temporibus frequens fuit; ex antiquioribus scriptoribus unus solus citatur D. Brutus, qui alia quoque habet, quae a Ciceronis dicendi consuetudine abhorreant, in ep. ad Cic. Fam. XI. 10, 1: malevolentia et livore.]); deinde *et lividi* post *et invidi* supervacaneum est; denique inter *invidi* et *lividi* parum commode interpositum est, quod quodam modo prioris est contrarium, *malevoli* (cf. §. 16, 17, 20, 66.). Librarius quum pro *ettimidi* prave *ettividi* scripsisset, ipse statim correxit.

quia — non quia semper ferantur] H. e. *ergo — misericordes* homines sunt aut dicuntur, *quia proclives ad eas pert.* sunt, *non quia semper ferantur.* Contra omnes libros, qui indic. *feruntur* habent, ego c. *Wesenbergio* Em. II. p. 22. scripsi *ferantur:* quod latinitas necessario efflagitat. V. nos in Gr. L. §. 153. Not. 2. extr. et Adnotata nostra in II. 23, 56. Coniunctivus enim semper *negatam* caussam notat, indicativus *veram;* indicativo igitur h. l. invidi, malevoli cett. *semper* ad eas perturb. ferri dicerentur: quod ab h. l. alienum est.

facilitas Nobis: Anlage, *proclivitas* Geneigtheit.

in neutris Stoici enim tria ponebant *bona*, *mala*, *neutra* aut ἀδιάφορα (res medias aut indifferentes), quae nec bona sunt nec mala. Plura si cupis, v. nos in libro dicto *de Cicer. in phil. mer.* p. 233. In eiusmodi igitur rebus ἀδιαφόροις illa aliorum ad alia proclivitas nomen habeat superius sc. *aegrotationis*, uti explicat *Nissenius:* prius cum Wolfio *superius no-*

XIII. Quo modo autem in corpore est morbus, est aegrotatio, est vitium[1]; sic in animo. *Morbum* appellant totius corporis corruptionem; *aegrotationem* morbum cum imbecillitate; 29. *vitium*, quum partes corporis inter se dissident: ex quo pravitas membrorum, distortio, deformitas. Itaque illa duo, morbus et aegrotatio, ex totius valetudinis corporis[1] conquassatione et perturbatione gignuntur; vitium autem, integra valetudine, ipsum ex se cernitur. Sed in animo tantummodo cogitatione possumus morbum ab aegrotatione seiun-

XIII. 1 v. Adn.

men retuleram ad nomen *facilitatis;* sed quum id proxime antecedat, non apte dici *superius nomen* recte *Klotzius* monet. *Proclivitas* Graece est εὐκατα-φορία aut εὐεμπτωσία. Diog. Laert. 7, 115.

Cap. XIII. *morbus*] Nobis: *Krankheit;* aegrotatio, *Siechheit;* vitium, *Gebrechen.*

est vitium] Sic Or. c. Gr. praestantissimo, L. in m. 1584., Rehd. „Qua ratione tria ista optime distinguuntur." Cf. ad Q. Fr. I. 1, 9: in quo *erat* dignitas, *erat* lex, *erat* voluntas. Plurimi codd., etiam R. P. Vat. Gud. 1. II., exhibent *est m., est aegr. et v.;* alii *in corpore morbus, aegr. et v.*

§. 29. *inter se dissident*] H. e. quum partes corporis inter se non conspirant.

corporis] Ern. *corporis* uncis circumdedit. Frustra. Opponitur enim sequenti *in animo*, uti recte monet Sch. De duplici autem genit. v. Adn. in II. 15, 35.

ipsum ex se cernitur] Veluti quum quis membrum distortum habet, haec distortio non pertinet ad reliquas corporis partes, sed ad solum (*ipsum*) illud membrum in eoque solo, non in ceteris quoque corporis partibus, cernitur (eminet, exstat).

Vitiositas] Locus sequitur difficillimus maximeque impeditus, qui editorum ingenia mirum in modum exercuit. (V. *Moseri* Exc. XIII. T. III. p. 387—390.) Ego totum locum sic intelligendum arbitror: Quomodo in corpore morbus, aegrotatio, vitium deprehenduntur; sic in animo tria reperiuntur, morbus, aegrotatio, vitiositas (*Krankheit, Siechheit, Fehlerhaftigkeit der Seele*). Quanquam in animo longe alia ratio est atque in corpore. Scilicet in corpore tria illa sunt inter se diversa; in animo non item. Etenim in animo morbus et aegrotatio re copulata sunt et cogitatione tantum seiunguntur, quum aegrotatio nihil aliud sit, nisi summus gradus morbi. Porro vitium longe aliud est in corpore atque in animo. Nam quum quis vitium in corpore habeat, integra tamen potest esse valetudo; nec vitium in corpore contrarium est sanitati corporis, neque ex eo oriuntur morbi et aegrotationes. Contra in animo vitiositas contraria est sanitati animi, i. e. virtuti, ex eaque concitantur perturbationes, quae efficiunt morbos et aegrotationes. Itaque vitium animi non ipsum ex se cernitur, uti vitium corporis, integra valetudine; sed conturbat animi sanitatem. Uti virtus est affectio animi constans conveniensque, ita vitiositas affectio (aut habitus) in tota vita inconstans et a se ipsa dissentiens. Ergo duo tantum in animo discernenda sunt, quorum alterum *morbos* et *aegrotationes* complectitur, alterum *vitiositatem*. Utrumque manat ex opinionum corruptione. *Vitiositas* est omnino is animi habitus, in quo sunt omnes insipientes. Quamdiu quis insipiens est, vitiositatis particeps est; solus sapiens vitiositatis expers est; eius enim iudicia opinionesque concordant. Haec autem vitiositas non in omnibus insipientibus par est, sed duos habet quasi gradus, quorum alter nihil aliud est, nisi iudiciorum opinionumque *inconstantia*, alter aperta iudiciorum opinionumque *repugnantia; non enim omne vitium partes habet dissentientes*, h. e. non omne vitium ita comparatum est, ut animi partes inter se *repugnent* aut *a se ipsae dissentiant.* Ut rem exemplo illustrem, *ii*, *qui non longe a sapientia absunt*, adhuc *insipientes* quidem sunt; viam ad sapientiam ducentem ingressi quidem iam sunt, sed in hac via adhuc vacillant atque titubant, adhuc *inconstantes* sunt, adhuc *sibi ipsi discrepant*, sed eorum iudicia opinionesque iam non inter se *repugnant* aut *a se ipsa dissentiunt*, iam *non* sunt *distorta nec prava.* Ex hac autem iudiciorum opinionumque *repugnantia* proficiscuntur morbi et aegrotationes. — His

gere. *Vitiositas* autem est habitus aut affectio in tota vita inconstans et a se ipsa dissentiens. Ita fit, ut in altera corruptione opinionum morbus efficiatur et aegrotatio; in altera inconstantia et repugnantia. Non enim omne vitium partes habet dissentientes, ut eorum, qui non longe a sapientia absunt, affectio est illa quidem discrepans sibi ipsa, dum est insipiens, sed non distorta nec prava. Morbi autem et aegrotationes partes sunt vitiositatis. Sed perturbationes sintne eiusdem partes, quaestio est. 30. Vitia enim affectiones sunt manentes,

expositis, reliquum est, ut pauca de singulis addam. Ac primum quidem contra *Wolfium*, *Neidium*, *Klotzium* aliosque monendum est, nomina *habitus aut affectio* non diversas h. l. habere significationes, sed unam eandemque rem notare. Per se quidem ita inter se differunt, ut *habitus* respondeat Graeco ἕξις (Zustand), affectio Graeco διάθεσις (Beschaffenheit); sed affectio, quae *per totam vitam* pertinet, idem significat, quod *habitus*. Deinde in eo vehementer lapsi sunt, quod post verba *ut in altera* comma posuerunt, quo indicaretur, verba *in altera* non cum verbo *corruptione* iungenda esse, sed prius *altera* ad *habitum*, posterius ad *affectionem* referendum. Audiamus *Klotzii*, qui Wolfii et Neidii sententiam secutus est, interpretationem: „*Vitiositas* aber (Gebrechlichkeit) ist ein im ganzen Leben (d. h. in jeder Beziehung des Lebens) unbeständiger u. mit sich selbst in Widerstreit stehender, dauernder (*habitus*) oder vorübergehender Zustand (*affectio*)." [At quomodo, quaeso, *ein vorübergehender Zustand* dici potest *in tota vita* inconstans et repugnans?] „Im letzteren (also in der *affectio*, oder der *vitiositas*, insoweit sie *affectio* oder vorübergehend ist) entsteht bei Verderbung der Ansichten *Krankheit* u. *Siechheit*, in dem ersteren (also in dem *habitus* oder der *vitiositas*, insoweit sie *habitus* oder dauernd ist; denn diess schwebte dem Schriftsteller hier vor, daher nicht *in altero*, sondern *in altera*) findet Unbeständigkeit und Widerstreit statt." Ex quo tandem fonte vir doctissimus doctrinam suam hausit? An oblitus est eorum, quae Tullius c. 10, 24. de morbis et aegrotationibus planissimis verbis exposuit? Sunt autem haec: Intelligatur igitur, perturbationem iactantibus se opinionibus inconstanter et turbide in motu esse semper: quum autem *hic fervor concitatioque animi inveteraverit et tanquam in venis medullisque insederit, tum exsistit et morbus et aegrotatio.* Porro ubi verba leguntur: *insoweit sie affectio ist, insoweit sie habitus ist?* Miror sane, quomodo vir Latine doctus simplicissima Ciceronis verba adeo detorquere ac pervertere potuerit.

in tota vita] Sic dicitur *in vita*, *in omni vita*, *in omni aetate*, *in omni aeternitate*, porro de vitae aetatibus: *in pueritia*, *in adolescentia*, *in senectute*; v. nos in Gr. L. §. 115. Not. 23. p. 231. ed. 2. Sic *hac in aetate* et *hac aetate* ita inter se differunt, ut hoc simpliciter de tempore, *quo* quid fit, illud de tempore, *intra quod* quid fit, dicatur. Sic de loco dicitur *totā terrā*, *totā Italiā* et sic porro, et *in tota terra*, *in tota Italia*; illud ponitur, ubi res per totum locum diffusa notatur, hoc, ubi res intra alicuius loci fines facta significatur. V. nos in Gr. L. §. 115, 10. p. 229. Cornel. Nep. Iphicr. 2, 3: quod maxime *tota* celebratum est *Graecia*. Cf. *Bremium* ad praefat. Nep. §. 5. p. 8. Sic dicitur *totā terrā* pro per totam terram, *totis castris*, *totis campis*, *toto corpore*, non *in tota terra*. At pro Ligar. 3, 7: in toto imperio populi R. (h. e. intra totum imp.).

partes habet dissentientes] Haec est scriptura omnium codd. et edd. vett., nisi quod R. et P. et sine dubio alii antiquiore forma dant *partis — dissentientis*. Sed in verbis: „*Non omne vitium partes habet dissentientes, ut eorum, qui non longe a sapientia absunt, affectio est discrepans sibi ipsa*" sententiae secum pugnare videntur. Quare Bentleius legendum suspicatur *non enim omne vitium* pares *habet* dissensiones (vel dissidentias). Tr. dedit *vit. pares habet † dissentientis*, *Wes.* Em. III. p. 6. *vit. † partis h. dissentientis*; sed probatur ei Bentleii coni. *pares — dissensiones*. At nulla opus esse mutatione, sed optime sese habere haec verba, luce clarius apparet ex eis, quae modo ad verbum *vitiositas* exposuimus.

§. 30. *Vitia — moventes*] Laster [sittliche Verkehrtheiten] sind beharrliche Zustände; die Leidenschaften aber wechselnde, uti recte vertit *Kernius*.

perturbationes autem moventes, ut non possint affectionum manentium partes esse. Atque ut in malis attingit animi naturam corporis similitudo, sic in bonis. Sunt enim in corpore praecipua: pulchritudo, vires, valetudo, firmitas, velocitas; sunt item in animo. Ut enim corporis[1] temperatio, quum ea congruunt inter se, e quibus constamus, sanitas: sic animi dicitur, quum eius iudicia opiniones-que concordant, eaque animi est virtus, quam alii ipsam temperantiam dicunt esse, alii obtemperantem temperantiae praeceptis et eam subsequentem, nec habentem ullam speciem suam, sed sive hoc, sive illud sit, in solo esse sapiente. Est autem quaedam animi sanitas, quae in insipientem etiam cadat, quum curatione et pertractatione[2]

2 Sic auctore Bruto scripsi cum Gud. 2. et Viud. 1. (sed hic *pertrect.*); eodem ducunt R. et P., in quibus est *plurbatione*, et Gud. 1. II. Gr. Mon. 2. Rehd. tres Oxx. Marb. Vind. 2. cod. Schotti, qui habent *perturbatione;* facile oculo ad seq. *conturbatio* aberrante, ex *pertractatione* fieri potuit *perturbatione;* unus Ox. Bal. paucae edd. vett. *cur. et gubernatione:* quod displicet; Mon. 1. *c. et provisione;* cod. Fabric. *c. et procuratione;* L. coni. *c. et purgatione:* quod miror a Tr. receptum esse; Or. aliique c. Pal. 5. *curatione medicorum*, omissis illis duobus verbis.

pulchritudo — velocitas] *Wesenberg.* Em. I. p. 20 sq., praeeunte Ursino, Ciceronem ita scripsisse suspicatur: *valet., pulchr., vires, firm., vel.* „Sic enim, inquit, primum *firmitas* cum cognato *vires* recte coniungitur (cf. §. 31: viribus c. et nervis et efficacitati), deinde ordo rerum enumeratarum eius inductionis, qua C. §. 30. 31. singulas persequitur, ordini rite respondet, denique legitimus ille atque usitatus „praecipuorum" ordo, quo primum *valetudo* est (cf. Ac. I. §. 19. Fin. IV. §. 35. et 49. V. §. 18. et 80.) servatur." Fateor, sic quidem Ciceronem subtilius scripturum fuisse; at editoris non est, si quid a scriptore minus accurate dictum sit, continuo emendare.

in animo. Ut enim corporis temperatio] Sic D. W. Or. de Camerarii sententia; codd. L. *in animo et corporis est temp.:* unde L. coni. *in an. Et ut corp. est temp.;* tres Oxx. Pal. 5. Ball. *in an. Est enim c. t.*, neque aliter Aug., nisi quod pro *est enim* ex prava compendii scriptura *est in* habet; eodem ducunt Mon. 2. et Duisb., qui habent *in an. sic enim c. t.*, eodem etiam R. P. Vat. Gud. 1. Gr. tres Pall. Marb. duo Oxx., in quibus est *in an. enim c. t.;* nam *est* facile ante *enim* per compend. scriptum excidere potuit; Gud. II. c. paucis aliis et pleraeque edd. vett. *in Animo: corp. temp.* Ex his omnibus scripturis maxime probabilis videtur esse ea, quam *Moser* recepit: *in animo. Est enim c. t.:* quae etiam *Wopkensio* p. 291., *Handio, Orellio* in ed. 1829. probatur. Saepius enim comparatio ita instituitur, ut ea ipsa res, quae ad alteram rem explicandam adhibetur, per se ponatur, deinde altera per *sic* subiungatur. *Wopkens.* comparat Offic. III. 10, 42: Scite Chrysippus, ut multa: Qui stadium, inquit, currit, eniti et contendere debet —, ut vincat; supplantare — nullo modo decet. *Sic* in vita sibi quemque petere, quod cett., ubi cf. *Beierum* p. 254. N. D. I. 27, 75: *sic* in Epicureo deo cett. III. 10, 26: *sic* igitur cett. De re ipsa apposite *Davisius* attulit Stobaei Ecl. eth. p. 168: ὥςπερ γὰρ τὴν τοῦ σώματος ὑγίειαν εὐκρασίαν εἶναι τῶν ἐν τῷ σώματι θερμῶν καὶ ψυχρῶν καὶ ξηρῶν καὶ ὑγρῶν· οὕτω καὶ τὴν τῆς ψυχῆς ὑγίειαν εὐκρασίαν εἶναι τῶν ἐν τῇ ψυχῇ δογμάτων.

animi dicitur] Scil. sanitas.

temperantiam] Supra c. 9, 22: „temperantia sedat appetitiones et efficit, ut eae rectae rationi pareant, conservatque considerata iudicia mentis." Quae iudiciorum opinionumque concordatio quum virtus sit, fuerunt, qui virtutem ipsam temperantiam, quae alias una quattuor cardinalium quae vocantur virtutum esse dicitur, esse censerent. Cf. Cicer. Partit. orator. c. 22: „*Est — vir virtutis duplex. Aut enim scientia cernitur virtus aut actione. Nam quae prudentia, quae calliditas, quaeque gravissimo nomine sapientia appellatur, haec scientia pollet una. Quae vero moderandis cupiditatibus regendisque animi motibus laudatur, eius est munus in*

medicorum conturbatio[1] mentis aufertur. 31. Et ut corporis est quaedam apta figura membrorum cum coloris quadam suavitate, eaque[1] dicitur pulchritudo; sic in animo opinionum iudiciorumque aequabilitas et constantia cum firmitate quadam et stabilitate virtutem subsequens aut virtutis vim ipsam[1] continens pulchritudo vocatur. Itemque viribus corporis et nervis et efficacitati similes similibusque[3] verbis animi vires nominantur. Velocitas autem corporis celeritas appellatur, quae eadem ingenii etiam laus habetur propter animi multarum rerum brevi tempore percursionem.

XIV. Illud animorum corporumque dissimile, quod animi valentes morbo tentari non possunt[1], corpora possunt; sed corporum

3 Sic R. P. Vat. Gud. 1. b. aliique nec paucae edd. vett.; duo Oxx. et aliae edd. vett. *similes similibus verbis*; Or. c. Mon. 1. et nonnull. edd. vett. *similibus quoque*. De permutatione verborum *que* et *quoque* in codd. laudat *Mos.* Goer. ad Finn. III. 2, 5. p. 312 sq. II. 8, 25. p. 157. II. 9, 26. p. 160. Legg. II. 24, 60. XIV. 1 v. Adn.

agendo: cui temperantiae nomen est:" et quae sequuntur, ubi aperte *fortitudo* et *iustitia* temperantiae subiiciuntur. Cf. quae supra III, 8. de *frugalitate* dicta sunt.

alii obtemperantem] Alii negabant, virtutem ullam habere speciem suam, h. e. certa quadam forma, qualis est temperantia, complectendam esse, sed tantum temperantiae praeceptis obtemperare.

conturbatio mentis aufertur] Pro *conturb.* quatt. Oxx. Mon. 2. Aug. Gud. 2. Duisb. et multae edd. vett. habent *perturbatio*, quod est incommodum glossema; nam, uti recte docet *Orellius*, agitur h. l. de physico animi morbo (*Gemüthskrankheit*), non de ea quae proprie dicitur animi *perturbatione* (*Leidenschaft*).

§. 31. *eaque*] Sic Or. recte c. vulg., coll. *Beier.* ad Offic. I. 28, 98. p. 217., monens: respondere superioribus: *eaque animi est virtus.* Adde *Handium* ad Wopkens. p. 128. D. Ern. W. Sch. e coni. Bentl. *ea quae dic.* Cf. ad c. 1, 2.

virtutis vim ipsam continens] Bentleius correxit *vim ipsa cont.*, ut haec sit sententia: illa aequabilitas et constantia aut virtutem subsequitur, aut ipsa est virtus. At recte *Klotzius* vulgatam defendit, quum interpretatur: nicht nur das Streben nach d. Tugend besitzend, sondern auch die Tugend selbst (also *ipsam*) in sich schliessend.

pulchritudo vocatur] „von der Seele gesetzt ist Stoischer, nicht Lateinischer Sprachgebrauch." *Wolf.*

animi multarum rerum brevi tempore percursionem] De duplici genitivo ex uno nomine apto v. ad II. 15, 35. Rarius autem eiusmodi genitivi ita ponuntur, ut primo loco sit primarius, altero secundarius, tertio nomen regens; nonnunquam etiam nomen regens primum locum occupat, ut Ligar. 5, 12: *studia* denique *generis* ac *familiae vestrae virtutis.* Plerumque nomen regens inter genitivos locum occupat: *animi percursio multarum rerum.* Infra c. 17, 40: fratris repulsa consulatus. Cf. *Goerenz.* ad Fin. III. 15, 51. *Madvig.* ad Fin. I. 5, 14: *Theophrasti orationis ornamenta*, et nos in Gr. L. §. 166. Not. 7. Praeterea observanda est elegans verborum collocatio, qua omnia vocabula, quae pendent a v. *percursionem*, arcte inter se copulata sunt. V. nos in Gr. L. §. 167. Not. 3.

Cap. XIV. *tentari non possunt, corpora possunt*] Haec est scriptura vulgata, edd. veterum et codd. tantum non omnium, etiam R. P. Gud. 1. II. b., auctoritate fulta. Non opus esse coniectura Bentleii a Wolfio recepta: *tentari possunt, ut corpora possunt*, neque scriptura codicis Lall. *morbo tentari possunt, corpora possunt*, *Orellius* et *Klotzius* demonstraverunt. Sententia huius loci sic accipienda est: Uti corpus, ita animum morbis obnoxium esse, c. 13. planissimis verbis dicitur; sed illud animorum corporum dissimile est, quod animi valentes, i. e. vere sani aut sapientes, morbo extrinsecus allato tentari non possunt; nam omnes animorum morbi et perturbationes non extrinsecus afferuntur, sed ex adspernatione rationis eveniunt at-

offensiones sine culpa accidere possunt, animorum non item: quorum omnes morbi et perturbationes ex adspernatione rationis eveniunt. Itaque in hominibus solum exsistunt; nam bestiae simile quiddam faciunt, sed in perturbationes non incidunt. 32. Inter acutos autem et inter hebetes [1] interest, quod ingeniosi, ut aes Corinthium in aeruginem, sic illi in morbum et incidunt tardius et recreantur ocius, hebetes non item. Nec vero in omnem morbum ac perturbationem animus ingeniosi cadit; non enim *in ulla* [1] efferata et immania; quaedam autem humanitatis quoque habent primam speciem, ut misericordia, aegritudo, metus. Aegrotationes autem morbique animorum difficilius evelli posse putantur, quam summa illa vitia, quae virtutibus sunt contraria. Morbis enim manentibus, vitia sublata esse pos-

que ita semper cum culpa coniuncta sunt; contra corpora valentia morbo extrinsecus allato tentari possunt; nam multi corporum morbi extrinsecus afferuntur atque ita sine culpa accidunt. *Tregder* auctore *Madvigio* verba *non possunt*, *corpora* uncis inclusit in praef. p. XXII. dicens: „verba *non possunt, corpora* pervertunt sane sententiam; nam agitur statim de animis aegris. Haec dicere voluit C.: in eo dissimilitudinem animorum et corporum inesse, quod corporum morbi interdum sine culpa acciderent, animorum autem semper cum culpa.“ Hanc coniecturam optimo iure explosit *Klotzius* in Add. p. 162.; nam si Cicero nihil aliud dicere voluisset, dubium non est, quin verba: *quod animi valentes morbo tentari possunt* omissurus nec quicquam aliud, nisi: *Illud a. c. dissimile, quod corporum off. sine culpa acc. possunt, animorum non item* scripturus fuerit.

in hominibus solum] V. ad c. 7, 15.

simile quiddam faciunt] Graece: ποιοῦσι τοιοῦτόν τι. Saepe verbum *faciendi*, ut Graecum ποιεῖν et nostrum *thun*, ita ponitur, ut alius verbi vices sustinens eius universam vim notet. V. infra V. 27, 78. 32, 90. Corn. Nep. Chabrias 3, 4: Neque vero solus ille *aberat* Athenis libenter, sed omnes fere principes *fecerunt* idem (h. e. libenter aberant Athenis): ubi v. *Bremium* p. 177. Cf. *Wopkens*. Lectt. Tull. I, 1. p. 2. ibique *Handium* et I, 3. p. 17. *Ochsner*. Ecl. Cic. p. 93. *A. Grotefend*. Comment. Mat. IX. 16, 5. *Passov*. Gr. Lexic. v. ποιεῖν 2) f. p. 494. *Kühner*. ad Xen. Commentar. III. 8, 2. De sententia comp. *Davisius* Senec. de Ira I. c. 3: Muta animalia humanis affectibus carent, habent autem similes illis quosdam impulsus. Stob. Ecl. eth. p. 175: ubi Stoici diversam esse statuere dicuntur τήν τε ἐν τοῖς λογικοῖς γιγνομένην ὁρμὴν καὶ τὴν ἐν τοῖς ἀλόγοις ζῴοις.

§. 32. *Inter acutos autem et inter hebetes*] Sic R. P. Vat. Fabr. Pal. 5.; Or. c. vulg. omisit posterius *inter*, comp. de Invent. I. 5, 6: inter officium autem et finem hoc interest. Alios locos contulit *Otto* in exc. VIII. ad Fin. p. 405 sq., quibus demonstrare studet, praepositionem *inter* non repeti, nisi ubi aliquot vocabula interposita sint, ut Agrar. II, 33: „videte, quantum intervallum sit interiectum inter maiorum nostrorum consilia et inter istorum hominum dementiam.“ Ratio igitur repetitae praepositionis sine dubio nulla alia est, nisi ut duo nomina, quibus haec praepositio praemissa est, accuratius distinguantur. Ubi nihil interponitur, cur praepositio repeti non soleat, facile intelligitur; nam tum haec accuratior distinctio minus necessaria est; at cur repeti non possit, sana ratio excogitari non potest. Cf. quae supra ad I. 12, 27. de repetita et omissa praepositione diximus.

ingeniosi, ut —, sic illi] Etsi subiectum iam antecessit, tamen saepe in enuntiationibus comparativis in primis in oppositione, pronomen demonstrativum subiectum praegressum repetens cum vi quadam ponitur. Cf. c. 30, 64. Legg. III. 2, 5: Noster vero Plato Titanum e genere statuit eos, *qui*, ut illi caelestibus, sic *hi* (vel potius *ii*) adversentur magistratibus. Cf. *Hülsemann*. ad Acad. II. 5, 14. p. 455. Idem fit saepe apud Graecos, ut Xen. Commentar. I. 2, 24: Ἀλκιβιάδης —, ὥςπερ οἱ τῶν γυμνικῶν ἀγώνων ἀθληταὶ ῥᾳδίως πρωτεύοντες

sunt[2], quia *hi *[3] non tam celeriter sanantur, quam illa tolluntur. 33. Habes ea, quae de perturbationibus enucleate disputant Stoici, quae logica appellant, quia disseruntur subtilius. Ex quibus quoniam tanquam e[4] scrupulosis[5] cotibus enavigavit oratio, reliquae disputationis cursum teneamus, modo satis illa dilucide dixerimus pro rerum obscuritate. *A.* Prorsus satis; sed si quae[5] diligentius erunt cognoscenda, quaeremus alias; nunc vela, quae modo dicebas, exspectamus et cursum.

XV. 34. *M.* Quando et aliis locis de virtute et[1] diximus, et saepe dicendum erit, (pleraeque enim quaestiones, quae ad vitam moresque pertinent, a virtutis fonte ducuntur;) quando igitur virtus

2 Sic Or. c. codd. Leid. El. 2. uno Ox. et L. e coni. pro vulg. *subl. esse non possunt; non* additum vdtr eo, quod librarii oculus ad seq. *non* aberravit: cuius generis exempla multa collegit *Wes.* Em. I. p. 6. 3 v. Adn. 4 Sic Or. c. plerisque codd., etiam P.; alii, etiam R., *ex scr.* 5 v. Adn. XV. 1 Sic R. P. Gud. 1. multique alii; Or. c. vulg. om. *et:* quod probat *Wes.* Em. I. p. 31.

ἀμελοῦσι τῆς ἀσκήσεως, οὕτω κἀκεῖνος ἠμέλησεν αὐτοῦ: ubi v. Adnotata nostra. De collocatione verborum *in morbum et incidunt tard., et recr. oc.* v. Adnot. in I. 31, 75: *Hoc et dum erimus.*

non enim in ulla efferata et immania] Sic Or. de praeclara Bentleii coniectura edidit. Minus placet altera eius coniectura, a W. recepta: *in ullam efferatam et immanem*, neque tertia: *in vitia efferata et immania.* Scriptura codicum et edd. vett. *non enim multa efferata et immania* plane insulsa est, nec satis mirari possum eam a *Klotzio* non solum in ordinem verborum receptam, sed etiam miro quodam animi fervore defensam esse: quanquam nunc in Add. p. 163. fatetur, eam sibi iam non satisfacere, et ipse, qui Bentleium ob coniecturas suas acerbissime exagitat, coniecturam proponit Bentleianae tertiae consimilem: *Non enim sunt vitia eff. et imm.*

quia hi non tam celeriter sanantur] Sic scripsi e coni. L. Vulgo om. *hi.* Or. e coni. D. *qui non tam* etc.; Klotzius retinuit vulgatam. Sed pronomen prorsus necessarium est, quia eo omisso verba *non tam celeriter sanantur* referenda essent ad *vitia.* Cur autem *hi — illa,* non *illi — haec* dictum sit, v. ad I. 49, 117.

§. 33. *Habes*] V. ad III. 17, 38.

scrupulosis] Sic omnes fere codd.; eodem ducunt R. P. Gud. 1., in quibus est *scruplosis.* Or. e coni. Lambini edidit *scruposis;* sed nulla caussa est, cur recedamus a vulg. *Davisius* advocavit Pacuv. ap. Priscian. VI. col. 713: Advenio in scrupulosam specum. *Manutius* coni. *scopulosis*, ut est in uno Ox. et legitur in or. in Caecil. 11, 36: in *scopuloso* difficilique in loco verser. pro Cael. 21, 51: emersisse iam e vadis et *scopulos* praetervecta videtur oratio mea. Heliodor. epist. I. p. 4. ed. Vict.: e *scopulosis* locis enavigavit oratio. Elegans quidem est haec coniectura, sed huic loco minus apta, quam vulg.

si quae diligentius erunt cognoscenda] Sic multi codd., etiam R. P. (hi *si que*) Gud. 1.; Or. c. vulg. *si qua.* Si h. l. scriptum esset *si qua*, intelligendae essent res quaelibet, *si quae* autem significat certas res, quae pertinent ad ipsam quaestionem. Pari modo substantivae formae *si quis*, *si quis homo*, *si qua*, *si qua res*, *si quid* ab adiectivis formis *si qui*, *si qui homo*, *si quae*, *si quae res*, *si quod*, *si quod officium* differunt, ut priores usurpentur, ubi universa personae aut rei notio spectatur et quaelibet persona aut res intelligitur, posteriores, ubi qualitas personae aut rei respicitur, h. e. persona aut res, cuius certam quandam qualitatem scriptor in mente habet, notatur. Cf. nos in Gr. L. §. 124. Not. 2. Infra V. 8, 22. recte legitur *si quae pars.* Quae *Stürenburg.* ad or. p. Arch. poeta p. 83 sqq. de formis pluralibus *si qua* et *si quae* disputavit, optime sese habent; quae autem de singularibus formis dixit, a vero ita abeunt, ut contrarium potius statuendum sit. Aliam rationem inivit *Beier* ad Off. II. 21, 74. p. 142—144.

Cap. XV. §. 34. *a virtutis fonte*] H. e. a virtute tanquam fonte. V. ad I. 45, 109.

quando igitur] Saepe apud Ciceronem

est affectio animi constans conveniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus est, et ipsa per se, sua sponte, separata etiam utilitate, laudabilis; ex ea proficiscuntur honestae voluntates, sententiae, actiones omnisque recta ratio; quanquam ipsa virtus brevissime recta ratio dici potest. Huius igitur virtutis contraria est vitiositas; (sic enim malo, quam malitiam appellare eam, quam Graeci κακίαν appellant; nam malitia certi cuiusdam vitii nomen est, vitiositas omnium;) ex qua concitantur[2] perturbationes, quae sunt, ut paullo ante diximus, turbidi animorum concitatique motus, aversi a ratione et inimicissimi mentis vitaeque tranquillae. Important enim aegritudines

2 v. Adn.

post parenthesin perspicuitatis caussa unum vel plura vocabula repetuntur, additis particulis *igitur*, *ergo*. Cf. supra I. 7, 14. Exempla coacervavit *Scheller* in Praecept. stili Latini T. II. p. 599 sq. Oratio autem hiulca est, nisi forte cum Manutio sic legere placet: *quando*, ut *aliis locis de v.* et *diximus, et saepe d. e.*, vel potius sic: *quando*, ut *et aliis locis d. v. diximus, et s. d. e.* Quae emendatio de mea quidem sententia magnam prae se fert veritatis speciem, quum facile *ut* ob sequens *et* excidere potuerit; eamque necessario efflagitare videtur sententiarum nexus. Denique de coniunctione *quando* observandum est, eam pro *quoniam* vel *quandoquidem* rarius a Cicerone usurpari (Orellius affert pro Caecina §. 31. Parad. V, 1. N. D. III, 17. Cf. *Ramshorn.* §. 191. p. 850. ed. 2.), et plerisque in locis a librariis corruptam esse. Propter compendiorum similitudinem *quando* et *quoniam* in codd. saepe permutata sunt, uti h. l. pro priore Rehd., pro posteriore unus Ox. habent *quoniam*. Charis. ap. Putsch. p. 86. tradit: *quando* acuta prima syllaba interrogationem temporis significat; sed posteriore acuta *quoniam* vel *quandoquidem*. Addit *Moser* Beier. ad C. Brut. 55, 201. prc. p. 292 sq. ed. Orell. ibid. Topic. V, 26. p. 387 sq. Quomodo autem *Otto* ad Fin. I. 4, 10. p. 15., *quando* hac potestate usurpatum nusquam apud Ciceronem reperiri, locosque, ubi reperiatur, corruptos esse et per *quoniam* e codd. emendandos, dicere potuerit, non video.

virtus est affectio animi constans] Sic Fin. III. 20, 65: Ex hac animorum affectione: ubi *Goerenz.* p. 394. dicit, expressam sibi videri Stoicorum διάθεσιν, i. e. cogitandi et sentiendi rationem, quae in mores consuetudinemque abiit; sic hoc loco *virtus* διάθεσις ψυχῆς σύμφωνος αὐτῇ, ut ap. Stob. est Ecl. Eth. II. p. 104. Sic Cleanthes ap. Diog. L. 7, 89. statuit, τὴν ἀρετὴν διάθεσιν εἶναι αἱρετήν, οὐ διά τινα φόβον ἢ ἐλπίδα ἤ τι τῶν ἔξωθεν. Cf. *Beier.* ad Offic. II. 6, 29. p. 230. Dein de *recta* (i. e. absoluta) ratione (ὀρθῷ λόγῳ) cf. infra V. 13, 39.

κακίαν] Fin. III. 11, 39: Quas enim κακίας Graeci appellant, vitia malo, quam malitias nominare. De vi huius vocabuli cf. N. D. III. 30, 75: est enim *malitia* versuta et fallax nocendi ratio. Cf. *Klotz.* et *Iordan.* ad or. p. Caecin. I, 2.

concitantur] Sic optime Manutius ex antiquo libro emendavit codicum scripturam *cogitantur*. V. ad III. 11, 25: *bonorum opinione turbantur*. Aliae minus probabiles coniecturae sunt *agitantur*, *coagitantur*, *cooriuntur*, *progignuntur*. Quod autem paullo post verbum *concitatique* recurrit, offensioni esse non debet. Cf. infra c. 37, 81: depellitur — depellitur. V. *Wopkens.* Lectt. Tull. p. 259. H. *Madvig.* ad Fin. I. 12, 41. p. 86 sq. et Indicem v. *Repetitio*.

quam —, impotentiam — dissidentem] Verba *impotentiam — dissidentem* inserviunt explicandis verbis *appetitione nimia*, ut hanc vim habeant: *appetitione nimia, h. e. impotentia quadam — dissidente*; sed eiusmodi explicationes Latinus sermo non tanquam appositiones antecedenti nomini adiungit, sed subsequenti enuntiationi relativae subiungit. V. nos in Gr. L. §. 145. Not. 13.

ecfertur] Sic scripsi c. D. ed. 1. W. Or. e Bentleii coniectura (*effertur*), etiam Klotzio in Add. p. 164 sq., Wesenbergio Em. III. p. 7., Mosero in censura laud. p. 341. probata. Ducunt ad eam optimus cod. Col., in quo est *affertur*

anxias atque acerbas animosque affligunt et debilitant metu: iidem[3] inflammant appetitione nimia, quam tum[4] cupiditatem, tum libidinem dicimus, impotentiam quandam animi a temperantia et moderatione plurimum dissidentem. 35. Quae si quando adepta erit id[5], quod ei fuerit[7] concupitum, tum[7] *ecfertur*[8] alacritate, ut nihil ei constet[8], quod[8] agat, ut ille, qui *voluptatem animi nimiam summum esse errorem* arbitratur. Eorum igitur malorum in una virtute posita sanatio est.

XVI. Quid autem est non miserius solum, sed foedius etiam et

3 Gud. 1. II. 2. Marb. unus Ox. *idem:* quae est antiqua forma pro *iidem;* de R. et P. ap. Tr. nihil monitum est. 4 D. *cum*, ut vdtr. e coni., male. V. ad V. 25, 72. 5 Sic L. in marg. ed. 1584. Pro *adepta erit id* habent R. Vat. Gud. 1. b. aliique *eademptaretur id:* unde Mos. corr. *quando se adeptam retur id;* Kl. *quando est adepta revera id*, aut (Add. p. 164.) *quando adepta videtur id.* Utraque coniectura vana est. P. *ea temptaretur id*, alii *adeptaretur id;* vulgo *adepta est id.* 6 Ern. coni. *fuerat.* At v. Adn. 7 Bentl. coni. *tam:* quod praefert *Otto* ad Fin. II. 4, 13., quum neque opus sit sibi respondere *si quando* et *tum*, et efferenda sit notatio impetus cupiditatis, quod per *tam* fiat. 8 v. Adn.

(Fabric. ap. Gebh. *affert*), et praestantissimus Gr., qui ex Gebhardi testimonio in margine ed. 1584. *ea fertur* habet. Vulgo legebatur *fert alacritatem*, neque aliter cod. P.; R. Vat. Gud. 1. II. aliique multi dant *fert alacritate:* quod sine dubio e comp. *fert*˜ (i. e. fertur) ortum est; ac *fertur alacritate* revera legitur in Gr. e testimonio Orellii, Vind. 1., codd. Lall. In vocabulis a litteris *ecf* incipientibus usquequaque codicum scriptura fluctuatur. V. ad I. 17, 39. 19, 43. II. 8, 20. 9, 21. IV. 6, 12. et quae collegit *Wesenb.* l. d., qui idem verissime observavit, ubi ea perturbationum pars, quae est *laetitia gestiens*, qua animus inauiter et *effuse exsultat* (6, 13. V. 6, 16.; Stoici ita definiebant ἄλογον ἔπαρσιν „*sine ratione elationem*"), commemoraretur, Ciceronem semper *ecferendi* (i. e. exsultandi, gestiendi) verbo uti, comp. III. 10, 23. IV. 6, 12. 7, 14. 17, 37. 39. 31, 66: *elati* laetitia. 32, 68: *efferunt* se laetitia. V. 6, 16. 17. multisque aliis locis. *ferri* (= rapi, incitari ad aliquid potiundum agendumve) recte dici de *libidine* eiusque partibus (III. 2, 4: qui voluptatum libidine *feruntur.* 5, 11: qui effrenati *feruntur* aut *libidine* aut *iracundia*). Quod autem idem *Wesenb.* l. d. p. 8. ne scripturam *ecfertur* quidem vitio carere putans scribendum esse censet *ecferetur*, id probare non possum. Ex vulgari quidem dicendi ratione requiritur aut *si ad. est — fuit — ecfertur*, ut V. 18, 54., aut *si ad. erit — fuerit — ecferetur.* At h. l. additum adverbium *tum* praesenti *ecfertur* quodam modo futuri vim tribuit. — Ne quis autem pro *fuerit concupitum* exspectet *erit conc.*, v. ad II. 14, 32: *confessus eris.*

ut nihil ei constet] Sic bene Bentl. emendavit. Vestigia codicum R. Gud. 1. II. b., in quibus est *nihil est constet*, aperte ad eam ducunt; reliqui fere omnes *nihil esse constet:* W. *nihil constet*, quod probat Goerenz. ad Fin. II. 4, 14. p. 133. et recepit Or. Deinde Klotzius c. R. P. Gud. 1. II. aliisque edidit *quid agat* pro vulg. *quod agat*, comp. Caes. B. G. III, 14: neque satis *Bruto*, neque *tribunis* militum *constabat*, *quid agerent.* Sed hic locus nihil probat, quia ibi non est additum *nihil.* Quare cum *Wesenb.* Em. III. p. 9. tuendum censeo *quod;* nam h. l. *nihil* notare non potest *omnino non.* V. eundem in Em. Cic. epist. p. 51 sqq. et nos ad III. 18, 41: nec habeo, quod intelligam.

voluptatem — errorem] Respexit Cicero versum Trabeae, poëtae comici, cuius prima pars de Finib. II. 4, 13. legitur sic: *tánta laetitia aúctus sum, ut nihil constet.* Cf. ad Fam. II. ep. 9.: Repente vero incessi omnibus laetitiis laetus. In quo quum obiurgarer, quod nimio gaudio paene desiperem: ita me defendebam: *Ego voluptatem animi nimiam:* unde Bentleius hunc versum trochaicum composuit: *Ego voluptatem animi nimiam summum esse errorem arbitror.*

Cap. XVI. *Quid autem est*] *Beier* ad Offic. II. 15, 54. verba sic transponenda censet: *quid est autem;* de quo ordine v. quae diximus ad I. 27, 66.; sed ibidem vidimus, hunc verborum ordinem

deformius, quam aegritudine quis afflictus, debilitatus[1], iacens? Cui miseriae proximus est is, qui appropinquans aliquod malum metuit exanimatusque pendet animi. Quam vim mali significantes poëtae impendere apud inferos saxum Tantalo faciunt

Ób scelera animique impotentiam ét superbiloquéntiam.

Ea communis poena stultitiae est. Omnibus enim, quorum mens abhorret a ratione, semper aliqui talis[1] terror impendet. 36. Atque ut hae tabificae mentis perturbationes sunt, aegritudinem dico et me-

XVI. 1 v. Adn.

nonnunquam, sed raro, a Tullio neglectum esse. Quare nihil mutare audeo.

debilitatus, iacens] Sic recte Or. c. R. P. Gud. 1. II. Vat. Gr. aliisque; alii codd. et pleraeque edd. vett. *debilitatusque iacens:* quod D. defendit c. 17: *oppressus iacens.* II, 22: *afflicti* et *exanimati iacent.* Sed melius tria *affl.*, *deb.*, *iacens* respondent tribus antecedentibus *miserius*, *foedius*, *deformius.* Saepe participium *iacens* tanquam adiectivum idem fere significat, quod *afflictus.* V. *Wopkens.* Lectt. Tull. p. 83. Hand. et nos ad II. 13, 32. Miro modo *Klotzius* verba sic distinxerat: *quis afflictus debilitatusque, iacens;* sed nunc in Add. p. 425. illud *que* abiiciendum censet.

pendet animi] de Legg. I. 3, 9: ego *animi pendere* soleo. ad Attic. VIII. 5, 2: *pendet animi* exspectatione Corfiniensi. Ibid. 16, 12: *animi pendeo* et de te et de me. In hac similibusque locutionibus *animi* non pro genitivo, sed pro *locativo*, ut in *domi*, *humi* cett., habendum est. V. nos in Gr. L. §. 116. Not. 4. et 5. Supra I. 40, 96. legitur: *pendemus animis:* ubi non improbabiliter *Wesenberg.* Em. III. p. 27. ex cod. Ursini legendum censet *animi*, de *s* in archetypo addito comp. Em. I. p. 29. Nam abl. plur. in hac locutione nullo alio loco reperitur, nisi hoc et Liv. 7, 30. extr.: quid illis nos sollicitis ac *pendentibus animis* renuntiare iubeatis. (Lucret. 6, 50: pavidis quum pendent mentibus huc non pertinet.) Deinde etiam in similibus locutionibus sive de uno sive de pluribus *animo* dici solet, ut *animo angimur, frangimur, commovemur; animi* ap. Liv. 8, 13: populos — *suspensos animi* habent. 6, 36: capti et *stupentes animi.* Neque aliter C. Legg. I. 9, 27: quemadmodum *animo affecti* sumus: quanquam de Or. I. 19, 87. cum Ellendt. ex optimis codd. legendum videtur: et uti ei, qui audirent, sic *afficerentur animis:* ubi *Ellendt.* comp. relaxari *animis* C. Ph. II. 16, 39. *animis* concidere Caes. B. G. VIII. 19, 6. Etiam simpliciter *pendere* hac vi ponitur. V. *Ruhnken.* Dictata in Terent. Heaut. IV. 3, 5. et *Wyttenbach.* ad Cicer. de Legg. I, 3. p. 25. Cr.

impendere — saxum — faciunt] Ex vulgari structura (v. nos in Gr. L. §. 129, 2.) exspectamus *impendens;* infinitivus addi potuit verbo *faciendi*, quia h. l. notionem narrandi involutam habet. Infra V. 39, 115. duplicem hoc verbum structuram iunctam habet: Polyphemum Homerus — eum acute etiam *colloquentem facit* eiusque *laudare* fortunas.

Ob scelera] Est versus trochaicus catalecticus. De Tantali supplicio et de eius caussa discrepant inter se scriptores. Cum Cicerone et h. l. et Fin. I. 18, 60. conspirant Archilochus ap. Pausan. X, 31. Pind. Ol. I, 95. Eur. Or. 5: ubi v. *Porson.* Plat. Cratyl. 395. E. aliique plerique; alia tradit Hom. Od. λ, 582. Verba Latina respondent fere Graecis ap. Eur. ἀκόλαστον (impotentiam) ἔσχε γλῶσσαν (superbiloq.) αἰσχίστην νόσον. Unde autem versus sumptus sit, non constat. *Orellius* commemorat, *Tantalum* a Nonio v. *praegreditur* p. 175. Pacuvio tribui, et a Bothio Poett. Scen. p. 277. in Incertis poni.

aliqui talis terror] Recte Orellius praeeunte Wolfio cum Iac. Gronovio *aliqui* pro vulg. *aliquis* restituit; plurimi enim codd. et optimi, ut R. P. Gud. I. Vat. b., habent *aliquid aliis terror:* quod quum non intelligeretur, ex interpolatione orta est haec scriptura: *aliquis aliis dolor, aliis terror imp.* Etiam aliis locis apud Ciceronem forma numeri singularis *aliqui* a librariis est corrupta. *Aliqui* ab *aliquis* ita differt, ut *qui* a *quis; aliqui* est forma adiectivi, *aliquis* forma substantivi. V. nos in Gr. L. §. 124. Not. 2. Cf. supra I. 11, 23: deus *aliqui.* V. 21, 62: *aliqui* terror impendeat. pro Sest. 62, 131: *aliqui* sensus. ad Fam. 7, 1. Victor. et Or.

tum; sic hilariores illae, cupiditas avide semper aliquid expetens et inanis alacritas, id est laetitia gestiens, non multum differunt ab amentia. Ex quo intelligitur, qualis ille sit, quem tum[2] moderatum, alias modestum, tum[3] temperantem, alias constantem continentemque dicimus; nonnunquam haec eadem vocabula ad frugalitatis nomen, tanquam ad caput, referre volumus. Quod nisi eo nomine virtutes continerentur, nunquam ita pervulgatum illud[3] esset, ut iam proverbii locum obtineret, *hominem frugi omnia recte*[4] *facere.* Quod

2 Male Gud. 2. *cum moder.* V. ad V. 25, 72. 3 v. Adn. 4 R. P. Gud. 1. aliique codd. *recta f.*

ediderunt: dolor *aliqui.* N. D. III. 38, 91. *Moser* in ed. minore p. 235. recte edidit: iratus *aliqui* deus. de Rep. I. 44, 68: *aliqui* dux. ib. III. 16, 26: *aliqui* scrupus. Substantive *aliqui* legitur pro Sest. 13, 39., uti *si qui* dr. V. *Goerenz.* ad Acad. II. 7, 19. et c. 26, 86. *Beierum* ad Off. III. 7, 33. *Moserum* ad I. 11, 23., qui laudat *Frotscher.* Observv. critt. in quosdam locos Quinctil. p. 34. et nov. Forcellinii ed. Germ. p. 134. v. *aliqui.* At multis locis apud Ciceronem legitur *aliquis*, ubi exspectes *aliqui*, ut supra I. 34, 82. in omnibus libris: *aliquis* dolor. II. 20, 26: dolor *aliquis.* IV. 21, 48: Pacidianus *aliquis.* Unde sequitur, ut iam Ciceronis aetate forma substantivi *aliquis* etiam pro forma adiectivi *aliqui* usurpari coepta sit: qui usus postea communis factus est.

§. 36. *aegritudinem dico*] V. ad V. 36, 105.

alias modestum, tum] Verba *alias modestum* D. aliique exterminanda censuerunt, sed optimo iure tutati sunt *Wopkensius* Lectt. Tull. p. 128. et *Handius* ad eum, comp. III. 8, 16: ubi pari modo vocabula eiusdem fere significationis coacervata sunt ad Graeci vocabuli σώφρων vim late patentem exprimendam. Porro Or. c. P. et aliquot Oxx. et plerisque edd. vett. edidit *et temperantem;* copulam *et* abhorrere ab h. l., vere demonstrat *Wesenberg.* Em. III. p. 9 sq.; varia enim, quibus C. Graecorum σώφρονα appellat, nomina coacervantur; *modestus* autem et *temperans* non unam atque eandem, sed differentem notionem ap. Cic. significant, uti ex III. 8, 16. luculenter apparet. Plura comparavit *Wes.:* Fin. II. §. 60. Off. III. §. 116. I. §. 98.; alii codd., etiam R. et P. ap. Wes., et edd. vett. Gebh. et Verb. habent *modestum, temperantem*, omissa particula copulativa; praestantissimus Gud. 1. exhibet *modestum, tum temperantem:* quam scripturam, etiam *Klotzio* in Add. p. 165 sq. et *Wesenbergio* l. d. probatam, non dubitavi cum *Mosero* in ordinem verborum recipere. Quam facile *tum* ab ultima antecedentis vocabuli *modestum* absorberi potuerit, vix est, quod moneam. De vocabulis *tum — alias — tum — alias* attulit *Klotzius* Hermannum ad Vig. p. 702. ed. 3. Adde *Hand.* Tursell. I. p. 221. et quae *Wesenb.* l. d. contulit: de Or. I. §. 177. III. §. 206. N. D. I. §. 31. 32. 34. 35. 103. II. §. 40.

ad frugalitatis nomen] V. ad III. 8, 16.

Quod nisi] Sic *quod si, quod etsi, quod quia, quod quoniam, quod quum, quod ubi, quod ut, quod utinam, quod qui* saepius apud Ciceronem leguntur. *Orellius* comp. *quod quoniam* Inv. II, 2. *quod ut* Milon. 19. *quod quidem* N. D. II. §. 24. *Moser* sua ad N. D. p. 95. ed. min. *Beier.* ad Lael. 15, 53. p. 83. *A. Matth.* pro Sulla 24, 68. p. 41. Cf. nos in Gr. L. §. 145. Not. 21. *Ramshorn.* §. 200. II. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 17. et *Otton.* ad Fin. I. 20, 67. p. 73. Illud *quod* inservit interiori sententiarum cum antecedentibus nexui significando.

ita pervulgatum illud] Sic plerique codd., etiam R. P. Gud. 1. II. b., et edd. vett. SED.; pleraeque edd. vett. *illud ita pervulg.;* unus Vat. *ita per illud vulg.:* quod nonnulli receperunt et *Garatonius* ad Sestian. p. 129. probavit. *Orellius* docet tmesin istam videri habere locum duntaxat in talibus [ante pronomen]: *per mihi scitum videtur, per mihi gratum accidit*, non item in participiis compositis *pervulgatus, permotus, perscriptus* cett., quia *per* in eis non *valde*, sed *prorsus* (allgemein, durchaus, vollständig) notat, nisi ubi participium adiectivi vim induit, uti *per . . . accommodatus* (*angemessen*); nam verbum peraccommodandi nullum est. V. *Moserum* in censura laud. p. 542. Sed *E. V. E. Vo-*

idem quum Stoici de sapiente dicunt, nimis admirabiliter nimisque magnifice dicere videntur.

XVII. 37. Ergo hic[1], quisquis est, qui moderatione et constantia quietus animo est sibique ipse placatus, ut nec tabescat molestiis, nec frangatur timore, nec sitienter quid expetens ardeat desiderio, nec alacritate futili gestiens deliquescat, is est sapiens, quem quaerimus, is est beatus, cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis laetabile ad ecferendum[2] videri potest. Quid enim videatur ei magnum in rebus humanis, cui aeternitas omnis totiusque mundi nota sit magnitudo? Nam quid[3] aut in studiis humanis aut in tam exigua brevitate vitae[4] magnum sapienti videri potest, qui semper animo sic excubat, ut ei nihil improvisum accidere possit, nihil inopinatum, nihil omnino novum? 38. Atque idem ita acrem in omnes partes aciem intendit, ut semper videat sedem sibi ac locum sine molestia atque angore vivendi, ut, quemcunque casum fortuna invexerit, hunc apte et quiete ferat: quod

XVII. 1 Sic Or. c. R. P. Med. *hic* pro *is*. Pron. dem. *hic* h. l. aptissimum est; persona enim, quae describitur, quasi oculis nostris subiicitur. V. ad I. 3, 5. 2 Nonnulli codd., etiam R. P. Gud. 1. II., corrupte *ad ferendum*. V. ad 15, 35. Vulgo *efferendum*. 3 Bouh. coni. *Iam quid;* Bentl. coni. *Numquid*, ut est in uno Ox.; vulg. recte se habet. V. Adn. 4 Edd. ante Gebh. fere omnes *vitae br.*

gelius, a Mosero allatus, in Probus. Bipont. 1831. p. 27 sq. non solum ante pronomen, sed latius patere istius tmesis usum docet, comp. Famm. III, 5: dixit *per* fore *accommodatum* tibi. Attic. X, 1: *per* enim *magni* aestimo. de Or. I, 47: *per*grata *perque iucunda*.

nimis admirabiliter] Fin. III. 22, 75: „Quam gravis vero, quam magnifica, quam constans conficitur *persona sapientis?*“ et quae sequuntur.

Cap. XVII. §. 37. *quisquis est*] V. ad I. 46, 110. De seq. *sibi ipse* placatus, pro quo exspectes *sibi ipsi*, v. ad I. 30, 73.

sitienter] De adverbiis in *nter* exeuntibus v. *Beier.* ad Offic. I. 10, 33. p. 77 sq., qui in ipsa conscribenda observatione de illis adverbiis satis iocularitor omnibus fere eiusmodi quae apud probos scriptores leguntur adverbiis usus est. Minus trita sunt: audenter, intelligenter, sapienter, reverenter, obsequenter, pudenter, observanter, insolenter, ardenter, ignoranter, furenter, latenter, appetenter.

is est sapiens] Pronomen *is* cum vi quadam et perspicuitatis caussa repetitum est. V. ad III. 8, 18.

Quid enim — ? Nam quid — ?] *Enim* antecedentis enuntiationis caussam notat; *nam* habet explicandi vim. Sapiens neque adversis rebus animum demittit, neque laetis se effert. Nihil *enim* sapienti, cui aeternitas omnis totiusque mundi magnitudo nota est, in rebus humanis magnum videri potest. *Scilicet* (*nam*) illa aeternitatis totiusque mundi contemplatio efficit, ut humana studia prae illis divinis et vitae brevitas prae aeternitate parva atque contemnenda videantur sapienti, qui etc.

animo — excubat] *Moser* comparat Phil. VI. 7, 18: consilio excubare. *Menkius* in Observv. ined. laudat *Dukerum* ad Flor. I. 1, 15.

nihil improvisum accidere etc.] De discrimine, quod est inter *nihil improvisi* et *nihil improvisum mihi accidit* v. nos in Gramm. L. §. 111. Not. 15.

§. 38. *videat sedem sibi*] Cf. ad III. 19, 46.

apte — ferat] *Apte ferre* bene *Wolfius* dicit de onere dici, quod apte humeris impositum facilius fertur.

mollis et enervata Peripateticorum ratio] V. supra III. 10, 22.

ratio et oratio] Nobis: *Ansicht und Ausdruck.* Saepius iunguntur apud Ciceronem haec duo nomina, ut infra IV.

qui faciet, non aegritudine solum vacabit, sed etiam perturbationibus reliquis omnibus. His autem vacuus animus perfecte atque absolute beatos efficit, idemque concitatus et abstractus ad integra certaque ratione non constantiam solum amittit, verum etiam sanitatem. Quocirca mollis et enervata putanda est Peripateticorum ratio et oratio, qui perturbari animos necesse dicunt esse[5], sed adhibent modum quendam, quem ultra progredi non oporteat. 39. Modum tu adhibes vitio? an vitium nullum est non parere rationi? an ratio parum praecipit, nec bonum illud esse, quod aut cupias ardenter, aut adeptus ecferas[6] te insolenter? nec porro malum, quo aut oppressus iaceas, aut, ne opprimare, mente vix constes? eaque omnia aut nimis tristia aut nimis laeta errore fieri? Qui si error stultis extenuetur die, ut, quum res eaedem maneant[7], aliter ferant inveterata, aliter recentia; sapientes ne attingat quidem omnino. 40. Etenim quis erit tandem modus iste? Quaeramus enim modum aegritudinis, in quo[8] operae plurimum ponitur. Aegre tulisse P. Rupilium[9] fra-

5 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. aliisque multis pro vulg. *esse dic.* 6 Sic Gud. 1. et D. sine dubio e codd.; eodem ducunt scripturae *et feras, afferas;* Or. c. vulg. *efferas.* V. ad 15, 35. 7 Sic 4 Oxx. Aug. Rehd. Gud. 2. Mon. 1. 2.; eodem ducunt R. P. Gud. 1. II., in quibus est *res eadem maneant;* Or. c. plerisque edd. vett. *res eadem maneat;* Mos. recte praefert pluralem, quum pluralis et antecedat (*eaque omnia*) et sequatur (*inveterata, recentia*). „*Res* autem intelligit eas, quae aut nimis tristes, quasi malae, aut nimis laetae, quasi bonae, errore fiant.“ *Mos.* 8 v. Adn. 9 Sic emendav. M. ex fastis Capitolinis et vero legitur in Gud. 1. pro *Rutilium.* V. Ind. hist. Idem mendum in codd. Lael. 20, 73: ubi v. Intpp.

28, 60. Offic. I. 16, 50. de Invent. I. 2. *Ochsner* in Ecl. Cic. p. 83. docet, Ciceronem eiusmodi παρηγήματα vel potius ὁμοιοτέλευτα in amoribus habuisse. Adde eundem p. 275. Cuius generis exempla larga manu suppeditant *Beier* ad Offic. I. 18, 61. p. 143. et *Bremius* ad Fin. II. 5. p. 121. Apprime noti sunt et pervulgati illi versus Ciceroniani (v. Quinctil. XI, 1. Cicer. de Offic. I. 22, 77. Iuvenal. X, 123.):

O fortunatam natam me consule Romam.
Cedant arma togae, concedat laurea laudi.

Diversa est ea figura, quam appellant *allitterationem* (v. ad I. 35, 85.), cuius etiam apud Ciceronem multa reperiuntur exempla, ut de Sen. 11: *sensim sine sensu.* Supra I. 18, 42: ut potissimum *videri video* Panaetio. III. 32, 77: non satis mihi *videtur vidisse* hoc Cleanthes. Nuper de his figuris eleganter disputavit *Seyffertus* ad Lael. 21, 79., laudato *Casp. Poggelio* Ueber d. Reim u. d. Gleichklänge. Münster 1836. p. 32 sqq.

quem ultra V. Adn. in II. 6, 15.

§. 39. *aut, ne opprimare, mente vix constes*] Recte *Keilius* in Quaest. Tull. p. IX. intellexit in verbis *mente vix constes* latere notionem *pertimescendi* (aut pertimescas, ne opprimare), et quemadmodum antea cupiditatem et laetitiam, ita nunc inverso ordine aegritudinem et metum significari.

die] H. e. temporis longinquitate. V. Adnotata in III. 30, 74.

§. 40. *Etenim*] V. ad III. 9, 20.

in quo operae] Or. c. R. P. Gud. 1. uno Ox. Rehd. A. V. M. L. Gebh. Dav. edidit *in qua*, sic explicans: in qua aegritudine pellenda a Peripateticis etc. Ego c. Eru. et compluribus edd. vett. et codd., etiam b. et Gud. II., edidi: *in quo:* quam scripturam *Moser* ex prava scriptura *opere*, uti est in Marb. et Aug., ortam putat. *In quo*, h. e. in qua re, in quaerendo modo aegritudinis. *Klotzius* receperat *in quo*, sed nunc in Add. p. 166. praefert *in qua.*

Aegre tulisse] Argumentatur Cicero hoc fere modo: Fac, Rupilium, quum eius frater repulsam tulisset, moderatius

tris repulsam consulatus, scriptum apud Fannium est. Sed tamen transisse videtur modum, quippe qui ob eam caussam a vita recesserit. Moderatius igitur ferre debuit. Quid? si, quum id ferret modice, mors liberorum accessisset? nata esset aegritudo nova. Sed[1] ea modica. Magna tamen facta esset accessio. Quid? si deinde dolores graves corporis, si bonorum amissio, si caecitas, si exsilium? Si pro singulis malis aegritudines accederent, summa ea fieret, quae non sustineretur.

XVIII. 41. Qui modum igitur vitio quaerit, similiter facit, ut si posse putet eum, qui se e Leucata[1] praecipitaverit, sustinere se, quum velit. Ut enim id non potest, sic animus perturbatus et incitatus nec cohibere se potest, nec, quo loco vult, insistere; omninoque, quae[2] crescentia perniciosa sunt, eadem sunt vitiosa nascentia. 42. Aegritudo autem ceteraeque perturbationes, amplificatae certe, pestiferae sunt; igitur etiam susceptae continuo in magna pestis parte versantur. Etenim ipsae se impellunt, ubi semel a ratione discessum est, ipsaque sibi imbecillitas indulget in altumque provehitur imprudens, nec reperit[3] locum consistendi. Quamobrem nihil interest, utrum moderatas perturbationes approbent, an moderatam

1 v. Adn. XVIII. 1 v. Adn. 2 Sic Or. c. R. P. sex Oxx. aliisque pro vulg. *omnino: quaeque; quae* et *que* saepe in codd. permutantur. 3 R. et Duisb. *repperit.*

se gessisse, eodem autem tempore alias calamitates, ut mortem liberorum, illi accessisse; nonne aegritudinis magna facta esset accessio? Ubinam ergo fuisset modus aut terminus? Nonne in maiore calamitate etiam graviore eum premi necesse erat aegritudine? Ergo absurdum est, modum in perturbationibus constituere velle. *Neidius.* De duplici genitivo, uni nomini iuncto, *fratris repulsam consulatus*, iam supra ad II. 15, 35. diximus. Deinde attendendum etiam ad verborum collocationem, de qua v. ad c. 13, 31: *animi multarum rerum — percursionem.*

ferre debuit] De indicat. v. ad I. 49, 116.

Sed ea modica.] L. locum corruptum putans coni. *nec ea modica;* Bentl. coni. *sit ea modica.* At nihil correctione opus est. Haec verba Cicero ipse sibi obiicit. Or. locum ita distinxit: *nova.* — „*Sed ea modica.*" — *Magna* etc., ut haec verba ex alius ore obiecta videantur.

Cap. XVIII. §. 41. *similiter facit, ut si*] De *similiter ut si* v. *Madvig.* et *Ottonem* ad Fin. II. 7, 21. Sic de Senect. 6, 17: *similesque* sunt, *ut si* qui gubernatorem — nihil agere dicant. Sic *similes sunt — tanquam si* vel *ac si.* V. *Gernhard.* ad de Sen. l. d. p. 35 sq.

Leucata] Sic recte Or. c. optimis codd., ut R. P. Vat. Gud. 1. II.; alii perperam *Leucade;* nam h. l. intelligendum est promontorium (v. Indic. hist.), non urbs; *Leucas* autem pro Leucata promontorio non usurpatur, nisi a poëtis.

Ut enim id non potest] V. ad I. 11, 23.

§. 42. *igitur etiam*] V. ad I. 6, 11.

in magna pestis parte versantur] Comparat *Moser* III. 2, 3: in summa inanitate versari. Catil. IV. 4, 7: in summa severitate versari.

vitiis modum apponit] *modum apponit* tanquam custodem, uti recte interpretatur *Klotzius*, comp. Cic. divin. in Caecil. 16, 51: custodem, inquit, Tullio me apponite. Liv. II, 18: moderator et magister consulibus appositus.

proclivi] Sic recte Or. c. plerisque codd., etiam R. P. Vat. Gud. 1. II.; alii deteriores codd. habent *proclive;* scripturae *in proclive, e proclivi* (Gryph.) sunt glossemata. Cf. Gell. N. A. X, 24: Sane quam consuetum iis veteribus fuit litteris his plerumque uti indiffe-

iniustitiam, moderatam ignaviam, moderatam intemperantiam. Qui enim vitiis modum apponit[4], is partem suscipit vitiorum. Quod quum ipsum per se odiosum est, tum eo molestius, quia sunt in lubrico incitataque semel proclivi[5] labuntur sustinerique nullo modo possunt.

XIX. 43. Quid? quod iidem[1] Peripatetici perturbationes istas, quas nos exstirpandas putamus, non modo naturales esse dicunt, sed etiam utiliter a natura datas: quorum est talis oratio. Primum multis verbis iracundiam laudant, cotem fortitudinis esse dicunt, multoque et in hostem et in[2] improbum civem vehementiores iratorum impetus esse; leves autem ratiunculas eorum, qui ita cogitarent: *proelium rectum est hoc fieri; convenit dimicare pro legibus, pro libertate, pro patria;* haec nullam habent vim, nisi ira excanduit fortitudo. Nec vero de bellatoribus solum disputant; imperia severiora nulla esse putant sine aliqua acerbitate iracundiae. Oratorem denique non modo accusantem, sed ne defendentem quidem probant sine aculeis iracundiae, quae etiam si non adsit, tamen verbis atque motu simulandam arbitrantur, ut auditoris iram oratoris incendat actio. Virum denique videri negant, qui irasci nesciat[3], eamque,

4 Rehd. *ponit;* Duisb. *imponit;* v. Adn. 5 v. Adn. XIX. 1 R. (sed Tr. *iidem*) Gud. 1. Marb. Mon. 1. duo Oxx. *idem,* antiqua forma. 2 R. P. Gud. 1. II. aliique om. *in* ante *improbum:* sed deesse non potest; sine dubio ob seq. syll. *im* excidit. 3 v. Adn.

renter, sicut *praefiscini* et *praefiscine, proclivi* et *proclive.* Cf *Madvig.* ad Fin. V. 28, 84: (*proclivi* currit oratio), qui comparat *heri* et *here* et formam adverbii in *i* desinentem antiquiorem habet. *Lachmann.* ad Lucret. II, 455. *proclive* praefert. Adverbii *proclivi* comparativus est *proclivius,* ut Or. 57, 191. Lael. 12, 41: *proclivius* labitur: ubi cf. *Seyffert.* Sed *sublime* semper, *sublimi* nunquam dr. V. ad I. 17, 40.

Cap. XIX. §. 43. *iracundiam laudant*] Ob discrimen verborum *irae* et *iracundiae* ab ipso Cicerone supra c. 12, 27. positum *Davisius* h. l. non *iracundiae,* sed *irae* nomen exspectabat. Contra quam sententiam recte exortus est *Klotzius* dicens: „Wenn ihm oben *iracundia* für die zu tadelnde Geneigtheit zum Zorne galt, so ist hier *iracundia* nach der Ansicht der Peripatetiker, die aber Cicero nicht einmal billigt, der Zustand u. die Geneigtheit zum Zorne, in welcher man zu guten Werken durch jene leicht zu erregende Empfindlichkeit getrieben wird, aber keineswegs so viel als *ira.*" Ceterum eandem quam Peripatetici sententiam secuti sunt veteres Academici (v. Academ. II. 44, 135.), quorum vestigiis institit Aristoteles, qui idem irae defensor exstitit et illam hominibus exsecari vetuit. *Calcar* enim *ait esse virtutis; hac erepta, inermem animum et ad conatus magnos pigrum inertemque fieri,* ut Senecae verbis de Ira III. c. 3. utar.

cotem fortitudinis] Infra c. 21, 48: illa quidem ex rhetorum pompa: ardores animorum *cotesque virtutum.* Acad. II. 44, 135.

haec nullam habent vim] Bentleius coniecit *habere;* at v. Adnotata in c. 10, 24.

quae etiam si non adsit] V. ad I. 34, 84: *qui — abstraxisset.*

Virum] *Vir,* uti Graecum ἀνήρ, saepe per excellentiam dicitur. V. *Heindorf.* ad Platon. Phaedrum p. 227. Hinc natae sunt illae formulae: *vir es, si vir es, si viri estis.* V. *Ruhnken.* Dictat. in Terent. Eun. I. 2, 74. Supra IV. 22, 53: Marius, rusticanus vir, sed plane *vir.* V. ad II. 22, 52. De Gr. ἀνήρ v. nos ad Xen. Anab. I. 7, 4.

irasci nesciat] Sic Or. c. Gud. II. 2. Marb. Duisb. quinq. Oxx. et edd. vett.

quam *lenitatem* nos dicimus, vitioso *lentitudinis* nomine appellant. 44. Nec vero solum hanc libidinem laudant, (est enim ira, ut modo definivi, ulciscendi libido;) sed ipsum illud genus vel libidinis vel [3] cupiditatis ad summam utilitatem esse dicunt a natura datum; nihil enim quenquam, nisi quod libeat, praeclare facere posse. Noctu ambulabant in publico Themistocles, quod somnum capere non posset, quaerentibusque respondebat, Miltiadis tropaeis se e somno suscitari. Cui non sunt auditae Demosthenis vigiliae? qui dolere se aiebat, si quando opificum antelucana victus esset industria. Philosophiae denique ipsius principes nunquam in suis studiis tantos progressus sine flagranti cupiditate facere potuissent. Ultimas terras lustrasse Pythagoram, Democritum, Platonem accepimus; ubi enim quicquid [3] esset, quod disci posset, eo veniendum iudicaverunt. Num putamus haec fieri sine summo cupiditatis ardore potuisse?

XX. 45. Ipsam aegritudinem, quam nos ut tetram et immanem beluam fugiendam diximus, non sine magna utilitate a natura di-

praeter D.; meliores, ut R. P. Gud. 1. aliique *nesciet:* quod c. D. recepit *Klotzius*, scilicet codicum auctoritate permotus. Nam quam inivit rationem ad hanc scripturam tuendam, vana plane est et inanis. Interpretatur enim: der zu seiner Zeit nicht in Zorn zu gerathen im Stande sein wird.

lentitudinis] quae Graece ἀοργησία dicitur. Aristotel. Ethic. II. c. 7.

§. 44. *Nec vero solum hanc libidinem laudant*] Exspectes *nec vero solam hanc l. l.;* opponuntur enim verba *ipsum illud genus libidinis.* At v. ad IV. 7, 15.

ipsum illud genus] *Libidinem* tanquam genus, cui tanquam species *ira* subiecta erat.

vel libidinis vel cupiditatis] R. et P. om. posterius *vel;* Tregd. verba *vel libidinis vel* uncis cinxit; at alterum *vel* ob praeced. *vel* facile a librariis omitti potuit. Optime *Wesenb.* Em. II. p. 10. de h. l. sic disputat: Post *hanc libidinem* (i. e. hanc *partem* vel *speciem libidinis*) plane necesse fuit ipsum illud *genus* perturbationis, quod Cic. ab initio §. 11. *libidinis* nomine appellaverat (cf. §§. 14. 15. 16. 21. 24.), hoc quoque loco *libidinem* dici, quod nomen a Cic. positum fuisse quum hoc argumento est, quod sequitur *nisi quod libeat* (*cupiditatis* nomine solo posito dictum esset *n. q. cupiat*), tum illud, quod §. 55., ubi Peripateticis ad hunc locum a Stoicis respondetur, *libidinis* nomen bis legitur. Duobus igitur eiusdem rei nominibus C. usus est, sicut §§. 12. 34. 57. III. §. 24. De *vel* ad varias eiusdem rei appellationes, quarum libera optio datur, diiungendas bis (terve) posito cf. III. 10, 22: vel perturbationum vel morborum animi. 11, 24. Off. III. §. 41. Catil. II. §. 1. Ligar. §. 29. Cf. nos in Gr. L. §. 137, 1.

nisi quod libeat] Nihil quenquam praeclare facere posse, nisi libidine aliquo vel cupiditate agitetur.

capere non posset] Coniunctivus positus est, quia sententia e Themistoclis mente profertur. V. Adnotata in V. 21, 62. Ad rem confert *Davisius* Plutarch. Them. c. 3. et Valer. Max. VIII. 14, 1. *Menkius* in Observv. ined. addit Plutarch. de profect. virt. sent. p. 84. B. p. 313. Opp. Vol. VI. ed. Reisk. de capiend. ex inimicis utilit. p. 343. Opp. Vol. VI. p. 92. C. reip. ger. praecept. c. 4. p. 800. B.

Cui non sunt auditae D. v.?] De dativo *cui* v. ad II. 1, 2. De re ipsa *Davisius* contulit Plutarch. Demosth. T. II. p. 848. (c. 7. 8. 11.) Hieronym. adv. Rufin. I. 4. p. 495. Stob. Serm. 29. p. 206: Ἐρωτηθεὶς γάρ· Πῶς τῆς ῥητορικῆς περιεγένου; Πλέον, ἔφη, ἔλαιον οἴνου δαπανήσας.

ubi enim quicquid esset] Sic plerique codd., etiam R. P. Gud. 1. II., et nonnullae edd. vett.; Or. c. Bak. Leid. et plerisque edd. vett. ante Grut. *ubi enim quid esset.* Quomodo pronomen *quicquid* explicandum sit, infra ad V. 34, 98. exponemus.

Cap. XX. §. 45. *illud* --; *nam* etc.

cunt constitutam, ut homines[1] castigationibus, reprehensionibus, ignominiis affici se in delicto dolerent. Impunitas enim peccatorum data videtur eis, qui ignominiam et infamiam ferunt sine dolore; morderi est melius conscientia. Ex quo est illud e vita ductum ab Afranio; nam quum dissolutus filius:

Heú me miserum!

tum severus pater:

— *Dúm modo*[2] *doleat áliquid, doleat quidlubet*[3].

46. Reliquas quoque partes aegritudinis utiles esse dicunt: misericordiam ad opem ferendam et calamitates hominum indignorum[4] sublevandas; ipsum illud aemulari, obtrectare non esse inutile, quum aut se non idem videat consecutum, quod alium, aut alium idem, quod se; metum vero si quis[5] sustulisset, omnem vitae diligentiam sublatam fore, quae summa esset in eis, qui leges, qui magistratus, qui paupertatem, qui ignominiam, qui mortem, qui dolorem timerent. Haec tamen ita disputant ut resecanda esse fateantur, evelli penitus

XX. 1 Plurimi codd., etiam optimi R. P. Vat. Gud. 1. II. *omnes:* quod sine dubio ex compendio perverse lecto ortum est. Nihil frequentius, quam horum verborum in codd. confusio. V. *Ellendt.* ad de Or. I. 3, 9. II. 77, 310. in Vol. I. 2 Scripsi *dum modo* disiuncte pro *dummodo*, ne vocabulum dactylicum trochaei loco positum legeretur. V. *Lachmann.* ad Lucret. II, 719. 3 *Quidlubet* vel *quidlibet* habent R. P. Gud. 1. II. quatt. Oxx. Duisb. Aug. Mon. 1., et sic ad Attic. XVI. 2, 3. etiam in cod. Medic.; reliqui et edd. vett. *quod lubet.* 4 R. P. *calamitates hom. ind. calamitatis* (*calamitates* ap. Wes.). Gud. II. Vind. 2. *cal. h. i. calamitate;* hae scr. recte videntur Klotzio in Add. p. 169. a glossatoribus profectae, qui explicare volebant, quo *indignorum* referendum esset. Quare probare non possum Tregderum, qui edidit *hom. ind. calamitates.* 5 D. *si qui*, ut est in R. P. Gud. II.; sed quum sequatur *sustul.*, facile *s* excidere potuit. V. ad 14, 33. et II. 31, 76.

Saepius sententia, qua antecedentis pronominis demonstrativi explicatio aut definitio continetur, per *nam* aut *enim* adiungitur. V. *Hand.* Turs. II. p. 379. et *Madvig.* in Opusc. Acad. alt. p. 286., qui comp. N. D. II. 55, 138. Acad. II. §. 107. Fin. III. §. 59. Divin. I. §. 80. Or. §. 58. Verr. IV. § 58. et ad Fin. III. 7, 26. p. 390. De Graeco γάρ explicativo post demonstrativa v. nos in Gr. T. II. §. 754, 1, β). (Gr. schol. §. 324, 2.)

Heu me miserum! Dummodo etc.] Haec Afranii verba tetrametrum trochaicum catalecticum constituunt. Idem versus legitur ad Att. XVI. 2, 3.

§. 46. *ad opem fer. et calam. — sublev.*] Ubi notiones similes coniunguntur, in altero membro praepositio non ponitur; nam eiusmodi notiones quasi in unam coaluerunt; ubi vero diversae notiones coniunguntur, praepos. repetitur, ut Legg. II, 4: lex est ratio mensque sapientis *ad iubendum et ad deterrendum idonea.* V. *Ottonem* in Exc. VIII. ad Fin. p. 403 sqq. et Adnotata nostra in I. 12, 27.

indignorum] Scil. istis calamitatibus, quibus affliguntur, vel non meritorum, ut eas perpeterentur. V. *Heindorf.* ad Horat. Satir. II. 2, 103: *Cur eget* indignus *quisquam, te divite?* Sic Graece οὐκ ἄξιος, ἀνάξιος. Apposite *Davisius* in partes vocavit Plaut. Curc. IV. 2, 23: Indignis *si male dicitur, maledictum id esse dico. Indignus* saepe sine ablativo absolute de malis dicitur, *dignus* non item, v. ad II. 5, 14.

aemulari] Scil. *quem.* V. ad c. 8, 18. *concupierit.*

Haec tamen ita disputant ut] Pro ita tamen disputant, ut haec resecanda esse fateantur. Comma, quod post *disputant* in edd. est, sustuli.

dicant nec posse, nec opus esse, et[6] in omnibus fere rebus mediocritatem esse optimam existiment. Quae quum exponunt, nihilne tibi videntur, an aliquid dicere? *A.* Mihi vero dicere aliquid. Itaque exspecto, quid ad ista.

XXI. 47. *M.* Reperiam fortasse; sed illud ante. Videsne, quanta fuerit apud Academicos verecundia? plane enim dicunt, quod ad rem pertineat. Peripateticis respondetur a Stoicis. Digladientur illi per me licet, cui nihil est necesse, nisi ubi sit illud, quod veri simillimum videatur, anquirere[1]. Quid est igitur, quod occurrat in hac quaestione, *quo*[2] possit attingi aliquid veri simile? quo longius mens humana progredi non potest. Definitio perturbationis, qua recte Zenonem usum puto; ita enim definit, ut *perturbatio sit aversa a ratione*[3] *contra naturam animi commotio*, vel brevius, ut *per-*

6 Sic Or. c. omnibus fere codd., etiam R. P. Gud. 1. II. b.; pauci deteriores codd. et edd. vett. *ut:* quod si maiore codd. auctoritate niteretur, probarem c. *Wopkens.* L. T. p. 132., qui bene multa e Cicerone exempla comparavit, in quibus pari modo enuntiationem consecutivam altera enuntiatio consecutiva sequitur, ut Acad. I. 7. et 13. II. 15. alia. V. nos ad I. 17, 40. XXI. 1 Sic Or. c. optimis codd., ut Vat. R. P. Gud. 1. Gr., aliisque; *inquirere* deteriores. V. Adn. 2 Sic coni. Bouh. pro vulg. *e qua;* M. *e quo.* Illud *e* ex repetita ultima littera antecedentis *quaestione* ortum est. 3 Sic Or. c. Gr. Mon. 1. Duisb. b. (hic a sec. m.) Med. Maflaei cod. ed. L. ed. vet. Bouh.; R. P. Gud. 1. II. b. (a pr. m.) Marb. unus Ox. *aversa ratione;* de *a* post *a* omisso v. ad I. 23, 54: qu*a a* pr. et *Wes.* Em. III. p. 28.; reliqui *adversa ratione.* V. ad c. 6, 12. in V. Scr.

nihilne — an aliquid] V. ad III. 8, 18.

exspecto, quid ad ista] V. ad III. 9, 18: *ad ea disputat.*

Cap. XXI. §. 47. *apud Academicos*] Iam oratio paullum digrediens a proposito versatur in laudanda Academicorum in disputando moderatione. Idque a Cicerone eo consilio factum videtur, ut demonstraret, se non in eo laborare, ut certam quandam opinionem praeceptam defenderet, sed ab omni partium concertationisque studio liber eam sententiam exquireret, quae proxime ad veritatem accederet.

plane enim dicunt] nihil admiscendo, quod aegre adversarii ferre possint. *Ernestius.* Secus Stoici agebant, qui sententias suas contra Peripateticos acerrimo studio defendebant.

cui] mihi enim Academico id tantum, quod veri simillimum videatur, anquirendum est. De verbo *anquirendi,* quod habet notionem circumspiciendi et circumquaque quaerendi (*an* = *amb*, ἀμφί), v. *Beier.* ad Offic. I, 30. p. 229. *Gernhard.* ad Lael. 21. p. 167. 23. p. 176. 24. p. 178. *Davisium* ad N. D. II. 38. p. 369. ed. Cr. et *M. Moserum* ad N. D. I. 17. p. 79. ad Legg. I. 1. p. 8. Infra V. 4, 10; siderum cursus anquirebatur. Supra II. 10, 25: terminum anquirens mali.

quo longius] ex Academicorum ratione, de qua v. Prolegomena p. 3.

ita enim definit, ut perturbatio sit etc. Rarior structura pro: *ita definit, ut perturbationem — dicat esse animi commotionem*, aut pro: *ita definit, perturbationem esse — animi commotionem.* Cf. infra V. 41, 118: philosophi, quorum *ea sententia* est, *ut virtus* per se *ipsa* nihil *valeat,* pro: quorum ea sent. est, *virtutem* per se *ipsam* nihil *valere,* aut pro: q. ea sent. est, *ut virtutem* per se *ipsam* nihil *valere censeant.* Legg. III. 15, 33: „ego in ista sum sententia, qua te fuisse semper scio, nihil ut fuerit in suffragiis voce melius" pro: nihil ut fuisse statuam melius, aut pro: nihil fuisse melius. V. *Madvigium* ad Fin. I, 5. p. 33. Cf. nos ad I. 8, 16: mors ut malum non sit, efficies.

§. 48. *possint*] Sic correxit Bentleius et sic legitur in optimo Gud. 1. et in b. a pr. m. Intelligendi enim sunt Peripatetici. Vulgo, etiam R. P., *possim;* pauci deteriores codd. *possum.* Ernestius vulgatam *possim* retinuit, quam sic defendit *Bouhierius:* „Quid, etiam si

turbatio sit appetitus vehementior, vehementior autem intelligatur is, qui procul absit a naturae constantia. 48. Quid ad has definitiones possint[4] dicere? Atqui[5] haec pleraque sunt prudenter acuteque disserentium; illa quidem ex rhetorum pompa, *ardores animorum cotesque virtutum*. An vero vir fortis, nisi stomachari coepit[6], non potest fortis esse? Gladiatorium[7] id quidem; quanquam in eis ipsis videmus saepe constantiam: colloquuntur, congrediuntur, queruntur, aliquid postulant[8], ut magis placati, quam irati esse videantur. Sed in illo genere sit sane Pacidianus[9] aliquis hoc animo, ut narrat Lucilius:

Occidam illum equidem et vincam, si id quaeritis, inquit;
Verum illud credo fore: in os prius accipiam ipse,
Quam gladium in stomacho † suria †[1] *ac pulmonibus sisto.*

4 v. Adn. 5 Tr. e coni. (quam immerito probat Wes. I. p. 14.) *atque*. 6 Sic R. P. Gud. 1. II. Med. Vind. 1. Rehd. Marb. et ed. vet. Bonh.; vulg. *coeperit:* quod c. Or. recepit Kl., qui tamen nunc in Add. p. 169. illud praefert. V. ad II. 24, 58. 7 v. Adn. 8 Bentl. coni. *queruntur aliquid, expostulant*. At quid sibi vult *queruntur aliquid?* nonnullae edd. vett. om. *queruntur*. Cf. Adn. 9 Sic c. Tr. scripsi ex R. P. Gud. 1. 2. Rehd. Duisb. Vind. 1. 2. Marb. et nonnull. edd. vett.; Or. c. vulg. *Pacideianus;* Gud. II. Mon. 1. *Placidianus;* edd. L. 1566. Lall. *Plaxideianus*. 1 v. Adn.

contra dicere liberet, adversus istas definitiones, ego possim dicere? Prorsus enim sunt rectae." Etenim *Klotzius* recepit *possim* idque sic defendendum censet: „Er wählt die indirecte Frage, um anzudeuten, nun meint man wohl, dass ich dagegen Nichts einzuwenden habe, und fragt mich, was ich dagegen einwenden könne." Sed haec ratio repugnat sententiae Ciceronis. Nimirum *Klotzius* sequentia *haec pleraque* et *illa quidem* perverse ad unam eandemque rem retulit: quod nullo modo fieri potest; *haec* sunt ea, quae a Stoicis in doctrina de perturbationibus dicuntur; *illa*, quae a Peripateticis iactantur. Ipse nunc errorem suum intellexisse videtur; certe in Add. p. 169. *possint* praeferendum existimat.

ex rhetorum pompa] „*Pompa* proprie est, quam nos hodie vocamus *eine Prozession, einen Aufzug;* deinde, quia illae pompae magnifice erant apparatae, propterea transfertur ad orationem generis demonstrativi, in qua omnibus ornamentis locus est, et quae imprimis ad ostentationem ingenii et eloquentiae pertinet et orationi forensi opponitur." *Ernestius* in Clav. v. *pompa*, comp. Or. 13. de Or. II, 22.

Gladiatorium — in eis] Pron. *eis* referendum est κατὰ σύνεσιν ad nomen *gladiatores*, quod latet in adiectivo *gladiatorium*, quod, in R. Vat. Gr. aliquot Oxx. aliisque lectum, iniuria Or. vulgatae *gladiatorum* postposuit.

aliquid postulant] „Sie verlangen noch Etwas, einen letzten Liebesdienst." *Orellius*.

Pacidianus] Nobilissimus gladiator. Lucilius apud Nonium IV. 64:

Cum Pacideiano hic componitur optimus longe
Post homines natos gladiator, qui fuit unus.

Cf. Cicer. de opt. gen. orat. 6. ad Q. Fr. III, 4. Alius eiusdem nominis gladiator commemoratur apud Horat. Sat. II. 7, 97: ubi v. *Heindorf*. p. 421.

ut narrat Lucilius] „Locus Lucilii est in ed. Bip. ad calc. Iuvenalis et Persii p. 194., ibique v. 3. legitur *sura*, v. s. *accomodat*." *Moser*.

si id quaeritis] Vultis, optatis, flagitatis. Dein *in os prius accipiam ipse* h. e. verum illud credo fore, ut ego ipse adversarii gladium in os meum accipiam prius, quam meum gladium illius stomachum et pulmones transfigam. Odi enim hominem et iratus pugno. „Notum est autem, addit *Bentleius* ad h. l., qui animo concitatiore pugnant, non tam sibi cavere, quam vel periculo suo hostis exitium quaerere atque adeo mutuis plerumque vulneribus concidere."

suria] Sic scripsi c. R. P. Gud. 1.:

Odi hominem, iratus pugno, nec longius quicquam
Nobis, quam dextrae gladium dum accommodet alter;
Usque adeo studio atque odio illius ecferor ira.

XXII. 49. At[1] sine hac gladiatoria iracundia videmus progredientem apud Homerum Aiacem multa cum hilaritate, quum depugnaturus esset cum Hectore. Cuius, ut arma sumpsit, ingressio laetitiam attulit sociis, terrorem autem hostibus, ut ipsum Hectorem, quemadmodum est apud Homerum, toto pectore trementem provocasse ad pugnam poeniteret. Atque hi collocuti inter se, priusquam manum consererent, leniter et quiete nihil ne in ipsa quidem pugna iracunde rabioseve fecerunt. Ego ne Torquatum quidem illum, qui hoc cognomen invenit, iratum existimo Gallo torquem detraxisse, nec Marcellum apud Clastidium ideo fortem fuisse, quia fuerit iratus. 50. De Africano quidem, quia notior est nobis propter recentem me-

XXII. 1 Alii, (etiam R. P. Gud. 1. II.) *ac*, repugnante sententia.

Gud. II. unus Ox. Duisb. Fabr. Pal. 4. Cantabr. habent *furia;* nonnulli deteriores codd. legunt *una;* Or. c. vulg. *sura.* Bentleius legendum suspicatur *furiae,* hoc scilicet nomine significari putans *spurcum illum hominem* et inhonestum, *Aeserninum Samnitem,* cum quo commissus erat Pacidianus. Et sane haec coniectura haud exiguam probabilitatis speciem prae se fert et confirmatur quodammodo ab iis codd., in quibus est *furia* aut *suria.* Vulgata *sura* a VV. DD. repudiata est, quod vulnus in *sura* minime letale esset. Interpretes miris commentis veram scripturam extundere conati sunt. Davisius rescripsit *Furi,* ut Furius Aeserninus gladiator intelligeretur; Tischer *furi* (dem Spitzbuben): quod convicium apud comicos frequens est; alii tentabant: *fibra, lura, hira, sicam.* V. *Moseri* exc. XII. T. III. p. 390 — 392.

nec longius] H. e. nec diutius pugnam morabimur, quam uterque nostrum gladium dextrae adaptaverit.

Cap. XXII. §. 49. *apud Homerum*] Iliad. η, 211.

Cuius] Referendum ad remotius subst. *Aiacem,* quippe de quo cummaxime agatur.

toto pectore trementem] Hoc non est apud Homerum, nec ibi repererunt veteres, Plutarchus (de aud. Poët. c. 10. p. 64. ed. Krebsii), Dionys. Hal. (περὶ τῆς Ὁμήρου ποιήσεως §. 16.), ut docet Clark. ad Homer. l. c. 216. Troiani tremebant, non Hector (αὐτῷ enim θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι πάτασσεν, Τρῶας δὲ τρόμος αἰνὸς ὑπήλυθε γυῖα ἕκαστον), Cicero tamen sic accepisse videtur. *Ernestius.*

provocasse] Scil. Aiacem.

Torquatum — Marcellum — Clastidium] V. Indic. hist. De praepos. *apud* affert *Moser* Gablerum in Jahn. Annall. 1829. p. 392., qui comp. pro Cluent. 7. c. Rull. I, 2. Divin. I, 54. N. D. III, 5. ad Famm. II, 10. Finn. II. 22, 30. Off. III, 30. de Sen. 10. Tusc. I. 39, 94. docetque Cornelium Nepotem hanc structuram nominum, quae urbes significant, constanter tenere, Livium plerumque ponere *ad,* Ciceronem utrumque.

cognomen invenit] H. e. non. uti *Wolfius* interpretatur, *acquisivit sibi,* sed *nactus est;* in verbo *inveniendi* non studii, sed casus notio latet. *Klotzius* comparat Tac. Germ. 2: *invento* nomine Germani vocarentur. In eadem re eodem verbo usus est C. Off. III. 31, 112. (ubi *Beier* p. 399. bene explicat: *data hac occasione Torquatus appellatus est;*) et Finn. I. 7, 23. De indicativo *invenit* extra orationis obliquae nexum posito v. nos in Gr. L. §. 160. Not. 7. et *Madvig.* ad Fin. l. d.

§. 50. *De Africano — iurare possum, non illum — fuisse*] De hac structura v. Adnotata in V. 20, 57.

dubitarim, an effrenatius invaserit] H. e. fortasse effrenatius in Aruntem invasit. Particulam *an* semper in bimembri tantum interrogatione, et quidem in altera eius parte, locum habere, saepe autem prius membrum omitti, supra ad III. 1, 1. vidimus. Idem valet de for-

moriam, vel iurare possum, non illum iracundia tum inflammatum fuisse, quum in acie M. Allienum[2] Pelignum scuto protexerit gladiumque hosti in pectus infixerit. De L. Bruto fortasse dubitarim, an propter infinitum odium tyranni effrenatius in Aruntem[3] invaserit: video enim utrumque cominus ictu cecidisse contrario. Quid igitur huc adhibetis iram? an fortitudo, nisi insanire coepit[4], impetus suos non habet? quid? Herculem, quem in caelum ista ipsa, quam vos iracundiam esse vultis, sustulit fortitudo, iratumne censes conflixisse cum Erymanthio apro aut leone Nemeaeo? an etiam Theseus Marathonii tauri cornua comprehendit iratus? Vide, ne fortitudo minime sit rabiosa, sitque iracundia tota levitatis. Neque enim est ulla[5] fortitudo, quae rationis est expers.

XXIII. 51. Contemnendae res humanae sunt[1], negligenda mors est, patibiles et dolores et labores putandi. Haec quum constituta

2 Sic Or. c. b. Vind. 1. Marb. Aug. (hi duo ultimi om. *M.*) Vat. (sed hic *in dae Mallienum*) et nonnull. edd. vett., et sic hoc nomen in denariis antiquis, uti docet Urs.: vulgo *Halienum*: Tr. c. R. P. Gud. 1. *Alliennium*. 3 Tr. c. uno Ox. et Mon. 1. *Arrundem*: eodem ducunt unus Ox., in quo est *Arrontem*, et R. P. Gud. 1. Vind. 2., in quibus est *Arrunte*. 4 Sic R. P. Gud. 1. II. Rehd. Marb. Duisb. Mon. 1. MS. in marg. Asc. 2. et nonnullae edd. vett.: Or. c. vulg. *coeperit*. V. ad §. 48. 5 Or c. M. L. D. aliisque edd. vett. *illa*: optime se habet codicum scriptura *ulla*. XXIII. 1 v. Adn.

mulis: *dubito an*, *nescio an*, *haud scio an*: in iis enim prius membrum *negativum*, per *num*, *numne* inducendum, cuius negatio animo praecepta est, suppressum est; alterum igitur membrum, priori oppositum, *affirmativum* est, h. e., sententiam ponit, cui alterum assensurum esse confidimus. Sic h. l. enuntiatio plene sic erat efferenda: *de L. Bruto fortasse dubitarim, numne aliud quid dicam, an — incaserit*. Hinc fit, ut *nescio*, *haud scio*, *dubito an* per *fortasse*, *vielleicht* interpretari possimus, vel per *ich weiss nicht*, *ich zweifle ob nicht* vertamus: per se autem *an* nunquam pro *annon* poni potest. Usi sunt Romani his formulis, ubi sententiam aliquam certam ac firmam modeste atque urbane proponere voluerunt. Cf. Nep. Thrasyb. princ.: *Si per se virtus sine fortuna ponderanda sit*, *dubito*, *an hunc primum omnium ponam* h. e. dubito, *numne aliud quid censeam*, an — ponam: ubi v. *Bremium* p. 129. Cf. nos ad III. 1. 1. 8, 16. *Hand*. Tursell. I. p. 329 sq. *Ochsner*. Ecl. Cic. p. 119. *Ramshorn*. L. Gr. §. 174. *Kühner*. L. Gr. §. 159. 4. et 5.

video] Saepe *video* dicitur de iis rebus, quae ex historia cognitae sunt. Sic supra c. 3. 5: quibus adolescentibus Diogenem et — Carneadem *video* ad senatum missos esse legatos. c. 37, 79: ut Alexandrum *videmus* qui quum interemisset Clitum, — vix a se manus abstinuit. Plura exempla collegit diligentia *Ochsneri* in Eclog. Cicer. p. 178. et p. 288. Saepe idem fere valet quod *constat*.

Herculem — Erymanthio — Nemeaeo — Theseus Marathonii] V. Ind. hist.

Cap. XXIII. §. 51. *patibiles*] N. D. III. 12, 29: quumque omne animal *patibilem* naturam habeat: ubi habet vim activam. Alibi ap. Cic. non legitur. Dolor *impetibilis* est Fin. II. 17, 57.

Haec quum constituta sunt] Sic Or. cum edd. vett. fere omnibus ante Grut. pro *constituta sint*: quod habent codd. omnes. Coniunctivum *Klotzius* sic explicandum censet: „Dann, wenn dieses durch Einsicht u. Entschluss zur festen Maxime *geworden sein wird*, dann erst steht jener Muth fest u. unerschütterlich." At non intelligo, quomodo futuro exacto coniunctivus explicari possit. Nam si hanc Cicero sententiam exprimere voluisset, sine dubio scripturus fuit: haec quum constituta erunt. Neque recte Latina verba Graece ταῦτα ἢν ὡρισμένα ᾖ interpretatus est: rectius dixisset ταῦτα ὅταν ὡρισμένα ᾖ, quanquam ne id quidem probandum est.

sunt[1] iudicio atque sententia, tum est robusta illa et stabilis fortitudo, nisi forte quae vehementer, acriter, animose fiunt, iracunde fieri suspicamur. Mihi[2] ne Scipio quidem ille, pontifex maximus, qui hoc Stoicorum verum esse declaravit, nunquam privatum esse sapientem, iratus videtur fuisse Ti. Graccho tum, quum consulem languentem reliquit atque ipse privatus, ut si consul esset, qui rem publicam salvam esse vellet, se sequi iussit. 52. Nescio, ecquid ipsi nos fortiter in re publica fecerimus; si quid fecimus, certe irati non fecimus. An est quicquam similius insaniae, quam ira? quam bene Ennius *initium* dixit *insaniae*. Color, vox, oculi, spiritus, impotentia dictorum ac[3] factorum quam partem habent sanitatis? quid Achille Homerico foedius, quid Agamemnone in iurgio? nam Aiacem quidem ira ad furorem mortemque perduxit. Non igitur desiderat fortitudo advocatam iracundiam; satis est instructa, parata, armata[4] per sese. Nam isto modo quidem licet dicere, utilem vinolentiam

2 Sic Or. c. omnibus codd., praeter Vind. 1.; edd. vett. pleraeque ante Grut. *mihi vero*. 3 Sic R. P. Gud. 1. II. aliique; Or. c. vulg. *atque*. 4 Sic Or. c. plurimis codd. et optimis, ut R. P. Gud. 1. II.; alii *armata*, *parata*, inepta degradatione, quam tamen defendit *Wopk*. L. T. p. 82.

nisi forte] Hae particulae cum ironiae quadam vi ponuntur et cum indicativo iunguntur. V. *Ramshorn*. L. Gr. §. 193. *Kühner*. L. Gr. §. 154. Not. 13. et *Kritz*. ad Sall. Cat. XX, 17. p. 105. Sic ap. Graecos εἰ μὴ ἄρα c. ind., ut Xen. Commentar. I. 2, 8: Πῶς ἂν οὖν ὁ τοιοῦτος ἀνὴρ διαφθείροι τοὺς νέους; εἰ μὴ ἄρα ἡ τῆς ἀρετῆς ἐπιμέλεια διαφθορά ἐστιν: ubi v. Adnotata nostra.

animose] Sic Offic. I. 26, 92: Haec praescripta servantem licet magnifice, graviter *animoseque* vivere (h. e. fortiter, omni deposito metu). de Sen. XX, 72: Ex quo fit, ut *animosior* etiam senectus sit, quam adolescentia, et fortior: ubi v. *Gernhard*. Cf. ad III. 21, 51.

hoc Stoicorum] Stoici enim dicebant, solum sapientem esse regem (Diog. Laert. VII, 122.) atque consulem, magistratum cett.

consulem languentem] Mucium Scaevolam, qui h. l. dicitur *languens*, quia, quum ab eo Scipio Nasica, pontifex maximus, peteret, ut opem ferret rei publicae et Ti. Gracchum interficeret, dicebat, se nihil vi esse acturum. Plut. Tib. Gracch. 19. *Davisius* comp. Appian. B. C. I, 16. Quo dicto, Scipio, quanquam non consul erat: *Qui rem publicam salvam esse vult*, exclamavit, *me sequatur*. V. *Beier*. ad Offic. I. 22. p. 179. Haec forma fuit, qua Romanos in tumultu vel alio repentino casu usos fuisse testatur Servius ad Aen. VII, 614. VIII, 1., a *Davisio* allatus.

qui rem publicam] Scil. eum. Vid. ad V. 7, 20: *praemium proposuit, qui*. Pro seq. *vellet* acute *Wesenberg*. I. p. 24. legendum coniicit *vellent;* nam non unum aliquem se sequi Scipio voluit, sed omnes, quicunque rem p. salvam vellent. Pluralem in solenni hac extremi ac difficillimi temporis voce, qua cives ad rem p. defendendam vocabantur, legitimum esse, demonstravit *W*. multis locis, ut Appian. l. d.: (ἐβόα) ἕπεσθαί οἱ τοὺς ἐθέλοντας σώζεσθαι τὴν πατρίδα. Plut. l. d. Vell. Paterc. II, 2. Val. Max. III. 2, 17.

§. 52. *Nescio, ecquid*] V. ad III. 8, 16.

An est quicquam] V. ad III. 1, 1.

in iurgio] Hom. Iliad. I, 122 sqq.

nam Aiacem quidem] De Aiacis ira nihil dicam. Quam foeda illa fuerit, constat inter omnes; nam ira eum ad furorem mortemque perduxit. Aiax enim iratus, quod Achillis arma Ulixi adiudicata essent, gladio ipse sibi mortem conscivit. Cf. Odyss. XI, 542. 563. *Lobeckium* ad Soph. Ai. v. 466. p. 265. ed. 2. De elliptico particulae *nam* usu cf. ad I. 6, 11. In primis frequens hic particulae *nam* usus est in praeteritione. Cf.

ad fortitudinem, utilem etiam dementiam, quod et insani et ebrii multa faciunt saepe vehementius. Semper Aiax fortis, fortissimus tamen in furore:

Nam fácinus fecit máxumum, quum, Dánais inclinántibus,
Summám rem perfecít manu[5], *restituit proelium*[6] *insániens.*

XXIV. 53. Dicamus igitur utilem insaniam? Tracta definitiones[1] fortitudinis, intelliges; eam stomacho non egere. Fortitudo est igitur[2] affectio animi legi summae in perpetiendis rebus obtemperans, vel conservatio stabilis iudicii in eis rebus, quae formidolosae videntur, subeundis et repellendis, vel scientia rerum formidolosarum contrariarumque[3] aut omnino negligendarum conservans earum rerum stabile iudicium, vel brevius, ut Chrysippus: — nam superiores definitiones erant Sphaeri, hominis in primis bene definientis, ut putant Stoici; sunt enim[3] omnino omnes fere similes, sed declarant[3]

5 Sic Or. c Wolfii coni.; pleraeque edd. vett. *perfecit manus;* alii, ut R. P. Gud. 1., *perficit manus.* 6 v. Adn. XXIV. 1 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. b. Aug. mC. pro vulg. *definitionem.* 2 Rehd. et Gud. II. et nonnull. edd. vett. *igitur est;* at v. ad I. 27, 66. 3 v. Adn.

IV. 33, 7 sq. N. D. III. 6, 15 extr. et *Seyffert.* ad Lael. p. 299.

advocatam] V. ad V. 38, 111.

isto modo quidem] Exspectes *isto quidem modo*, uti *Wes.* Em. I. p. 22. legendum censet; sed verba *isto modo* in unum quasi vocabulum coaluerunt.

Nam facinus] Sunt iambici tetrametri acatalecti, non ex comico quodam poëta, ut censet Bentleius, qui scilicet negat (v. ad II. 16, 38.), tragicos Romanorum isto metro usos esse, sed ex tragico (fortasse Pacuvio) petiti. Secundum versum Or. c. W. de Hermanni (Element. doctr. metr. p. 159.) sententia edidit; codd. habent *proelium restituit;* quod c. Tr. recipiendum censet Kl. in Add. p. 171., adversante metro. Bentleius poëtam dedisse putat: *manu, rem restituit insaniens.* Multae Edd. vett. *proelium quum rest. ins.*

Danais inclinantibus] quum incendium a navibus avertit vimque hostium repressit. II. XV. sub finem. *Neidius. Inclinantibus* intransitive dictum est, ut saepe de militibus cedentibus.

Cap. XXIV. §. 53. *Tracta —, intelliges*] pro: si tractaveris —, intelliges. Cf. §. 54. *Remove.* V. ad II. 12, 28.

stomacho] *Stomachus* saepe ponitur pro ira, excandescentia. Hinc manarunt locutiones illae: stomachum alicui movere vel facere. V. *Schütz.* in Lex. Cicer. h. v. — *legi summae*, i. e. rationi. V. *Schoemannum* ad N. D. II. 31, 79.

contrariarumque aut omnino negl.] Sic ex optimis codd. R. P. Gud. 1. Gryph. aliisque et multis edd. vett. cum Treggdero edidi, qui in praef. p. XXII. apposite advocat Stob. ecl. eth. p. 104. Heer.: ἀνδρείαν δέ [φησιν ὁ Ζήνων εἶναι] ἐπιστήμην δεινῶν καὶ οὐ δεινῶν καὶ οὐδετέρων. (Item: ἀφροσύνην δὲ ἄγνοιαν ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ οὐδετέρων.) Adde locum a *Wolfio* allatum Plat. Lach. §. 67: ἡ ἀνδρεία ἐστὶν ἐπιστήμη δεινῶν τε καὶ θαῤῥαλέων. Or. c. paucis codd. deterioribus et nonnull. edd. vett. legit *contrariumque, perferendarum aut omn. negl.* Vocabulum *perfer.* sine dubio e seqq. *scientia r. perf.* in hunc locum illatum est.

Sphaeri] V. Ind. hist.

sunt enim] *Davisius* legendum censet: *sunt autem,* caussam addens, quia Stoici non ideo Sphaerum hominem in primis bene definientem putaverint, quod omnes fortitudinis definitiones essent fere similes. Ego vero puto, voculam *enim* rationem reddere sententiae alicuius, quae mente supplenda est, (de quo usu supra ad I. 6, 11. diximus;) ut sententiarum nexus hic sit: *vel brevius, ut Chrysippus; nam superiores definitiones omnes ab uno Sphaero profectae sunt;* quod autem plures de eadem re definitiones attulit, nihil refert; *sunt enim omnino*

communes notiones alia magis alia — quo modo igitur Chrysippus? Fortitudo est, inquit, scientia rerum perferendarum vel affectio animi in patiendo ac perferendo summae legi parens sine timore. Quamvis licet insectemur istos, ut Carneades solebat; metuo, ne soli philosophi sint. Quae enim istarum definitionum non aperit notionem nostram, quam habemus omnes de fortitudine tectam atque involutam? qua aperta, quis est, qui aut bellatori aut imperatori aut oratori quaerat aliquid neque eos existimet sine rabie quicquam fortiter facere posse? 54. Quid? Stoici, qui omnes insipientes insanos esse dicunt, nonne ista colligunt? Remove perturbationes maximeque iracundiam; iam videbuntur monstra dicere. Nunc autem ita disserunt, sic se dicere, omnes stultos insanire, ut male olere omne coenum. — At non semper. — Commove; senties. Sic ira-

omnes fere similes quidem, sed tamen conferunt ad declarandas communes notiones, quas habemus omnes de fortitudine tectas atque involutas; nisi quod alia definitio clarius et distinctius, quam alia, fortitudinis notionem declarat. T r e g d e r e Lambini coniectura edidit *declarat*, ut id referatur ad seq. *alia;* sed quum in appositione partitiva aut distributiva praedicatum non ad subiectivi, sed per attractionem quandam ad appositionis formam accommodatur, id non fit, nisi ubi id appositionem subsequitur. V. *Madvig.* ad Fin. V. 15, 42: quae (bestiae) primo, in quo loco natae sunt, ex eo se non commovent, deinde suo *quaeque* appetitu *movetur. Seyffert.* ad Lael. p. 484. *Wesenberg.* Em. III. p. 10 sq. *Kühner.* L. Gr. §. 109, 9. Locus, qui IV. 37, 81. legitur, non repugnat propositae regulae; nam a verbis: „ut *sit alius* ad alios motus — proclivior" nova orditur enuntiatio, nulla antecedentium verborum habita ratione. Hoc autem in quo quum maxime versamur loco consulto Cicero hanc structuram vitavit, uti recte docet *Wes.* l. d. Scilicet per *omnino — sed* duo illa, quae de Sphaeri definitionibus enuntiantur (*sunt* quidem fere similes, sed comm. not. non aeque bene *declarant*) inter se opponuntur; quemadmodum igitur vocabulum *omnes* appositio est subiecti in *sunt* latentis, sic *alia* non per se ipsum subiectum alterius verbi potest esse, sed communis subiecti appositio. — De *omnino*, quod, sequente *sed* aut *autem*, uti h. l., vim concedendi habet idemque notat, quod *quidem* et nostrum *allerdings*, v. *Freund.* Lex. et *Seyffert.* ad Lael. 26. 98. p. 540.

communes notiones] non esse docet *Orellius* communes omnium Stoicorum notiones, sed i. q. infra *notionem nostram, quam habemus omnes de fort. tectam atque involutam.*

insectemur istos] nos Academici Stoicos, *ut Carneades solebat*, qui Chrysippi imprimis decreta impugnare studebat. V. nos in libro dicto *de Cic. in phil. merit.* p. 155. infra V. 29, 83. et *Creuzer.* ad N. D. II, 65. p. 480. *Quamvis licet insectemur* est *quam* vehementer *vis, licet insectemur.* Legg. III. 10, 24: Et praeter eos *quamvis enumeres* multos *licet*, h. e. licet enumeres quamvis (quantumvis) multos. Lael. 20, 73: *quamvis licet excellas:* ubi v. *Gernhard.* p. 152. de N. D. III. 36, 88: *Quamvis licet* Menti delubra et Virtuti et Fidei *consecremus:* ubi cf. *Davis.* Cf. nos in Gr. L. §. 155. Not. 2.

ne soli philosophi sint] Quam magnifice Cicero de Stoicorum philosophia senserit, exposuimus in libro d. p. 76 sq.

aliquid] De *aliquid* v. ad III. 14, 29.

§. 54. *omnes insipientes insanos*] Erat παράδοξον Stoicorum, ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται. Cf. C. Parad. IV. et supra III. 4, 9.

nonne ista colligunt] Nemo hoc tetigit. Esse autem videtur: hoc efficiunt conclusionibus per inductionem, ut de singulis adscendant ad genus. Huic conveniunt sequentia. Si e numero insanorum eximuntur iracundi, insanire ipsi et monstra dicere videbuntur, quod pars ea exempta sit, quae foedior etiam ceteris est. *Ernestius.* Verbum *colligunt* comparat *Wolfius* cum Gr. συλλογίζεσθαι. Stoici scilicet sententiam, *omnes insipientes esse insanos*, ex his conclusioni-

cundus non semper iratus est; lacesse; iam videbis furentem. Quid? ista bellatrix iracundia, quum domum rediit, qualis est cum uxore, cum liberis, cum familia? an tum quoque est utilis? Est igitur aliquid, quod perturbata mens melius possit facere, quam constans? an quisquam potest sine perturbatione mentis irasci? Bene igitur nostri, quum omnia essent in * *moribus* * [4] vitia, quod nullum erat iracundia foedius, iracundos solos *morosos* [5] nominaverunt.

XXV. 55. Oratorem vero irasci minime decet, simulare non dedecet [1]. An tibi irasci tum videmur, quum quid in caussis acrius et vehementius dicimus? quid? quum iam rebus transactis et praeteritis orationes scribimus, num irati scribimus? *Ecquis* [2] *hoc animadvertit? vincite!* num aut egisse unquam iratum Aesopum, aut scri-

4 Sic egregie coni. D. et sic Gud. 2; eodem ducit scr. *morbus*, quae est in R. a pr. m. Gud. 1. II. Duisb.; reliqui *morbis*. 5 Sic Or. c. R. P. Vat. Fabr. Cantab. Petrens. a pr. m. Duisb. Marb. uno Ox. codd. Lall. pro vulg. *morbosos:* quod nimirum ortum est ex prava scr. *morbis* pro *moribus*. XXV. 1 Vat. R. P. Gud. 1. II. aliique per errorem *non decet*. 2 Alii, etiam R. P. Gud. 1. b., *Et quis*.

bus efficiebant: Omnes animi perturbationes morbi sunt; qui autem in morbo sunt, sani non sunt; atqui insipientium animi, quia sunt perturbationibus obnoxii, in morbo sunt: ergo omnes insipientes insani sunt. Cf. supra III. 4, 9. Atque hac quidem ratione recte et sine ulla perversitate concludere poterant Stoici, omnes insipientes insanos esse. Iam vero, remotis perturbationibus maximeque iracundia, in qua praecipue animus perturbatus elucet, nullo modo fieri potuit, ut istam sententiam proferrent; aut, si protulissent, ipsi insani fuissent.

monstra dicere] H. e. absurda, inaudita dicere. *Moser* comparat ad Att. 4, 7: *monstra nuntiare* (i. e. inexspectata). ib. 9, 11: *monstra narrant*, quae falsa esse possunt. ad Qu. Fr. 2, 6: *monstra promulgare*. Sic *portenta dicere;* v. ad I. 6. 11.

Nunc autem] V. Adn. in III. 1, 2.

ut male olere omne coenum] Ut coenum non semper male olet, at quum commotum erit, continuo foedum odorem spargit; ita animus perturbatus non semper insanit, at, quum lacessitus erit, continuo in furorem abripitur.

morosos] Senec. de Ira I, 4: Inter hos (sc. iracundos) *morosum* ponas licet, delicatum iracundiae genus. Cf. C. de Sen. 18, 65. „Der *morosus* kennt und achtet das Herkommen, *morem*, missbilligt jede Abweichung davon und beschränkt desshalb oder scheint zu beschränken die freie Bewegung der Genialität, die sich über die bestehenden Gesetze der Kunst, des Anstandes, der Sittlichkeit hinweg setzt.“ *Doederlin.* Synonym. Vol. III. p. 234 sq.

Cap. XXV. §. 55. *Oratorem*] Cf. 19, 43.; *simulare* sc. iram. De seq. *an* v. ad III. 1, 1.

iam rebus transactis et pr. or. scr.] „de Sen. 11, 38: caussarum illustrium, quascunque defendi, nunc cummaxime conficio orationes. Freilich wurden die Reden gewiss grossentheils, ehe sie gehalten wurden, schriftlich entworfen, später aber eigentlich ausgearbeitet; manche wurden aber auch wegen Wichtigkeit des Gegenstandes bisweilen gleich abgelesen u. vielleicht später nicht erst ausgearbeitet. Vgl. C. pr. Cn. Planc. 30, 74: recitetur oratio, quae propter rei magnitudinem dicta de scripto est.“ *Klotz.* Adde *F. A. Wolfium* in praef. ad or. p. M. Marcello p. XVI seq.

Ecquis — vincite!] Est particula versus ex Accii Atreo sumpta (v. de Orat. III. 58, 217.), ubi, ut explicat *Neidius*, aliquis iratus cuidam facinoroso: *Quis*, inquit, *hoc facinus vidit? agite et vinctum eum abducite!* [*Orellius* sic: Straft nicht gleich Einer diess (Vergehen)? Schnell werde er gestraft! Bindet ihn!] Haec irati hominis verba nec Aesopus histrio unquam egit iratus, nec Accius scripsisse existimandus est iratus; sed uterque iram simulavit.

psisse existimamus[3] iratum Accium[4]? Aguntur ista praeclare, et ab oratore quidem melius, si modo est orator, quam ab ullo histrione; sed aguntur leniter et mente tranquilla. Libidinem vero laudare cuius est libidinis? Themistoclem mihi et Demosthenem profertis, additis Pythagoram, Democritum, Platonem. Quid? vos studia libidinem vocatis? quae vel optimarum rerum, ut ea sunt, quae profertis, sedata tamen et tranquilla esse debent. Iam aegritudinem laudare, unam rem maxime detestabilem, quorum est tandem philosophorum? At commode dixit Afranius:

Dummódo doleat aliquid, doleat quidlíbet[5].

Dixit enim de adolescente perdito ac dissoluto; nos autem de constanti viro ac sapienti quaerimus. Et quidem ipsam illam iram centurio habeat aut signifer vel ceteri, de quibus dici non necesse est, ne rhetorum aperiamus mysteria. Utile est enim, uti motu animi, qui uti ratione non potest; nos autem, ut testificor saepe, de sapiente quaerimus.

XXVI. 56. At etiam aemulari utile est, obtrectare[1], misereri. — Cur misereare potius, quam feras opem, si id facere pos-

3 Bentl. coni. *existimas*, et sic Gud. 1. II. 2. Leid. Marb. Duisb. tres Oxx. et ed. P., ut videtur, ob antec. *tibi;* at v. *Wopk.* p. 134. ibiq. *Hand.;* reliqui (etiam R. P.) *existimamus.* Cf. Adn. 4 Sic R. P. aliique; Or. c. aliis *Attium.* V. ad I. 44, 105. in V. Scr. 5 Sic vel *quidlibet* R. P. Gud. 1. II. b. aliique pro vulg. *quod lubet;* cf. §. 45. XXVI. 1 R. P. Gud. 1. II. aliique *obtrectari:* qui error ex proximis deponentibus ortus est.

existimamus] Ne exspectes *existimemus*, audi *Madvig.* in Opusc. ac. alt. p. 40: Latini indicativo modo praesentis temporis utuntur, quum aut de re quaerunt, quam se facturos non dubitent, aut de sententia et iudicio ita interrogant, ut non tam deliberent, quam aut necessarium iudicium significent et non discrepans, aut ex aliis, quam sententiam se suscipere velint, quaerant. Lael. 7, 24: ubi cf. *Seyffert.* p. 161. p. Balbo 24, 54. p. Caec. 17, 50. N. D. I. 29, 80. III. 30, 75. all. — De seq. verborum lusu *libidinem — libidinis* v. ad 31, 67.

Libidinem — de sapiente quaerimus.] Supra c. 19, 44. c. 20, 45.

unam rem maxime detestabilem] V. Adnotata in II. 26, 64.

ipsam illam iram] Nexus sententiarum est hic: Sicuti Afranius de adolescente perdito ac dissoluto recte dixisse videri potest, aegritudinem ei salutarem esse; ita in bello centuriones, signiferos ceterosque milites inferiorum ordinum irasci decet; nam neque ille neque hi ad sapientes sunt referendi, ratione uti non possunt: utantur igitur animi motu. Illum enim aegritudo fortasse ad meliorem frugem reducet, quum ratio non possit; hos ira fortes reddet, quum vera fortitudine non utantur. *Neidius.*

ne rhetorum aperiamus mysteria] H. e. ne rhetorum arcana vel ea quae proprie in arte rhetorica pertractari solent, aperiamus. Rhetores enim docebant, dicentis orationem accommodandam esse et conformandam ad diversam diversorum hominum indolem ac naturam. Alia res est in philosophia, quae de uno atque solo sapiente quaerit. „Die feineren Künste, womit sie die Leidenschaften aufregen.“ *Wolf.* De v. *mysteria* v. *Ellendt.* ad de Or. I. 48, 206. Vol. II. p. 119.

qui uti — non potest] Sc. eum. V. ad V. 7, 20.

Cap. XXVI. §. 56. *aemulari*] c. 20, 46.

non enim suscipere] Possumus vero. Liberalitas *enim* non in eo cernitur, ut ipsi aegritudines propter alios suscipiamus, sed ut alios, si possumus, levemus aegritudine. Sic saepe post interrogationem *enim*, *nam* elliptice ponuntur. Cf. ad I. 6, 11.

sis? an sine misericordia liberales esse non possumus? non enim suscipere ipsi aegritudines propter alios debemus, sed alios, si possumus[2], levare aegritudine. Obtrectare vero alteri aut illa vitiosa aemulatione, quae rivalitati similis est, aemulari quid habet utilitatis? quum sit aemulantis angi alieno bono, quod ipse non habeat; obtrectantis autem, angi alieno bono, quod id etiam alius habeat. Quî id[3] approbari[3] possit[4], aegritudinem suscipere pro experientia, si quid habere velis? nam solum habere velle summa dementia est. 57. Mediocritates autem malorum quis laudare recte possit? quis enim potest, in quo libido cupiditasve[5] sit, non libidinosus et cupidus esse? in quo ira, non iracundus? in quo angor, non anxius? in quo timor, non timidus? libidinosum igitur[6] et iracundum et anxium et timidum censemus esse sapientem? De cuius excellentia multa quidem dici quamvis fuse lateque possunt[7]; sed brevissime illo modo, sapientiam esse rerum divinarum et humanarum scientiam cognitionemque, quae cuiusque rei caussa sit. Ex quo efficitur, ut divina imitetur, humana omnia inferiora virtute ducat. In hanc[8] tu igitur, tanquam in

2 Aug. unus Ox. et paucae edd. vett. *si possimus:* quod ab h. l. plane alienum est. Kl. comp. I. 12, 26: si potes. 3 Sic Med. Guelf. tres Oxx.; eodem ducit *quid* (pro *qui id*) quod est in Mon. 2. et trib. Oxx.; reliqui (etiam R. P. Gud. 1. II.) *quis id; approbari* habent R. P. Gud. 1. II. aliique multi; alii *approbare.* 4 Post *possit* D. ed. 2. tacite addidit *te.* Male; nam hoc pron. e *velis* eliciendum est. 5 v. Adn. 6 Sic optimi codd. R. P. Vat. Gud. 1. II. b. multique alii; alii codd. et edd. vett. post *igitur* addunt *et cupidum,* ut vdtr., ob antecedd. *cupiditasve* et *cupidus.* Or. haec verba uncis cinxit. 7 Sic Or. c. tribus Oxx. Aug. et ed. vet. P.; codd. plerique et edd. vett. *possint:* id Kl. recepit, nunc autem in Add. p. 173. illud praefert, recte monens ex compendio *possī* (i. e. possunt) ortum videri *possint* et, quod Vat. R. P. Gud. 1. II. Marb. duo Pall. habent, *possit.* 8 v. Adn.

angi alieno b.] Scil. quem. V. Adnotata ad c. 8, 17: *concupierit.*

pro experientia] Loco experientiae. Sententia est haec: Quomodo id approbari (laudari) possit, te angi alieno bono, quod ipse non habeas, quum potius, si id habere velis, quod alius habeat, tibi experiendum sit, quomodo id, quod alius habet, assequi possis.

§. 57. *cupiditasve*] Bouh., quum ex III. 11. libidinem et cupiditatem non differre appareat, et statim subsequatur *non libidinosus et cupidus esse,* leg. coni. *cupiditasque*, contra D. ob *cupiditasve* coni. *libidinos. aut cupidus.* Utraque mutatio inutilis est; nam, uti recte docet *Moser*, libido a cupiditate nonnihil differt; deinde ex antecedenti *ve* vis disiunctiva quodammodo pertinet etiam ad seqq. *libidinos. et cup.*

quamvis use] V. ad I. 21, 47.

sapientiam — caussa sit] Sic infra V. 3, 7. Cf. Finn. II. 12, 37. De sapientiae definitione confer, quae enucleate eruditeque disputata sunt a *Beiero* ad de Offic. I. 43, 153. p. 303. et II. 2, 5. p. 14. Haec definitio complectitur tres partes, in quas philosophia a veteribus divisa est, physicam, ethicam, dialecticam. V. nos in libro dicto p. 5. 1). et p. 136 sq. Cf. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 97 sq. *Ernest.* Clav. v. *divinus.* Cf. supra III. 4, 8.

imitetur] Scil. sapientia, non, uti alii volunt, sapiens. De sapientia tanquam persona loquitur. V. ad II. 7, 18.

In hanc tu] Haec est vulgata, pro qua Davisius, Erasmum, Ascensium, Lambinum aliosque secutus, dedit: *in hunc tu,* ut referatur ad sapientem. Quae correctio nullo modo probari potest; nam inepte sapiens cum mari compararetur; contra eadem comparatio cum ipsa sa-

mare, quod est ventis subiectum, perturbationem cadere tibi dixisti videri? quid est, quod tantam gravitatem constantiamque perturbet? an improvisum aliquid aut[9] repentinum? quid potest accidere tale ei[1], cui nihil, quod homini evenire possit, non praemeditatum sit[2]? Nam quod aiunt, nimia resecari oportere, naturalia relinqui; quid tandem potest esse naturale, quod idem nimium esse possit? Sunt enim omnia ista[3] ex errorum orta radicibus, quae evellenda et extrahenda penitus, non circumcidenda, nec amputanda sunt.

XXVII. 58. Sed quoniam suspicor, te non tam de sapiente, quam de te ipso quaerere; (illum enim putas omni perturbatione esse liberum[1], te vis;) videamus, quanta sint, quae a philosophia[2] remedia morbis animorum adhibeantur. Est enim quaedam medicina certe, nec tam fuit hominum generi infensa atque inimica natura, ut corporibus tot res salutares, animis nullam[3] invenerit, de quibus hoc etiam

9 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. b. multisque aliis, alii deteriores *atque*. 1 Sic duo Oxx. et Aug. pro *tale et*. 2 v. Adn. 3 Cod. Leid. duo Pall. tres Oxx. ed. vet. Bouh. S. E. *omnia ista non ex naturalibus causis, sed ex errorum* etc. XXVII. 1 Tr. ex ed. Erasm. c. R. P. *liberum esse;* sed de R. P. collator Gudianus, de R. etiam Krar. et Berg. silent. V. *Wes.* Em. III p. 11. 2 v. Adn. 3 Vat. Fabr. duo Oxx. Mon. 1. Rehd. Gud. 2. Duisb. *nullas:* quod ex anteced. plur. ortum est; R. P. Gud. II. Marb. Pal. 4. *nulla.*

pientia instituta pulchra et exquisita est. Etiam *Handius* ad Wopk. p. 93. fallitur, quum scripturam *in hunc* ideo esse praeferendam dicit, quod ipse sit sapiens, qui imitetur divina, et in quem, tanquam in mare ventis subiectum, cadat perturbatio.

non praemeditatum sit] Revocavimus nunc haec verba, quae leguntur in ed. vet. Bouh. et edd. S. E. itemque in duob. Pall., sed hi habent *ne* pro *non;* plerique codd., etiam R. P. Vat. Gud. 1. II., et pleraeque edd. vett. omittunt ea; quinque Oxx *cui nihil novum sit, quod h. e. p.? Nam* etc.; nonnullae edd. vett. et unus Ox. et Mon. 1. *cui nihil subitum est, q. h. e. p.? Nam* etc. Or. aliique verba *non praemed. sit* uncis incluserunt; *Klotzius* haec verba non recepit, sed post *possit* lacunam esse statuit. *Tischer* edidit: *praem. non sit.* E variis huius loci supplementis et optimorum codd. omissione apparet, lacunam vetustissimam esse. Oriri ea potuit ex eo, quod librarii oculus ab ultima syllaba verbi *possit* aberravit ad ultimam syllabam verborum *n. pr. sit.* Etiam *Wesenberg.* Em. I. p. 17. haec verba tuenda censet, comp. III. 14, 29. 15, 31. et 32. Phil. XI. §. 7. multisque collectis exemplis singulorum pluriumve verborum propter terminationum vel initiorum similitudinem in archetypo omissorum. *Handius* ad Wopk. p. 134. haec verba interpolata censens de h. l. sic iudicat: Omnis sententiae vis cernitur in oppositis voc. *accidere* et *evenire;* quorum illud id significat, quod ex improviso et praeter spem fit, hoc autem, quod ex rerum natura et cum necessitate quadam provenit. Ergo dicit Cicero: quid potest accidere tale ei, cui nihil fortuitum accidit, quod homini in rerum necessario eventu fieri possit? Ita etiam intelligitur, quapropter verba *potest accidere* primo loco posita sint. Acad. II. 38, 121: quis enim potest —, si quid adversi *acciderit,* extimescere, ne id iure *evenerit.* At hic locus nihil probat, neque omnino hoc verborum discrimen statui potest, praesertim quum h. l. additum sit pr. *tale*, i. e. *improvisum aliquid aut repentinum.*

Nam quod aiunt] V. Adnotata in III. 30, 73. De re ipsa cf. supra c. 20, 46. De sq. *errorum radicibus,* i. e. erroribus tanquam rad., v. ad III. 1, 1.

Cap. XXVII. §. 58. *te vis*] Scil. liberum esse perturbatione.

quanta sint] Per frequens attractionis genus, quo substantivum, quod ad antecedentem enuntiationem pertinet, enuntiationi relativae inseritur et in eodem

est merita melius, quod corporum adiumenta adhibentur extrinsecus, animorum salus inclusa in his[4] ipsis est. Sed quo maior est in eis praestantia et divinior, eo maiore indigent[5] diligentia. Itaque bene adhibita ratio cernit, quid optimum sit; neglecta multis implicatur erroribus. 59. Ad te igitur mihi iam convertenda omnis oratio est. Simulas enim quaerere te de sapiente; quaeris autem fortasse de te. Earum igitur perturbationum, quas exposui, variae sunt curationes. Nam neque omnis aegritudo una ratione sedatur. Alia est enim lugenti, alia miseranti aut[6] invidenti adhibenda medicina. Est etiam in omnibus quattuor perturbationibus illa distinctio: utrum ad universam perturbationem, quae est adspernatio rationis aut appetitus vehementior, an ad singulas, ut ad metum, libidinem, reliquas[7] melius adhibeatur oratio[2], et utrum illudne[2] non videatur aegre ferundum[8],

4 Mon 2. Aug. Duisb. (hic *hiis*) *iis*. V. ad I. 3, 5. 5 v. Adn. 6 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. aliisque et nonnull. edd. vett.; vulgo *alia* pro *aut*. Cf. *Brem.* ad Fat. 4. p. 22. 7 Sic Or. c. R. P. (hi *reliquias*) D. Gud. 1. II. Aug. Marb. uno Ox.; *et reliquas* Duisb. Mon. 1. Vulg. *reliquasque*. V. ad c. 31, 66. 8 Sic R. P. Gud. 1.; Or. c. vulg. *ferendum*.

casu, in quo pronomen relativum est, ponitur, dictum pro: quanta sint ea remedia, quae etc. de Or. II. 30, 132: illa quaerenda, *quae* ab accusatore et a defensore *argumenta* ad id, quod in iudicium venit, spectantia debent afferri: ubi *Ellendt*. Vol. II. p. 253. alienissima exempla contulit. V. *Ramshorn*. L. Gr. §. 158. *Kühner*. L. Gr. §. 145, 9. *Wopkens*. Lectt. Tull. II, 6. p. 210. H. et qui hunc grammaticae locum peculiari scriptione illustravit *Krüger* Untersuchungen über d. Lat. Spr. III. Heft. 6. 75 sqq.

a philosophia remedia] R. P. Gud. 1. II. aliique multi om. *a*; Gud. 2. Marb. Vind. 1. *quae philosophiae rem.*: quod recepit *Klotzius*, nunc autem in Add. p. 174. reiicit; ac iure quidem; nam *philosophiae remedia* sunt remedia contra philosophiam. Littera *a* facile ab antec. *quae* absorberi potuit; v. ad I. 23, 54: *qua a* pr.

indigent diligentia] Plerique codd., etiam R. P. Vat. Gud. 1., exhibent *indiget*, quod sine dubio ortum est ex compendio *indigēt*. Singularis numerus absurdus est neque ullo modo defendi potest exemplis, quale est id, quod *Klotzius* attulit, de Or. II. 32, 140: Quo modo nunc se istorum artes habent, pertimescenda est multitudo caussarum; est enim infinita, si in personis ponitur.

§. 59. *Nam neque omnis aegritudo una ratione sedatur.*] Partitionem Cicero per *neque* instituit, postea autem, quum priorem sententiam exemplis confirmat (*alia est enim lugenti* etc.), deserit; deinde instituta partitione neglecta pergit: *Est etiam in omnibus quattuor perturbationibus illa distinctio.* Oratio igitur ad grammaticam rationem revocata sic procedere debebat: *Nam neque omnis aegr. una r. sedatur; alia est enim — adhibenda medicina; et in omnibus q. p. illa distinctio est.* Simillimus locus est Fin. II. 22, 71. et 72: „Nam *nec* vir bonus ac iustus haberi debet, qui, ne malum habeat, abstinet se ab iniuria;" deinde multis interiectis pergitur: *Quae dici eadem de ceteris virtutibus possunt* etc. V. *Madvigium* in exc. I. ad Fin. p. 805. et nos ad c. 35, 74.

adhibeatur oratio] Bentleius coni. *curatio*, ingeniose (§. 74: haec adhibenda curatio est; nec aliter Rehd. legit), nec tamen vere. Cf. §. 62. extr. *Or.* comp. Philipp. XIV. §. 34: aliqua talis his publice *adhiberi* posset *oratio*: ubi Burmann. tentabat *consolatio*. Idem recte monet, *oratione* ipsa fieri *curationem*. Cf. *Moserum* ad Legg. I. 18, 48. p. 116.

utrum illudne] Sic omnes fere codd. et optimi R. P. Gud. 1. II.; sed nonnullae edd. vett. *utrum illud ne vid.* omisso *non*. Male. *Utrum* indicat interrogationem esse bimembrem, *ne* ei voc., cui affixum est, vim addit et oppositionis vim auget. Divinat. II. 58, 120: *Utrum* igitur putamus dormientium animos per *sene* ipsos in somniando move-

ex quo suscepta sit aegritudo, an omnium rerum tollenda[9] omnino aegritudo; ut si quis aegre ferat, se pauperem esse, idne disputes, paupertatem malum non esse, an hominem aegre ferre nihil oportere. Nimirum hoc melius, ne, si forte de paupertate non persuaseris, sit aegritudini concedendum; aegritudine autem sublata propriis rationibus, quibus heri usi sumus, quodam modo etiam paupertatis malum tollitur.

XXVIII. 60. Sed omnis eiusmodi perturbatio animi placatione abluatur illa quidem, quum doceas, nec bonum illud esse, ex quo laetitia aut libido oriatur, nec[1] malum, ex quo aut metus aut aegritudo. Veruntamen haec est certa et propria sanatio, si doceas, ipsas perturbationes per se esse vitiosas nec habere quicquam aut naturale aut necessarium; ut ipsam aegritudinem leniri videmus, quum obiicimus maerentibus imbecillitatem animi ecfeminati[2], quumque eorum gravitatem constantiamque laudamus, qui non turbulente humana pa-

9 Sic tres Pall. Petrens. Mon. 1. (hic *omnino tollenda*); reliqui fere omnes, etiam R. P. Gud. 1. II. Gryph. Vat. *toleranda:* hanc scripturam Kl. frustra conatus tueri nunc in Add. p. 175. rediit ad alteram. V. Adn. XXVIII. 1 R. P. Gud. 1. II. aliique per errorem *et.* 2 Sic ed. D. et cod. Gud. 1.; eodem ducit *hecfeminati* in Gud. II.; Or. c. vulg. *effeminati.* V. indic. vv. *ecf.*

ri, an etc. Sic supra IV. 4, 9: *Utrum* igitur mavis statim*ne* nos vela facere, an — paullulum remigare? ubi *ne* additum est, ut clarius vocabulorum *statim* et *paullulum* oppositio eluceret. V. *Davisium* ad N. D. II, 34. *Goerenz.* ad Academ. II. 22, 71. p. 133. et *Ramshorn.* L. Gr. §. 174. *Kühner.* L. Gr. §. 158. Not. 9.

tollenda] Sic legendum, licet plerique et optimi codd. refragentur. Sententia loci necessario efflagitat hanc scripturam, uti iam recte intellexerunt *Lambinus*, *Davisius*, alii. Stoici enim censebant *tollendam* esse aegritudinem, omninoque omnes animorum perturbationes non amputandas aut circumcidendas esse, sed radicitus evellendas et extrahendas. Cf. III. 22, 53: non modo leniatur *aegritudo*, sed in plerisque *tollatur.* Ib. 11, 25. tetra enim res est (*aegritudo*), misera, detestabilis, omni contentione, velis, ut ita dicam, remisque *fugienda.* V. *Moserum* in Add. Vol. III. p. 405 sq. Postremo, inquit Lamb., nemo Latinorum unquam ita locutus est: *tolerare aegritudinem.*

ne, si forte] *Moser* suspicabatur: *ne, etsi forte de paup. persuaseris, sit alii aegritudini conced.;* sed ipse nunc in ed. hanc coniecturam reiecit. Recte *Orellius* vulgatae sententiam sic exponit: Melius adhibebis γενικὴν illam consolationem, hominem aegre ferre nihil oportere; nam altera duntaxat adhibita, paupertatem sc. non malum esse, ubi hoc ei, qui aegritudine affectus est, non persuaseris, non tolles eius aegritudinem, immo is ei indulgebit.

quodam modo] Addita sunt haec vocabula, ut significarent hoc: aegritudine sublata, etiam paupertatis malum, *licet de paupertate non proprie et seorsum agatur*, tollitur.

Cap. XXVIII. §. 60. *Sed omnis*] Duplex genus remediorum laudatur. Alterum, quod in eo constat, ut doceas, nec bonum illud esse, ex quo laetitia aut libido oriatur, nec malum, ex quo aut metus aut aegritudo, mite illud quidem est et lene, sed minus efficax, magis perturbationes abluit (absterget), quam eas penitus tollit; alterum, quod in eo cernitur, ut doceas, ipsas perturbationes per se esse vitiosas nec habere quicquam aut naturale aut necessarium, est certum simulque et opinionem falsam tollit et aegritudinem detrahit.

animi placatione] H. e. animo, qui perturbatione agitatus est et in diversas partes distractus, mitigando sibique conciliando.

abluatur] Coniunctivus, qui male habuit Bentleium, sic explicandus videtur: *concedo*, animi placatione perturbationem ablui posse, veruntamen certa et

tiantur. Quod quidem solet eis etiam accidere, qui illa mala esse censent, ferenda tamen aequo animo arbitrantur. Putat aliquis, esse voluptatem bonum, alius autem, pecuniam; tamen et ille ab intemperantia, et hic ab avaritia avocari potest. Illa autem altera ratio et oratio, quae simul et opinionem falsam tollit, et aegritudinem detrahit, est ea quidem utilior[3], sed raro proficit neque est ad vulgus adhibenda. 61. Quaedam autem sunt aegritudines, quas levare illa medicina nullo modo possit; ut si quis aegre ferat, nihil in se esse virtutis, nihil animi, nihil officii, nihil honestatis; propter mala is quidem angatur, sed alia quaedam sit ad eum admovenda curatio, et talis quidem, quae possit esse omnium, etiam de ceteris rebus discrepantium, philosophorum. Inter omnes enim convenire oportet, commotiones animorum a recta ratione aversas esse vitiosas, ut, etiamsi nec mala sint illa, quae metum aegritudinemve, nec bona[3], quae

3 v. Adn.

propria sanatio est etc. Similiter §. 61: *angatur*. Acad. II, 32: haec *sint* falsa sane; invidiosa certe non sunt. c. 24: *dissolverit* sane. Plura contulit *Wopkens*. Lectt. Tull. I, 14. p. 114. Cf. nos in Gr. L. §. 108, 5. a). *Ablui* a *Schützio* in Lex. Cicer. h. v. exponitur per *tolli*. Male, opinor. Equidem malim interpretari per *abstergeri*, ut minus sit, quam *tolli*. Sic saepe apud Ciceronem legitur *abstergere dolorem, molestias, metum*. V. *Forcellinii* Thes. Lat. h. v. Metaphora sumpta est a ritu abluendi in placationibus deorum aut lustrationibus, ut observat *Orellius*. Ernestii igitur coniectura *allevetur* vel *allevatur* facile supersedemus.

illa quidem] Scil. perturbatio: his voculis respondet *veruntamen*. V. Adnotata in I. 3, 6. Sic paullo post: est *ea quidem* utilior, *sed* raro proficit.

turbulente] *Moser* comp. ad Fam. II. 16 extr.: nos nihil *turbulenter*, nihil temere faciemus.

Putat aliquis — alius] Fin. III. 19, 63: *alia* sunt tanquam sibi nata, ut oculi, ut aures: *aliqua* etiam ceterorum membrorum usum adiuvant, ut crura, ut manus: at ibi *Madvigius* contra *Goerenz*. p. 392. et ad Acad. II. 10, 30. satis probabiliter cum Marso, Man., Lamb. scribendum censet: *alia etiam*, quia in aperta partitione nec Cicero nec alius quisquam *aliquis — alius* dixerit, multo minus *alius* (in quo iam notatur partitio et alterum membrum praeripitur exspectatione) — *aliquis*. Hoc autem quem nunc tractamus loco non distribuitur genus in suas partes, sed exemplum unum e multis ponitur: putat *aliquis — alius* et sic multo plura addi poterant, uti recte observavit *Madvigius*.

ratio et oratio] V. ad 17, 38. De *simul et — et* v. quem *Moser* laudat *Kritzium* ad Sall. Iug. XCI, 1. p. 485.

utilior] Haec est omnium librorum et scriptorum et editorum scriptura: qua nihil tetrius foediusve se vidisse dicit *Bentleius*, opinans scilicet, verba *utilior, sed raro proficit* prorsus sibi repugnare. Qua de caussa legendum censet *subtilior*: quam coniecturam calculo suo probaverunt Davisius, Bouhierius, Ernestius. At optimo iure *Wolfius* vulgatam in pristinam suam sedem reduxit. Voluit enim significare Cicero hoc: illa altera ratio multo maiorem quidem vim habet et efficacitatem in eis, qui sapientiae praeceptis imbuti ad illam medicinam recipiendam idonei sunt, sed *raro proficit*, quia pauci tantum ita instituti sunt, ut huic curationi apti sint; neque igitur est ad vulgus adhibenda. *Proficere* proprie dicitur de medicamentis, quae vim exserunt (nobis: *anschlagen*). Celsus V. 28, 2: neque ulla unquam medicina profecit. Plin. XXVII. c. 11: radix adversatur omnium serpentum generibus, nec alia res celerius proficit. Cf. Lexica.

§. 61. *illa medicina*] Scil. prior illa medicina, ut doceas, illud malum non esse, ex quo aegritudo suscipiatur. Cf. supra III. 32, 78.

angatur] concedendum est, negandum non est, illum aegritudine laborare.

etiamsi nec mala sint — nec bona] Sic

cupiditatem laetitiamve moveant, tamen sit vitiosa ipsa commotio. Constantem enim quendam volumus, sedatum, gravem, humana omnia prementem[3] illum esse, quem magnanimum et fortem virum dicimus. Talis autem nec maerens nec timens nec cupiens nec gestiens esse quisquam potest. Eorum enim haec sunt, qui eventus humanos superiores, quam suos animos esse ducunt[3].

XXIX. 62. Quare omnium philosophorum, ut ante dixi, una ratio est medendi, ut nihil, quale sit illud, quod perturbet animum, sed de ipsa sit perturbatione dicendum. Itaque primum in ipsa cupiditate, quum id solum agitur, ut ea tollatur, non est quaerendum, bonum illud, necne sit, quod libidinem moveat, sed libido ipsa tollenda est, ut, sive, quod honestum est, id sit summum bonum,

omnes codd. praeter cod. Ursini, in quo legitur *etiamsi mala sint illa, quae metum aegritudinemve, bona:* unde L. scripturam sic constituit: *etiamsi et mala sint illa, quae m. aegr., et bona* etc.; hanc coniecturam recepit quidem Or., sed in scholis Wolfii rediit ad vulgatam; Bentleius coniecit *etiamsi vel mala sint — vel bona.* Vulgatae *etiamsi nec mala sint — nec bona* sententiam *Wopkensius* Lectt. Tull. I, 18. p. 138. sic exponit: „Constare inter omnes, tametsi res illas, quae perturbationes in nobis concitent, esse indifferentes [nec malas nec bonas] concedatur, ipsas tamen commotiones, a rebus illis indifferentibus concitatas, vitiosas esse, siquidem a recta ratione deflectant," coll. c. 28, 60. princ. c. 29, 62. *Quare — dicendum.* c. 31, 65. extr. Paullo obscurius *Handius:* „Etiamsi perturbationes animi ab ea parte, quod nec mala sint, quae metum aegritudinemve, nec bona, quae cupiditatem laetitiamve moveant, improbari debeant, tamen ipsa adeo commotio vitiosa est." *Klotzius* locum sic interpretatur: „so dass, abgesehen davon, dass diese Dinge, welche Furcht u. Kümmerniss, weder schlecht, noch die, welche Lust u. Fröhlichkeit wecken, gut sind, doch jener Eindruck an u. für sich tadelnswerth ist." Magis et ad Ciceronis verba, et ad sermonis nostri indolem sic vertas: so dass, selbst in dem Falle, dass einerseits die Dinge, welche Furcht oder Kummer einflössen, keine Übel sind, und andererseits die Dinge, welche Begierde oder Fröhlichkeit erregen, keine Güter sind, dennoch die Gemüthsbewegung an u. für sich fehlerhaft ist.

Constantem — quendam] Cf. ad II. 4, 11.

humana omnia prementem] *Davisius* interpretatur: humana omnia calcantem, i. e. despicientem; quae autem exempla e veteribus scriptoribus constipavit ad significationem *calcandi* huic verbo tribuendam, ad unum omnia alienissima sunt. In iis enim vel adiectum nomen *pede* vel aliud quiddam adiunctum hanc notionem illi verbo attribuit; *premere* vero simpliciter positum pro *calcare* a veteribus poni, non memini. Recte *Handius* ad Wopkens. p. 139 sq.: *Premere* dicitur de omnibus rebus, quae, ne exsurgant aut evagentur, moderatione et temperatione cohibentur, veluti *luxuries arborum premitur* [h. e. putatur] *falce* ap. Ovid. Met. XIV, 629. et *populi ditione premuntur* ap. Virg. Aen. VII, 737. *Orellius* addit Horat. Carm. I. 31, 9: *premant Calena falce — vitem:* ubi *Doeringius* affert Virg. Georg. II, 401. et *Wopkens.* Senec. de Ira III, 6: sublimis animus, quietus semper —, intra se *premens,* quibus ira contrahitur. *Klotzius* addit Quinct. XI. 1, 16: qui se supra modum extollit, *premere* ac despicere creditur nec tam se maiorem, quam minores ceteros facere. *Humana* autem appellantur quicunque animi humani conatus, agitationes, commotiones, quibus magnanimus vir moderationem adhibere debet ac solet. Itaque Bentleii et Bouhierii coniecturis *spernentem, ferentem* opus non est. *Wesenb.* Em. I. p. 33. probat coni. *spernentem*, scripturam *prementem* e litterarum transpositione natum putans.

animos esse ducunt] R. P. Gud. 1. Aug. Rehd. Duisb. Marb. quatt. Oxx. legunt

sive voluptas, sive horum utrumque coniunctum, sive tria illa[1] genera bonorum, tamen, etiam si virtutis ipsius vehementior appetitus sit, eadem sit omnibus ad deterrendum adhibenda[2] oratio. Continet autem omnem sedationem animi humana in conspectu posita natura, quae quo facilius expressa cernatur, explicanda est oratione communis conditio lexque vitae. 63. Itaque non sine caussa, quum Orestem[3] fabulam doceret[4] Euripides, primos tris[5] versus revocasse dicitur Socrates:

Neque tám terribilis úlla fando orátio[6] *est,*
Nec sórs[7]*, nec irá cóelitum invectúm*[8] *malum,*
Quod nón natura humána patiendo écferat[9].

Est autem[1] utilis ad persuadendum, ea, quae acciderint[2], ferri

XXIX. 1 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. Marb. Aug. (hic *tua illa*) pro vulg. *illa tria.* 2 Edd. Ox. et Oliv. (non constat, unde) *adhibita:* quam dubiam plane lectionem veram iudicat Kl. 3 Sic plerique codd., etiam R. P. Gud. 1. II.; alii *Orestis.* Cf. Priscian. T. I. p. 258. ed. Krehl. 4 Multi codd, etiam R. P. Gud. 1. II., et nonnull. edd. vett. *diceret.* V. Adn. 5 Sic ed. D. et Gud. 1. II. Aug.; Or. c. vulg. *tres.* 6 Plerique codd., etiam R. P. Gud. 1. II. b., *ratio;* facile littera *o* ab antecedenti *o* absorberi potuit. 7 Sic Vat. Pal. 1. aliique pauci, itemque pleraeque edd. vett.; Gud. 1. a pr. m. *sor;* plerique codd., etiam R. P. Gud. 1. (hic a sec. m.) Gud. II. Gr. *fors:* quod praeferunt Kl., Porson., Herm. ad Eur. l. d., et ap. Priscian. l. d. ante Lindem. fuit. 8 R. P. Gud. 1. aliique *inventum;* edd. V. Rob. Steph. et Prisc. Putschii l. d. *invictum;* utrumque male, v. Gr. θεήλατος. 9 Alii codd. deteriores, nonnull. edd. vett. et Prisc. l. d. *ferat.* V. Adn. 1 Or. e Dav. coni. *est etiam;* sed in ed. 1829. rediit ad vulg. V. ad I. 33, 80. 2 Sic Or. c. plerisque codd., etiam R. P. Gud. 1., pro vulg. *acciderunt.*

dicunt, quod etiam *Klotzius* et *Moser* receperunt; reliqui codd. et omnes praeter D. edd. vett. habent *ducunt*, quod *Moser* minus ex usu Ciceronis dictum putat, qui verbum *ducendi* sine infinitivo *esse* usurpare soleat; sed mihi verbum *dicendi* ab huius loci sententia abhorrere videtur.

Cap. XXIX. §. 62. *tria illa genera bonorum*] animi, corporis, fortunae.

ad deterrendum] ab iis, quae perturbent animum.

humana in conspectu posita natura] Quum docetur, omnia in humana natura certis quibusdam legibus, quibus unusquisque subiectus sit, obnoxia esse.

§. 63. *fabulam doceret*] H. e. fabulam in scena ederet. V. Adnotata in I. 1, 3.

tris versus] Eurip. Or. 1—3:

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ὧδ' εἰπεῖν ἔπος,
Οὐδὲ πάθος, οὐδὲ ξυμφορὰ θεήλατος,
Ἣς οὐκ ἂν ἄροιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.

Muretus in Var. Lectt. VIII. c. 16. Tullium notat, quod non fideliter Euripidem reddiderit; sed primi versus sententiam recte percepit Tullius, male interpretatur Muretus *ut uno verbo eloquar;* nam εἰπεῖν pendet a δεινόν, *terribile dictu.* Secundum versum liberius vertit, sed sententiam recte expressit; in ultimo autem versu res dubia est; nam vel ita accipi potest, ut Tullius accepit, vel ita: *nullum malum est, cui non obnoxia sit humana natura.*

revocasse] Actores dicuntur *revocari*, quum iubentur a spectatoribus repetere versus aliquos (*da capo!*) Cf. p. Arch. poet. 8, 18. V. *Ernestii* Clav. Cicer. h. v. *Boettiger* in Prolus. *Quid sit docere fabulam* inscripta p. 12. (Opusec. ed. Sillig. Dresd. 1837. p. 294 sq. ap. Moser. V. III. p. 406.) offensus, quod Socrates in pleno theatro coram toto populo revocasset, quum actores ab universo populo revocarentur, rem expeditam esse existimavit, si hoc a Socrate tum factum statueretur, quum Euripides hanc fabulam actoribus recitaret.

ecferat] *Pearcius* in ed. sec. Cicer. de Orat. II. 53, 216. explicat *vincat;* sed sine dubio nihil fere aliud est, nisi *perferat;* *Moser* excitavit versum veteris poëtae ap. C. p. Sest. 48, 102. si tu

et posse et oportere, enumeratio eorum, qui tulerunt. Etsi aegritudinis sedatio et hesterna disputatione explicata est et in Consolationis libro, quem in medio (non enim sapientes eramus) maerore et dolore conscripsimus, quodque vetat Chrysippus ad recentes quasi tumores animi remedium adhibere, id nos fecimus, naturaeque vim attulimus, ut magnitudini medicinae doloris magnitudo concederet.

XXX. 64. Sed aegritudini, de qua satis est disputatum, finitimus est metus, de quo pauca dicenda sunt. Est enim metus, ut aegritudo praesentis, sic ille futuri mali. Itaque nonnulli aegritudinis partem quandam metum esse dicebant; alii autem metum praemolestiam appellabant, quod esset[1] quasi dux consequentis molestiae. Quibus igitur rationibus instantia feruntur, eisdem contemnuntur sequentia. Nam videndum est in utrisque, ne quid humile, summissum, molle, effeminatum, fractum abiectumque faciamus. Sed quanquam de ipsius metus inconstantia, imbecillitate, levitate dicendum est; tamen multum prodest ea, quae metuuntur, ipsa contemnere. Itaque, sive casu accidit, sive consilio, percommode factum est,

XXX. 1 Sic Or. e Bentl. coni. et sic codd. Vind. 2. Mon. 2. pro vulg. *est:* quod recepit Kl., nunc autem in Add. p. 177. reiicit.

laborem summa cum cura *efferas* nullum. Lucret. I, 142: quemvis *ecferre* laborem.

Etsi] *Etsi* non sequente apodosi vi corrigendi usurpatur pro frequentiore *quanquam*. Cf. I. 42, 99. V. 13, 38. 19, 55. 20, 58. *Hand.* Tursell. II. p. 604 sq. *Kühner.* L. Gr. §. 155. Not. 4.

in medio maerore] propter obitum filiae. „Diese leise, mit der innigsten Trauer um die geliebte Tochter verbundene, Ironie liess sich nicht anmuthiger ausdrücken, als durch eine solche, sonst bei Cic. ungewöhnliche, Parenthese zwischen d. Adject. u. Subst.“ *Wolf.*

ad recentes quasi tumores etc.] Cf. supra III. 31, 76. Apposite *Moser* comp. Plin. ep. V, 16: ut enim crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur atque ultro requirit; sic recens animi dolor consolationes reiicit ac refugit, non desiderat et clementer admotis acquiescit.

Cap. XXX. §. 64. *instantia feruntur, — contemnuntur sequentia*] V. ad II. 4, 11. *medetur — timores.*

Quae si probata sunt] V. ad 11, 25: *de Timone, qui — appellantur.*

Cap. XXXI. §. 65. *quae pertinet ad animi perturbationem*] D. Ern. W. Or. e coni. Bentleii ediderunt *perturbationes;* sed Or. in ed. 1829. recte revocandam esse scripturam vulg. *perturbationem* censet. Nam quod oratio a singulari numero ad pluralem (*omnes eas*) deflectit, id male nos habere non potest. Sic Acad. I. 10, 38: quumque *perturbationem* animi — non tollerent — quumque eas *perturbationes* — naturales esse dicerent. N. D. I, 38: hoc idem fieri in *deo:* — ex quo esse *beati* atque *aeterni intelligantur.* Inverso ordine Tusc. V. 15, 43: quum *perturbationes* animi miseriam — efficiant, duplexque ratio *perturbationis* sit. Fin. II. 19, 61: aliquid de *voluptatibus suis* cogitabat? nam ubi *eam* caperet —? ubi v. *Madvigium* p. 250 sq. Primum h. l. Tullius de *genere* aut de universa animi perturbatione loquitur, tum descendit ad *partes.* Supra 27, 59: utrum ad *universam* perturbationem —, an ad *singulas* — adhibeatur oratio. 28, 60: *omnis perturbatio* animi — ipsas *perturbationes.* Cf. *Hand.* ad Wopk. p. 118. ipsum *Wopk.* p. 20 sq. *Klotz.* Quaest. Tull. I. p. 114. *Wesenb.* Em. III. p. 11 sq. Cf. nos ad II. 23, 54: corporibus — animus. et ad IV. 11, 25: de Timone, qui — appellantur.

caussam continere] V. ad III. 34, 58: quod rem continet.

Hic igitur error] Brevius dictum est pro: quum *igitur* omnes perturbationes

quod eis de rebus, quae maxime metuuntur, de morte et de dolore, primo et proximo die disputatum est. Quae si probata sunt, metu magna ex parte liberati sumus.

XXXI. 65. Ac de malorum opinione hactenus. Videamus nunc de bonorum, id est de laetitia et de cupiditate. Mihi quidem in tota ratione ea, quae pertinet ad animi perturbationem [1], una res videtur caussam continere, omnes eas esse in nostra potestate, omnes iudicio susceptas, omnes voluntarias. Hic igitur error est eripiendus, haec detrahenda opinio [2], atque, ut in malis opinatis tolerabilia [1], sic in bonis sedatiora sunt efficienda ea, quae magna et laetabilia * ducuntur* [3]. Atque hoc quidem commune malorum et bonorum, ut, si iam difficile sit persuadere, nihil earum rerum, quae perturbent animum, aut in bonis aut in malis [1] esse habendum, tamen alia ad alium motum curatio sit adhibenda, aliaque ratione malevolus, alia amator, alia rursus anxius, alia timidus corrigendus. 66. Atque erat facile, sequentem eam rationem, quae maxime probatur de bonis et malis,

XXXI. 1 v. Adn. 2 Sic Or. c. plerisque codd., etiam R. P. Gud. 1.; Gr. et plurimi codd. Lambini *detrahenda opinione* (vel *opinio ne*) *consererent*, *atque ut in m.* etc. Eodem ducit *opiniōē cons'ent* in Gud. II. Difficile dictu est, unde haec mira lectio orta sit. 3 Sic Or. e Wolf. coni. pro vulg. *dicuntur*.

in nostra potestate sint, *hic error*, quo homines illas naturales esse opinantur et idcirco iis abripi se patiuntur, est eripiendus.

est eripiendus] Pari modo verbum *eripiendi* absolute ponitur, nullo adiuncto dativo, Off. I. 68, extr. 36. Ib. II. 3, 10: quorum error eripiendus est: ubi multa congessit *Beier* p. 23.

tolerabilia] Multae edd. vett. exhibent *tolerabiliora:* quae scriptura sine dubio ex seq. comparativo orta est. At haec graduum mutatio et apud Latinos et apud Graecos scriptores haud infrequens est, saepeque in diversarum comparationis formarum iunctura magna quaedam subtilitas posita est. Acad. II. 29, 94: *etiam a certis et illustrioribus* (sc. quam quae ab aliis facile probantur) *cohibes assensum*. N. D. II, 6: mentem et eam quidem *acriorem* et *divinam*. I, 21: de re *obscura* atque *difficillima*. V. *Wopkens*. Lectt. Tull. II, 16. p. 299. ibique *Handium*, et nos in Gr. L. §. 157. Not. 17. Plat. Legg. I. p. 649. E: εὐτελῆ τε καὶ ἀσινεστέραν. Xen. M. S. II. 7, 10: κάλλιστα καὶ πρεπωδέστερα (sehr schön und im höheren Grade geziemend): ubi v. Adnotata nostra. Plura si cupis, vide sis nos in Gr. Gr. T. II. §. 591. Denique observandum est, verba *ut in malis opinatis tolerabilia* ex membro opposito: *quae magna et laetabilia ducuntur* complenda esse sic: *quae gravia et tristia ducuntur*. Similiter Tacit. Hist. II, 20: Germanicus, quod arduum, *sibi* (sc. sumsit), cetera legatis *permisit*. Haec figura, qua praedicatum posteriori tantum membro adaptatur et ex eo praedicatum contrarium eliciendum et in priore membro supplendum est, vocitatur a grammaticis συνεζευγμένον. V. *Ramshorn*. Lat. Gr. §. 208. *Kühner*. L. Gr. §. 162, c.

si iam] V. ad I. 22, 50.

aut in bonis aut in malis] Sic Or. c. omnibus fere codd., etiam R. P. Gud. 1. II., et multis edd. vett.; sed pleraeque edd. vett. et Duisb. Mon. legunt *aut in malis aut in bonis:* quae scriptura minime absurda dicenda est. Cf. supra c. 28, 61: nec *mala* — nec *bona*. Fin. III. 21, 69: *incommoda* autem et *commoda:* ubi v. *Bremium* p. 352. Similiter *noctes* et *dies*, ut V. 25, 70. 39, 113. Cf. *Ottonem* et *Madvig*. ad Fin. I. 16, 51.

alia rursus] contra. V. ad I. 17, 40.

§. 66. *Atque erat facile*] V. ad I. 49, 116.

sequentem] H. e. τὸν ἑπόμενον. V. Adnotata in I. 38, 91.

eam rationem] Scil. Stoicorum, qui nihil nisi honestum in bonis, nihil nisi

negare unquam laetitia affici posse insipientem, quod nihil unquam haberet boni. Sed loquimur nunc more communi. Sint sane ista bona, quae putantur, honores, divitiae, voluptates, cetera[1]; tamen in eis ipsis potiundis exsultans gestiensque laetitia turpis est, ut, si ridere concessum sit, vituperetur tamen cachinnatio. Eodem enim vitio[1] est effusio[4] animi in laetitia, quo in dolore contractio, eademque levitate cupiditas est in appetendo, qua laetitia in fruendo, et ut nimis afflicti[5] molestia[1], sic nimis[5] elati laetitia iure iudicantur

4 D. tacite *ecfusio;* eo ducunt lectt. *est hec fusio* in Duisb. et *haec fusio* in uno Ox. 5 R. P. Vat. Gud. 1. aliique *adflictio* (*afflictio*); deinde *molestia* omnes codd.; pro *sic nimis* R. P. Gud. 1. *sic animis,* Vat. aliique et multae edd. vett. *sic animi.*

turpe in malis ducebant. Ex hac igitur ratione insipiens, quia nihil habet boni, nulla laetitia affici poterit.

haberet] Coniunctivus imperfecti positus est, quia verba: *quod nihil haberet boni* pars sunt propositionis quae dicitur ὑποθετικῆς: quae plena et integra sic sese haberet: *Nisi* nunc *loqueremur* more communi, *facile erat* — negare etc.

voluptates, cetera] Sic recte legitur ex consueto Ciceronis usu in plerisque codd., etiam Vat. R. P. Gud. 1. II.; pauci deteriores habent *et cetera;* multae edd. vett. et pauci deteriores codd. *ceteraque.* Supra c. 27, 59: ad metum, libidinem, *reliquas,* uti Orellius recte rescripsit. Infra V. 37, 107: Clitomachus, Philo, Antiochus, Posidonius, *innumerabiles alii.* 41, 120. Offic. III. 10, 43: honores, divitiae, voluptates, *cetera* generis eiusdem. V. *Goerenz.* ad Fin. IV. 2, 43. p. 423. et ad Legg. III. 9, 20. p. 243. *Heindorf.* ad N. D. III. 18, 45. p. 323. *Kritz.* ad Sall. Cat. XV, 1. p. 75. XLIII, 3. p. 200. *Kühner.* L. Gr. §. 138[b], 1. e). Nec tamen desunt contrarii generis exempla Tusc. IV. 7, 16: *et similia.* Ibid. *et cetera* eiusmodi. V. 5, 13: *reliquaeque* virtutes. Fin. V. 12, 35: frons, oculi, aures *et reliquae* partes. *Wesenberg.* Em. III. p. 181. affert N. D. III. §. 47: *et ceteris* m. imperatoribus. Sall. Cat. 52 extr. *aliaque* — facinora, all. V. nos ad V. 14, 41.

Eodem enim vitio est] Ernestius coni. *eodem enim in vitio:* quod miror probari a *Beiero* ad Offic. I, 29. p. 227. Recte quidem dicitur *in vitio est* pro vitiosum est, ut supra III. 9, 19. Finn. V. 11, 31. Off. I. 7, 23. 19, 62: *in eadem sunt iniustitia.* ib. 14, 43; sed h. l. ablativi *eodem vitio* pariter ac seqq. *eadem levitate* pro ablativis qualitativis accipiendi sunt. Recte *Wolfius* explicat: eodem (in) gradu vitii et levitatis. Cf. *Klotzium* in Quaestt. Tull. p. 115 sq.

effusio — contractio] *Moser* comp. Lael. 13, 48: ubi v. *Seyffert.* p. 324. Supra c. 6, 14: animosque demittunt et *contrahunt.* Ibid. animi *contractio,* ut I. 37, 90: animi *contractio* ex metu mortis. Veteres animum laetis rebus diffundi, tristibus contrahi putabant. Plat. Symp. p. 206. D: ἵλεώς τε γίγνεται καὶ εὐφραινόμενον διαχεῖται (*diffunditur*) — σκυθρωπόν τε καὶ λυπούμενον συσπειρᾶται (*contrahitur*) καὶ ἀποτρέπεται καὶ ἀνείλλεται. Sic etiam διαστέλλεσθαι, διαλύεσθαι et contra συνίστασθαι. V. *Stallbaumium* ad Plat. Phileb. p. 46. A. ed. Goth. p. 266 sq., qui apte comp. Senec. ep. 106: *frontem adstringant,* an *faciem diffundant.* Ov. Met. XIV, 272: *diffudit vultus.*

afflicti molestia, sic nimis] Wolfius et Orellius de ingeniosa Bentleii coniectura: *afflicti molles, ita nimis* ediderunt *afflicti molles, sic nimis;* sed vulgatam *afflicti molestia* in pristinam sedem reducendam acute ostendit *Klotzius* in Quaestt. Tull. I. p. 116 sq. hoc fere modo: Primum enim in illa coniectura offendat nos oportet, quod membrorum contrariorum concinnitas non est observata; nam substantivo *laetitia* nullum substantivum in priore membro responderet. Tum vulgatae sententia subiecta est sana ac commoda. *Levis* dicitur, qui non est gravis (v. ad I. 40, 95.); quemadmodum autem gravis vir res adversas moderate feret constantiamque servabit, sic *levis* homo adversis rebus desperabit ac mollis erit. Cf. Offic. I. 26, 90: etiam in rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus superbiam magno opere, fastidium arrogantiamque fugiamus. Nam *ut adversas res, sic secundas immoderate ferre levitatis est* cett. In Add. p. 177.

leves. Et quum invidere aegritudinis sit; malis autem alienis voluptatem capere laetitiae: utrumque immanitate et feritate [6] quadam proponenda castigari solet. Atque ut confidere [1] decet, timere non decet; sic gaudere decet, laetari non decet, quoniam docendi caussa a gaudio laetitiam distinguimus. 67. Illud iam supra diximus, contractionem animi recte fieri nunquam posse, elationem posse. Aliter enim Naevianus ille gaudet Hector:

Laétus sum laudári me abs te, páter, a [1] *laudató viro;*

6 Unus Ox. *et ferocitate:* unde Kl. in Add. p. 178. coni. *et ecferitate.* V. ad II. 9, 20.

adiungit similem locum ex or. in L. Pison. 24, 57: Nam ut levitatis est inanem aucupari rumorem et omnes umbras etiam falsae gloriae consectari; sic est levis animi lucem splendoremque sapientis, iustam gloriam, qui est fructus verae virtutis honestissimus, repudiare.

proponenda] H. e. ob oculos ponenda immanitate et feritate, quae et in eum, qui invideat, et in eum, qui malis alienis voluptatem capiat, cadat.

confidere] Omnes MSS. mordicus tenent *confidere.* Et sic in edd. vett., neque aliter apud Nonium in v. *laetari,* legitur. Oppositio inter *confidendum* et *timendum*, si rationem habeas eius oppositionis, quae est inter verba *gaudendi* et *laetandi*, vacillare plane videtur ac titubare. Hinc *Lambinus* suspicabatur *diffidere;* nec vero haec ratio, quam mirifice amplexatus est Bentleius, hoc certe loco, in quo Cicero Stoicorum vestigia premit nec vulgare dicendi genus sequitur, bene procedit; Stoici enim diffidentiam in vitiis ducebant. Neque omnino *diffidere* significat *non temere timere;* quare minime respondet sequenti *gaudere. Or.* c. Dav. scripsit *cavere.* Nam, uti supra c. 6, 13. vidimus, Stoici *laetitiae* opponebant *gaudium*, *timori* vel *metui cautionem.* Et sic Seneca ep. 85: *Non timebit illa* (vir fortis), sed *vitabit.* Cautio illum decet, timor non decet. *Tregder* coni. *providere:* quod probavit *Wesenb.* Em. II. p. 55. (De syllabis *con* et *pro* in codd. confusis v. ad III. 25, 60: *cohibet* (*prohibet*).) Ac sane si id verbum ita accipitur, ut sit *providum esse, vorsichtig sein,* optime in hunc l. convenit. Vulgatam *confidere Klotz.* in Quaest. Tull. I. p. 121 sq. tueri studet his rationibus: „Faciunt Ciceronem subtilius loquentem atque acutius, quam aut voluit ipse aut pro re nata potuit. Nam quum toto hoc loco id contendisset, esse non minus in rebus secundis modum tenendum, quam in rebus adversis, dixissetque, in ipsis bonis potiundis exsultantem laetitiam turpem esse —; tum ut paucis, quod efficere pluribus studuerat, repeteret, usus est his verbis: *atque ut confidere decet, timere non decet, sic gaudere decet, laetari non decet.* Quae verba, quum res adversae toto hoc loco secundis opponantur, hoc dicunt: atque ut in rebus adversis in eo est modus servandus, ut, quum maxima sit timoris caussa, eam ita tamen temperes, ut confidas nec te tradas sollicitudini, sic in rebus secundis eo occasionem laetitiae moderabere, ut gaudeas quidem, sed te laetitiae non tradas. Nam quemadmodum in rebus adversis confisio est temperantia atque continentia a timore ac sollicitudine, ita in rebus secundis gaudium est revocatio ab exsultanti et gestienti laetitia. Id nobis Cicero voluit ante oculos ponere; quare non potuit *cavere* scribere, quod quum cautionis et providentiae notionem inferat, h. l. tolerari non potest. So wie man endlich (im Unglücke) Muth fassen muss, nicht aber verzagen; so muss man sich (beim Genusse der Güter) mit Gleichmuth freuen, nicht aber frohlocken.“ De v. *confidendi* confert c. 37, 80: et si fidentia, i. e. firma animi confisio, scientia quaedam est et opinio gravis, non temere assentientis etc.

docendi caussa] Supra c. 6, 13. et 7, 16.

§. 67. *supra diximus*] c. 6, 14. ubi dixerat, praesentis mali sapientis affectionem nullam esse et aegritudini nullam constantiam opponi. *Neidius.* Sapiens enim de Stoicorum sententia nunquam aegritudinem suscipit; *gaudere* ei licet, nunquam *laetari.*

nunquam posse, — *posse*] V. ad III. 5, 11.

Laetus sum] Est trochaicus tetrameter catalecticus. ad Fam. XV. 6, 1: *Laetus sum laudari me*, inquit Hector,

aliter ille apud Trabeam:

Léna delenita[7] *argento nútum observabit meum,*
Quid velim, quid stúdeam; adveniens dígito impellam iánuam;
Forés[1] *patebunt; de improviso Chrýsis ubi me adspéxerit,*
Álacris obviám mihi veniet, cómplexum exoptáns meum,
Míhi se dedet.

Quam haec pulchra putet, ipse iam dicet:

— *Fortunam ipsam anteibo fortunis meis.*

XXXII. 68. Haec laetitia quam turpis sit, satis est diligenter attendentem penitus videre. Et ut turpes sunt, qui ecferunt[1] se laetitia tum, quum fruuntur Veneriis[2] voluptatibus; sic flagitiosi, qui eas inflammato animo concupiscunt. Totus vero iste, qui vulgo appellatur amor, (nec hercule invenio, quo nomine alio possit appellari,) tantae levitatis est, ut nihil videam, quod putem conferendum. Quem Caecilius

— *deúm qui non summúm putet,*
Aut stúltum aut rerum esse imperitum existimat[3]:

7 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. Gr. et ed. D. pro vulg. *delin.* XXXII. 1 Sic R. ap. Wes. et ed. D.; eodem ducit Gud. 1., in quo est *haec ferunt;* Or. c. vulg. *effer.;* v. indic. vv. *ecf.* 2 v. Adn. 3 Sic Or. c. edd. vett. E. M. D. et codd. Mon. 1. 2. MS. in m. Asc. 2. Moseri; reliqui *existumet* (*existimet*): quod, uti recte monet Mos., ortum est ex prava constructione et accommodatione huius verbi ad *putet*, quum non viderent *existimat* extra versum poni.

opinor apud Naevium, *abs te, pater, a laudato viro.* Ea est enim profecto iucunda laus, quae ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt. Ibid. V. 12, 7: Placet enim Hector ille mihi Naevianus, qui non tantum laudari se laetatur, sed addit etiam, a laudato viro.

abs te —, a laudato viro] Multae edd. vett. et pauci deteriores codd. omittunt praepositionem *a*, quae vel ob metrum desiderari non potest, et in l. d. ad Fam. XV. 6, 1. firmiter stat, neque denique praepositionis in appositione repetitio offensioni potest esse. De repetita praepos. v. ad I. 10, 20. III. 15, 33.

Lena delenita] Sunt idem trochaici tetrametri catalectici.

digito] Sic Terent. Eun. II. 2, 53: Qui mihi nunc *uno digitulo* forem aperis fortunatus, h. e. facillime. V. *Ruhnken.* Dictata in h. l.

Fores patebunt] Ob metrum *Bentleius* legendum coniicit *Fori' patebit.* Sed *fores* μονοσυλλάβως pronuntiandum esse, vidimus ad III. 19, 44.

Fortunam] Haec pertinent ad verba: *Mihi se dedet*, ut integer versus trochaicus sit. De verborum lusu confer Auct. ad Herenn. IV. 17, 24: qui *fortunis* alicuius inducti amicitiam eius secuti sunt, hi, simulac *fortuna* dilapsa est, devolant omnes. C. p. Sull. 21, 62: quum commoda colonorum a *fortunis* Pompeianorum rei publicae *fortuna* disiunxerit: ubi v. *Halmium* p. 129. *Orellius* comparat Plaut. Mostell. II. 1, 4: nec *Salus* nobis *saluti* iam esse — potest. Ter. Ad. IV. 7 extr.: ipsa si cupiat *Salus, Servare* prorsus hanc familiam non poterit. Cic. Fontei. 6, 11. Adde nos ad III. 27, 64.

Cap. XXXII. §. 68. *attendentem*] V. Adnotata in I. 38, 91.

Veneriis] Sic scripsi c. *Wesenberg.* Em. III. p. 12. ex R. P. Gud. 1. 2. Duisb. Mon. 2.; Or. c. vulg. *Venereis.* Formam *Venerius* usquequaque fere tuentur meliores Ciceronis codd. *Wes.* affert Divin. in Caecil. c. 17, 55. (ubi v. *Zumpt.* p. 39.) Verr. II. §. 92. III. §. 50. 61 bis. 65. V. §. 141. 142. p. Cluent. 43. Divin. I. §. 23 bis. II. §. 48 bis. 121. 143. comparatque *patrius, regius, uxorius, praetorius, Martius, Iunonius, Saturnius, Neptunius, Vulcanius, Dianius;* e contrario autem genere (*ĕus*) *Apollineus, Caesareus, Romuleus*, ut *funereus, sidereus:* quae

Cui[4] *in manu sit, quem ésse dementém velit,*
Quem sápere, quem insanire[5], *quem in morbum iniici,*
Quem cóntra amari, quem éxpeti, quem arcéssier[6].

69. O praeclaram emendatricem vitae, poëticam! quae amorem, flagitii et levitatis auctorem, in concilio deorum collocandum putet. De comoedia loquor, quae, si haec flagitia non probaremus, nulla esset omnino. Quid ait ex tragoedia princeps ille Argonautarum?

Tú me amoris mágis, quam honoris sérvavisti grátia.

Quid ergo? hic amor Medeae quanta miseriarum excitavit incendia! Atque ea tamen apud alium poëtam patri dicere audet, se coniugem habuisse

Illum, Amor quem déderat, qui plus póllet potiorque ést patre.

XXXIII. 70. Sed poëtas ludere sinamus, quorum fabulis in hoc flagitio versari ipsum videmus Iovem. Ad magistros virtutis, philosophos, veniamus, qui amorem negant stupri esse et in eo litigant cum Epicuro, non multum, ut opinio mea fert, mentiente. Quis est enim iste amor amicitiae? cur neque deformem adolescentem

4 Ern. coni. *Cuius:* quod Kl. recepit, nunc autem in Add. reiicit. 5 Sic omnes fere codd., etiam Vat. R. P. Gud. 1. II.; Or. c. duob. Oxx. et compluribus edd. vett. *sanari;* aliae edd. vett. *sanare.* Sententiae sic sibi respondent: 1) dementem esse et sapere; 2) insanire, in morb. ini. et seqq. 6 Sic Or. c. b. MS. in marg. Asc. 2. (*accersier*) et edd. vett. E. D.; P. ap. Wes. *accersiri. Arcessiri* plerique codd, etiam Vat. R. Gud. 1.; pleraeque edd. vett. *quem accersiri* (*arcessiri*), *quem expeti.*

quidem formae sunt scriptorum fere recentiorum, non antiquiorum, exceptis adiectivis materiam notantibus, ut *ferreus*, *lapideus*, cett.

Totus vero] De *vero* v. ad I. 41, 98.

quo nomine alio possit appellari] Recte *Wolfius* docet commode Graecos inter ἐρᾶν et φιλεῖν distinguere.

deum qui] Sunt senarii iambici. Gemini versus ex Euripidis fabula, quae *Auge* inscripta erat, laudantur apud Stob. Serm. LXI. p. 357: qui sic se habent:

Ἔρωτα δ' ὅστις μὴ θεὸν κρίνει μέγαν
Καὶ τῶν ἁπάντων δαιμόνων ὑπέρτατον,
Ἢ σκαιός ἐστιν ἢ καλῶν ἄπειρος ὢν
Οὐκ οἶδε τὸν μέγιστον ἀνθρώποις θεόν.

Unde Caecilium sua petisse, arbitrabantur Ciceronis editores; at recte *Davisius* monet, Caecilium non Euripidem ob oculos habuisse, sed Menandrum, cuius Συναριστώσας e testimonio Nonii Latine verterat. Menander autem Euripidem, Caecilius Menandrum imitando expressit. Nam etiam in illa Menandri fabula Amoris potestas celebratur, uti videre licet ex Stobaeo l. d.

Cui in manu sit etc.] In cuius potestate sit, quem dementem esse velit, eum dementem esse vel eum dementem facere.

§. 69. *nulla esset omnino*] 'Intelligit Romanam et Graecorum recentiorem comoediam, non veterem, qualis est Aristophanis.

Tu me] Est tetrameter trochaicus catalecticus. Apud Eurip. Med. 530. sic laso Medeam alloquitur:

— — Ἔρως σ' ἠνάγκασε
Πόνων ἀφύκτων τοὐμὸν ἐκσῶσαι δέμας.

Vocabulum *magis* pronuntiandum est *magi*. V. ad I. 9, 18.

Illum Est tetram. troch. catalect.

Cap. XXXIII. §. 70. *quorum fabulis*] Bene *Wolfius* docet *fabulas* h. l. intelligendas esse μύθους, non scenicas fabulas: quod si esset, Ciceronem scripturum fuisse *in fabulis.*

negant stupri esse] Stoici dicebant, amorem μὴ εἶναι συνουσίας, ἀλλὰ φιλίας. Diog. Laert. VII. 130. Addit *Davisius* Athenaeum XIII. p. 561. Idem statuit Aristoteles ap. Diog. L. V, 31.

in eo litigant cum Epicuro] „Epicurus

qnisquam amat neque formosum senem? Mihi quidem haec in Graecorum gymnasiis nata consuetudo videtur, in quibus isti liberi et concessi sunt amores. Bene ergo Ennius:

Flágití princípium est nudare ínter cives córpora.

Qui ut sint, quod fieri posse video, pudici; solliciti tamen et anxii sunt, eoque magis, quod se ipsi continent et coërcent. 71. Atque, ut muliebres amores omittam, quibus maiorem licentiam natura concessit, quis aut de Ganymedi[1] raptu dubitat, quid poëtae velint? aut non intelligit, quid apud Euripidem et loquatur et cupiat Laius? Quid denique homines doctissimi et summi poëtae de se ipsis et carminibus edunt[2] et cantibus? Fortis vir in sua re publica cognitus, quae de iuvenum amore scribit[3] Alcaeus? nam Anacreontis quidem tota poësis est amatoria. Maxime vero omnium flagrasse amore Rheginum Ibycum, apparet ex scriptis.

XXXIV. Atque horum omnium libidinosos esse amores vide-

XXXIII. 1 Sic ed. D. et codd. R. P. Gud. 1. pro *Ganymedis*. V. ad III. 10, 21. 2 v. Adn. 3 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. aliisque pro vulg. *scripsit*. V. ad II. 21, 49.

amorem definit σύντονον ὄρεξιν ἀφροδισίων, ut docet Alexander Aphrodisiensis ap. Suid. in ἔρως." *Davisius.*

in Graecorum gymnasiis etc.] V. *Ast.* ad Platonis Sympos. IX. 4. Anmerkung zu d. Uebers. p. 291. *Moserum* ad Cic. de Rep. IV, 5., ubi Cicero *in Graecia* ait *opprobrio fuisse adolescentibus, si amatores non haberent.* Nep. praef. §. 4: Laudi in Graecia ducitur adolescentibus quam plurimos habere amatores. Multa de παιδεραστίᾳ collegit *Bernhardy* in „Grundriss der Griech. Litteratur" Vol. I. p. 42 sqq. Doctissime de eadem re disputat *W. A. Becker* Charikles T. I. p. 346—377. *Menkius* in Observv. ined. laudat Fr. Crameri Gesch. der Erziehung u. des Unterrichts. Elberf. 1832. Vol. I. p. 195. Plutarch. Amatorii c. 5. p. 751. F. Plat. Legg. I, 8. p. 636. B. C.

Flagiti] Est tetrameter troch. catalect.

quod se ipsi continent etc.] quod non leges publicae eos, sed ipsi se continent et coërcent.

§. 71. *apud Euripidem Laius*] in tragoedia deperdita, quae inscripta erat Chrysippus. Laius enim, rex Thebarum, Chrysippum, Pelopis filium, amabat. *Davisius* affert Schol. in Phoeniss. 1748. et interpp. ad Aelian. V. H. 13, 5. Ceterum cf. *Becker.* Charikl. T. I. p. 350 sq.

Laius? Quid — edunt —?] Hanc scripturam recepi ex Mon. 1. et edd. L. et Frc. Fabr., probatam *Orellio, Mosero, Wessenbergio* Em. III. p. 13., pro vulg. *Laius? quid — edant.* Quam saepe in codd. indicativi et coniunctivi terminationes (*unt* et *ant, it* et *at,* etc.) confusae sint, multis exemplis demonstrat *Tregder* in praef. p. X sq. Apparet autem, uti *Wesenb.* l. d. egregie docet, Ciceronem dicere, poëtas et *aliorum* (Iovis et Laii) amorem puerorum *significare* et de *suo praedicare;* de *aliorum* amore a poëtis (non nimis obscure) *significato* recte dicitur neminem esse, quin, quid significetur, *intelligat;* de *suo* quid poëtae *aperte* dicerent, ineptissimum esset quaerere, quis *non intelligeret;* dicendum certe fuit: *Laius? Quis denique nescit, quid p. — edant?* Omnis difficultas tollitur recepta a nobis scriptura. Sic, inquit *Wes.*, ea, quae de ipsorum poetarum amoribus dicuntur, ab iis, quae de alienorum apud eos significationibus, recte distinguuntur, non cum iis, et quidem cum altera sola eorum parte (*non intell. — Laius*), foede in unum confunduntur; sic denique, transitu ab uno ad alterum per rhetoricam illam interrogationem directam facto, deinceps rite de singulis poetis, quos illo amore flagrasse ex scriptis appareat (Alcaeo, Anacr., Ibyco), exponitur.

nam Anacreontis] H. e. de Anacreonte nihil dicam; *nam* eius tota poësis est amatoria. V. ad 23, 52. De Ana-

mus. Philosophi sumus exorti, (et auctore quidem nostro Platone, quem non iniuria Dicaearchus accusat,) qui amori auctoritatem tribueremus. 72. Stoici vero et sapientem amaturum esse dicunt, et amorem ipsum conatum amicitiae faciendae[1] ex pulchritudinis specie definiunt. Qui si quis est in rerum natura sine sollicitudine, sine desiderio, sine cura, sine suspirio, sit sane; vacat enim omni libidine; haec autem de libidine oratio est. Sin autem est aliquis amor, ut est certe, qui nihil absit aut non multum ab insania, qualis in Leucadia est:

— — *siquidem sit quisquám deus,*
Cui[2] *ego sim cúrae!*

73. At id erat deis[3] omnibus curandum, quemadmodum hic frueretur voluptate amatoria.

— — *Heu*[4] *mé infelicem!*

Nihil verius. Probe et ille:

XXXIV. 1 Or. *faciundae*, nulla addita auctoritate. 2 Or. c. W. *Quoi.* 3 v. Adn. 4 W. *hei;* at recte Or.: dicitur *heu me, hei mihi.*

creonte v. edit. *Theod. Bergk.* p. 5. et de Ibyco *Schneidewinium* in Ibyci Rheg. Carm. reliqq. Gotting. 1838. p. 30. Suid. h. v. γέγονεν ἐρωτομανέστατος περὶ τὰ μειράκια.

Cap. XXXIV. *Atque horum*] De v. *atque* adversativa vi posito v. ad III. 2, 4.

Platone] Plato duplicem ponebat amorem, alterum vulgarem, quem ipse reiiciebat, alterum sanctum ac purum, qui a pulchrorum corporum virilium contemplatione profectus ad pulchritudinem animi adscenderet. Egregie ac plane divine hic de amore locus pertractatus est a Platone in aureo illo libello, qui Symposium inscribitur. Saepe vero haec Platonis doctrina, perverse intellecta, in malam partem detorta est.

§. 72. *sapientem amaturum esse dicunt*] V. Diog. Laert. VII. 129: καὶ ἐραστήσεσθαι δὲ τὸν σοφὸν τῶν νέων τῶν ἐμφαινόντων διὰ τοῦ εἴδους τὴν πρὸς ἀρετὴν εὐφυΐαν, ὥς φησι Ζήνων ἐν τῇ Πολιτείᾳ καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ βίων καὶ Ἀπολλόδωρος ἐν τῇ ἠθικῇ. §. 130. εἶναι δὲ τὸν ἔρωτα ἐπιβολὴν φιλοποιίας διὰ κάλλος ἐμφαινόμενον καὶ μὴ εἶναι συνουσίας, ἀλλὰ φιλίας. Stobaei Ecl. Eth. p. 184. Stoici enim dicebant, sapientem amaturum esse erectioris indolis adolescentes, qui apti et idonei essent ad percipiendam virtutem. Omnino tenendum est, in Graecorum philosophorum disciplinis amicitiam principem locum obtinere. Hinc quoque factum est, ut divinus Plato purum ac sanctum puerorum amorem in scriptis suis mirifice amplexaretur. Stoici amorem ita definiebant, ut amor esset studium amicitiae; hoc autem studium oriri ex pulchritudinis specie. Zeno enim e testimonio Athenaei XIII. p. 561. dicebat, τὸν Ἔρωτα θεὸν εἶναι φιλίας καὶ ἐλευθερίας, ἔτι δὲ καὶ ὁμονοίας παρασκευαστικόν, ἄλλου δ' οὐδενός. Ceterum duplex *et* (*et sap. et amorem* cett.) est nostrum: *theils — theils, einerseits — andererseits.*

Sin autem] Oratio per anacoluthiam c. 35, 74: *sic igitur affecto haec adhibenda curatio est*, continuatur. Cf. 35, 75: *ut, si iam* etc. V. *Wesenb.* Em. I. p. 24.

Leucadia] H. e. puella ex Leucadia, Ionii maris insula, Turpilii comici fabula, quam ex Alexidis Leucadia vertit, uti docet *Davisius* ad h. l., in partes vocato *Casaubono* ad Athenaeum III, 15.

siquidem] Hic et sequentes versus sunt trochaici. Post v. *curae* tollendum videtur signum exclamationis. Oratio interrupta est, ut apodosis (*efficiet, ut amore potiar*) supplenda sit.

§. 73. *deis*] Sic Or. c. vulg., eodemque ducit scr. *de his*, quae est in R. P. Gud. 1. II. aliisque. V. *C. L. Schneider.* Lat. Formenl. I. p. 68. *Ramshorn.* L. Gr. §. 27. *Kühner.* §. 15. Not. 4. p. 25. ed. 2.

Probe et ille] De *et* v. ad III. 13, 28.

— *Sánusne*[5] *es, qui témere lamentáre*[6]?

Sic[7] insanus videtur etiam suis. At quas tragoedias efficit[8]!

Te, Apóllo sancte, fér opem! teque, omnípotens Neptune, ínvoco, Vosque ádeo venti!

Mundum totum se ad amorem suum sublevandum conversurum putat, Venerem unam excludit, ut iniquam:

— *Nám quid ego te appéllem, Venus!*

Eam prae libidine negat curare quicquam. Quasi vero ipse non propter libidinem tanta flagitia et faciat et dicat.

XXXV. 74. Sic igitur affecto haec adhibenda curatio est, ut et[1] illud, quod cupiat, ostendat[2] quam leve, quam contemnendum, quam nihili[3] sit omnino, quam facile vel aliunde vel alio modo perfici, vel omnino negligi possit. Abducendus etiam est[4] nonnunquam ad alia studia, sollicitudines, curas, negotia; loci denique mutatione, tanquam aegroti non[5] convalescentes, saepe curandus est; 75. etiam

5 Or. c. W. *Sanun'*. 6 Both. in Fragmm. Poëtt. Scenn. I, p. 45. scrips. *lamentere;* at illa, rarior quidem, forma non est tentanda. V. nos in Gr. L. §. 52, 3. 7 Tr. e probabili coni. Madvigii *Hic.* 8 Sic P. duo Oxx. Aug. Rehd. Gud. 2. Mon. 2.; plerique, etiam R., *effecit:* quod ab h. l. alienum. Interrogationis signum post *efficit* c. Mos. in cens. l. p. 543. mutavi in exclamationis. XXXV. 1 v. Adn. 2 Unus Ox. *ostendas;* Mon. 1. *ostendatur;* v. Adn. 3 Sic R. P. Gud. II.; eodem ducit Rehd., qui habet *nihil in sit;* Or. c. vulg. *nihil.* V. Addenda ad I. 8, 15. 4 Sic R. P. Gud. 1. II. Rehd. Mon. 2. Vind. 1.; Or. c. vulg. *est etiam.* 5 Ern. *non* uncis sepsit; Beier *aegr. modo conv.;* Or. *mut., tanquam convalescentes, saepe* etc.: quod minime placet; v. Adn.

tragoedias efficit] V. *Ernestii* Clav. v. *tragoediae* et *Ellendt.* ad C. de Or. I. 51, 219. Vol. II. p. 126 sq. — *Efficere* pro vulgari *excitare,* ut p. Mil. 7, 18. dicitur: *tragoedias excitare.*

Apollo sancte] Dicitur apud Graecos ἁγνὸς θεός. V. *K. O. Müller* Geschichten Hellen. Stämme. Die Dorier. T. I. p. 302.

prae libidine] „So *prae* in der Regel in negativen Sätzen." *Klotz.* Cf. I. 42, 101: Solem *prae* iaculorum multitudine et sagittarum *non* videbitis. *Ramshorn.* L. Gr. §. 150. *Kühner.* L. Gr. §. 118, 9.

flagitia — dicat] De hac locutione *Moser* comp. N. D. III. 38, 91: ad Fam. IX, 22.

Cap. XXXV. §. 74. *et illud*] Orellius c. aliis e coni. *ei* edidit pro vulgata *et,* quae sanissima est et ab Orellio quoque in ed. rec. probatur. Particula enim *et* ita posita est, ac si sequatur *et ipse abducatur;* alterum autem membrum, quod priori illi *et illud* respondeat, latet in verbis: abducendus est *etiam.* Haec autem dicendi figura, secundum quam in distributionibus post prius membrum alterum ita deest, ut in alia constructione lateat, a grammaticis, uti supra ad III. 17, 36. vidimus, dicitur *Anantapodoton.* Cf. ad III. 3, 5. princ. 26, 63: *et Aeschines.* V. 33, 94: *et obscoenas.* IV. 27, 59: *neque omnis aegritudo.* Similiter supra I. 24, 57: *habet* primum *memoriam:* ubi v. Adn. Sic saepe *primum* ponitur, sequente *etiam, vero, autem,* vel omnino alio vocabulo, quo compensatur particula *deinde;* supra I. 13, 30. infra V. 9, 24. 27, 78: *primum* ii, qui sapientes habentur —: mulieres *vero.* c. 40, 117: qui *primum* per se ipsi plerumque conficiunt hominem; *sin* forte longinquitate producti cett. V. *Ramshorn.* L. Gr. §. 207. p. 1012 sq. ed. 2. *Kühner.* L. Gr. §. 165. Not. 2. p. 461 sq. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 56 sq. *Beierum* ad Offic. I. 14, 44. p. 109. *Goerenz.* ad Fin. I. 6, 17. p. 21. *Bremium* ad Fin. I, 12. p. 64: ubi locus est de constructione nostro fere geminus, *Madvig.* ad Finn. Exc. I. p. 802 sq. Adde *Wopkens.* Lectt. Tull. I, 9. p. 73 sq. ibique *Handium, Ellendt.* ad Brut. XCV, 325. p. 235., *Gernhard.* ad Offic. Exc. p. 447., *Ottonem* ad Fin. p. 23., *Moser.* in censura laud. p. 543. De Grae-

novo quidam[6] amore veterem amorem, tanquam clavo clavum, eiiciendum[7] putant; maxime autem admonendus, quantus sit furor amoris. Omnibus enim ex animi perturbationibus est profecto nulla vehementior, ut, si iam ipsa illa accusare nolis, stupra dico et corruptelas et adulteria, incesta denique, quorum omnium accusabilis est turpitudo; sed ut haec omittas, perturbatio ipsa mentis in amore foeda per se est. 76. Nam ut illa praeteream, quae sunt furoris, haec ipsa per sese quam habent levitatem, quae videntur esse mediocria!

— — — *iniúriae,*
Suspíciones, ínimicitiae, indúciae,
Bellúm, pax rursum. Incérta haec si tu póstules
Ratióne certa fácere, nihilo plús agas,
Quam sí des operam, ut cúm ratione insánias.

Haec inconstantia mutabilitasque mentis, quem non ipsa pravitate deterreat? Est enim[8] illud, quod in omni perturbatione dicitur, de-

6 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. quinque Oxx. aliisque; eodem ducit scr. *quidem* in b. et Gud. 2.; alii deteriores *quodam*. V. Adn. 7 Or. tacite *eiiciundum*. 8 v. Adn.

cis cf. nos ad Xenoph. Commentar. II. 6, 1.

ostendat] Sic Orellius c. omnibus fere codd. (v. V. Scr.), ac recte quidem; ex antecedenti *curatio* elici vult *is, qui curaturus est;* ego c. Klotzio repetendum puto verbum *curatio*.

quam nihili] ὡς οὐδέν. Fin. V. 27, 80: *Quam nihil curo!* Sic saepe *quam, tam, adeo, ita* coniunguntur cum negationibus, ut supra II. 7, 17 et 17, 39: *quam non.* III. 12, 27: *usque eo non.* Brut. c. 64, 228: *quam* hoc scriptionis genus *nondum* sit Latinis litteris illustratum. Porro: *tam nihil, ita nullus, ita non, adeo nullus, adeo nihil.* V. *Ellendt.* ad Brut. LX, 217. p. 157. Nobis vertendum est: *wie wenig, so wenig*, quae saepe a nostratibus Latine male dicuntur *quam parum, tam parum.*

aegroti non convalescentes] Recte hunc locum *Moser* sic accipit: loci denique mutatione, tanquam aegroti, i. e. valetudinarii, quibus aliter, omnibus etiam remediis adhibitis, non contingit, ut convalescant, saepe curandus est.

§. 75. *novo quidam amore*] Sic optimi codd. (v. V. Scr.). Vulgo *novo quodam a.:* quod probat *Goerenzius* ad Fin. I. 19, 62., significare velle Tullium per *novum amorem* novum studium et per *quidam* substantivo praemissum: *quodam modo*, existimans, comp. pr. Arch. poët. XI, 28: de meo *quodam* amore gloriae — confitebor. Acad. I. 2, 8: *quadam* hilaritate conspersimus. Sed haec significatio ab h. l. aliena est, et scr. *quodam* facile, uti recte docet *Klotzius*, ex verborum collocatione oriri potuit.

tanquam clavo clavum] *Moser* laudat Erasmum in Adagg. p. 646. Schottum in Adagg. Gr. p. 438: ubi est: ἥλῳ τὸν ἧλον ἐκκρούεις· παροιμία ἀντὶ τοῦ ἁμαρτήματι τὸ ἁμάρτημα σπεύδεις ἐξελάσαι. *Davisius* in partes vocat Polluc. IX, 7, 120. Suidam in ἥλῳ.

ut, si iam — foeda per se est] Oratio est ἀνακόλουθος: quae ad grammaticam construendi normam revocata sic debebat esse comparata: *ut, si iam ipsa illa accusare nolis, stupra — turpitudo, perturbatio ipsa mentis in amore foeda per se sit.* V. ad 34, 72. Alii, ut *Moser*, voculam *ut* pro *velut, zum Beispiel*, accipere malunt. De particula *iam* v. ad 31, 65.

accusabilis] ἅπαξ λεγόμενον. *Wolfius* interpretatur ita comparata, ut ad iudicium vocari possit.

§. 76. — *iniuriae*] Terent. Eun. I. 1, 14 sq. *Davisius* comp. Hor. Sat. II. 3, 260 sq.

suspiciones] Secunda huius vocis syllaba h. l. producitur, uti saepe aliis locis. Sic Ter. Andr. III. 2, 21. Plures locos congessit *Ochsner* in Ecl. Cic. p. 88.

Est enim illud] Nonnullae edd. vett. legunt *est etiam illud;* at non novum

monstrandum, nullam esse nisi opinabilem, nisi iudicio susceptam, nisi voluntariam. Etenim si naturalis amor esset, et amarent omnes et semper amarent et idem amarent, neque alium pudor, alium cogitatio, alium satietas deterreret.

XXXVI. 77. Ira vero, quae[1] quam diu perturbat animum, dubitationem insaniae non habet — cuius impulsu exsistit etiam inter fratres tale iurgium:

Quis homo te exsuperavit usquam[2] *gentium impudentia?*

Quis autem malitia te[3]*?*

Nosti, quae sequuntur[4]; alternis enim versibus intorquentur inter fratres gravissimae contumeliae, ut facile appareat, Atrei filios esse, eius qui meditatur poenam in fratrem novam:

XXXVI. 1 v. Adn. 2 Sic Or. e Bentl. coni., et sic sept. Oxx. pro *unquam*, quod latinitati repugnat. 3 v. Adn. ad: *Quis homo.* 4 Gud. 1. Mon. 2. Aug. *secuntur.*

curationis genus commemorare vult Cicero, sed antecedentis sententiae rationem reddere.

Cap. XXXVI. §. 77. *quae quam diu*] Sic Or. c. omnibus fere codd., etiam optimis R. P. Gud. 1. b. et nonnullis edd. vett.; pauci codd. et pleraeque edd. vett. om. *quae;* Ern. c. Bentl. *ira vero quum diu;* aliae edd. vett. *ira v. quanquam diu;* Tr. *quae* uncis cinxit. Nihil movendum. Oratio ἀνακόλουθος est; altera enuntiationis pars latet in verbis *cuius impulsu* etc. Etiam *Wesenb.* I. p. 24. *quae* defendi posse putat, sed ita, ut sententia per anacoluthiam §. 79. continuetur. V. ad 34, 72: sin autem.

dubitationem insaniae non habet] H. e. quae dubitari non potest quin sit insana. Hunc verbi *habendi* usum Ciceroni satis familiarem *Moser* his illustrat exemplis: Legg. II. 10, 24: deos aut novos aut alienigenas coli *confusionem habet* religionum. ad Fam. X, 18: quae res *nullam habebat dubitationem.* comp. *I. Vorst.* de Latin. susp. p. 170 sqq. Adde III. 13, 27: *habet ardorem* libido. V. 13, 38: quae *habent aliquam comparationem* (h. e. aliquo modo comparari possunt aut: aliquam comparationem admittunt). et *Bakium* ad Legg. II. 26, 65. et *Schoemann.* ad N. D. I. 5, 12. De Graeco ἔχω v. nos ad Xen. Commentar. III. 11, 4. et ad Anab. VI. 1, 9.

Quis homo] Versus iambici. Hi et sequentes versus ex Accii Atreo petiti sunt. V. *Düntzer.* in Zimmermanni Alterthsw. Mart. 1839. nr. 37. p. 292—295. Priorem dicit Agamemno, posteriorem Menelaus. Ceterum hiatus observandus est *te exsup.:* quem sustulit *Bothius* in Poëtt. Scenn. p. 187., quum scripsit *ted exs.* Idem seq. v. scripsit: *Quis malitia autem te?* Bouhierius sic transposuit: *Quis te autem mal.?*

intorquentur] V. ad III. 26, 63: *verba contorquet.* De seq. *eius qui* v. ad IV. 1, 2.

in fratrem] Thyestem.

Maior mihi moles, maius miscendum malum] Observa παρήχησιν aut allitterationem, quam vocant, a poëta h. l. summa vi ad rem teterrimam graviter depingendam adhibitam. V. ad I. 35, 85. Versus autem sunt iambici, ex eadem fabula petiti. *Miscere malum* eleganter dictum. Sic Catil. IV. 3, 6: nova quaedam *misceri* et concitari *mala* iampridem videbam. *Wolfius* verbum *miscendi* per zeugma etiam ad *molem* relatum esse monet; malum quasi venenum misceri, molem autem moveri.

Qui illius] *Qui* est ablativus, ut Nep. Arist. III, 2: *ut, qui efferretur, vix reliquerit.* V. *Hartung.* de casibus eorumque flexione p. 209. et nos in Gr. L. §. 38. Not. 1.

Impius] Sunt tetrametri trochaici catalectici. Iidem versus laudantur de Orat. III. 58, 217.

hortatur] D. coni. *hortatus* ob seq. imperfectum; at praesens quod appellatur historicum longe frequentissime cum imperfecto copulatur. V. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 131. *Bremium* ad Corn. Nep. Milt. IV, 4. *Wesenb.* Adnot. in Tusc. I. p. 33 sqq. *Kühner.* L. Gr. §. 140. a Not. 8.

Mandarem] Sic R. P. Gud. 1. II. alii-

Maior mihi moles, maius miscendumst[5] *malum,*
Qui illius acerbum cor contundam et comprimam.

Quo igitur haec erumpit[6] moles? audi Thyestem:

Impius[7] *hortatúr*[8] *me frater, út meos malis miser*
Mándarem[8] *natós* — —

Eorum viscera apponit. Quid est enim, quo non progrediatur eodem[8] ira, quo furor? Itaque iratos proprie dicimus exisse de potestate, id est de consilio, de ratione, de mente; horum enim potestas in totum animum esse debet. 78. His aut subtrahendi sunt ei[8], in quos impetum conantur facere, dum se ipsi[9] colligant; — quid est autem se ipsum colligere, nisi dissipatas animi partes rursum in suum locum cogere? — aut rogandi orandique sunt, ut, si quam habent ulci-

5 Sic Or. c. W. ex l. d. Or. III. 58. 219. N. D. III. 26, 68 pro vulg. *miscendum.* 6 Sic c. Tr. scripsi ex acutissima Davisii coni., quae etiam Klotzio in Add. p. 179. probatur; Mon. 1. vere habet *quo ig. haec erupit m.* Optimi codd. R. Gud. 1. II. aliique habent *quo igitur haec erunt moles;* Pall. 1. 2. 4. *quo ig. hae* (1. *eae*) *erunt m.;* Pal. 3. et codd. Lall. *quo ig. haec eruit m.;* Gr. *quo ig. haec erit m.;* Vat. *quae ig. haec erunt m.;* vulgo *quae igitur hae erunt moles:* quae scriptura probatur a Wopk. p. 21. H.; Or. e coni. Lambini *quae ig. haec erit m.;* P. *quorum ig. haec erunt m.:* unde D. susp. *quorsum ig. haec erumpit m.* 7 Sic Bentl. emendavit vulg. *audi Thyestem ipsum hort.* etc.; quae perversa scriptura etiam optimos codd., ut R. P. Gud. 1., occupavit. 8 v. Adn. 9 R. P. Gud. 1. *dum ipse ipsi coll.:* unde Tr. e coni., Wesenbergio I. p. 20. probata, *d. ipsi se coll.;* sed recte monet Kl. in Add. p. 180. illud *ipsi* ex eo ortum esse, quod librarii *se* pro compend. *pē* (i. e. ipse) habuissent.

que itemque de Or. III. 58, 217. *Ellendius* e codd. quamvis paucis restituit et firmissime stat ap. Lucret. II, 638: Ne Saturnus eum *mālis mandaret* adeptus. Addit *Wesenb.* Em. III. p. 14., qui etiam probat scr. *mandarem*, Lucan. X, 481: *flammis mandatur* opus. C. Cat. IV. §. 10: Lentulum — *tenebris vinculisque mandare.* Or. c. vulg. edidit *manderem*, ut Virg. Georg. III, 268. dixit: *mālis membra absumere* et Ovid. Met. XV, 92: *mandere saevo vulnera dente;* sed idem in ed. 1829. restituendum censet *mandarem*, quod etiam *Klotzius* recepit. *Moser* (in ed. et in cens. laud. p. 544.) rediit ad *manderem*, primum quod ex Thyestae ore aptius dictum esset; dein quod ap. Lucretium *manderem* respueretur ab hexametro; porro quod *mandare* librariis magis notum fuisset, quam *mandere;* denique quod in primo pede dipodiae trochaicae pro trochaeo spondeus admitti non posset: quae ultima caussa nulla est, v. *Hermann.* doctr. metr. p. 87. Illis quidem locis verbum *mandendi* aptissimum est; sed h. l. multo elegantius et magis poëtice dicitur *malis mandare.*

Quid est enim, quo] H. e. Denn was giebt es, *wohin* (*quo*) der Zorn *nicht ebenso weit* (*non eodem*) schreite, *als wie weit. Handius* ad Wopkens. p. 143. *quo* accipit pro *quod* (i. e. cur, quare); quae explicatio Ciceronianae consuetudini videtur refragari. Bentleius tentabat: *Quid enim est, quo non progrediatur ira? Eo demum, quo furor.* Cf. supra I. 24, 57. Davisius: *quid enim est, quod non progr. eodem ira, quo f.;* Ernestius: *quid est enim, quo furor, quo non progrediatur* (vel *quin progr.*) *eodem ira.* Aptissime *Moser* comparat Acad. II. 17: *quod idem* contingit insanis. Divin. I, 45: *quod idem* in delectu consules observant. Off. I, 7: *quam eandem* — benignitatem — appellari licet. Lael. 18: *quem eundem* sapientem licet dicere. Adde supra IV. 4, 7. *quod — idem.*

exisse de potestate] Cf. supra ad III. 5, 11.

§. 78. *subtrahendi sunt ei*] Iniuria Ernestius et Wolfius contra codd. scripserunt *ii* pro *ei;* nam formae plurales *ei, eis, eidem, eisdem* sunt Ciceroni aequalibusque scriptoribus frequentissimae. Cf. c. 37, 80: *ei* sunt constituti. II. 27, 65: *eidem.* V. 27, 77. *ei* in optimis codd. legitur.

scendi vim, differant in tempus aliud, dum defervescat ira. Defervescere autem certe significat ardorem animi invita ratione excitatum. Ex quo illud laudatur Archytae, qui quum villico factus esset iratior: *Quo te modo*, inquit, *accepissem, nisi iratus essem?*

XXXVII. 79. Ubi sunt ergo isti, qui iracundiam utilem dicunt? — potest utilis esse insania? — aut naturalem? An quicquam est[1] secundum naturam, quod fit[2] repugnante ratione? Quo modo autem, si naturalis esset ira, aut alius alio magis iracundus esset? aut finem haberet prius, quam esset ulta, ulciscendi libido? aut quenquam poeniteret, quod fecisset per iram? ut Alexandrum regem videmus, qui quum interemisset Clitum, familiarem suum, vix a se manus abstinuit; tanta vis fuit poenitendi. Quibus cognitis, quis est, qui dubitet, quin hic quoque motus animi sit totus opinabi-

XXXVII. 1 Sic Or. c. D. e codd. R. P. Vat. Pal. 4., qui habent *naturalem hanc quicquam est* (v. *es*); Gud. 1. II. Gr. b. *n. an* (*hanc* Gud. II.) *quicquam esse*; similiter reliqui. Vulgo *An quicq. esse potest*; certe dicendum erat *potest esse*, v. ad I. 46, 110. 2 v. Adn.

Archytae] C. de Rep. I, 38. Valer. Maxim. IV. 1. ext. 1: Tarentinus Archytas, dum se Pythagorae praeceptis Metaponti penitus immergit, magno labore longoque tempore solidum opus doctrinae complexus, postquam in patriam revertitur ac rura sua revisere coepit, animadvertit negligentia villici corrupta et perdita, intuensque male meritum: *Sumpsissem*, inquit, *a te supplicium, nisi tibi iratus essem*; maluit enim impunitum dimittere, quam propter iram gravius iusto punire. Seneca de Ira I, 15. hoc dictum Socrati tribuit.

Cap. XXXVII. §. 79. *An quicquam est secundum naturam, quod fit* etc.] Sic recte edidit Orellius, uti est in R. Gud. 1. II. quatt. Oxx. aliisque pro vulg. *quod sit*. Utrumque per grammaticam recte dici potest, sed ad sententiam aliquid differt, utrum indicativum an coniunctivum ponas. Ubi indicativus ponitur, enuntiatio relativa simplex attributum vocabuli *quicquam* notat: An quicquam, quod *fit* repugnante ratione, est naturale? Ubi coniunctivus ponitur, enuntiatio relativa significat aliquid, quod e natura rei consequitur: An quicquam naturale est *ita comparatum*, *ut sit* repugnante ratione? Parad. I, §. 14: Quicquamne bonum est, *quod* non eum, qui id possidet, meliorem *facit*? h. e. quicquam, *quod* non — meliorem *facit*, bonum est? contra: *quod* — *faciat* est: quicquamne bonum est *ita comparatum*, *ut* non eum — meliorem *faciat*? Cf. *Madvig.* ad Fin. V. 26, 76: An vero, inquit, quisquam potest probare, quod perceptum — non habet?

tanta vis fuit poenitendi] In verbo *tanta* latet particula *nam* vel *enim*. Cf. *Seyffert.* ad Lael. 7, 23. p. 148 sq. Euripid. Alcest. 465:

τοίαν ἔλιπες θανοῦσα·
μολπὰν μελέων ἀοιδοῖς.

V. nos in Gr. L. §. 135, b 3. b). Gr. Gr. T. II. §. 754. Not. 1. (Gr. schol. §. 325.)

§. 80. *fidentia*] Comparat *Orellius* de Inv. II. 54, 163: *fidentia* est, per quam magnis et honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciae certa cum spe collocavit. Aliis locis Tullius hoc vocabulo non est usus; *confisio* autem est ἅπαξ λεγόμενον, huic proprie loco, ut ait *Moser*, a Cic. effictum, ut in explicatione *fidentiae* verbum *confidentiae* evitaret.

scientia quaedam — opinio gravis] *Orellius* observat, Ciceronem in hac definitione Platonis ἐπιστήμην et δόξαν contrarias copulare et confundere voluisse. *Opinio gravis* est quae certis argumentis nititur.

metus quoque est diffidentia] Sic legitur in omnibus codd. et edd. vett. Davisius, ordine verborum mutato, sic edidit: *diffidentia quoque est metus*: quam mutationem secuti sunt Ernestius et Schutzius. Perperam, opinor. Nam Cicero exprimere voluisse videtur hanc sententiam: Uti fidentia scientia quadam nititur, ita diffidentia, praeterquam quod

lis ac voluntarius? Quis enim dubitarit, quin aegrotationes animi, qualis est avaritia, gloriae cupiditas, ex eo, quod magni aestimetur ea res, ex qua animus aegrotat, oriantur? Unde intelligi debet, perturbationem quoque omnem esse in opinione. 80. Et si fidentia, id est firma animi confisio, scientia quaedam est et opinio gravis non temere assentientis [3], metus quoque est diffidentia [4] exspectati et impendentis mali; et si spes est exspectatio boni, mali exspectationem esse necesse est [4] metum. Ut igitur metus, sic reliquae perturbationes sunt in malo. Ergo ut constantia scientiae, sic perturbatio erroris est. Qui autem natura dicuntur iracundi aut misericordes aut invidi aut tale quid, ei [5] sunt constituti quasi mala valetudine animi, sanabiles tamen; ut Socrates [6] dicitur. Quum multa in conventu vitia collegisset [7] in eum Zopyrus, qui se naturam cuiusque ex forma

3 Sic Or. c. plerisque codd., etiam Vat. R. P. Gud. 1. II. b.; edd. vett. et aliquot codd. *assentiens*. *Hand.* ad Wopk. p. 93: gravitas opinionis in eo apparet, quod, qui eam tenet, non temere assentiri solet. 4 v. Adn. 5 Sic R. P. Gud. 1. Vat. Marb. quatt. Pall. b. (hic *ii*) aliquot Oxx. (*ii*); Or. c. Duisb. uno Ox. Mon. 1. b. in marg. ed. vet. Bouh. *eis*; v. Adn.; ante *constituti* addunt pauci deteriores codd. et pleraeque edd. vett. *eiusmodi*; male; *eiusmodi* enim absolute pro *sic*, *ita*, *hoc*, *eo modo* dici non potest, sed semper pendere debet a substantivo. 6 Or. e Bentl. coni. *Socratis*, quia pro *ei* legit *eis*. 7 v. Adn.

ex opinionis levitate nascitur, *metus quoque est exspectati et impendentis mali.* Quanquam haud nego, obscurius hoc loco locutum esse Ciceronem. Omnino saepe in horum librorum dicendi genere ea desideratur perspicuitas scribendique diligentia, qua cetera illius scripta egregie sese commendant. Quod autem vocabulum *metus* primam enuntiati sedem occupavit, propterea factum est, quia in eo maximum sententiae pondus positum est. Porro si de Davisii sententia verborum ordinem mutamus, vocula *quoque* locum plane alienum habet.

esse necesse est] *Goerenz.* ad Fin. IV. 28, 77. testatur, in duobus suis codd. legi: *necesse est esse:* qui verborum ordo alias a Cicerone observari solet. Sic supra III. 8, 18: eum *necesse est esse* constantem. Cf. N. D. II. 13, 35. 30, 76.

Ut igitur metus, sic r. p. s. i. malo.] Haec verba *Wesenberg.* Em. III. p. 14., quia, quo modo eorum sententia ex eis, quae praecedunt, concludi possit, non intelligatur, et verba *sunt in malo* (= sunt vitiosae, comp. §. 14.) obscurius, praesertim post vocabulum *mali* alia sententia accipiendum, dicta sint, delenda censet. Fateor, ne me quidem intelligere posse, quo pacto sententiae inter se colligandae sint; sed totus hic locus tam aperta festinationis atque indiligentiae prae se fert vestigia, ut in eam potius inclinem sententiam, ut loci obscuritatem non a glossatore aliquo, sed ab ipso Cicerone profectam arbitrer. Omnino difficile est ad intelligendum, quo modo, posteaquam de *metu* iam c. 30. disputatum sit, nunc ad eundem *metum* revolvatur oratio.

constantia] V. supra c. 6, 12 sq.

ei sunt constituti — animi] Hanc plurimorum et optimorum codd. (v. V. Scr.) scripturam iure revocavit *Klotzius.* Altera *eis* ex nominativi pluralis forma *ei* (v. ad c. 36, 78.) originem duxisse videtur. Quum enim *ei* pro dativo singularis haberetur, pluralis autem antecederet; *ei* in *eis* mutatum est. Nominativo *ei* optime respondet sequens nom. *Socrates dr.* sc. constitutus fuisse. De structura *constitutus sum mala valetudine* v. ad II. 4, 11. Ad v. *valetudine animi* perperam *Moser* comparavit Phil. XIV. 2, 4: cuius (sc. Hirtii) imbecillitatem valetudinis animi virtus et spes victoriae confirmavit: nam ibi *valetudinis* non cum *animi*, sed cum v. *imbecillitatem* iungendum est.

collegisset in eum] Significantius quam *in eo.* Est enim quasi quaedam praegnans quae dicitur constructio, ut duplex in ea lateat sententia: Quum multa vitia in Socrate collegisset eaque in eius opprobrium iis, qui aderant, palam feci-

perspicere profitebatur, derisus est a ceteris, qui illa in Socrate vitia non agnoscerent, ab ipso autem Socrate sublevatus, quum illa sibi *insita[8]*, sed ratione a se deiecta diceret. 81. Ergo ut optima quisque[9] valetudine affectus potest videri, *at*[1] natura ad aliquem morbum proclivior; sic animus alius ad alia vitia propensior. Qui autem non natura, sed culpa vitiosi esse dicuntur, eorum vitia constant e falsis opinionibus rerum bonarum et[2] malarum, ut sit alius ad alios motus perturbationesque proclivior. Inveteratio autem, ut in corporibus, aegrius depellitur, quam perturbatio, citiusque repentinus oculorum tumor sanatur, quam diuturna lippitudo depellitur[3].

XXXVIII. 82. Sed cognita iam caussa perturbationum, quae omnes oriuntur ex iudiciis opinionum et voluntatibus, sit iam huius disputationis modus. Scire autem nos[1] oportet, cognitis, quoad possunt ab homine cognosci, bonorum et malorum finibus, nihil a philosophia posse aut maius aut utilius optari, quam haec, quae a nobis hoc quatriduo[2] disputata sunt. Morte enim contempta et dolore ad patiendum levato, adiunximus sedationem aegritudinis, qua nullum homini malum maius est. Etsi enim omnis animi perturbatio gra-

8 Sic Or. de praeclara coni. Bentl. pro *sibi signa, sed:* quod omnes fere codd. habent, etiam optimi R. P. Vat. Gud. 1. II. Gr.; alii *sibi signa inesse, sed;* alii *sibi vitia inesse, sed*, inepte; etiam *inesse* c. dat. iunctum ap. Cic. offendit. V. ad I. 19, 44. 9 v. Adn. 1 Sic Or. e Bentl. coni.; codd. *ut;* edd. vett. pleraeque *videri alius ut;* Ern. e coni. *utut* contra Ciceronis consuetudinem; Or. c. Hotting. *ut* (vel *at*) delendum plane putat, quum verba *proclivior est* requirantur, non repetitio *procl. potest videri;* quae caussa mihi nullius momenti esse videtur; quidni enim ex *potest videri* elici possit *potest esse;* Kl. et Tr. deleverunt *ut.* 2 Sic R. P. Gud. II. aliique; Or. c. vulg. *ac.* 3 Wes. I. p. 6. c. D. delendum censet *depellitur*, ut ex antec. repetitum: quod probare non possum. XXXVIII. 1 Sic b. Gud. II. 2. Aug. Rehd. Mon. 2. sept. Oxx. aliique et omnes edd. vett. ante Gebh.; plerique codd., etiam Vat. R. P. Gud. 1. Gr. *vos:* quod ab h. l. alienum est. 2 v. Adn.

set. Nihil opus est Davisii coniectura *coniecisset.*

Zopyrus] Cicer. de Fato c. 5: Socratem nonne legimus, quemadmodum notarit Zopyrus physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere? Stupidum esse Socratem dixit et bardum —; addidit etiam, mulierosum: ubi cf. *Bremium* p. 25. Aristotelem quoque de hac arte composuisse librum *Wolfius* observat; *Orellius* laudat: Scriptores physiognomiae vett. (Melampum, Polemonem, Adamantinum) ed. I. G. F. Franz. Altenburgi 1780.

§. 81. *ut optima quisque valetudine aff. p. v.*] Bentleius pro *quisque* legendum coniecit *quis:* quod receperunt D., Mos., Tr., quia notio communitatis, quae sententiae adiungeretur vocabulo *quisque*, ab hoc loco plane aliena esset. Si Cicero scripsisset: ut optima quisque valetudine affectus est, at natura ad al. m. pr.; concederem, sententiam esse perversam; at quum dicatur: ut optima quisque v. aff. potest videri; non video, cur *quisque* locum habere non possit.

lippitudo] „welche eine herrschende Krankheit unter den Römern war.“ *Wolf.* „Wie neulich gezeigt worden, nicht immer Triefäugigkeit, sondern auch vorübergehende Augenentzündung.“ *Orelli.*

Cap. XXXVIII. §. 82. *cognitis*] H. e. si discesseris a doctrina de summo bono et malo, philosophia nullam aliam aut maiorem aut utiliorem rem pertractare potest, quam haec, etc.

quatriduo] Et h. l. et V. 4, 11. *Treg-*

vis est nec multum differt ab amentia, tamen ita[2] ceteros, quum sunt[3] in aliqua perturbatione aut metus aut laetitiae aut cupiditatis, commotos modo et perturbatos dicere solemus; at eos, qui se aegritudini dediderunt, miseros, afflictos, aerumnosos, calamitosos. 83. Itaque non fortuito factum videtur, sed a te ratione propositum, ut separatim de aegritudine et de ceteris perturbationibus disputaremus; in ea est enim fons miseriarum et caput. Sed et aegritudinis et reliquorum animi morborum una sanatio est, omnes opinabiles esse et voluntarios ea reque[4] suscipi, quod ita rectum esse videatur. Hunc errorem, quasi radicem malorum omnium, stirpitus philosophia se extracturam pollicetur. 84. Demus igitur[5] nos huic excolendos patiamurque nos sanari. His enim malis insidentibus, non modo beati, sed ne sani quidem esse possumus. Aut igitur negemus, quicquam ratione confici, quum contra nihil sine ratione recte fieri possit, aut, quum philosophia ex rationum collatione constet, ab ea, si et boni et beati volumus esse, omnia adiumenta et auxilia petamus bene beateque vivendi.

3 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. b. aliisque; alii *sint*. Male. 4 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. (hic *quae* pro *que*) aliisque et nonnullis edd. vett. pro vulg. *eaque re*; „verba *ea re* in unum quasi verbum coalucrunt, ut *quare, quomodo*" W. 5 Tres Oxx. et multae edd. vett. *ergo*.

der e R. et P. scripsit *quadriduo*, quia in iis vocabulis, quae a *quattuor* ducerentur, semper pronuntiaretur *d* ante *r*, ut *quadraginta, quadringenti, quadruplus, quadrupertitus, quadrare* rell.

ita] *Schützius* hanc voculam ut plane otiosam exsulare iussit, W. et Or. uncis cinxerunt; etiam *Wesenberg*. Em. I. p. 6. delendam censet ut ex *amentia* post *tamen* additam. Et sane abest ea a Gud. 2. Ceteri libri et scripti et editi mordicus eam tenent, nec ulla est caussa, cur repudiemus hanc scripturam, quae omnium (uno excepto) librorum auctoritate nititur, sed etiam et latinitati et sententiae accommodatissima est. Saepe enim vocula *ita*, ad sequentes coniunctiones: *quum*, *si*, *ut* relata, habet vim restrictivam significatque *eatenus*, *hactenus*, *hac ratione*, *hac conditione*, *insofern* (als, wenn). Cic. Brut. 62, 222: M. Drusum, —, gravem oratorem *ita* duntaxat, *quum* de rep. diceret, nur insofern ein gewichtiger Redner, wenn er — sprach. Offic. I. 9, 28: hoc ipsum *ita* iustum est, quod recte fit, *si* est voluntarium. de Fin. IV. 2, 4: qui quum viderent, *ita* nos esse natos, *ut* et communiter ad eas virtutes apti essemus etc. de Senect. 11: *ita* enim senectus honesta est, *si* ius suum retinet, *si* nemini emancipata est, *si* ad extremum spiritum vindicat ius suum. V. *Ramshorn*. Lat. Gr. §. 203. I. Not. 2. *Kühner*. §. 142. Not. 14. *Ellendt*. ad Brut. LII, 195. p. 139 sq. *Beier*. ad Offic. I. 25, 87. p. 200. *Heindorf*. ad N. D. I. 2, 3. p. 5. et in primis *Stürenburg*. ad or. pro Arch. p. 80 sq. et in Commentat. I, 2. ad Offic. p. 130.

perturbatione — metus — laetitiae — cupiditatis] De his genitivis v. ad I. 45, 109.

§. 83. *in ea est enim*] Sic I. 32, 78: *in his est enim*. Offic. I. 20, 67. *in eo est enim illud*: ubi *Beier* affert Lael. c. 27. pr.: *in ea est enim* convenientia rerum. Cf. *Ellendt*. ad Brut. XLIX, 181. p. 131. et Adnotata nostra in I. 27, 66.

una sanatio est, omnes opinabiles esse] V. ad III. 31, 76.

§. 84. *non modo b., sed ne s. quidem*] V. Adnotata in I. 36, 87.

rationum] H. e. sententiarum, e ratione vel cogitatione natarum.

auxilia p. bene beateque vivendi] De eleganti verborum collocatione v. nos in Gramm. L. §. 167, 6.

M. TULLII CICERONIS
TUSCULANARUM DISPUTATIONUM

AD

M. BRUTUM

LIBER QUINTUS.

I. 1. Quintus hic dies, Brute, finem faciet Tusculanarum disputationum, quo die est a nobis ea de re[1], quam tu ex omnibus maxime probas, disputatum. Placere enim tibi admodum sensi, et ex eo libro, quem ad me accuratissime scripsisti, et ex multis sermoni-

I. 1 Rehd. *de ea re;* unus Ox. om. *ea.* v. Adn.

Cap. I. §. 1. *quo die*] Rariora sunt apud Ciceronem exempla, in quibus post pronomen relativum id nomen, ad quod referri debet, repetitur, apud Caesarem autem longe creberrima. Cicero quidem hac repetitione usus est, ut vel perspicuitati consuleret, uti hoc loco, vel ut in iterato nomine vim quandam et pondus poneret. V. nos in Gr. L. §. 145. Not. 7. Exempla e Cicerone collegerunt *Moser* ad Legg. I. 1, 3. p. 5 sq., *Ellendt.* ad Brut. 18, 69., *Matthiaeus* ad or. pro P. Sulla 15, 43., et pro Milone 20, 53., et qui in partes vocantur a *Mosero* in eruditissima nostrae editionis censura in Heidelberg. Ephem. litter. 1830. N. 39. p. 611. *Ellendtus* ad de Or. I. 38, 174. inique me notavit, quod hunc repetiti relativi usum rariorem apud Ciceronem esse dixissem. Nam licet sexcenta e Cicerone exagitentur huius generis exempla, tamen si ingentem eius librorum numerum respicias, satis rarum esse hunc usum negari non poterit, ac rarissimum, si Tullii exempla compares cum Caesaris. Idem huius iterationis usum a legibus potissimum et iuris formulis repetendum putat; quippe in his omnia quam accuratissime omni vitata ambiguitate enuntiari; eius rei testimonium ab exemplis Ciceronianis ducendum arbitratur, quorum longe maior pars iuris vocabula sint, ut caussa, caput, civitas, dies, mensis, edictum, ius, iudicium, foedus, fundus, locus etc.

ea de re] Pronomen *is*, utpote quod vere demonstrativam vim non habeat (v. ad I. 3, 5.), plerumque non ante praepositionem, sed post eam collocatur. Exempla, in quibus, uti h. l., ab hac regula deflectitur, collegit *Iordan.* ad or. p. Caecin. 35, 102. p. 295. Cf. nos in Gr. L. §. 117. Not. 1.

ex eo libro] *de Virtute.* V. nos in libro dicto *de Cicer. in philos. merit.* p. 16. Adn. 9). De reliquis Bruti de philosophia scriptis v. *Madvigium* ad Fin. I. 3, 8. p. 20.

§. 2. *quum ea caussa*] *Bentleius* legendum suspicatur: *quum aliqua caussa,* quia vulgata loco non conveniat: quam quidem correctionem in verborum ordinem receperunt Davisius et Schützius. Vereor, ne calidius id factum sit a viris doctis. Certe tum dicendum fuerat: *Nam si qua caussa impulit eos* etc. Scilicet *quum ea caussa impulerit* ex proprio Latini sermonis dicendi genere positum est pro: *quum haec fuerit caussa, quae impulit.* Sententia igitur haec est: Gravissimus philosophiae locus sine dubio is est, qui pertractat quaestionem, utrum virtus ad beate vivendum se ipsa sit contenta, atque huius rei gravitas caussa fuit, quae eos, qui primi se ad phil. studium contulerunt, impulit, ut

bus tuis, virtutem ad beate vivendum se ipsa esse contentam. Quod etsi difficile est probatu propter tam varia et tam multa tormenta fortunae; tale tamen[2] est, ut elaborandum sit, quo facilius probetur: nihil est enim omnium, quae in philosophia tractantur, quod gravius magnificentiusque dicatur. 2. Nam quum ea caussa[3] impulerit eos, qui primi se ad philosophiae studium contulerunt, ut, omnibus rebus posthabitis, totos se in optimo vitae statu exquirendo collocarent: profecto spe beate vivendi tantam in eo studio curam operamque posuerunt. Quod si ab iis inventa et perfecta virtus est, et si praesidii ad beate vivendum in virtute satis est; quis est, qui non praeclare et ab illis positam, et a nobis susceptam operam philosophandi arbitretur? Sin autem virtus subiecta sub varios incertosque casus famula fortunae est, nec tantarum virium est, ut se ipsa tueatur; vereor, ne non tam virtutis fiducia nitendum nobis[4] ad spem beate vivendi, quam vota facienda videantur. 3. Equidem eos[5] casus, in quibus me fortuna vehementer exercuit, mecum ipse considerans huic incipio sententiae diffidere interdum et[6] humani generis imbecillita-

2 Rehd. et aliquot edd. vett. *tamen tale.* 3 v. Adn. 4 Unus Ox. *sit* inculcavit post *non*; at v. Adn. 5 Non. p. 295. *meos casus:* quod temere recepit Kl., uti nunc ipse in Add. vidit. 6 Sic Or. c. plurimis codd., etiam R. P. Gr. Gud. 1. Vat., pro vulg. *diffidere, interdum etiam.*

totos se in optimo vitae statu exquirendo collocarent, quia sperabant, hac cura et opera se id esse assecuturos, ut beate viverent.

inventa et perfecta virtus] Virtus ipsa proprie inventa dici non potest; dicitur igitur hoc loco: perfecta virtutis species ac forma inventa, vel ars, doctrina virtutis inventa.

satis est] Offensioni esse non debet iteratio voculae *est* post exiguam verborum intercapedinem, immo consulto et dedita opera a Cicerone quaesita censenda est propter sententiarum gravitatem ac momentum. Cf. ad I. 23, 54.

ab illis positam] Neidius interpretatur: *depositam nobisque statu perfectiore relictam:* quae explicatio et latinitati prorsus repugnat et loci sententiam inepte pervertit.

subiecta sub varios — casus] Aliis locis *subiectus* apud Ciceronem aliosque scriptores construi solet cum dativo, ut sit *subiectus alicui rei;* quae autem hoc loco usus est constructione exquisitissima et significantissima est, quippe quae egregie pingat incertum et perpetuae quasi iactationi obnoxium virtutis statum. Ceterum cf. IV. 7, 16: *sub metum subiecta sunt* pigritia, pudor: ubi v. Adnotata. Ibid. 8, 18: quae *subiecta* sunt *sub metum. Moser* in censura modo laudata p. 611. attulit Acad. II. 23, 74: quae *sub eos* (*sensus*) *subiecta* sunt. Plura exempla contulit *Madvigius* ad Fin. II. 15, 48. p. 228.

tantarum virium est] „Observarunt VV. DD. genitivos pluralis numeri raros esse in hac struendi ratione eorumque loco poni solere ablativos, ut est v. c. Plin. H. N. VII, 2: gens *stridoris horrendi, hirtis corporibus.* Nostro loco singulari forma genitivi uti non potuit Cicero.“ *Moser.*

vota facienda videantur] ita ut vita beata non nostra nobis virtute possit parari, sed votis faciendis a diis tanquam munus aliquod fortunae impetranda sit. Pluralis *videantur* per attractionem quandam ad *vota*, non ad antecedentem enuntiationem, relatus est. V. nos in Gr. L. §. 103. Not. 5. Non opus est c. L. legere *nitendum nobis sit.*

§. 3. *in quibus me fortuna exercuit*] *Exercere* exquisite dicitur pro *vexare, agitare.* Sic pro Archia poëta XI, 28: quid est, quod — tantis nos in laboribus *exerceamus.* pro Milone II, 5: quid magis sollicitum, magis *exercitum* dici — potest. pro Planc. 32, 78: non di-

tem fragilitatemque extimescere. Vereor enim, ne natura, quum corpora nobis infirma dedisset iisque et morbos insanabiles et dolores intolerabiles adiunxisset, animos quoque dederit et corporum doloribus congruentes et separatim suis angoribus et molestiis implicatos. 4. Sed in[7] hoc me ipse castigo, quod ex aliorum et ex nostra fortasse mollitia, non ex ipsa virtute, de virtutis robore existimo. Illa enim, si modo est ulla virtus, quam dubitationem avunculus tuus, Brute, sustulit, omnia, quae cadere in hominem possunt, subter se habet eaque despiciens casus contemnit humanos culpaque omni carens praeter se ipsam nihil censet ad se pertinere. Nos autem omnia adversa quum[8] venientia metu augentes, tum maerore praesentia rerum naturam, quam errorem nostrum, damnare malumus.

II. 5. Sed et huius culpae et ceterorum vitiorum peccatorumque nostrorum omnis a philosophia petenda correctio est. Cuius in sinum quum a primis temporibus aetatis nostra voluntas studiumque nos compulisset[1], his gravissimis casibus in eundem portum, ex quo eramus egressi, magna iactati tempestate confugimus. O vitae philosophia dux! o virtutis indagatrix expultrixque[2] vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti,

7 Gr. Gud. II. om. *in;* Non. p. 251. *hoc in me.* 8 Sic D. solus, quem e recc. Mos. et Tr. recte secuti sunt. V. ad V. 25, 72. II. 1 v. Adn. 2 R. P. Gud. 1. Duisb. *excultrixque.* Inepte. Vulgatum agnoscunt etiam Apulei. de mundo c. 1. Lactant. Div. Inst. III, 13. et Priscian. 8. col. 784, uti docet D.

cam miser —, sed certe *exercitus.* ad Fam. XII, 4: nunc me reliquiae vestrae *exercent.* Sallustius Catil. c. XI. princ.: Sed primo magis ambitio, quam avaritia animos hominum *exercebat* i. e. agitabat.

animos quoque] H. e. animos, qui non solum corporis doloribus (h. e. quum corpus dolet,) male afficiuntur, sed etiam proprios quosdam et peculiares habent dolores, uti aegritudinem etc. Animus dicitur congruere corporis doloribus, quippe qui eisdem simul doloribus, quibus corpus cruciatur, male afficiatur; quum corpus dolet, dolet etiam animus. Coniecturis igitur virorum doctorum supersedere possumus. Similiter infra c. 24, 69: quum — sidera — viderit — cum eius ipsius (sc. caeli) motu *congruere* i. e. simul cum eo moveri. Cf. *Wopkens.* Lectt. Tull. 1, 19. p. 144. H.

§. 4. *avunculus tuus*] Cato Uticensis, magnae vir virtutis. V. Indic. hist. v. *Brutus.*

culpaque — carens] V. ad I. 36, 88.

Cap. II. §. 5. *compulisset*] Sic Or. c. plurimis codd. et optimis, ut R. P. Gud. 1. Gr., et aliquot edd. vett. Davisius rescripsit *contulisset*, uti in codd. aliq. et multis edd. vett. legitur, et quidem hac de caussa, quod Cicero sua sponte philosophiae se dedisset, verbum autem *compellendi* de eo diceretur, cui aut corporis vis aut rationis adhiberetur. Ego vero vehementer addubito, num Latine dici possit: *mea voluntas studiumque me contulit in philosophiae sinum*, quanquam recte dicitur: *ego me contuli ad philosophiam.* Huc accedit, quod verba *nostra voluntas studiumque* aperte demonstrant, Tullium non vi vel necessitate quadam coactum, sed intimo quodam animi ardore agitatum philosophiae studio se tradidisse. Contra verbum *compellendi* hoc loco et exquisite et graviter positum videtur ad summum vehementissimumque animi impetum, quo Cicero ad philosophiae studium deferretur, exprimendum. De re ipsa v. nos in libro d. p. 40. et 44. et 65 sq

his grav. casibus] Pronomen *hic*, quod

tu eos inter se primo domiciliis, deinde coniugiis, tum litterarum et vocum communione iunxisti, tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti. Ad te confugimus, a te opem petimus, tibi nos, ut antea magna ex parte, sic nunc penitus totosque tradimus. Est autem unus dies bene et ex praeceptis tuis actus peccanti immortalitati anteponendus. Cuius igitur potius opibus utamur, quam tuis? quae et vitae tranquillitatem largita nobis es, et terrorem mortis sustulisti. 6. Ac[3] philosophia quidem tantum abest, ut proinde[4], ac de hominum est vita merita, laudetur, ut, a plerisque neglecta, a multis etiam vituperetur. Vituperare quisquam vitae parentem et hoc parricidio se inquinare audet? et tam impie ingratus esse, ut eam accuset, quam vereri deberet, etiam si minus percipere potuisset? Sed, ut opinor, hic error et haec indoctorum animis offusa caligo est, quod tam longe retro respicere non possunt nec eos, a quibus vita hominum instructa primis sit, fuisse philosophos arbitrantur.

III. 7. Quam rem antiquissimam quum videamus, nomen tamen esse confitemur recens. Nam sapientiam quidem ipsam quis negare potest non modo re esse antiquam, verum etiam nomine? quae divinarum humanarumque rerum, tum initiorum caussarumque cuiusque

3 Sic R. P. Gud. 1. II. Vat. aliique; Or. c. vulg. *at.* V. ad III. 13, 28. 4 Sic Or. c. plurimis libris, etiam R. P. Gud. 1. II.; alii *perinde.* V. ad I. 36, 86.

proprie de iis rebus ponitur, quae *praesentes* sunt, saepe vi repraesentativa dicitur de rebus praeteritis, sive ante breve tempus, ut h. l., sive ante longum tempus factis. H. l. intelliguntur bella civilia, quae paullo ante saevierant. V. *Stürenburg.* ad or. pr. Arch. poët. §. 16. p. 108. Cf. Adnotata in I. 3, 5.

ex quo eramus egressi] philosophiae studium, quod reliqueramus, quum nos ad rem publicam contulissemus gerendam. *Ernestius.*

O vitae philosophia dux] Conferas, si tanti est, quae de hoc egregio philosophiae praeconio diximus in libro dicto p. 135. Expressisse autem haec Ciceronem videri ex Platone, v. c. e l. V. de Rep. p. 56 sqq. VI. p. 70 sqq. Theaet. p. 116 sqq. ed. Bip., docet *Hülsemann.* ad Academ. I. p. 347. Cf. Isocr. Paneg. 13. et *Heynium* in Opuscc. Acadd. p. 212. Pulchre haec verba collocata sunt: praemisit quidem appositionem, ut in qua summum sententiae pondus collocatum esset, sed non totam, sed ita, ut id nomen ad quod pertinet appositio, duobus eius membris quasi septa teneretur. V. nos in Gr. L. §. 166, e). Quem *Klotzius* attulit locum, Lael. 19, 67: indigna dubitatio homine, is huic dispar est.

peccanti immortalitati] Apposite laudat *Davisius* Posidonii dictum apud Senecam Epist. LXXVIIII: Unus dies hominum eruditorum plus patet, quam imperiti longissima aetas.

Cap. III. §. 7. *divinarum*] V. supra IV. 26, 57. Ante v. *div.* Lambinus et Davisius e coni. importaverunt *quum,* quod ab h. l. plane alienum est; nam si posuisset *quum — tum,* haec fere exiret sententia: quae *et* divinarum humanarumque rerum, *et vero etiam* initiorum — cognitione: qua iunctura posterius orationis membrum maiore vi efferretur; at prius orationis membrum Cicero tanquam praecipuum, posterius tanquam additamentum significare voluit. Sic saepe *tum* dicitur. N. D. I. 16, 43: cum poëtarum autem errore coniungere licet portenta magorum Aegyptiorumque in eodem genere dementiam, *tum* etiam vulgi opiniones. Plura contulit *Stürenburg.* ad or. pro Arch. p. 179 sq.

rei cognitione hoc pulcherrimum nomen apud antiquos assequebatur. Itaque et illos septem, qui a Graecis σοφοί, sapientes a nostris et habebantur et nominabantur, et multis ante seculis Lycurgum, cuius temporibus Homerus etiam fuisse ante hanc Urbem conditam traditur, et iam[1] heroicis aetatibus Ulixem[2] et Nestorem accepimus et fuisse et habitos esse sapientes. 8. Nec vero Atlas[3] sustinere caelum, nec Prometheus affixus Caucaso, nec stellatus Cepheus cum uxore, genero, filia traderetur, nisi caelestium divina cognitio nomen eorum ad errorem fabulae traduxisset. A quibus ducti[4] deinceps omnes, qui in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes et habebantur et nominabantur, idque eorum nomen usque ad Pythagorae manavit aetatem, quem, ut scribit auditor Platonis, Ponticus Heraclides, vir doctus in primis, Phliuntem ferunt venisse, eumque cum

III. 1 Sic pro vulg. *etiam* scripsi ex Or. correctione, quam probaverunt Mos., Tr, Kl. in Add. Etiam repetitio vocabuli *etiam* offendit. 2 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. b. aliisque pro *Ulyssem.* 3 Tr. e R. et P. *Atlans:* eodem ducunt *athlans* in Duisb. et *athalans* in Gud. 1., medio *a* punctis notato. 4 Pearcius male coni. *docti;* nam *ducti* est *orti, profecti.*

septem] Bias, Chilo, Cleobulus, Pittacus, Periander, Solo, Thales.

seculis] „γενεαῖς, Menschenalter." *Wolf.*

Homerus] Homerum aequalem fuisse Lycurgi, nonnullorum fuit antiquitus opinio. *Davisius* affert Strabon. X, 4. p. 739. Plutarch. Lycurg. p. 39.

§. 8. *Nec vero Atlas*] Sententia huius loci haec est: Atlas, Prometheus, Cepheus propter divinam qua excellebant rerum cognitionem, digni erant, qui sapientes appellarentur; sed vetustatis studio res memorabiles fabulis involvendi factum est, ut non sapientium nomine afficerentur, sed inter sidera referrentur. Cf. Ind. histor. v. *Atlas, Prometheus, Cepheus.* Ceterum *M. W. Heffter* in ephemerid. schol. (A. S. Z.) 1832. II, 74 — 76., a *Mosero* laudatus, totam de Atlante fabulam pertractat docetque (p. 611.), ante Ciceronem Atlantem a nullo astrologum fuisse existimatum, post Ciceronem saepius.

stellatus] „pro: inter sidera relatus et sidus factus, Graecorum more, quibus hoc significat καταστερισθείς." *Turnebus* Adverss. VII, 16.

Heraclides] V. Indic. hist.

eumque] Nihil opus est cum Davisio legere: *venisse cumque Leonte.* Constructio relativa transiit in demonstrativam. de Orat. II. 74, 299: Themistocles, *ad quem* quidam doctus homo — accessisse dicitur, *eique* artem memoriae — pollicitus esse se traditurum. Cf. III. 8, 16: *eamque.* V. 3, 8. 6, 17. 13, 38. V. nos in Gr. L. §. 145, 14. Exemplorum satis largam segetem suppeditabunt *Wopkens.* Lectt. Tull. I, 19. p. 144 sq. H. *Matthiaeus* ad or. pro Arch. XII, 31. *Stürenburg.* ad eund loc. p. 184. *Ochsner* Ecl. Cic. p. 317. *Kritz.* ad Sall. Iug. CI, 5. p. 540. Imprimis frequens, immo legitima est haec structurae mutatio apud Graecos scriptores. Iliad. I, 78: ὅς μέγα πάντων Ἀργείων κρατέει, καί οἱ (pro καὶ ῷ) πείθονται Ἀχαιοί. Cf. *Hermann.* ad Viger. p. 708. et nos in Gr. Gr. T. II. §. 799. p. 525 — 527. (Gr. schol. §. 334.)

admiratum] Verbum *admirandi* duplicem vim habet hoc loco. Primum enim in verbis: *cuius ingenium et eloquentiam quum admiratus esset Leon* est nostrum: *bewundern;* tum in his verbis: admiratum *novitatem nominis* est nostrum: *sich über Etwas verwundern.* Haec altera significatio rarior est, quam illa. Sic ad Attic. VII, 9: admiratus sum brevitatem epistolae tuae. Cf. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 20. et *Matthiaeum* ad or. pro P. Sulla III, 9. Substantivo *mirationis* (Verwunderung) semel tantum de Divin. II. 22, 49. usus est, in ceteris locis semper *admirationis.*

novitatem nominis] Diog. Laert. Prooem. §. 12: φιλοσοφίαν δὲ πρῶτος ὠνόμασε Πυθαγόρας καὶ ἑαυτὸν φιλόσοφον ἐν Σικυῶνι διαλεγόμενος Λέοντι, τῷ Σικυωνίων τυράννῳ ἢ Φλιασίων, καθά φησιν

Leonte, principe Phliasiorum, docte et copiose disseruisse quaedam. Cuius ingenium et eloquentiam quum admiratus esset Leon, quaesivisse ex eo, qua maxime arte confideret; at illum, artem quidem se scire nullam, sed esse *philosophum;* admiratum Leontem novitatem nominis quaesivisse, quinam essent philosophi, et quid inter eos et reliquos interesset; 9. Pythagoram autem respondisse, similem sibi videri vitam hominum et mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Graeciae celebritate; nam ut illic alii corporibus exercitatis gloriam et nobilitatem coronae peterent, alii emendi aut vendendi quaestu et lucro ducerentur, esset autem quoddam genus eorum, idque vel maxime ingenuum, qui nec plausum nec lucrum quaererent, sed visendi caussa venirent studioseque perspicerent, quid ageretur et quo modo: item[5] nos quasi in mercatus quan-

5 Pauci deteriores codd., nonnullae edd. vett., Non. p. 431. *ita;* at v. ad II. 23, 54.

Ἡρακλείδης, ὁ Ποντικός, ἐν τῇ περὶ τῆς ἄπνου· μηδένα γὰρ εἶναι σοφὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' ἢ θεόν· θᾶττον δὲ ἐκαλεῖτο σοφία καὶ σοφὸς ὁ ταύτην ἐπαγγελλόμενος, ὃς εἴη ἂν κατὰ ἀκρότητα ψυχῆς ἀπηκριβωμένος· φιλόσοφος δὲ ὁ σοφίαν ἀσπαζόμενος. Οἱ δὲ σοφοὶ καὶ σοφισταὶ ἐκαλοῦντο, καὶ οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ οἱ ποιηταὶ σοφισταί.

§. 9. *similem sibi* Exquisitius dictum est pro vulgari: *similes sibi videri vitam hominum et mercatum*, vel: *similem sibi videri vitam h. mercatui. Ochsner* Ecl. Cic. p. 324. comparat de N. D. III, 6: *Quid simile medicina, — et divinatio?* quod exemplum alienum est a nostro loco; supplendum enim ibi est verbum *habent*. V. *Davis.* ad locum dictum. Cf. *Ramsh.* L. Gr. §. 188, 6. not. 2. et nos in Gr. L. §. 157, 3, b). Aptius conferuntur exempla Graeca, in quibus post ὅμοιος, ἴσος, ὁ αὐτός, similia sequitur particula καί. Herod. VI, 58: νόμος δὲ τοῖσι Λακεδαιμονίοισι κατὰ τῶν βασιλήων τοὺς θανάτους ἐστὶ ωὐτὸς καὶ τοῖσι βαρβάροισι τοῖσι ἐν τῇ Ἀσίῃ. Plura congessimus in Gr. Gr. T. II. §. 576. Not. 4. p. 245.

mercatum] Per hoc voc. Cicero interpretatus est Graecum nomen πανήγυρις (Volksfest): de quo consule lexica Graeca et *W. A. Becker.* Charikl. I. p. 283. Pythagoras enim apud Diog. Laert. VIII, 8. dicit: τὸν βίον ἐοικέναι πανηγύρει. Cf. quem *Davisius* affert Iamblich. Vit. Pythag. §. 58., ubi totus locus, quem expressit Cicero, legitur.

totius Graeciae celebritate] H. e. frequentia et concursu totius Graeciae. Vocabula enim *celebritas, celeber, celebrare* proprie dicuntur de via vel loco, qui ab hominibus frequentatur. Hinc Tacit. Hist. II. 64, 1: *celebritas viae*, h. e. via hominibus frequentata; sic *locus celeberrimus, regio celebris, celebritas loci;* etiam *dies celeberrimus* (v. *Seyffert.* ad Lael. 3, 12. p. 60.), i. e. dies, quo populus frequens convenit; tum transfertur ad hominum ipsorum frequentiam; hinc de Legg. II, 26: celebritas virorum ac mulierum. Quatenus autem haec vocabula *clariludinis* significationem induere potuerint, sponte patet; sed, quod a recentioribus frequentatur: *vir celeberrimus,* id quidem plane abhorret ab aureae aetatis latinitate. Cf. Adnot. in I. 12, 28. Affert quidem censor Halensis (A. L. Z. 1836. p. 471.) Vellei. II, 116: viri diversis virtutibus celebres. Plin. 24, 17: Plinius, vir celeber arte grammatica. Gell. 6, 7: nomina celebria in annalibus. Liv. 4, 53: Maenii nomen celebre laudibus; sed primum hi scriptores posterioris aetatis sunt, deinde haec ipsa exempla diversa sunt; nam duobus prioribus ablativus additus est, in ultimis non est persona, sed res praetereaque addita verba *in annalibus, laudibus.*

nobilitatem coronae Ὀλυμπιονῖκαι ornabantur corona oleagina. De nobilitate autem talis victoriae v. supra I. 46, 111. et II. 17, 41. *consulatus ille antiquus:* ubi v. Adnotata.

visendi] V. Adnotata in I. 19, 44.

quasi — sic] V. ad I. 30, 74: *tanquam —, sic.*

dam celebritatem[6] ex urbe aliqua, sic in hanc vitam ex alia vita et natura profectos alios gloriae servire, alios pecuniae; raros esse quosdam, qui, ceteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam studiose intuerentur; hos se appellare sapientiae studiosos; (id est enim[7] philosophos;) et ut illic liberalissimum esset spectare nihil sibi acquirentem, sic in vita longe omnibus studiis contemplationem rerum cognitionemque[8] praestare.

IV. 10. Nec vero Pythagoras nominis solum inventor, sed rerum etiam ipsarum amplificator fuit. Qui quum post hunc Phliasium sermonem in Italiam venisset, exornavit eam Graeciam, quae magna dicta est, et privatim et publice praestantissimis et institutis et arti-

6 Sic Or. c. Gud. II. 2. Col. quatt. Oxx. Duisb. Mon. 1. Vind. 2. edd. vett. L. Gebh. sqq. et Non. p. 431; eodem ducit lectio *quandam celebritate* in R. P.; plurimi codd., etiam Gud. 1., *quadam celebritate:* quod sine dubio ex comp. *quādam celebritatē* ortum est. 7 v. Adn. 8 Tr. c. R. P. Gud. 1. uno Ox. marg. Crat. et edd. vett. V. Rob. Steph. Herw. *cogitationemque:* quod etiam Kl. in Add. p. 182. recipiendum censet, ego nihil aliud, nisi operarum errorem esse existimo. De v. *cognitio* et *cogitatio* in codd. saepe confusis v. *Wesenb.* Em. III. p. 17., qui idem multis collatis exemplis demonstravit, a Cic. de τῇ θεωρίᾳ semper dici: *contemplatio* (aut *consideratio*) *rerum et cognitio*, aut *cognitio rerum* aut *contemplatio r.*, nunquam: *contempl. r. et cogitatio* neque *cogitatio rerum.*

ex alia vita] Pythagoras enim μετεμψύχωσιν statuebat.

id est enim] Gud II. 2. Marb. Duisb. Mon. 1. omittunt *enim*, at v. *Wesenberg.* Adnot. Tusc. p. 3. et *Madvig.* ad Fin. IV. 11, 26: (quonam modo) efficiatis, ut honeste vivere, *id est enim* vel e virtute, vel naturae congruentur vivere, summum bonum sit. Formula *id est enim* inservit *sequenti* alicui vocabulo interpretando, ut h. l., aut accuratius definiendo, ut Fin. l. d., ut *id* non pro subiecto, sed pro praedicato accipiendum et acutiore accentu pronuntiandum sit. Particula *enim* non tam ipsius sententiae praecedentis rationem reddit, quam cur scriptor, quod praecedit, dixerit. Cf. ad I. 6, 11. et ad V. 38, 111. Hic igitur locus sic interpretandus est: hos se appellare sap. studiosos; sapientiae studiosos dico; id *enim* notatur vocabulo philosophos. Formula *id est* plerumque inservit interpretando aut accuratius definiendo *praecedenti* alicui vocabulo, ut *id* subiecti vim habeat; raro interpretatur aut accuratius definit sequens vocabulum, ut vidimus ad III. 27, 65. Verba autem: *id est enim philosophos,* suadente *Wesenbergio* l. d., parenthesis signis sepsimus; sunt enim non Pythagorae, sed Ciceronis; hinc etiam indicativus *est*, non: *id esse enim ph.* Accusativus *philosophos* per attractionem quandam ob antecedentem accusativum positus est.

Cap. IV. §. 10. *institutis et artibus*] Alterum nomen ad doctrinam de rebus ad vitam spectantibus, alterum ad litterarum artiumque disciplinam referendum est. Sic iunguntur *instituta et praecepta,* ut de Offic. I, 1. de Amicit. 4., ubi v. *Ochsner.* p. 229.

aliud tempus fuerit] V. ad II. 11, 26: *videro.*

usque ad Socratem] Supra III. 4, 8: *a quo* (sc. Socrate) *omnis quae est de vita et moribus philosophia manavit.* Sed haec non ita accipienda sunt, ac si philosophi ante Socratem, physicae tantum dediti, philosophiam moralem plane intactam reliquerint; nam et Pythagoras et Archelaus ad hanc doctrinam operam studiumque suum contulerunt (v. Iamblich. Vit. Pyth. c. 30 sqq. et Diog. Laert. II, 16.); at Socrates primus hanc philosophiae partem egregie excoluit et perfecit. Hinc factum est, ut veteres una voce moralem philosophiam repeterent a Socrate. Cf. Xen. Commentar. I. 1, 11. et aliis locis. Aristot. Eth. ad Eudem. I, 5. Magn. Mor. II, 7. Diog. Prooem. 14. 18. II, 16. 20. 21. III, 56. Cic. Brut. 8, 31., ubi v. *Ellendt.* p. 28. Academ. I. 1, 4. Fin. II, 1. V. *Thorbeckii* Disp. phil. in Annal. Ac. Lugd. Bat. anni 1818. p. 13.

bus. Cuius de disciplina aliud tempus fuerit fortasse dicendi. Sed ab antiqua philosophia usque ad Socratem, qui Archelaum, Anaxagorae discipulum, audierat, numeri motusque tractabantur, et unde omnia orerentur[1] quove recederent[2]; studioseque ab iis[3] siderum magnitudines, intervalla, cursus anquirebantur[4] et cuncta caelestia. Socrates autem primus philosophiam devocavit[5] e caelo, et in urbibus collocavit, et in domus[5] etiam introduxit, et coëgit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere. 11. Cuius multiplex ratio disputandi rerumque varietas et ingenii magnitudo, Platonis memoria et litteris consecrata, plura genera effecit dissentientium philosophorum. E quibus nos id potissimum consecuti[6] sumus, quo Socratem usum arbitramur[7], ut nostram ipsi sententiam tegeremus,

IV. 1 Sic scripsi c. D.; idem recepit Tr. e R. P. Gud. 1. V. ad I. 10, 22. Or. c. vulg. *orirentur*. 2 v. Adn. 3 Sic b. Gud. II. 2. aliique et paucae edd. vett.; Or. c. vulg. et R. P. Gud. 1. aliisque *ab his*. V. ad I. 3, 5. 4 Sic Or. c. Vat. R. P. Gud. 1. (hic *antiquir.*) uno Ox. et multis edd. vett. pro vulg. *inquir.* V. ad IV. 21, 47. 5 v. Adn. 6 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. multisque aliis; alii codd. et pleraeque edd. vett. *consectati*; v. Adn. 7 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. Marb. Rehd. Vind. 2. et edd. vett. S. E. D. pro vulg. *arbitramur*. Imperfectum rem refert ad tempus praeteritum *consecuti sumus*.

numeri motusque] *Menkius* in Observv. ined. laudat *Giesium* ad de Divin. I. 19, 36: „*numeris* et *motibus* stellarum cursus persequuntur," qui ita: *motus* nihil aliud est, quam leges atque rationes motuum: numeris enim et motibus antiqua philosophia certa lege et ratione omnia oriri et constare putabat. V. supra I. 10, 20. De structura *numeri motusque tractabantur, et unde omnia orerentur*, sc. tractabatur, v. *Wopkens*. Lectt. Tull. II, 17. p. 311 sq., qui comparat ad Fam. I. ep. 3: commendo tibi eius *omnia negotia* —, in primisque *ut* — eum ita *tractes*. *Handius* consulere iubet *I. F. Gronovium* in Miscell. Observ. p. 31.

recederent] Sic Or. c. Fabr. Med. quatt. Oxx. cod. Schotti pro vulg. *recederent*, quae sententiam alienam ab hoc loco notat. N. D. II, 26: quia et *recidant* omnia in terras et *oriantur* e terris. Sic in Lucretio I, 856 sq. opponuntur: *recidere ad nilum* et *crescere de nilo*, id. V, 280: *gigni* et *recidere*. Pro *recidere* Cicero de Legg. I, 23. dixit: *eaque unde generata, quo* recurrant.

Socrates autem primus etc.] Cf. Acad. I. 4, 15 et 16.

devocavit e caelo] Sic Or. c. plurimis codd., etiam R. P. Gud. 1.; pauci deteriores *evocavit*: Or. et Mos. maluerunt *dev. de c.*; sed id minus grave est: *ex* significat philosophiam ex caelo tanquam domicilio suo devocatam, uti recte vidit *Klotzius*.

in domus] Sic c. D. Mos. Tr. Kl. in Add. p. 183. e R. P. Gud. 1. II. Pal. 3. pro vulg. *in domos* scripsi. De rariore accusativi forma *C. L. Schneider* (Lat. Formenl. p. 449.) conferre iubet *Drakenborch*. ad Liv. III. 29, 5. et *Oudendorp.* ad Sueton. Claud. 25. init. Apud Ciceronem haec forma legitur Catil. IV. 6, 12. in quatt. Oxx., sed firmiter stat Off. II. 17, 64. et sine ulla codd. varietate Verr. IV. 4, 7.

§. 11. *Platonis memoria et litteris consecrata*] H. e. Platonis scriptis memoriae prodita et consecrata (*verewigt*). *Memoria* saepe id est, quod alicuius rei memoriam conservat. p. Sest. 68, 142: nos etiam hostem litteris nostris et memoria videmus esse celebratum. Ad v. *consecrata* comp. *Billerbeckius* C. Qu. Fr. I. 1, 15: quum amplissimis monumentis *consecrare* voluisses *memoriam* nominis tui, et quod in Inscriptt. invenitur: HIC CONSECRAVIT, v. c. *filium, filii memoriam pater* pro vulgari HIC CONDIDIT. *Moser* addit de Orat. III, 16: cuius (Socratis) ingenium variosque sermones *immortalitati* scriptis suis Plato *tradidit*.

plura genera — dissentientium ph.] „αἱρέσεις, sectas philosophorum; Cyrenaicos significat, Eliacos, Eretriacos, Megaricos, Cynicos, Stoicos, Academicos, Peripateticos." *Moser*. Sequens *consecuti* gravius dictum pro *secuti*. V. ad I. 16, 36.

ut nostram etc.] Plura de hoc dispu-

errore alios levaremus et in omni disputatione, quid esset simillimum veri, quaereremus. Quem morem quum Carneades acutissime copiosissimeque tenuisset, fecimus et alias saepe et nuper in Tusculano, ut ad eam consuetudinem disputaremus. Et quatridui[8] quidem sermonem superioribus ad te perscriptum libris misimus; quinto autem die, quum eodem in[9] loco consedissemus, sic est propositum, de quo disputaremus.

V. 12. *A.* Non mihi videtur, ad beate vivendum satis posse virtutem. *M.* At hercule Bruto meo videtur, cuius ego iudicium, pace tua dixerim, longe antepono tuo. *A.* Non dubito, nec id nunc agitur, tu illum quantum ames, sed hoc[1], quod mihi dixi videri, quale sit: de quo[2] a te disputari volo. *M.* Nempe negas, ad beate vivendum satis posse virtutem? *A.* Prorsus nego. *M.* Quid? ad recte, honeste, laudabiliter, postremo ad bene vivendum satisne est praesidi[3] in virtute? *A.* Certe satis. *M.* Potes igitur aut qui male vivat, non eum miserum dicere, aut quem bene fateare, eum negare beate vivere? *A.* Quidni possim? nam etiam in tormentis recte, honeste, laudabiliter et ob eam rem bene vivi potest, dummodo intelligas, quid nunc dicam bene. Dico enim constanter, graviter, sapienter, fortiter. 13. Haec etiam in eculeum[4] coniiciuntur[5],

8 Tr. ex R. P. Gud. 1. *quadridui.* V. ad IV. 38, 82. 9 Tres Oxx. Gud. II. edd. Gebh. Gron. Verb. om. *in.* V. 1 Vat. R. Gud. 1. et reliqui plerique *sed de hoc:* hoc *de* facile ex *sed* oriri potuit, praesertim quum subsequatur *de quo.* 2 Gud. 2. et nonnull. edd. vett. *de eo:* quod ab iis illatum est, qui non intelligebant, ad verba *sed hoc* repetendum esse *agitur.* Verba *de quo* sunt *et de eo.* 3 Sic R. P. Gud. 1. et ex edd. vett. D.; Or. c. vulg. *praesidii.* 4 Sic R. P. Mon. 1. Marb. Duisb. et ed. D.; eodem ducit *aculeum* in Vind. 1.; Or. c. vulg. *equuleum.* 5 Marb. Duisb. *coniciuntur;* Tr. *coiciuntur* ex R., qui habet *coitiuntur.*

tandi more si cognoscere cupis, v. nos in libro d. *de Ciceron. in phil. merit.* p. 68—71.

fecimus —, ut disputaremus] Per circumlocutionem, Ciceronis in primis propriam, pro simplici: *disputavimus.* V. nos in Gr. L. §. 142. Not. 1. — *eodem in loco*, v. II. 3, 9.

Cap. V. §. 12. *virtutem*] Lambino placebat *virtus.* At nihil mutandum; *videtur* enim nonnunquam impersonaliter ponitur, uti *dicitur, traditur, fertur* cett. et apud Graecos δοκεῖ, λέγεται, similia. In verbis *videtur mihi* latet notio iudicandi, sentiendi. Cf. infra c. 8, 22: ubi utraque structura invenitur. *Orellius* confert Divin. I. §. 44: visum est in somnis pastorem ad me appellere. Plura exempla congessit *G. T. A. Krüger* in Untersuchg. a. d. Lat. Gr. III. Heft. §. 156. p. 427. Cf. nos in Gr. L. §. 129. Not. 1.

pace tua dixerim] „Est elegans forma precandi veniam in dissensu, qua tamen caute utendum est, nec nisi ubi serio ab aliquo dissentimus," uti docet *Wyttenbachius* ad Cicer. de Legg. III. 12, 29. p. 438. Cr. laudatis de Legg. III, 16. de Offic. III, 10. *Moser* addit de Fato 3, 5: quaedam etiam Posidonius (*pace magistri dixerim*) comminisci videtur.

Nempe negas?] Cum ironia quadam. *Nicht wahr? du behauptest?* Sic saepissime *nempe* in interrogatione ponitur, ubi quis scire cupit, intellexeritne recte alterius verba, aut ubi quis alterum excitat, ut fateatur, rem aliquam recte vel intellectam vel factam esse, rem sic se habere sponte patere. Brut. 3, 14: Tum ille: *Nempe* eum dicis, inquit, quo

quo vita non adspirat beata. *M.* Quid igitur? solane beata vita, quaeso, relinquitur extra ostium limenque carceris, quum constantia, gravitas, fortitudo, sapientia reliquaeque[6] virtutes rapiantur ad tortorem nullumque recusent nec supplicium nec dolorem? *A.* Tu, si quid es facturus, nova aliqua conquiras oportet. Ista me minime movent, non solum quia pervulgata sunt, sed multo magis, quia, tanquam levia quaedam vina nihil valent in aqua, sic Stoicorum ista magis gustata, quam potata delectant. Velut iste chorus virtutum in eculeum impositus imagines constituit ante oculos cum amplissima dignitate, ut ad eas cursim perrectura[7] nec eas beata vita a se desertas passura videatur. 14. Quum autem animum ab ista pictura imaginibusque virtutum ad rem veritatemque traduxeris; hoc nudum[7] relinquitur, possitne quis beatus esse, quamdiu torqueatur. Quamobrem hoc nunc quaeramus; virtutes autem, noli vereri, ne expostulent et querantur, se a beata vita esse relictas; si enim nulla virtus prudentia vacat, prudentia ipsa hoc videt, non omnes bonos esse etiam beatos, multaque de M. Atilio, Q. Caepione, M'. Aquilio recordatur, beatamque vitam (si imaginibus potius uti, quam rebus ipsis placet,) conantem ire in eculeum retinet ipsa prudentia[7] negatque ei cum dolore et cruciatu quicquam esse commune.

6 Tr. e Gud. II. et aliquot edd. vett. *reliquae:* quod etiam Kl. in Add. probat; sed immerito. V. ad IV. 31, 66. 7 v. Adn.

iste omnem rerum memoriam breviter — complexus est? Istum ipsum, inquam, Brute, dico librum mihi saluti fuisse. V. *Hartungum* Griech. Partik. T. I. p. 490. et nos in Gr. L. §. 133, 2. A) c).

§. 13. *eculeum*] Eculeus erat machina lignea, ad equi formam facta, torquendis hominibus comparata. De v. *adspirandi*, quod est accedere audere vel tentare, adiuncta notione inanis conatus (*sich versteigen*), cf. c. 9, 27. et quae contulerunt *Iordanus* ad or. p. Caeciu. 14, 39. p. 210. et *Matthiaeus* ad or. pro P. Sulla 18, 52. p. 33: quorum ille recte docet, illud verbum, ut quod proprie *spiritu quasi*, i. e. vix, *attingere* notet, apud Cic. in negativis enuntiationibus aut interrogativis, quae vim negativam habent, reperiri.

si quid es facturus] H. e. probaturus; si me convincere studes. *Neidius.*

tanquam levia quaedam vina] Tenuia, quae leviter diluta saporem amittunt, quae primo statim gustu arrident, nihil vero iucundi saporis habent in recessu. *Idem.* De particula *tanquam* in comparatione pro *ut* vel *quemadmodum* posita cf. *Gernhard.* ad Cat. Mai. 19, 71. p. 135.

chorus virtutum] Off. III. 33, 116: huic talium *virtutum choro.*

perrectura nec eas beata vita] Ernestius c. D. ed. 2. e coni. dedit: *perrect. beata vita nec eas a se desertas:* quod nemo facile probavit: saepe enim subiecti nomen ponitur in altero demum sententiae membro, quum in priore locum occupare debeat. Cf. exempla a *Wopkensio* Lectt. Tull. I, 19. p. 146 sq. non satis distribute congesta.

§. 14. *ad rem veritatemque*] *Menkius* in Observv. ined. comp. de Or. I. 17, 77: videamus, ne plus ei tribuas, quam *res* et *veritas* ipsa concedat. Thuc. II. 41, 2: ἔργων ἀλήθεια.

hoc nudum relinquitur] Codd. Guelf. et Aug. pro *nudum* exhibent *nondum:* quod probavit Ern. At *nudum* egregie opponitur verbis antecedentibus. *Wolfius* comp. Ov. Met. 13, 159: Ergo operum quoniam *nudum* certamen habetur. *Menkius* l. d. comp. γυμνόν ap. Diod. Sic. I, 76.

M. Atilio, Q. Caepione, M'. Aquilio] V. Indic. hist.

retinet ipsa prudentia] Verba *ipsa vir-*

VI. 15. *M.* Facile patior, te isto modo agere, etsi iniquum est praescribere mihi te, quemadmodum a me disputari velis. Sed quaero, utrum aliquid actum superioribus diebus, an nihil arbitremur? *A.* Actum vero, et aliquantum quidem. *M.* Atqui si ita est, profligata iam haec et paene ad exitum adducta quaestio est. *A.* Quo tandem modo? *M.* Quia motus turbulenti iactationesque animorum incitatae et impetu inconsiderato elatae, rationem omnem repellentes, vitae beatae nullam partem relinquunt. Quis enim potest mortem aut dolorem metuens, quorum alterum saepe adest, alterum semper impendet, esse non miser? Quid? si [1] idem (quod plerumque fit) paupertatem, ignominiam, infamiam timet, si debilitatem, caecitatem, si denique (quod non singulis hominibus, sed potentibus populis saepe contigit,) servitutem: potest ea timens esse quisquam beatus? 16. Quid? qui non modo ea futura timet, verum etiam fert sustinetque praesentia, (adde eodem exsilia, luctus, orbitates) qui rebus his fractus aegritudine eliditur, potest tandem esse non miserrimus?

VI. 1 Sic Or. c. Goer. ad Acad. II. 2, 5. pro vulg. *quid, si...?*

tus Ern. de Dav. sententia uncis cinxit. Immerito; nam in his ipsis verbis multum ponderis positum est, et aliis quoque locis Cicero post parenthesin id nomen, in quo sententiae vis inest, repetere solet. V. *Goerenz.* ad Acad. II, 34. p. 200. Iniuria saepe viri docti haeserunt in eiusdem vocabuli repetitione. V. *Wopkens.* Lectt. Tull. p. 300. H. et Indicem v. *Repetitio.*

Cap. VI. §. 15. *profligata*] H. e. magna ex parte confecta. Sic ad Fam. XII. 30, 2: *profligato* bello ac paene sublato. V. *Ernestii* Clav. Ciceron. h. v. Frustra conatur *Klotzius* Gellium N. A. XV, 5. et Nonium p. 160, 23. defendere. Audiamus ipsum Gellium: Qui diligenter locuti sunt, ita usi sunt, ut *profligare* dicerent *prodigere* et *deperdere*, profligatasque res quasi proflictas et perditas appellarint; [At quis veterum hoc verbo ita usus est?] nunc audio aedificia et templa et alia fere multa, quae *prope absoluta affectaque* sunt, *in profligato esse* dici et *iam esse profligata.* [Ut concedam, *aedificia* non recte dici *profligari;* tamen recte dicitur *quaestio, bellum profligari.* Ergo non satis diligenter versatus est Gellius in exponenda hac re; certe hae verborum iuncturae, a Cicerone usurpatae, respiciendae erant.]

non singulis hominibus, sed potentibus populis] Gravius dictum pro: non tantum s. h., sed p. populis. Infra c. 10, 28. Fin. V. 28, 83. pro Arch. Poët. IV, 11: Adest — L. Lucullus, qui se *non* opinari, *sed* scire, *non* audivisse, *sed* vidisse, *non* interfuisse, *sed* egisse dicit. V. *Goerenz.* ad Acad. II. 23, 73. p. 136.

§. 16. *adde eodem*] Sic Lael. 18, 68: Addendum *eodem* est. V. *Madvigium* ad Fin. IV. 12, 30. Vulgarem distinctionem: *praesentia? Adde — orbitates; qui* auctore *Wesenbergio* Adn. Tusc. p. 7. mutavi, quia in verbis: *qui — praesentia* et *adde — orbitates*, *qui his rebus* (i. e. exsiliis, luct., orb.) *fractus — miserrimus?* non duo diversa sententiae membra insunt, sed unum tantum. Primum commemoratur, et quidem separatim, mortis et doloris metus, deinde reliquorum malorum metus, tum aegritudo, quae, ut metus futurorum malorum est, ita haec praesentium. Eadem mala, ut paupertas, ignominia, inf., debil., caec., servitus, et metum et aegritudinem efficere possunt, illum, quum futura sunt, hanc, quum praesentia sunt. Praesentibus malis addit *exsilia*, *luctus*, *orbitates:* quae eadem mala antea quoque in futuris malis commemorare poterat. Similis locus infra 15, 45. legitur.

eliditur] gravius, quam frangitur, debilitatur. V. ad II. 11, 27.

Quid vero?] V. ad I. 41, 98.

liquefaciunt] Supra IV. 17, princ.: *alacritate futili gestiens deliquescit.* II. 22,

Quid vero? illum, quem libidinibus inflammatum et furentem videmus, omnia rabide appetentem cum inexplebili cupiditate, quoque affluentius voluptates undique hauriat, eo gravius ardentiusque sitientem, nonne recte miserrimum dixeris? Quid? elatus ille levitate inanique laetitia exsultans et temere gestiens nonne tanto miserior, quanto sibi videtur beatior? Ergo, ut hi miseri, sic contra illi beati, quos nulli metus terrent, nullae aegritudines exedunt, nullae libidines incitant, nullae futiles laetitiae exsultantes languidis liquefaciunt voluptatibus. Ut maris igitur tranquillitas intelligitur, nulla ne minima quidem aura fluctus commovente; sic animi quietus et placatus status cernitur, quum perturbatio nulla est, qua moveri queat. 17. Quodsi est[2], qui vim fortunae, qui omnia humana, quae cuique[3] accidere possunt, tolerabilia ducat, ex quo nec timor eum nec angor attingat, idemque si nihil concupiscat, nulla efferatur animi inani voluptate, quid est, cur is non beatus sit? et si haec virtute efficiuntur, quid est, cur virtus ipsa per se non efficiat beatos?

VII. *A.* Atqui alterum dici non potest, quin ii, qui nihil me-

2 v. Adn. 3 Sic R. Gud. 1. II. Marb. Duisb. Mon. 1. 2. Vind. 2. sex Oxx. tres Pall. Martin. et nonnull. edd. vett.; eodem ducit *quae cuiquam* in cod. Schotti; *quaecunque* (pro *quae cuique*) Or. c. reliquis codd. et plerisque edd. vett.

52: voluptate *liquescimus* fluimusque mollitia.

maris tranquillitas] Caesar B. G. III, 15: malacia et tranquillitas (maris) exstitit, ubi v. *Herzog.* p. 178. Etiam Senec. ep. 67. hoc vocabulo usus est. Graece est μαλακία, quod Aurel. Victor de vir. ill. c. 22. imitando expressit per *mollitiem maris.* Festus adnotat hanc μαλακίαν apud Latinos dictam esse *flustra*, *orum*, quum in mari fluctus non moventur. Cf. *Davis.* ad h. l.

§. 17. *Quodsi est, qui*] *Wolfio* praeeunte recentiores editores hunc locum sic distinxerunt: *Quod si est, qui*, h. e. quod si ita se habet, is, qui — ducat, quique idem, si n. c., nulla efferatur — vol. Ego c. *Wesenbergio* Adn. Tusc. p. 10 sq. revocavi priorem distinctionem: *Quodsi est, qui*, h. e. *quare si quis est, qui*, deinde comma post *idemque* delevi. Ita quattuor perturbationis genera commemorantur: *metus* (*timor*), *aegritudo* (*angor*), *libido* (*concupiscat*), *laetitia* (*efferat. animi inani volupt.*), totusque locus egregie respondet antecedenti (§. 16.): quos nulli *metus* terrent, n. *aegritudines* exedunt, n. *libidines* incitant, n. f. *laetitiae* etc., et subsequenti (c. 7. init.): nihil *metuant*, n. *angantur*, n. *concupisc.*, n. i. *laetitia* efferantur. Inest quidem in structura verborum anacoluthia quaedam; nam oratio sic decurrere debebat: *qui omnia — ducat, ex quo attingat, quique idem nihil conc., nulla* etc.; sed ea est tam levis, ut, praesertim in his libris, offensioni esse non possit. Quod autem Wolfianae distinctioni quam maxime obstat, est constans Ciceronis dicendi usus, quo illa formula, quae nostrae: *wenn sich die Sache so verhält* respondet, non *quod si est* notatur (c. 17, 50. 18, 52. huc non pertinent, v. ibi adn.), sed vel *quod si ita est*, vel *id si est*, vel *id si ita est*, vel *quod ut ita sit* (I. 21, 49.), vel *quod* (*quae*) *quum ita sit* (*sint*). Formula simplex *quod si est* vitata videtur, ne verba *quod si* confunderentur cum coniunctione *quodsi.*

ex quo] pro: *ita ut.* Cf. 25, 70.

Cap. VII. *dici non potest, quin*] Sic: *non ignoro, quin, negari non potest, quin* dicitur, quum res dubitanter enuntiatur; contra accusativus c inf. sequitur, quum res aut esse aut fuisse aut futura esse simpliciter enuntiatur. Plura dedimus in Gr. L. §. 143. Not. 3. cf. *Otton.* et *Madvig.* ad Fin. V. 11, 32. *Ramshorn.* L. Gr. §. 180. p. 752. ed. 2. Sic h. l. *dici non potest, quin* idem fere est, quod: *dubitari non potest, quin.*

tuant, nihil angantur, nihil concupiscant, nulla impotenti laetitia ecferantur[1], beati sint; itaque id tibi concedo; alterum autem iam integrum non est. Superioribus enim disputationibus effectum est, vacare omni animi perturbatione sapientem. 18. *M.* Nimirum igitur confecta res est; videtur enim ad exitum venisse quaestio. *A.* Propemodum id quidem. *M.* Veruntamen mathematicorum iste mos est, non est philosophorum. Nam geometrae quum aliquid docere volunt, si quid ad eam rem pertinet eorum, quae ante docuerunt, id sumunt pro concesso et probato; illud modo explicant, de quo ante nihil scriptum est. Philosophi, quamcunque rem habent in manibus, in eam, quae conveniunt, congerunt omnia, etsi alio loco disputata sunt. Quod ni ita esset, cur Stoicus, si esset quaesitum, satisne ad beate vivendum virtus posset, multa diceret? cui satis esset respondere, se ante docuisse[2], nihil bonum esse, nisi quod honestum esset, hoc probato, consequens esse, beatam vitam virtute esse con-

VII. 1 Sic D. et R. P. (sed hi corrupte *ecferant.*) Or. c. vulg. *effer.* 2 Vat. Mon. 1. 2. duo Oxx. *si ante docuisset;* R. P. Gud. 1. II. *sed ante docuisset;* at vulgata sana est.

impotenti laetitia] H. e. laet., quae imperare, temperare sibi non potest, uti recte interpretatur *Mercierius* ad Nonium p. 682., qui nostrum locum, sed corrupte, attulit. Cf. IV. 15, 34: *impotentia* animi.

integrum non est] V. ad c. 21, 62.

§. 18. *quamcunque rem habent in manibus*] Sic Graece ἔχειν ἐν χερσίν. *Schuchius* comp. *Valcken.* ad Herodot. VII, 16. T. VI. P. I. p. 284. ed. Schweigh. Sic διὰ χειρὸς (χειρῶν) ἔχειν: de quo comparat *Bergler.* ad Alciphron. p. 105. *Dorvill.* ad Chariton. p. 273. *Reitz.* ad Lucian. T. 8. p. 364. ed. Bip. *Abresch.* et *Locell.* ad Xen. Ephes. p. 166. — Paullo post *Wesenb.* Em. III. distinxit: *in eam quae c.*

disputata sunt] V. ad III. 9, 18.

hoc sit consequens] Mutata est constructio; sequi enim debebat: *hoc esset consequens — contenta esset, nisi honestum quod esset, nihil aliud esset bonum.* Oratio autem ita conformata est, ac si verbum *dicet* insertum esset. Hoc modo: *et dicet, quomodo hoc sit consequens illi* etc.

§. 19. *Propriis et suis*] V. ad I. 29, init.

ut esset — armatus] Coniunctivus imperfecti positus est ut in sententia ὑποθετικῶς enuntiata. Protasis enim latet in propositione relativa hoc modo: philosophia profitetur, perfecturam se, ut, *si* quis legibus suis paruisset, is *esset* contra fortunam semper armatus. *Klotzius* praeterita ex eo explicanda censet, philosophiae promissionem in praeterito tempore esse collocatam, ut paullo ante: cave putes ullam in ph. vocem *emissam* clariorem ullumve esse philosophiae *promissum* uberius aut maius. *Ellendtus* denique ad de Or. I. 42, 190. *esset armatus* ob interpositum *paruisset* dictum esse. At hac explicatione nihil proficitur; nam e vulgari ratione etiam *paruerit* dicendum erat.

§. 20. *Sed videro*] V. ad II. 11, 26. *Tantisper „indess; interea* sagt man so nicht.“ *Wolf.* Recte; nam *interea* dicitur de re, quae fit, dum alia agitur; *tantisper* autem, quod proprie non *indess, unterdess,* sed *so lange, bis dahin* significat, dicitur de re, quae usque ad certum quoddam tempus pertinet.

Nam Xerxes quidem] De v. *quidem* v. ad I. 22, 51. Sententiae sic se excipiunt: Philosophia quid efficiat, post videbimus. At vel ipsum eius promissum, perfecturam se, ut, qui se sibi dederit, sit semper beatus, magni aestimandum est. Nam quae alia res tanta potest polliceri? An externa bona, an voluptas? Minime vero. Nam si quis in iis rebus vitam beatam ponat, in omni copiarum affluentia voluptatumque abundantia nunquam iis erit contentus semperque alias atque alias concupiscet, ut nunquam possit esse beatus. Contra

tentam, et quo modo hoc sit consequens illi, sic illud huic, ut, si beata vita virtute contenta sit, nisi honestum quod sit, nihil aliud sit bonum. 19. Sed tamen non agunt sic. Nam et de honesto et de summo bono separatim libri sunt, et quum ex eo efficiatur, satis magnam in virtute ad beate vivendum esse vim, nihilo minus hoc agunt separatim. Propriis enim et suis argumentis et admonitionibus tractanda quaeque res est, tanta praesertim. Cave enim putes, ullam in philosophia[3] vocem emissam clariorem ullumve esse philosophiae promissum uberius aut maius. Nam quid profitetur? o dii boni! perfecturam se, qui legibus suis paruisset, ut esset contra fortunam semper armatus, ut omnia praesidia haberet in se bene beateque vivendi, ut esset semper denique beatus. 20. Sed videro, quid efficiat. Tantisper hoc ipsum magni aestimo, quod pollicetur. Nam Xerxes quidem refertus omnibus praemiis[4] donisque fortunae, non equitatu, non pedestribus copiis, non navium multitudine, non infinito pondere auri contentus praemium proposuit[4], qui invenisset novam voluptatem.

3 Vat. cod. Schotti unus Ox. Aug. *a phil.:* scr. elegans, sed non necessaria. 4 v. Adn.

qui philosophiae totum se penitusque tradidit, quamvis gravissimis calamitatibus vexetur omnibusque fortunae donis destitutus sit, semper tamen beatus erit, quia omnia praesidia habet in *sese* bene beateque vivendi. — De re ipsa idem testatur Valer. Maxim. IX. 1, 3. extr.: Age, Xerxes opum regiarum ostentatione eximia eo usque luxuria gaudebat, ut edicto praemium ei proponeret, qui novum voluptatis genus reperisset. Idem de Dario, quem vicit Alexander, tradere Clearchum ap. Athenaeum XII. p. 539. docet *Davisius*, idemque de cunctis Persarum regibus affirmare Theophrastum ap. Athen. IV. p. 144. XII. p. 545.

praemiis fortunae] Exquisitius dictum pro: *muneribus, quibus tanquam praemiis homines afficit fortuna.* Aliis locis *praemia* dicuntur ea, quae quis virtute, dignitate, arte aliqua sibi paravit; *munera* contra et *dona* ea, quibus quis fortuna mactatur. Hinc est, quod Lambinus legendum coniecerit *muneribus donisque fortunae*, Bentleius *corporis bonis et fortunae.* At neutra coniectura necessaria videtur.

praemium proposuit, qui] H. e. *praemium proposuit ei, qui:* neque aliter edidit Davisius auctoritate El. 2. (itemque Rehd.). Frustra. Creberrima est haec pronominis omissio, ubi enuntiatio relativa praecessit, vel ubi indefinitum *aliquis* supplendum est, ut h. l.: quod ubi est, sequens relat. *qui* resolvi potest per: *si quis.* Supra IV. 23, 51. 25, 55: utile est, uti motu animi, qui (= *si quis*) uti ratione non potest. Sall. Cat. 37, 3: quis opes nullae sunt, bonis invident (relat. praeced.). Nep. Dion. 9, 5: miseranda vita (sc. *eorum*), qui se metui, quam amari malunt. Paullo post nostro loco: *vellem praemio elicere possemus, qui.* V. *Ramsh.* L. Gr. §. 158, 4. c. *Kühner.* L. Gr. §. 145. Not. 6. *Goerenz.* ad Fin. II, 5. p. 137. et 28, 90. p. 258. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 289. *Bremium* ad Nep. Themistocl. IX, 1. Dion. VIII, 4. et ad Fin. II, 28. *Wopkens.* Lectt. Tull. II, 10. p. 250 sq., ibique *Hand. Kritz.* ad Sall. Cat. XIII, 2. p. 66 sq. LVIII, 16. p. 210. *G. T. A. Krüger.* Untersuchg. a. d. Lat. Gr. Heft III. p. 196 sq. *Ottonem* ad Cic. Fin. II. 28, 90. De Graeca lingua v. nos in Gr. Gr. T. II. §. 782, 4. (Gr. schol. §. 331. Not. 3.) Porro Latini scriptores dixerunt et *proponere* et *ponere praemium alicui*, diversa tamen sententia, ita ut illud poneretur de iis, qui praemiis elicerentur vel incitarentur ad facinus, hoc de iis, qui operam suam offerrent pretiumque paciscerentur. V. *F. Heusinger.* ad Offic. III. 22. princ., qui in partes vocat *Cortium* ad Sallust. Cat. 20, 14. et *Drakenb.* ad Liv. 39.

Qua ipsa non fuit[4] contentus; neque enim unquam finem inveniet[5] libido. Nos vellem praemio elicere possemus, qui nobis aliquid attulisset, quo hoc firmius crederemus.

VIII. 21. *A.* Vellem id quidem; sed habeo paullum[1], quod requiram. Ego enim assentior, eorum, quae posuisti, alterum alteri consequens esse, ut, quemadmodum, si quod honestum sit, id solum sit bonum, sequatur, vitam beatam virtute confici, sic, si vita beata in virtute sit, nihil esse, nisi virtutem, bonum. Sed Brutus tuus, auctore Aristo[2] et Antiocho, non sentit hoc; putat enim, etiam si sit bonum aliquod praeter virtutem. *M.* Quid igitur? contra Brutumne me dicturum putas? *A.* Tu vero, ut videtur; nam praefinire non est meum. 22. *M.* Quid cuique igitur consentaneum sit, alio

5 P. et complures edd. vett. *inveniret;* unus Ox. unus Leid. Vind. *invenit.* VIII. 1 Sic R. P. Gud. I. 2. Aug. Rehd. Duisb. Vind. 1. 2. duo Oxx. vet. cod. in marg. L.; Or. c. vulg. *paullulum.* 2 v. Adn.

17, 1. De Graeco προκεῖσθαι cf. *Stallbaumium* ad Plat. de Rep. X. p. 608. C.

non fuit] Haec est vulgata, quam omnes codd. tuentur praeter unum Ox., qui habet *non fieret.* D. Lall. Ern. W. receperunt Bentleii coniecturam *non fuisset*, quam recte deseruit *Orellius*, sententiam sic explicans: „inventam esse a nescio quo eiusmodi voluptatem novam, eandem tamen mox repudiatam a Xerxe.“ Consentaneum est enim, idem addit, historicum, e quo sua deprompsit Tullius, id quoque retulisse, quem exitum habuerit insani regis desiderium. *Klotzius* e coni. edidit *non fuerit.*

neque — finem inveniet libido] Cicer. Parad. I, 1: neque — expletur unquam nec satiatur cupiditatis sitis.

qui nobis aliquid attulisset] Ex nostra dicendi ratione exspectamus *afferret;* sed recte monet *Ernestius* respici praemium, quod tum demum detur ei, qui attulerit.

crederemus] Scil. virtutem ad bene beateque vivendum se ipsa esse contentam.

Cap. VIII. §. 21. *Brutus*] V. ad V. 1. princ.

Aristo] Sic quatt. Oxx., reliqui *Aristone;* at h. l. intelligendus est *Aristus*, Ascalonita, frater Antiochi, hospes et familiaris Ciceronis. V. Brut. 97, 332. Acad. I. 3, 12. II. 4, 12. Fin. V. 3, 8: ubi v. *Goerenz.* ad Att. 5, 12. Saepe Aristus confunditur cum Aristone. Quin etiam ap. Plutarch. in Bruto p. 994. legitur: καὶ διετέλει θαυμάζων μὲν Ἀντίοχον, τὸν Ἀσκαλωνίτην, φίλον δὲ καὶ συμβιωτὴν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ πεποιημένος Ἀρίστωνα. Sed §. 22. retinui omnium codd. scripturam *Aristone*, quia h. l. necessitas non cogit, ut intelligamus Antiochi fratrem. Et sic facilius intelligi potest, quomodo supra *Aristo* in *Aristone* a librariis mutatum sit. Huc accedit, quod etiam Acad. II. 4, 12. Aristus et Aristo consociantur: Itaque complures dies, adhibito Heraclito doctisque compluribus et in iis Antiochi fratre, *Aristo* et praeterea *Aristone* et Dione, quibus ille secundum fratrem plurimum tribuebat, *multum temporis in ista una disputatione consumpsimus.* Or. etiam h. l. correxit *Aristo.*

§. 22. *Athenis imperator*] A. U. 703. (51 a. Chr.) e Cilicia reversus.

in malis] Stoici dicebant, vitam beatam una confici virtute; nihil enim bonum esse, nisi virtutem, nec quicquam malum esse, nisi turpitudinem. Peripatetici autem praeter virtutem et turpitudinem etiam bona et mala corporis et fortunae esse sentiebant. Cf. Cicer. de Finib. librum quintum.

sapientem esse posse] Exspectabatur: *sapiens esse posse;* at cf. ad c. 5, 12. Nominativi c. inf. structurae transitus in accusativi c. inf. structuram legitimus est, ubi post *dicor* altera sequitur enuntiatio. V. nos in Gr. L. §. 129. Not. 1. Apud Graecos scriptores hac structurae permutatione nihil frequentius. Platon. Charm. princ.: καὶ μὴν ἤγγελταί γε μάχη ἰσχυρὰ γεγονέναι καὶ πολλοὺς τεθνάναι. V. nos in Gr. Gr. T. II. §. 649. a.

scriptitavit] Sic pro vulg. *scripsit* edidi ex optima *Klotzii* emendatione, ad quam

loco. Nam ista mihi et cum Antiocho saepe et cum Aristone[2] nuper, quum Athenis imperator apud eum deversarer, dissensio fuit. Mihi enim non videbatur quisquam esse beatus posse, quum in malis esset; in malis autem sapientem esse posse, si essent ulla corporis aut fortunae mala. Dicebantur haec, quae scriptitavit[2] etiam Antiochus locis pluribus, virtutem ipsam per se beatam vitam efficere posse[3], neque tamen beatissimam; deinde ex maiore[4] parte plerasque res nominari, etiam si quae[4] pars abesset, ut vires, ut valetudinem, ut divitias, ut honorem, ut gloriam, quae genere, non numero cernerentur; item beatam vitam, etiam si ex aliqua parte clauderet[4], tamen ex multo maiore parte obtinere nomen suum. 23. Haec nunc enucleare non ita necesse est, quanquam non constantissime dici

3 Tr. *posse*, quod ex Krarupii (non collatione R. non habet, uncis cinxit; at v. q. esse beatus *posse*.· 4 v. Adn.

multorum optimorumque codd. scripturae ducunt. Nam R. P. Gud. II. exhibent *quae scripta sit etiam*, tres Oxx. Gud. 2. Duisb. Rehd. marg. Cr. edd. Vict. (fortasse igitur cod. Vat.) et Rob. Steph. *q. scripta sunt etiam:* quae quidem corruptelae nullum explicatum haberent, si in archetypo lectum fuisset *scripsit*. Ex comp. *scriptavit* facile oriri potuit *scripta sit*. Atque verbum frequentativum egregie ad v. *locis pluribus* quadrat. Idem comp. Brut. 46, 169: qui *scriptitavit* orationes multis, orator ipse nunquam fuit. Ibid. 77, 267. de Or. II. 23, 97: ne te quidem, Antoni, multum *scriptitasse* arbitror, ubi *Ellendt*. p. 220. Vol. II. observat, eo verbo videri maxime scriptionem otii et exercitandi ingenii, non negotiosam et officii significari. ad Att. 7, 12. extr.: haec, et si quid aliud, ad me scribas velim vel potius *scriptites*.

deinde] Virtus dicitur quidem ipsa per se beatam vitam efficere, quia maiore ex parte eam affert; revera autem ipsa per se non efficit beatam vitam, sed tum demum beata vita est, quum ad virtutem etiam corporis et fortunae bona accesserunt. Similiter aliquis dicitur optima uti valetudine, si maximam partem bona est: similiter aliquis dives, si multis opibus gaudet etc. Haec omnia enim *genere* (v. adn. seq.) existimantur, non pleno singularum partium quibus illa constare debent numero. Virtus igitur, etiamsi ipsa per se vitam omnibus numeris partibusque beatam efficere non possit, tamen, quum ad eam valeat plurimum, efficere posse dicitur. Cf. de Fin. V. 30, 92. Terram, mihi crede, ea laux (sc. in qua est virtutis amplitudo) et maria deprimet; semper enim ex eo, quod maximas partes continet latissimeque funditur, tota res appellatur. Dicimus aliquem hilare vivere; igitur, si semel tristior effectus est, hilara vita amissa est?

ex maiore] Gud. 2. Duisb. Marb. et edd. vett. ante Gebh. pleraeque *ex maiori:* quae forma saepius in deterioribus codd. legitur, sed a Ciceronis aequaliumque usu abhorret. V. nos in Gr. L. §. 19, 5. 4).

si quae pars] Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. b. Duisb. pro vulg. *si qua*. Aptius h. l. est *si quae pars;* significatur enim certa pars, quae ad rem pertinet. V. Adnotata in IV. 14, 33.

genere, non numero] *Genere* est *re, propria vi sua* (*wesentlich*), ut de opt. gen. or. §. 4: *non genere, sed gradu*. Cf. *Beier*. ad Offic. II. 3, 10. p. 23.

clauderet] Sic Or. c. R. P. Vat. Gud. 1. II. Fabr. duobus Pall. Duisb. Rehd. tribus Oxx. pro vulg. *claudicaret:* quod sine dubio a librariorum inscitia profectum est. Cf. Brut. 59, 214: ubi v. *Ellendt*., Or. 51, 179: quid est, cur *claudere* aut insistere orationem malint. V. *Davis*., qui *I. Fr. Gronovium* ad Liv. 32, 39. conferre iubet, et *Ruhnken*. Dictat. in Terent. Andr. III. 3, 41.

§. 23. *non ita necesse est*] H. e. haec nunc enucleare *non ita* necesse est, ut ea modo enucleate exposui. Voculae *non ita*, cum verbo aut adiectivis iunctae, apud Ciceronem proprio quodam

mihi videntur. Nam et qui beatus est, non intelligo, quid requirat, ut sit beatior; si est enim quod desit, ne beatus quidem est, et, quod ex maiore parte unam quamque rem appellari spectarique dicunt, est, ubi id isto modo valeat; quum vero tria genera malorum esse dicant, qui duorum generum malis omnibus urgeatur, ut omnia adversa[5] sint in fortuna, omnibus oppressum corpus et confectum doloribus, huic paullumne[6] ad beatam vitam deesse dicemus, non modo ad beatissimam?

IX. 24. Hoc illud est, quod Theophrastus sustinere non potuit. Nam quum statuisset, verbera, tormenta, cruciatus, patriae ever-

5 R. P. ap. Wes. *advorsa.* 6 Sic R. P. Gud. 1. 2. Mon. 1. Rehd. octo Oxx. (unus om. *ne*) Duisb. (om. *ne*) et edd. vett. Gebh. D.; Or. c. vulg. *paullulumne.* Cf. §. 21.

more restringendi vi (cf. ad IV. 38, 82.) usurpantur, ut verti possint *nicht eben*, nunquam tamen absolute, *ut te non ita probo, non ita aegrotus sum, non ita magnus*, sed semper ita, ut aliquid negent respectu habito praecedentis alicuius vel vocabuli vel enuntiationis. Acad. II. 2, 5: earum rerum disputationem principibus civitatis *non ita* decoram putant, h. e. *non ita* decor., *ut sunt principes civ.* vel *non* decor. putant *eatenus, quatenus sunt pr.* Brut. 10, 41: Themistocles insecutus est, ut apud nos perantiquus, ut apud Athenienses, *non ita* sane vetus (h. e. non sane vetus *ita* = respectu habito Atheniensium). Praeterea frequentissimo usu particulae *non ita, haud* (nicht eben) *ita*, adverbio aut adiectivo cum substantivo iunctae, ita dicuntur, ut non ipsam rem negent, sed adiunctam tantum notionem, menteque eius rei de qua agitur notio affirmativa praecipienda sit, ut *non ita valde probo* (= ut probo, ita non valde, vel probo quidem, sed non valde), *non ita valde moveor, non ita multo post* (= post quidem, sed non multo), *non ita longa disputatione* opus est (= disp. quidem, sed non longa). Quod autem Tullius semper *non ita*, nunquam, ut alii saepe, *haud ita* dixit, ex ea caussa factum videtur, quod noluit duas coniungere particulas, quarum notiones quodammodo eodem redeunt; nam *haud* nunquam simpliciter, sed semper *dubitanter* et *cum fluctuatione quadam* (*nicht eben*, *non ferme*) negat (cf. I. 42, 99: Nae ego *haud* paullo hunc animum [sc. Socratis] malim, quam eorum omnium fortunas, qui de hoc iudicaverunt. V. 12, 35. *Haud scio:* ubi v. Adnotata. III. 1, 2. *haud* erat sane, es war nicht eben. V. 40, 118: *haud* sane periculum est.) Acute hanc rem enodavit docteque illustravit *Stürenburgus* in Comment. I. Cap. II. ad Cic. Officia.

est, ubi] nonnunquam locum habeat. Sic Gr. ἔστιν ἵνα, ἔστιν ὅπου, ἔστιν οὗ pro ἐνίοτε. V. nos in Gr. Gr. T. II. §. 782. Not. 4. p. 501. (Gr. schol. §. 331. Not. 5.)

huic paullumne] Carpit inconstantiam Peripateticorum, qui quum plura admittant bonorum genera, tamen vitam beatam confici virtute putent. Nam si tria genera malorum, animi, corporis, fortunae, esse dicamus; quî tandem dicere possumus etiam tum, quum et omnia adversa sunt in fortuna et omnibus oppressum corpus et confectum doloribus, nobis paullum, ne dicam ad beatissimam, sed ad solam beatam vitam deesse?

qui — urgeatur —, huic] Ubi relativo *qui* respondet demonstrativum *hic*, non simplex duorum orationis membrorum correlatio, quae designatur pronominibus *qui — is*, notatur, sed semper adiuncta est *demonstrationis* notio, qua res aliqua tanquam praesens oculis nostris subiicitur, v. nos ad I. 3, 5. Ubi igitur aliquid maiore quadam vi efferendum est aut, uti h. l., e contrario ponitur, apte dicitur *hic*. Cf. II. 21, 48: *hos* quidem —; qui autem —, *hos*. III. 5, 11: qui contra —, *hos*. 28, 71: *hos*. Ibid.: quod *alii* —, id *hi*. V. 10, 28: *his*. 14, 40: in *hos* —, qui. 35, 102: *his — his*. At V. 10, 28. cum *Wesenbergio* Em. I. p. 20. repugnantibus omnibus libris scripsi *eos existimo*, *qui*, quia ab h. l. demonstrativa vis plane aliena est.

siones, exsilia, orbitates magnam vim habere ad male misereque vivendum, non est ausus elate et ample loqui, quum humiliter demisseque sentiret. Quam bene, non quaeritur; constanter quidem certe. Itaque mihi placere non solet consequentia reprehendere, quum prima concesseris. Hic autem elegantissimus omnium philosophorum et eruditissimus non magno opere reprehenditur, quum tria genera dicit bonorum; vexatur autem ab omnibus primum in eo libro, quem scripsit de vita beata, in quo multa disputat, quamobrem is, qui torqueatur, qui crucietur, beatus esse non possit; in eo etiam putatur di-

non modo ad beatissimam] *ich will nicht sagen, zum glücklichsten.* V. nos in Gr. L. §. 135. Not. 16.

Cap. IX. §. 24. *sustinere*] H. e. illud, cui defendendo non par erat Theophrastus. *Moser* comp. C. Verr. V, 39: hoc crimen *sustinere* se nullo modo posse.

quum humiliter demisseque sentiret] Haec verba quasi pro epexegesi quadam antecedentis protasis: *quum statuisset* cett. accipienda sunt. Cic. Manil. 20, 59: Qui quum ex vobis quaereret, *si* in uno Cn. Pompeio omnia poneretis, *si* quid de eo factum esset, in quo spem essetis habituri, cepit magnum suae virtutis fructum. Cf. *Heindorf.* ad N. D. I. 10, 25. qui apposite comparat de Fin. I. 3, 7: Quanquam si plane sic verterem Platonem aut Aristotelem, ut verterunt nostri poetae fabulas, male, credo, mererer de civibus meis, *si ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem:* ubi v. *Ottonem* p. 10 sq. et *Madvig.* p. 17. Aristoph. Eccles. 218. ἡ δ' Ἀθηναίων πόλις, εἰ τοῦτο χρηστῶς εἶχεν, οὐκ ἂν ἐσώζετο, εἰ μή τι καινὸν ἄλλο περιειργάζετο. V. *Heindorfium* ad Plat. Phaedon. §. 33. p. 52. et nos in Gr. Gr. T. II. §. 823, 9.

constanter quidem certe] V. ad c. 20, 60: *quidem certe.*

Hic autem] Theophrastus non ideo vituperandus erat, quod, qui torqueretur, qui cruciaretur, eum beatum esse posse negaret; immo illa omnium Peripateticorum sententia notanda erat, qui dicebant tria genera esse bonorum: quod si conceditur, ei succensere non licet, qui dicit, non omnes bonos esse beatos, quum in omnes bonos et corporis et fortunae mala cadere possint. Nam alterum alteri consequens est.

magno opere] „Scripsit Or. *magno opere:* minus bene, si verum est, quod praecipit Beier ad Off. I. 40, 145. p. 290 sq. praeeunte Gernhardo. V. etiam Beier. ad Off. I. 26, 90. p. 202. II. 16, 56. p. 109. Habet nostro loco *magno opere* solus Duisb.“ *Moser.* De R. et P. nihil commemorat Tregder.

vexatur] H. e. vehementer carpitur, notatur. Comparat *Moser* de hac huius verbi significatione Gell. N. A. II, 6. Macrob. Sat. VI, 7. Pseudo-Ascon. in C. Verr. I. §. 12. p. 130. ed. Baiter. (Opp. Cic. ed. Or. T. V. 2.) De *primum*, cui pro seq. *deinde* §. 25. respondet: *Vexatur idem*, v. ad IV. 35, 74. princ.

in libro de vita beata] περὶ εὐδαιμονίας, Diog. L. V, 43. περὶ τῆς θείας εὐδαιμονίας, ibid. 49. V. de Fin. V. 5, 12. ibiq. *Goerenz.* p. 544. et *Madvig.* p. 631. et 855. extr. Acad. I. 9, 35. Scriptura huius loci male habuit Bentleium, qui sic rescribere iubet: *primum* quod *in eo libro quem* inscripsit *De vita beata*, *multa* disputarit, *quamobrem* etc. At scriptura est sanissima. Locum nostro consimilem deprehendi in Quinctil. Inst. Or. X. 1, 9: Scriptores quidem iamborum veterisque comoediae etiam *in illis* (sc. parum verecundis verbis) saepe *laudantur* (h. e. propter illa vel de illis). Similiter de Orat. I. 11, 47. quo in libro *in hoc* maxime *admirabar* Platonem, quod etc. Aliis locis *admirari in aliqua re* significat *bei einer Sache sich wundern*, ut supra III. 18, 39: in quo haec admiratio fiebat: ubi v. Adn. de Orat. II. 78, 316. de Finib. I. 2, 4., ubi *Bremius* non recte contulit nostrum locum; nec convenit ab eodem allatus Corn. Nep. Eumen. XIII, 2. *Moser* in censura supra ad c. 1, 1. laudata affert ad Fam. III, 8. *in quo te obiurgem*, comparatque de Orat. III, 14. *exhorrescere* et *exclamare in aliqua re.* Cf. *Madvig.* ad Fin. I. 2, 4. p. 10. De locutione *gloriari in aliqua re* v. ad I. 21, 48., *lamentari in vulnere* ad II. 21, 49.

cere, in rotam[1] beatam vitam non escendere[2]. Non usquam[3] id quidem dicit omnino; sed, quae dicit, idem valent. 25. Possum igitur, cui concesserim, in malis esse dolores corporis, in malis naufragia fortunae, huic succensere[4] dicenti, non omnes bonos esse beatos, quum in omnes bonos ea, quae ille in malis numerat, cadere possint? Vexatur idem Theophrastus et libris et scholis omnium philosophorum, quod in Callisthene suo laudarit illam sententiam:

Vitám regit fortúna, non sapiéntia.

Negant ab ullo philosopho quicquam dictum esse languidius. Recte id quidem; sed nihil intelligo dici potuisse constantius. Si enim tot sunt in corpore bona, tot extra corpus in casu atque fortuna; nonne consentaneum est, plus fortunam, quae domina rerum sit et externarum et ad corpus pertinentium, quam consilium valere? 26. An malumus Epicurum imitari? qui multa praeclare saepe dicit; quam

IX. 1 Post *rotam* in edd. vett. legebantur verba *id est genus quoddam tormenti apud Graecos:* quae dubium non est quin pro antiquissima glossa habenda sint. Leguntur quidem etiam in codd., sed cum magna scripturae varietate: Gud. 1. Gr. Aug. Marb. Duisb. sic, ut dedimus; R. P. om. *quoddam;* Gud. II. Mon. 1. *id est in g.;* tres Oxx. *id est in quoddam g.;* Rehd. *vel g.* (pro *id est g.*); Vind. 1. *quod g. torm. est ap. G.* Huc accedit, uti recte docet *Moser* in Add. T. III. p. 398., quod in media quasi sententia graviore et audaciore mirum in modum friget et alieno plane loco intruditur illa explicatio, comp. c. 26. extr.: clara voce audeant dicere, beatam vitam *in Phalaridis taurum* descensuram: ubi si additum esset: *fuit hoc tormenti quoddam genus a Perillo artifice inventum;* oratio languida, inficeta, insulsa fieret. 2 Sic Or. c. Vat. P. R. Gud. 1. (hi duo *escenderet*) pro vulg. *ascendere.* V. ad I. 29, 71. 3 *Nusquam* edd. ante Gebh. praeter Vict. et Rob. Steph. 4 Tr. c. R. P. *suscensere:* quod immerito probat Kl. in Add. p. 186.

rotam] *Rota* instrumentum rotae simile apud Graecos, in quo tormenti caussa servi extendebantur vel poenae caussa vel ad exquirendam veritatem; Graece appellabatur τροχός, uti constat ex Aristophanis comoediis, ὄργανον βασανιστικόν, uti interpretatur Schützius in Lex. Cicer. h. v. *Moser* affert Turneb. Advv. IV, 3. p. 108. Creuzer. ad Plotin. Enn. I. 4, 13. p. 37. D. Senec. Trag. H. O. 1011.

omnino] H. e. omni ex parte, *in jeder Hinsicht, vollständig, durchaus.* Hac vi instructum *omnino* saepe extremum enuntiationis aut enuntiationis membri locum occupat. Acad. II. 16, 48: ut in his nihil intersit *omnino.* Fin. II. 31, 100: id nihil ad nos pertinere *omnino:* ubi v. *Madvig.* Lael. 19, 69: Q. vero Maximum fratrem, egregium virum *omnino:* ubi v. *Seyffert.*

§. 25. *Possum igitur* —?] De graviore interrogatione sine particula interrogativa prolata v. nos in Gr. L. §. 158. Not. 10. p. 444. ed. 2.

Vexatur idem] Praegresso vocabulo *primum,* sequi debebat *deinde:* quae structurae permutatio a grammaticis appellatur anantapodoton, de qua figura v. quae exposuimus supra ad III. 17, 36. et IV. 35, 74. Vocabulum *idem* quodammodo adverbium *deinde* v. *item* quasi involutum habet.

Callisthene suo] V. supra ad III. 10, 21. Cf. Indic. hist. in *Callisthenes* et *Theophrastus.*

Vitam regit] Est senarius iambicus, qui Graece sic se habet: Τύχη τὰ θνητῶν πράγματ', οὐκ εὐβουλία. Legitur apud Plutarchum περὶ τύχης p. 97. et apud Stobaeum Eclog. Phys. p. 14. et Chaeremoni tribuitur, uti docet *Davisius* ad h. l.

§. 26. *quam enim*] Particulam *enim,* quippe quae impediat et corrumpat sententiam, furcilla extrudendam censet Bentleius. Davisius substituere malebat *autem.* At nihil nec movendum loco nec mutandum. Sententiarum enim nexus hic est: Epicurus multa praeclare saepe dicit: quod non exspectes ab eo,

enim[5] sibi constanter convenienterque dicat, non laborat. Laudat tenuem victum. Philosophi id quidem; sed si Socrates aut Antisthenes diceret, non is, qui finem bonorum voluptatem esse dixerit. Negat, quenquam iucunde posse vivere, nisi idem honeste, sapienter iusteque vivat. Nihil gravius, nihil philosophia dignius, nisi idem hoc ipsum honeste, sapienter, iuste ad voluptatem referret. Quid melius, quam: fortunam exiguam intervenire sapienti? sed hoc isne dicit, qui, quum dolorem non modo maximum malum, sed solum malum etiam dixerit, toto corpore opprimi possit doloribus acerrimis tum, quum maxime contra fortunam glorietur? 27. Quod idem melioribus etiam verbis Metrodorus: *Occupavi te,* inquit[6], *fortuna, atque cepi omnesque aditus tuos interclusi, ut ad me adspirare non posses.* Praeclare, si Aristo Chius aut si Stoicus Zeno[7] diceret, qui, nisi quod turpe esset, nihil malum duceret. Tu vero, Metrodore, qui omne bonum

5 v. Adn. 6 Sic codd., sed edd. vett. pleraeque ante Gebh. *Occupavi, inquit, te.* 7 Tr. e R. P. Gud. 1. II. Vind. 2. Duisb. *Zenon:* quod propter codd. auctoritatem recipere non dubitarem, nisi forma *Zeno* sexcentis aliis locis ap. Cic. legeretur, cf. c. 12, 34: ubi omnes fere codd., etiam R. Gud. 1. II. Vind. 2. Duisb., habent *Zeno.* Huc accedit, quod modo praecessit *Aristo.* Ceterum cf. ad I. 47, 113.

qui finem bonorum voluptatem esse dixerit; nec tamen id mirum videri debet; *quam enim constanter dicat, non laborat.* De elliptico usu particulae *enim* v. ad I. 6, 11. *Wopkens.* Lectt. Tull. 1, 19. p. 147. H. interrogationis signum non post *imitari*, sed post *dicit* ponendum iudicat ea ratione, quam ad IV. 26, 56. tetigimus. At haec ratio non satis quadrare videtur in hunc locum.

Laudat tenuem victum] V. Diog. Laert. X, 130 sqq.

Socrates aut Antisthenes diceret] Quid discriminis sit inter duorum nominum, quae per *aut* disiuncta sunt, cum singulari aut plurali verbo consociatorum constructionem, exposuimus in Gr. L. §. 103. Not. 7. Pluralis exempla nonnulla collegit *Ellendtus* ad de Or. II. 4, 16. Vol. II. p. 167 sq.

Negat quenquam iucunde] Diog. Laert. X, 140 sq. οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως· οὐδὲ φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως ἄνευ τοῦ ἡδέως. Adde Cicer. de Fin. I. 18, 57. ad Fam. XV, 19.

nisi idem hoc ipsum etc. Perperam *Goerenzius* ad Acad. I. 1, 2. pronomen *idem* iungendum arbitratur cum *hoc ipsum* (*just eben das*). — *honeste, sapienter, iuste*, at paullo ante: *honeste, sapienter, iusteque.* V. ad 14, 41.

fortunam exiguam intervenire sapienti] Iisdem verbis utitur Seneca de Const. Sap. c. 15: Epicurus: Raro, inquit, *sapienti intervenit fortuna*, h. e. exiguam vim habet in sapientem. Diog. Laert. X, 144: βραχεῖα σοφῷ τύχη παρεμπίπτει. Cf. Cicer. de Fin. I. 19, 63., ubi v. *Madvigium* p. 118. *Davisius* addit Vitruv. VI, praef. Plutarch. περὶ τύχης p. 99. A. Stob. Ecl. eth. p. 199. De seq. *isne* v. ad II. 11, 26.

§. 27. *Occupavi te*] Graece: προκατείλημμαί σε, ὦ τύχη, καὶ πᾶσαν τὴν σὴν ἀφῄρημαι παρείσδυσιν apud Plutarch. περὶ ἀθυμίας p. 476. Ceterum *Moser* in censura supra laud. p. 612. offendit in imperfecto: adspirare non *posses*, censetque dicendum fuisse *possis* (uti est in Duisb.), et Tullium aut Graecum locum non recte percepisse et vertisse, aut imperfectum a glossatore profectum esse. At vero imperfectum *posses* vere Ciceronianum esse, demonstrasse mihi videor ad I. 4, 7. De v. *adspirandi* v. ad 5, 13.

qui — nihil malum duceret] Bouhierius legendum suspicabatur *ducerent*, quia *qui* ad utrumque philosophum referendum esset; at quum singularis *diceret* ad utrumque pari modo referatur, etiam singularis *qui* ad utrumque pariter pertinet.

Metrodore] V. ad II. 6, 17.

in visceribus medullisque condideris et definieris, summum bonum firma corporis affectione exploratagque[8] spe contineri, fortunae aditus interclusisti? Quo modo? Isto enim bono iam exspoliari potes[9].

X. 28. Atqui[1] his capiuntur imperiti, et propter huiusmodi sententias istorum hominum est multitudo. Acute autem disputantis illud est non, quid quisque dicat, sed quid cuique dicendum sit, videre. Velut in ea ipsa sententia, quam in hac disputatione suscepimus, omnes bonos semper beatos volumus esse. Quid[2] dicam bonos, perspicuum est; omnibus enim virtutibus instructos et ornatos tum[3] sapientes, tum viros bonos dicimus. Videamus, qui dicendi sint beati. Equidem eos[4] existimo, qui sint in bonis, nullo adiuncto malo. 29. Neque ulla alia huic verbo, quum beatum dicimus, subiecta notio est, nisi, secretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio. Hanc assequi virtus, si quicquam praeter ipsam boni est, non potest. Aderit enim malorum, si mala illa ducimus[5], turba quaedam, paupertas, ignobilitas, humilitas, solitudo, amissio suorum, graves dolores corporis, perdita valetudo, debilitas, caecitas, interitus patriae, exsilium, servitus denique. In his tot et tantis

8 v. Adn. 9 R. P. Gud. 1. Med. Ball. unus Ox. *exspoliare potest:* quod recepit quidem Kl., sed nunc in Add. reiicit, ac iure quidem; nam in hac scr. pronominibus *te ea* vix carere possumus. X. 1 Gud. II. et, ut videtur, tres Oxx. *atque;* particula adversativa optime se habet. 2 v. Adn. 3 Mon. 2. et edd. vett. P. Gebh. Verb. Alt. D. *cum* (*quum*): quod perperam revocavit Kl. V. ad c. 25, 72. 4 Or. c. ceteris *hos;* at v. ad 8, 23. extr. 5 Sex Oxx. Vind. 1. Duisb. Mon. 2. *dicimus.*

exploratagque spe] *Wesenberg.* Em. I. p. 17. c. *Lamb.* legendum censet *exploratagque eius spe*, comparatis Off. III. 33, 117: vita omnis beata corporis firma constitutione *eiusque constitutionis* spe explorata (ut a Metrodoro scriptum est) continetur, Graec. (v. nos ad II. 6, 17.) καὶ τὸ περὶ ταύτης πιστὸν ἔλπισμα, multis denique propter terminationum vel initiorum similitudinem in archetypo omissorum exemplis allatis. Acuta est quidem illa coniectura, sed necessariam ego non iudicarim.

Cap. X. §. 28. *Quid dicam bonos*] Sic Col. quinque Pall. Fabr. aliique plerique codd. et, ut vdtr., Vat., quum ita legat Victorius. Eodem ducunt R. P. Gud. 1., qui habent *quod* pro *quid.* Pleraeque edd. vett. et Mon. 1. exhibent *quos d. b.:* quod recepit Tregder. At scr. *quid* et maiore codd. auctoritate nititur, et difficilior est, et commodam habet sententiam, quam *Orellius* bene sic explicat: quid intelligam, quum beatos dico.

§. 29. *potest esse*] V. ad I. 46, 110. *praestare*] V. ad III. 16, 34.

§. 30. *Quos si titulus hic delectat —, inducant animum*] De structura huius l. v. ad I. 34, 84. *Titulus hic*, h. e. *dignitas huius sententiae* (sc. beatum semper esse sapientem), ut §. 31., aut *gloria* hui. s., ut 11, 34., aut *gravitas* h. s., ut 12, 34. V. *Wesenberg.* Adn. Tusc. p. 17. et *Freund.* Lex. h. v. — *Inducant animum* h. e. decernant, sibi proponant. V. *Schütz.* Lex. Cic. v. *inducere.* Alii scriptores, ut Sallustius, Livius, etiam *in animum inducere* dicunt: quod semel tantum ap. Cic. p. Sulla 30, 83. legitur. Cf. Sall. Cat. 54, 4. ibique *Kritzium* p. 310. Quod autem discrimen inter utramque locutionem *Madvigius* in Gr. L. §. 389. et in Add. p. 11. posuit, ut *animum induco* significaret *ich bequeme, überrede mich, in animum ind. ich bringe übers Herz*, id inane est neque exemplis confirmatur.

omniaque] Sic saepe *nec, neque* excipit vocula *que.* V. ad I. 2, 4.

(atque etiam plura [6] possunt accidere) potest esse sapiens. Nam haec casus importat, qui in sapientem potest incurrere. At si ea mala sunt, quis potest praestare, semper sapientem [7] beatum fore, quum vel in omnibus his uno tempore esse possit? 30. Non igitur facile concedo neque Bruto meo neque communibus magistris nec [8] veteribus illis, Aristoteli, Speusippo, Xenocrati, Polemoni, ut, quum ea, quae supra enumeravi, in malis numerent, iidem dicant, semper beatum esse sapientem. Quos si [9] titulus hic delectat insignis et pulcher, Pythagora, Socrate, Platone dignissimus, inducant animum, illa, quorum splendore capiuntur, vires, valetudinem, pulchritudinem, divitias, honores, opes contemnere eaque, quae his contraria sint [1], pro nihilo ducere: tum poterunt clarissima voce profiteri, se neque fortunae impetu nec multitudinis opinione nec dolore nec paupertate terreri omniaque sibi in sese esse posita, nec esse quicquam extra suam potestatem, quod ducant in bonis. 31. *Nunc* et haec [2] loqui, quae sunt magni cuiusdam et alti viri, et eadem, quae vulgus, in malis et bonis numerare, concedi nullo modo potest. Qua gloria commotus Epicurus exoritur, cui etiam, si dis [3] placet, videtur sem-

6 Sic Or. c. plerisque codd. et optimis, ut Vat. R. P. Gud. 1. II. (hic om. *etiam*) b. et ed. vet. Bouh. pro vulg. *atque etiam quae pl. p. accidere:* quod Wopkens. p. 219. H. probat; L. coni. *ad quae etiam plura p. accedere*, eleganter quidem, sed nulla cogente necessitate. 7 Sic Or. c. plerisque codd., etiam R. P. Gud. 1. pro vulg. *sap. semp.* 8 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. b. aliisque pro vulg. *neque.* 9 Sic omnes edd. vett. ante Gebh. et pauci deteriores codd.; Vat. R. P. Gud. 1. II. b. aliique *Quod si:* sed quam facile QVOCSI et QVODSI inter se permutari potuerint, apparet. 1 Sic R. P. Gud. 1. II. b. aliique; Or. c. vulg. *sunt.* 2 v. Adn. 3 Sic R. P. Gud. 1. et ed. D.; eodem ducit scr. nonnullorum codd. *displicet* pro *dis placet;* Or. c. vulg. *diis.*

§. 31. *Nunc et haec*] Haec scriptura debetur ingenio *Wesenbergii* (Em. I. p. 25.). In R. P. Gud. 1. II. Marb. Duisb. legitur *Nec hunc et*, neque aliter in edd. vett., nisi quod *neque* habent pro *nec.* De frequenti particulae *nunc* in oppositione usu exposuimus ad III. 1, 2. Dicit Cicero haec fere: Sunt multi philosophi, qui, etsi externa mala in malis numerant, tamen sapientem semper esse beatum dicant. Quod tum demum eis profiteri licebit, si animum induxerint omnia externa et bona et mala contemnere ac pro nihilo ducere. *Nunc autem* (νῦν δέ), quum externa bona et mala et in bonis et in malis numerent, nullo modo concedi potest, ut et haec loquantur, quae loqui non licet, nisi eis, qui nihil bonum esse dicunt, nisi quod honestum sit, nihil malum, nisi quod turpe sit, et eadem, quae vulgus, in malis et bonis numerent. D. et Or. c. El. II. Guelf. uno Lall. habent: *Namque et haec;* Petr. Mon. 1. 2. Aug. ed. P. *nam hunc et haec* (Aug. *hoc*); Bentl. coni. *neque enim et haec — ullo m. p.:* quod D. ed. 2., W. ed. 2., Sch., nuper Tr. receperunt, et Kl. in Add. p. 187. probat, monens *enim* et *hunc* per comp. .H. scripta facile permutari potuisse, comp. Ed. Wunder. VV. Lectt. e cod. Erf. p. XXXV sq. At *ullo* in nullis codd. legitur, nisi in Vind. 1. 2. et aliquot Oxx.; porro *nec* facile ex antecedentibus inferri potuit, librarii oculo aberrante; denique *nunc* in *hunc* mutari, ut infinitivus ad certam personam referretur.

Qua gloria commotus] H e. cuius sententia gloria c. V. ad I. 19, 45.

si dis placet] Formula ironica indignantium et contemnentium semper dicitur in re mala, quae diis placere non potest. V. *Ruhnken.* Dictata in Terent.

per sapiens beatus. Hic dignitate huius sententiae capitur; sed nunquam id diceret, si ipse se audiret. Quid est enim, quod minus conveniat, quam ut is, qui vel summum vel solum malum dolorem esse dicat, idem censeat, *Quam hoc suave est!* tum, quum dolore crucietur, dicturum esse sapientem? Non igitur ex singulis vocibus philosophi spectandi sunt, sed ex perpetuitate atque constantia.

XI. 32. *A.* Adducis me, ut tibi assentiar. Sed tua quoque, vide, ne desideretur constantia. *M.* Quonam modo? *A.* Quia legi tuum nuper quartum de Finibus. In eo mihi videbare contra Catonem disserens hoc velle ostendere, quod mihi quidem probatur[1], inter Zenonem et Peripateticos nihil praeter verborum novitatem interesse. Quod si ita est, quid est caussae, quin, si Zenonis rationi consentaneum sit, satis magnam vim in virtute esse ad beate vivendum, liceat idem Peripateticis dicere? rem enim opinor spectari oportere,

XI. 1 R. P. Gud. 1. *probare*, ut supplendum sit *mihi videbare; videris* addunt Guelf. Aug. et ed. P.; sed id hoc quidem loco nimis durum sit; Kl. *probare* ex comp. *probat'* ortum putat.

Eun. V. 3, 10. *Müller.* ad C. de Orat. III. 24, 93. *Goerenz.* ad Fin. II. 10, 31.

Quam hoc suave est] V. II. 7, 17.

Cap. XI. §. 32. *de Finibus*] Lib. IV. c. 20.

§. 33. *tabellis obsignatis*] „Me scriptorum meorum testimonio redarguis. Metaphora ducta est a syngraphis annulo vel manu signatis, quas in caussarum actione proferunt Icti." *Davis. Klotzius* comp. Verr. I. 52, 137. et in Pison. 28, 69. Sic Cicero pro Muren. 17, 35. dicit: *tanquam ex syngrapha agere cum populo.* V. *Ernestii* Clav. v. *syngrapha.* Sed hac explicatione reiecta *Beier* ad or. p. Scauro p. 211. ad v. *obsignaverat litteras* rem sic exponit: Solebant in caussa repetundarum non solum rei codices, sed provincialium etiam tabulae et litterae, et publicae et privatae, obsignari ab iis, qui inquisitum ivissent; iisque ut omnium tabularum et litterarum fieret potestas, legibus sanctum erat cum poena. V. Verr. IV. 66, 149. I. 57, 149. Hinc reprehensio perversi patroni I. de Or. 39, 174: quum *obsignes tabellas* clientis tui, quibus in tabellis id sit scriptum, quo ille capiatur: ubi non minus perverse novissimi intpp.: quum fidem facias eiusmodi syngraphis, quibus decipitur et damna facit cliens tuus.

nos in diem vivimus] Academici enim nulli uni disciplinae dediti erant, sed ex variis scholis ea decreta sua faciebant, quae eos maxime specie veritatis moverent. V. nos in libr. d. *de Cic. in phil. mer.* p. 68—74. et Proleg. in hos libros VI. p. 7.

puto, verumne sit, — quod honestum esset] E vulgari regula ob antec. praesens sequi debebat: *q. h. sit;* sed imperf. *esset* verbo enuntiationis proxime antecedentis *placuerit* accommodatum est. Fit enim nonnunquam *attractionis* quodam genere, ut verbi tempus, quod ad principalem sententiam pertinet, secundariae sententiae proxime antecedenti accommodetur. C. Rp. III. 3, 5: quae *perficit* in bonis ingeniis, id quod iam persaepe *perfecit*, ut incredibilis quaedam et divina virtus *exsisteret.* Fin. III. 11, 39: constituto autem illo, de quo ante *diximus*, quod honestum *esset*, id esse solum bonum, intelligi necesse *est*, pluris id, quod honestum sit, aestimandum esse, quam illa media, quae ex eo comparentur: ubi v. *Madvig.* p. 412. Cf. *Ellendt.* ad Brut. 32, 124. et *C. G. Dietrich.* Quaestt. Gr. Lips. 1835. p. 34 sq.

sed si ita esset, tum ut totum hoc cett.] Haec est vulgata, quam Orellius sic explicat: Sed postulandum puto, ut tum demum, si Peripateticus sive Brutus ipse quoque agnosceret cum Stoicis, bonum esse solum, quod honestum esset, is (Peripateticus) totum hoc beate vivere in una virtute poneret; nunc vero, quum hoc quidem ponit, sed simul alia bona statuit, ipse secum pugnat. Pro *poneret*

non verba. 33. *M.* Tu quidem tabellis obsignatis agis mecum et testificaris, quid dixerim aliquando aut scripserim. Cum aliis isto modo, qui legibus impositis disputant; nos in diem vivimus, quodcunque nostros animos probabilitate percussit, id dicimus; itaque soli sumus liberi. Veruntamen quoniam de constantia paullo ante diximus, non ego hoc loco id quaerendum puto, verumne sit, quod Zenoni placuerit quodque eius auditori, Aristoni, bonum esse solum, quod honestum esset; sed si ita esset, tum ut[2] totum hoc beate vivere in una virtute poneret. 34. Quare[3] demus hoc sane Bruto, ut sit beatus semper sapiens; (quam sibi conveniat, ipse viderit; gloria quidem huius sententiae quis est illo viro dignior?) nos tamen teneamus, ut sit idem beatissimus.

XII. Et si[1] Zeno[2] Citieus[3], advena quidam et ignobilis verborum opifex, insinuasse se[3] in antiquam philosophiam videtur, huius

2 v. Adn. 3 Distinctio huius loci, a me inducta, debetur *Wesenbergio* Adn. Tusc. p. 17. Prius erat: *Quare — sapiens; quam — viderit. Gloria — dignior? nos* etc. XII. 1 v. Adn. 2 P. *Zenon*, cf. c. 9, 27. 3 v. Adn.

legere malit *poneretur*, quod comparere videtur in Oxonn. aliq. Wolfius de Bentleii sententia locum sic constituit: *sed, ni ita esset, num hoc totum, b. v., in una v. ponerent?* Quae quidem, inquit Orellius, primo adspectu blandiuntur, sed sententiam efficiunt a Tulliana plane diversam minusque huic loco convenientem. Bern. Mon. 1. Rehd. Gud. II. 2. Vind. 1. etiam aliquot Oxx., ut videtur, et P. omittunt *ut* post *tum*. Plane probo Orellii sententiam, nisi quod e verbis *quaerendum* non *postulandum*, sed nihil aliud, nisi *necesse*, *necessarium esse* eliciendum existimo.

§. 34. *demus hoc —, ut sit*] Coniunctio *ut* referenda est ad pronomen *hoc* et habet, ut saepe, vim explicativam. Cf. I. 32, 78. V. 12, 34: apud quem saepe *haec* oratio usurpata est, *ut* nihil praeter virtutem *diceretur* bonum. N. D. I. 34, 95: retinendum *hoc* esse, Deus *ut* beatus — *sit*.

teneamus, ut] Aliis locis post verbum *tenendi* sequitur accusat. c. inf., si quidem res aut esse aut fuisse aut futura esse simpliciter enuntiatur; hoc autem loco ponitur *ut*, quod rem cogitatione efficiendam aut animo informandam significat. Supra I. 42, 100: Nos autem *teneamus*, *ut* nihil *censeamus* esse malum etc. V. Adnotata in III. 3, 5: *Qui vero probari potest*, *ut* etc.

idem] Scil. sapiens.

Cap. XII. *Et si Zeno* — §. 37. *manabit oratio*] Solam virtutem beatam vitam efficere, hoc non Zeno primus docuit, sed Plato, e quo tanquam fonte haec omnis doctrina erit haurienda. Zeno dicitur advena, i. e. peregrinus, quia ex Citio, urbe quadam Cypri, cuius incolae erant Phoeniciae originis, oriundus erat. Eandem ob caussam Cicero eum *Poenulum* appellat. *Neidius*. Ceterum c. *Tregdero* et *Bakio* ad Legg. I. 13, 39. pro *Etsi* scripsimus *Et si*. Nam nihil contrarium ponitur, sed conceditur, Zenonem nihil praeter verba mutasse, res et sententias veterum philosophorum retinuisse.

Citieus] Sic recte Or. In scriptura huius nominis vehementer turbatur, sed vera scriptura vel exhibetur a codd. vel latet in iis, ut in R. (*licieus*), P. (*cieius*). Nonnulli codd. et edd. vett. habent *Cittieus*, aliae edd. vett. *Cittiaeus*; at scriptura per *tt* reiicienda est; cf. Gr. Κίτιον et Κιτιεύς. V. *G. Ch. Crusii* histor. Gr. Deutsch. Wörterb. et *Papii* Wörterb. h. v. *Popponem* ad Thucyd. Part. I. Vol. II. p. 476. *Goerenz.* ad Fin. IV. 20, 56.

verborum opifex] Fin. III. 2, 5: *Zeno — non tam rerum inventor fuit, quam verborum novorum*, multisque aliis locis Cicero hoc Zenonis novandi studium exagitat.

insinuasse se] Unus Ox. Mon. 2. et Nonius p. 457, 26. Merc. omittunt *se*, quod probant *Bouh.* ad h. l. et *Garato-*

sententiae gravitas a Platonis auctoritate repetatur. Apud quem saepe haec oratio usurpata est, ut nihil praeter virtutem diceretur bonum. 35. Velut in Gorgia Socrates, quum esset ex eo quaesitum, Archelaum, Perdiccae filium, qui tum fortunatissimus haberetur, nonne [3] beatum putaret: Haud scio, inquit; nunquam enim cum eo collocutus sum. — Ain' tu? an aliter [3] id scire non potes? — Nullo modo. — Tu igitur ne de Persarum quidem rege magno potes dicere, beatusne sit. — An ego possim [4], quum ignorem, quam sit doctus, quam vir bonus? — Quid? tu in eo sitam vitam beatam putas? — Ita prorsus existimo, bonos beatos, improbos miseros. — Miser ergo Arche-

4 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. aliisque pro vulg. *possum.*

nius ad Phil. V, 3. p. 103. Hinc *Orellius* uncis inclusit. Utrumque apud Ciceronem dicitur et *insinuare* sine *se* et *se insinuare*, ut de Or. I. 20, 90: et blandiri, et *insinuare* iis: ubi v. *Ellendt.* Vol. II. p. 57. ibid. II. 35, 149: ut (animus) penitus *insinuet* in caussam. ad Fam. IV, 13: et in ipsius consuetudinem — *insinuabo.* Phil. l. d.: eccui potestas in forum *insinuandi* fuit; contra: Verr. III. 68, 157. *Zumptius* (Vol. I. p. 579.) ex Nanniano et Lag. 42. edidit *se insinuet:* ubi comparavit: p. Caec. 5: ac *se* in eius familiaritatem *insinuasset.* d. leg. agr. II, 5: quum familiariter *me* in eorum sermonem *insinuarem.* Lael. 21, 99: ne *se insinuet.*

§. 35. *in Gorgia*] p. 470. D. E.

qui tum fort. haberetur] Grammaticae ratio requirebat: *qui tum f. habebatur;* nam haec verba non ex mente eius, qui illa e Socrate quaesierat, fluxerunt, sed ab ipso Cicerone explicationis caussa inserta sunt, quod vel ex addito *tum* luce clarius apparet. Coniunctivus igitur ea caussa videtur positus, quod scriptor, mentem in instituta obliqua oratione defixam habens, eiusdem obliquae orationis colorem etiam ad id enuntiationis membrum, quod cum obliqua oratione haudquaquam cohaeret, quasi insciens transfudit. Appellari potest haec structura quodam modo attractio modorum, de qua exposuimus in Gr. L. §. 140[b], b). Cf. *Dietrich.* l. d. p. 39. Geminus locus legitur de Or. I. 54, 232: (Socrates) respondit, sese meruisse, ut amplissimis honoribus et praemiis decoraretur, et ut ei victus quotidianus in Prytaneo publice praeberetur: qui honos apud Graecos maximus *haberetur:* ubi *Ellendt.* immerito Ernestii coniecturam *habetur* recepit.

nonne — putaret] Ernestius tentabat *anne* vel *annon — putaret:* quod ab latinitate abhorret. V. nos in Gr. L. §. 158, 6. et *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 274. Acad. II. 24, 76: ex me quaesieras, *nonne* putarem. Fin. II. 18, 58: ex te quaero, *nonne* intelligas: ubi v. *Goerenz.* p. 210. III. 4, 13: quaero, *nonne* tibi faciendum idem sit. Orat. 63, 214: Quaero, *nonne* id numerus effecerit.

Haud scio] Cum ironia quadam dixit *haud scio* (ich weiss es *eben nicht*), non simpliciter *nescio* (ich weiss es *nicht*). In sententiis, quae cum ironia proferuntur, propria quaedam sedes est particulae *haud*, (*nicht eben, non ferme*), quae semper dubitanter et cum fluctuatione quadam rem negat (v. Adn. in c. 8, 23.), itemque ubi is, qui loquitur, cum urbanitate quadam ea quae sentit profert; hinc in illa locutione: *haud scio an.* V. *Stürenburg.* ad Offic. Comment. I. p. 125. 144.

Ain' tu? an aliter] Sic legitur in compluribus edd. vett. et cod. Vat. aliisque Gebhardi itemque Gud. 2. Duisb. Marb.; eodem ducunt R. P. Gud. 1. II. b. unus Ox., qui habent *an tu an aliter:* quod *Klotzius* sic distinctum: *An tu? an aliter* iniuria recepit. *Tregder* c. nonnullis deterioribus codd. edidit: *An tu aliter,* omissis verbis *Ain' tu?* Quae ratio minime placet. *Orellius* sic edidit: *Ain' tu?* [*an*] *aliter.* Recte *Moser* uncos sustulit. Verba: *Ain' tu?* eandem fere vim habent, quam Graeca: τί δαί; Est admirandi formula de re, quae nobis inexspectata accidit. Sic Ter. Andr. V. 3, 4: *ain' tandem?* ubi v. *Ruhnkenium.* E Cicerone *Ed. Wunder* ad or. pr. Planc. 20, 49. p. 142. de formula *ain' tandem* affert ad Fam. 9, 21. ad Att. 6, 2. Fin. IV. 1, 1. Legg. I. 20, 55. II. 10, 23. III. 6, 14. de Rep. 1, 15. et de formula *ain' tu* de Or. I. 36, 165. Brut. 41, 152.

laus? — Certe, si iniustus. Videturne omnem hic beatam vitam in una virtute ponere? 36. Quid vero? in Epitaphio quo modo idem? Nam cui viro, inquit, ex se ipso apta sunt omnia, quae ad beate vivendum ferunt, nec suspensa aliorum aut bono casu aut contrario pendere ex alterius eventis et errare coguntur, huic optime vivendi ratio comparata est. Hic est ille moderatus, hic fortis, hic sapiens, hic, et nascentibus et cadentibus quum reliquis commodis, tum maxime liberis, parebit et obediet praecepto illi veteri; neque enim laetabitur unquam nec [5] maerebit nimis, quod semper in se ipso [6] omnem

5 Edd. pleraeque ante Gebh. *neque*. Bentl. coni. *aut*. 6 v. Adn.

ad Attic. 4, 5. 6, 1. 10, 8. 12, 6. de Rep. 1, 13. Cf. *Goerenz.* ad Academ. II. 19, 62., ubi tamen *an tu* retinendum est.

An ego possim] Graece: Καὶ ἀληθῆ γε ἐρῶ· οὐ γὰρ οἶδα παιδείας ὅπως ἔχει καὶ δικαιοσύνης. Coniunctivus *possim* ponitur, quia ex alterius mente interrogatur. De *an* in responsione usurpato cf. c. 26, 73: A. Etiamne in cruciatu atque tormentis? M. *An* tu me in viola putabas aut in rosa dicere? Fin. I. 8, 28: Sed ad haec, nisi molestum est, habeo quae velim. *An* me, inquam, nisi te audire vellem, censes haec dicturum fuisse? ubi v. *Madvigium* p. 61. Cf. nos in Gr. L. §. 159, 2.

Videturne] Exspectabas *nonne;* at v. ad II. 11, 26.

§. 36. *in Epitaphio*] seu Menexeno Platonis (Periclis in eos, qui primi in bello Peloponnesiaco caesi erant, orationem funebrem continente) p. 247. E. Graeca sic se habent: ὅτῳ γὰρ ἀνδρὶ εἰς ἑαυτὸν ἀνήρτηται πάντα τὰ πρὸς εὐδαιμονίαν φέροντα — καὶ μὴ ἐν ἄλλοις ἀνθρώποις, ἐξ ὧν ἢ εὖ ἢ κακῶς πραξάντων πλανᾶσθαι ἠνάγκασται καὶ τὰ ἐκείνου, τούτῳ ἄριστα παρεσκεύασται ζῆν, οὗτός ἐστιν ὁ σώφρων καὶ οὗτος ὁ ἀνδρεῖος καὶ φρόνιμος· οὗτος γιγνομένων χρημάτων καὶ παίδων καὶ διαφθειρομένων μάλιστα πείσεται τῇ παροιμίᾳ· οὔτε γὰρ χαίρων οὔτε λυπούμενος ἄγαν φανήσεται διὰ τὸ αὐτῷ πεποιθέναι.

ex se ipso apta sunt] cuius animi tranquillitas non pendet a rebus externis, sed ab internis perpetuisque bonis. Parad. 2, 17: qui est totus *aptus ex sese.* de Fato 15, 34: caussa *ex* aeternis caussis *apta.* Fin. II. 14, 47: *aptum ex* illis tribus: ubi v. *Ottonem* p. 127. Infra c. 25, 70: rerum caussae aliae *ex* aliis *aptae* et necessitate nexae. c. 21, 62: fulgentem gladium *e* lacunari seta equina *aptum* demitti iussit. Sine praepos. V. 14, 40. Legg. I. 21, 56: vita modica et *apta virtute* perfrui, i. e. apta e v. *Apere*, ἅπτειν, est *nectere.*

nec suspensa] Locus geminus legitur ad Fam. V. 13, 1: non aliunde pendere nec extrinsecus suspensas habere rationes bene maleque vivendi. Cf. supra III. 17, 37: virtus *extrinsecus religata* etc.

parebit et obediet] *Moser* comp. N. D. I. 8, 19: *obedire* et *parere* voluntati architecti. Phil. 7, 1: ut *pareret* et *dicto audiens esset* huic ordini. Tusc. II. 4, 11: qui *obtemperet* ipse sibi et decretis suis *pareat.* p. Planc. 39, 94: *obtemperem* et *paream.* Off. I. 29, 102: rationi *obediant* et paullo post: rationi *parent.*

neque enim] „Male haec pro versiculis habuerunt Vict. L. Gebh. D. in ed. pr. Bentl. Ern. W. Sch. Recte cum codd. edd. vett. et Manutio uno cum ceteris tenore dederunt Da. et Db. Lall. Pedestris est oratio, ut constat ex Platonis Menex. p. 248. A. Similitudinem autem quandam cum ligata oratione consulto quaesivit Tullius; ipse tamen numeros recidit, scribens *nec* et *reponet.*" *Orellius,* qui in ed. recent. haec quoque addit: Es müsste hier ein gedoppelter Zufall obgewaltet haben: a) dass ein alter Lateiner Platon's Worte in Verse übersetzt; b) dass Cic. statt der eignen Uebersetzung diese ältere gewählt hätte, ohne zu bemerken, wie unpassend es gewesen wäre, in dieser dem griech. Prosaiker entnommenen Stelle mit Versen zu enden. Vocabulum *nimis* non solum ad *maerebit,* sed etiam ad *laetabitur* pertinet; cf. Graeca supra allata.

in se ipso omnem spem reponet sui] Sic b. Gud. II. sex Oxx. Aug. Duisb. Mon. 1. 2. Vind. 1. 2. et pleraeq. edd. vett.; Or. c. reliquis codd. et optimis R. P. Gud. 1. *in se ipse:* quod ab hoc loco alienum est; vis enim posita est in obiecto, non in subiecto. V. Adnotata

spem reponet[7] sui. 37. Ex hoc igitur Platonis quasi quodam sancto augustoque fonte nostra omnis manabit oratio.

XIII. Unde igitur ordiri rectius[1] possumus, quam a communi parente, natura? quae quicquid genuit, non modo animal, sed etiam quod ita ortum esset[2] e terra, ut stirpibus suis niteretur, in suo quidque[3] genere perfectum esse voluit. Itaque et arbores, et vites, et ea, quae sunt humiliora, neque sé tollere a terra altius possunt, alia semper virent, alia hieme nudata verno tempore tepefacta frondescunt; neque est ullum, quod non ita vigeat interiore quodam motu et suis in quoque seminibus inclusis, ut aut flores aut fruges fundat aut bacas, omniaque in omnibus, quantum in ipsis sit, nulla vi impediente, perfecta sint. 38. Facilius vero etiam in bestiis, quod iis[4] sensus a natura est datus, vis ipsius naturae perspici potest. Namque alias bestias nantes aquarum incolas esse voluit, alias volucres caelo frui libero, serpentes quasdam, quasdam esse gradien-

7 Or. c. edd. V. et Rob. Steph. *reponit;* Bentl. coni. *ponet.* XIII. 1 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. b. Marb. Mon. 2. edd. vett. P. D. pro vulg. *rectius ord.* 2 Sic Or. c. plerisque codd. (etiam R. P. ap. Wes. Em. III. p. 21.); omnes edd. vett. praeter P. *esset ortum.* 3 Sic Or. c. R. P. (teste Davisio, Wes. I. p. 19.) Gud. 1. b. (corr. est *quidquid*, et in marg. ab alt. m. *quodque*) Rehd. Marb. et aliquot edd. vett.: eodem ducit *quidquid* in Gud. II.; vulg. *quodque:* quod recepit Tr. *Quidque* apte respondet praecedenti *quicquid genuit.* 4 Sic Gud. 2. Duisb. (*hiis*) Mon. 2. S. E. (*is*); Or. c. vulg. *his.*

in I. 30, 73. Plane geminum locum attulit *Moser* Lael. 9, 30: Ut enim quisque sibi plurimum confidit, et ut quisque maxime virtute et sapientia sic munitus est, ut nullo egeat suaque omnia *in se ipso posita* iudicet etc.

§. 37. *Platonis*] V. nos in libro dicto *de Cic. in phil. mer.* p. 74 sq. — *sancto augustoque.* Sic N. D. III. 21, 53. iunguntur: (deos) *auguste sancteque* veneramur.

Cap. XIII. *Unde igitur*] Virtute vitam beatam confici, concludi potest hoc modo: Natura, quicquid genuit, non modo animalia, sed etiam plantas, in suo quidque genere perfectum esse voluit. A plantarum autem bestiarumque perfectione, tanquam a minore ad maius, concludi debet, hominem, cui non solum sensus, uti bestiis, sed animus divinus a natura datus sit, omnium perfectissimum esse. Summa autem hominis perfectio consistit in mente perfecta aut absoluta ratione. Absoluta autem ratio virtus est. Atqui beatum est id, cui nihil deest, et quod in suo genere summam perfectionem adeptum est; virtus autem est perfectissimum quidque; ergo, qui virtutis compotes sunt, beati sunt.

et arbores, et vites, et ea — alia — alia] V. *Ramshorn.* L. Gr. §. 105. Not. 4. *Kühner.* L. Gr. §. 109, 9.

aut flores aut fruges fundat aut bacas] De eleganti verborum collocatione v. ad I. 1, 2. Verbum *fundendi* saepius venusta metaphora pro *gignere*, *parere* usurpatur. N. D. II. 33, 83: quippe quae (terra) — omnia *pariat* et *fundat* ex sese. *Grimmius* (Deutsche Gr. II. p. 19.) comparat *giôta* (altnordisch s. v. a. parere) „welches ursprünglich wol *fundere* bedeutet hat, wie d. Goth. *giutan*, alth. *kiozan*, giessen, u. mhd. *giezen*, (creare),“ affertque C. N. D. 2, 62. Plin. H. N. 8, 30. 17, 22. 18, 10. Virg. Aen. 8, 139.

neque est ullum, quod —, omniaque — perfecta sint] Attractionis genere quodam verba *omniaque — perfecta sint* proxime praecedentium enuntiationum secundariarum coniunctivis *vigeat* et *fundat* accommodata sunt, quum e vulgari dicendi ratione oratio sic conformata esse deberet: *omniaque in omn., quantum in ipsis est, — perfecta sunt.* Sententiae

tes, earum ipsarum partim solivagas, partim congregatas, immanes alias, quasdam autem cicures, nonnullas abditas terraque tectas. Atque earum quaeque suum tenens munus, quum in disparis animantis vitam transire non possit, manet in lege naturae. Et ut bestiis aliud alii praecipui[5] a natura datum est, quod suum quaeque retinet nec discedit ab eo; sic homini multo quiddam praestantius; etsi praestantia debent ea dici, quae habent aliquam comparationem; humanus autem animus decerptus ex mente divina cum alio nullo, nisi cum ipso deo, si hoc fas est dictu, comparari potest. 39. Hic igitur si est excultus, et si eius acies ita curata est, ut ne caecaretur[6] erroribus, fit perfecta mens, id est absoluta ratio, quod[7] est idem virtus. Et si omne beatum est, cui nihil deest, et quod in suo genere expletum atque cumulatum est, idque virtutis est proprium; certe omnes virtutis compotes beati sunt. Et hoc quidem mihi cum Bruto convenit, id est[8] cum Aristotele, Xenocrate, Speusippo, Polemone.

5 v. Adn. 6 Sic R. P. Vat. Gud. 1. II. Gr. b. aliique: Or. c. paucis deterioribus codd. *caecetur*. Male. V. Adn. 7 v. Adn. 8 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. Marb. Duisb. Mon. 2. quinq. Oxx.; pauci codd., etiam P., et aliquot edd. vett. pro *id est* habent *idem;* vulg. *item*.

enim sic sibi respondent: neque ullum plantarum genus non ita viget —, omniaque — perfecta sunt. Idem genus attractionis iam supra ad I. 36, 88. et II. 2, 5. exposuimus. Cf. quae congessit diligentia *Wesenbergii* Adn. Tusc. p. 18 sqq.

quantum in ipsis sit] H. e. plantae, quantum in ipsarum natura situm sit, si nulla vi externa impediantur, (si ipsarum interior natura nulla vi impediatur, aut, si quantum in ipsis sit, nulla vi impediente, excolant,) ad summam perfectionem perveniunt.

§. 38. *munus*] a natura datum, nobis: *Bestimmung*.

aliud — praecipui] Genitivo *praecipui* offensus Ernestius coni. *praecipue*, uti est in Duisb. At cf. locum a *Schellero* allatum: de Inv. II, 1: *aliud commodi*. Ad *praecipuum* comp. *Orellius* C. de Rep. I, 4: non *praecipuam* (praecipue adversam), sed parem cum ceteris fortunae conditionem subire. Significat omnino aliquid, quod quis praeter ceteros habet.

quod — ab eo] Pro: quod suum quaeque retinet nec a *quo* discedit. V. ad c. 3, 8.

etsi praestantia] V. Adn. in IV. 29, 63.

habent — comparationem] V. ad IV. 36, 77.

decerptus ex mente divina] V. nos in libr. dict. p. 212. De voce *decerptus* cf. de Divin. I. 49, 110: a qua (natura deorum) — *haustos* animos et *libatos* habemus. de Senect. 21, 78: ex universa mente divina *delibatos* animos habemus: ubi cf. *Gernhard*. Cf. *Stallbaumium* ad Plat. Phileb. p. 30. A. (p. 190 sq. ed. Goth.)

§. 39. *ita curata est, ut ne caecaretur*] Ob voculam *ita* non est statuendum, coniunctiones *ut ne* pro *ut non* positas esse: quod fieri omnino nequit: sed duae notiones quasi in unam confusae sunt, notio effectus et consilii: quod *O. Th. Keilius* in Quaest. Tull. p. VIII. sic expressit: si ita acies eius curata est, *ut* cautum sit, *ne* caecaretur. Unde apparet, scripturam *ut ne caecetur* (v. V. Scr.) perversam esse. Praeterea cf. Adnotata in I. 4, 7.

absoluta ratio] V. Adnotata in IV. 15, 34.

quod est idem virtus] Pleraeque edd. vett. exhibent *quae est idem, quod virtus*. Comparat *Orellius* Legg. II. 2, 5: hunc locum (*idem* ego te accipio dicere *Arpinum*) germanam patriam esse nostram: ubi v. *Moserum* p. 161 sq.; quanquam hic locus nostro non plane par est. Duram esse nostri loci structuram et a Ciceronis consuetudine abhorrentem, negari non potest; sed contra codd. non audeo quicquam mutare. Cf. exempla supra ad II. 22, 52. *eadem in voluptate* allata.

40. Sed mihi videntur etiam beatissimi. Quid enim deest ad beate vivendum ei, qui confidit suis bonis? aut qui diffidit, beatus esse qui potest? At diffidat necesse est, qui bona dividit tripertito[9].

XIV. Qui enim poterit aut corporis firmitate aut fortunae stabilitate confidere? Atqui, nisi stabili et fixo et permanente bono, beatus esse nemo potest. Quid ergo eiusmodi istorum est? ut mihi Laconis illud dictum in hos cadere videatur, qui glorianti cuidam mercatori, quod multas naves in omnem oram maritimam dimisisset: *Non sane optabilis quidem ista*[1], inquit, *rudentibus apta fortuna.*

9 Sic Or. c. R. (hic *tripertio*) Gud. 1. II. Mon. 1. 2. Marb. Vind. 2. pro vulg. *tripart.* XIV. 1 Edd. vett. fere omnes *ista quidem:* quod praefert *Wes.* I. p. 22; etiam Mon. 2. habet *ista quidem est, inq.;* at v. ad III. 19, 46.

§. 40. *etiam beatissimi*] Si vero id beatum est, cui nihil deest; sequitur etiam, ut, qui virtutis compotes sunt, etiam beatissimi sint. Nam qui virtute praeditus est, confidit suis bonis; qui autem confidit suis bonis, ei nihil deest ad beate vivendum; ergo virtus ad beate vivendum se ipsa est contenta. At si praeter virtutem etiam corporis et fortunae bona statuuntur, vita beata una virtute effici non potest; nam qui diffidit suis bonis et, ne quid ex iis deperdat, timet, beatus esse non potest; at diffidat necesse est, qui tria bonorum genera ponit, quia et corporis et fortunae bona fluxa sunt atque fragilia.

Cap. XIV. *rudentibus apta fortuna*] H. e. fortuna a rudentibus aut navigio pendens. Cf. ad 12, 36: ex se ipso apta. De sententia cf. Plutarch. Apophthegm. Lacon. p. 237: πρὸς τὸν μακαρίζοντα Λάμπιν τὸν Αἰγινήτην, διότι ἐδόκει πλουσιώτερος εἶναι ναυκλήρια πολλὰ ἔχων, Λάκων εἶπεν· Οὐ προσέχω εὐδαιμονίᾳ ἐκ σχοινίων ἀπηρτημένῃ.

quo vita beata compleatur] Plerique codd. *quo v. b. complectitur;* pauci codd. et edd. vett. ante D. 2. *quod v. b. complectitur.* Bentleius acutissime legendum coniecit *completur*, quod recepit Or., Wopkensius Lectt. Tull. p. 148. *compleatur,* quod praetuli, primum ob grammaticam, quae requirit coniunctivum, dein quia ex hac scriptura facilius intelligitur, unde corruptela *complectitur* originem suam traxerit. De v. *complendi* cf. c. 16, 47: *his vitam beatam compleri* negant. Fin. III. 12, 41: *compleri vitam beatam:* ubi v. *Madvigium* p. 417 sq. V. 24, 71: *complent* ea quidem *beatissimam vitam.* Eadem scripturae corruptela infra c. 24, 70. deprehenditur.

§. 41. *tutum esse, inexpugnabilem, saeptum atque munitum*] *Madvigius* in Opusc. Ac. I. p. 333 sqq. et postea ad Fin. IV, 20. p. 570 sq. demonstrare studet, Ciceronem in *trium* aut *plurium* vocabulorum enumeratione, si *eodem ordine et pari dignitate* procedant, copulam aut in singulis repetere (honeste *et* sapienter *et* iuste), aut in omnibus omittere (hon., sap., iuste); ubi autem extremum non aequale sit antecedentibus, recte addi copulam. Ergo ubi duo extrema in unum coniunguntur et id antecedentibus tanquam diversum adiungitur, recte ponitur copula, uti h. l. duo sunt ordines, prior: *tutum esse, inexpugnabilem*, alter: *saeptum atque munitum:* cf. I. 33, 80: aegritudines, irae libidinesque (duo extrema unum efficiunt). III. 18, 39. IV. 30, 64: ubi terna orationis membra distinguenda sunt; itemque ubi extremum dispar est et antecedentibus eiusdem generis vocabulis e contrario ponitur, uti III. 2, 3: (poetae) audiuntur, leguntur, ediscuntur *et* inhaerescunt penitus in mentibus: ubi extremum aliquid est, quod ex antecedentibus efficitur (= unde fit, ut inhaerescant). IV. 15, 34: *omnisque* recta ratio: quae antecedentia complectitur. Eadem ratio est, ubi antecedentibus vocabulis adduntur verba *et cetera, et reliqua, et similia;* nam extremum, ea, quae praeterea commemoranda erant, comprehendens antecedentibus e contrario ponitur, quanquam in hac formula frequentius omittitur copula, v. ad IV. 31, 66. Qui autem loci cum his praeceptis conciliari non possint, eos *Madvigius* corruptos esse et emendandos censet. Idem sensit *Wesenbergius* Em. III. p. 17 sq. Negari quidem non potest, Madvigianum praeceptum longe plurimis non solum Ciceronis, sed omnium diligentiorum scriptorum locis confirmari; tamen ei loci, in quibus copula addita

An dubium est, quin nihil sit habendum in eo genere, quo vita beata *compleatur*[2], si id possit amitti? nihil enim interarescere, nihil exstingui, nihil cadere debet eorum, in quibus vita beata consistit. Nam qui timebit, ne quid ex iis[3] deperdat, beatus esse non poterit. 41. Volumus enim, eum, qui beatus sit, tutum esse, inexpugnabilem, saeptum atque munitum, non ut parvo metu praeditus sit, sed ut nullo. Ut enim innocens is dicitur, non qui leviter nocet, sed qui nihil nocet; sic sine metu is habendus est, non qui parvo metu *est*[4] sed qui omnino metu vacat. Quae est enim[5] alia fortitudo,

2 v. Adn. 3 Sic Duisb. et Mon. 2.; Or. c. vulg. *his.* 4 v. Adn. 5 Cod. Aug. *quae enim est.* V. ad I. 27, 66.

est, satis multi sunt neque, nisi violenter, corrigendi. Neque vero etiam ulla sana ratio excogitari potest, cur Cicero in coniungendis pluribus verbis usquequaque unam atque eandem legem observarit nec unquam ab ea deflexerit, praesertim quum inter ἀσύνδετον et σύνδετον orationem aliquantum discriminis intercedat; illa enim semper gravius est, quam haec. Raro *et*, saepius *atque* (*ac*), satis frequenter *que* reperitur. Cf. Off. I. 26, 92: magnifice, graviter animoseque. Memorabilis locus est V. 9, 26: ubi primum dicitur: honeste, sapienter *iusteque*, dein paullo post: honeste, sapienter, iuste: qui locus luculentissime demonstrat, illam sermonis Latini legem non tam religiose a scriptoribus observari, quam Madvigius sibi persuasit. Cf. *Ellendt.* ad de Or. I. 43, 194. Vol. I. p. 133. et ad II. 34, 145. Vol. II. p. 237 sq., ubi multi loci congesti sunt, qui regulae Madvigianae refragantur. De huius loci verbis *Menkius* in Observv. ined. apposite comparat Parad. IV. 1, 27: Sapientis animus magnitudine consilii, contemptione rerum humanarum, tolerantia fortunae, virtutibus denique omnibus, ut *moenibus saeptus, vincetur et expugnabitur* — ?

metu praeditus] Rarius *praeditus* de rebus malis dicitur. p. Sulla 3, 7: me singulari *immanitate* et *crudelitate praeditum.* *Moser* comp. p. Flacco 3, 6: *levitate, egestate, perfidia, audacia praeditus.* Verr. II. 2, 42: *amentia pr.* Auct. ad Herenn. II, 27: *tumore pr.*

qui parvo metu est] Haec est coniectura *Tischeri* sane quam probabilis. Plurimi codd. et optimi, ut R. P. Gud. 1. II. Vat., habent *qui parva metuit:* quae scriptura facile ex *q. parvo metust* nasci potuit. Verba: *non qui parvo metu est, sed qui omnino metu vacat* egregie respondent praecedentibus: *non ut parvo metu praeditus sit, sed ut nullo.* Madvigius quidem ad Fin. V. 30, 91., qui probat scr. *qui parva metuit*, haec verba accipit de eo, qui metuit parvas res (corporis incommoda et externa); at intelligendus est h. l. is, qui parvum metum habet; is autem non parvas res, sed magnas tantum metuit. Quod Or. c. paucis deterioribus codd. paucisque edd. vett. edidit, *parum*, id etiam sententia huius loci plane respuit. Nam ubicunque apud Ciceronem et huius aetatis scriptores *parum* legitur, significat nostrum *zu wenig*, h. e. minus, quam satis est, quam velis, non satis, opponiturque vocabulo *nimis* aut *nimium*, ut II. 7, 17. IV. 17, 39. V. 37, 107. Off. I, 25: mediocritatem illam tenebit, quae est inter *nimium* et *parum.* Hinc nunquam dicitur *tam parum*, *adeo parum*, *quam parum*, sed *tam non*, *adeo non*, *quam non.* V. ad IV. 35, 74. Nostra quidem memoria exstiterunt, qui praeeunte Prisciano (XV. p. 620. Kr.) *parum* nonnunquam pro *parvum* usurpatum esse dicerent: v. *Doederlein.* Lat. Syn. T. I. p. 146. T. III. p. 313. *Frotscher.* in exc. ad Quinctil. X, 1, 130. p. 255. *Kritz.* ad Sall. Iug. 85, 31.; at qui paucissimi ex aureae aetatis scriptoribus excitantur loci, ii corrupti aut aliter explicandi sunt. V. *Madvig.* ad Fin. V. 30, 91. p. 781. Sall. l. d. c. Nonio et paucis codd. legendum est *parvi id facio.* Cic. de Rep. IV, 8: non enim facile valenti populo resistitur, si aut nihil impertias iuris, aut *parum* h. e. aut nihil, aut non satis. Etiam ap. Auct. libri de b. Afr. c. 2. recte se habet *parum.* Paucissimi posteriorum scriptorum loci restant, ut Sen. ep. 2, 5: non qui *parum* habet, sed qui plus cupit, pauper est. ep. 116, a: dolebimus, sed *parum;* concupiscemus, sed temperate. At Quinctil. III. 1, 5: „nos veremur, ne *parum* hic liber

nisi animi affectio, quum[6] in adeundo periculo et in labore ac dolore patiens, tum procul ab omni metu? 42. Atque haec certe non ita se haberent, nisi omne bonum in una honestate consisteret. Quî autem illam maxime optatam et expetitam securitatem (securitatem autem nunc appello vacuitatem aegritudinis, in qua vita beata posita est) habere quisquam potest, cui aut adsit aut adesse possit multitudo malorum? Quî autem poterit esse celsus et erectus et ea, quae homini accidere possunt, omnia parva ducens, qualem sapientem esse volumus, nisi omnia sibi[7] in se posita censebit? An Lacedaemonii, Philippo minitanti[8] per litteras, se omnia, quae conarentur, prohibiturum, quaesiverunt, num se esset etiam mori prohibiturus; vir is, quem quaerimus, non multo facilius tali animo reperietur, quam civitas universa? Quid? ad hanc fortitudinem, de qua loquimur, temperantia adiuncta, quae sit moderatrix omnium commotionum, quid potest ad beate vivendum deesse ei, quem fortitudo ab aegri-

6 Perperam W. et Or. c. uno Ox. *tum*. V. ad c. 25, 72. 7 *sibi* om. Gud 2. V. Adn. 8 v. Adn.

mellis et absinthii multum habere videatur" recte dicitur *zu wenig* Honig u. viel Bitteres. X. 4, 40: „M littera — etiamsi scribitur, tamen *parum* exprimitur" *parum* est *nicht genug*.

procul ab omni metu] est idem, quod *remota* ab omni metu. Rarius adverbia sic collocata pro adiectivis aut participiis ponuntur; multo frequentiora sunt exempla, in quibus adverbium inter adiectivum et substantivum locum habet, ut *omnes circa populi*. V. nos in Gr. L. §. 109. Not. 10.

§. 42. *Quî autem*] Virtute una vita continetur beata. Una enim virtus ab aegritudine nos et a metu et libidine et insolenti alacritate vindicare potest.

sibi in se posita] Bentleius legendum coniecit *omnia sua in se:* quod recte improbat Orellius. *Wopkens*. Lectt. Tull. I, 19. p. 148. apposite comparat V. 10, 30: tum poterunt — profiteri, — omnia — *sibi in sese esse posita*. Dativum *sibi* non ex abundanti additum, sed necessarium esse, recte docet *Seyffert*. ad Lael. 13, 45. p. 303. Quum enim dico: *omnia in me posita sunt*, credo omnia revera a me pendere; quum autem dico: *omnia mihi in me posita sunt*, significo omnia, *quatenus ad me spectent*, in me esse posita.

An Lacedaemonii — quaesiverunt —; vir is — reperietur —?] Observent tirones hanc *a minore*, sed certo et extra omnem dubitationem posito, *ad maius*, sed dubium, conclusionis conformationem apud Tullium usitatissimam. Infra c. 32, 90. Acad. 2, 41: *an* Stoicis ipsis inter se disceptare, mihi cum iis non licebit? pro Arch. poeta 12, 30: *An* statuas et imagines — studiose multi summi homines reliquerunt; consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem nonne multo malle debemus, summis ingeniis expressam et politam? ubi plura contulit *Stürenburg*. p. 160 sq. in Catil. I. 1, 3: *An* vero vir amplissimus, P. Scipio, — Ti. Gracchum, mediocriter labefactantem statum reip., privatus interfecit; Catilinam, orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem, nos consules perferemus? Duo praeterita leguntur infra c. 32, 90. p. Balbo 23, 54: *An* lingua et ingenio patefieri aditus ad civitatem *potuit*, manu et virtute non *potuit? anne* de nobis trahere spolia foederatis *licebat*, de hostibus non *licebat?* an quod adipisci *poterant* dicendo, id eis assequi pugnando non *licebat?* ubi alii male leg. *licebit*. p. domo sua 10, 26: *an — licuit* tibi ferre — privilegium, mihi — non *licuit* — sententiam dicere? Duo imperfecta conditionalia Fin. I. 21, 72: *An* — eas — artes *persequeretur*, vivendi artem — *relinqueret?* V. *Wesenberg*. Em. III. p. 31. Similem conclusionis formam supra ad II. 17, 39. vidimus. Cf. *Hand*. Tursell. I. p. 349 sq. et nos in Gr. L. §. 159, 3. De ipsa narratione

tudine et a metu vindicet, temperantia quum[9] a libidine avocet, tum insolenti alacritate gestire non sinat? Haec efficere virtutem ostenderem, nisi superioribus diebus essent explicata.

XV. 43. Atque quum[1] perturbationes animi miseriam[2], sedationes autem vitam efficiant beatam, duplexque ratio perturbationis sit, quod aegritudo et metus in malis opinatis, in bonorum autem errore laetitia gestiens libidoque versetur[3]; quum haec[4] omnia cum consilio et ratione pugnent: his tu tam gravibus concitationibus tamque ipsis inter se dissentientibus atque distractis quem vacuum, solutum, liberum videris, hunc dubitabis beatum dicere? Atqui sapiens semper ita affectus est. Semper igitur sapiens beatus est. Atque etiam omne bonum laetabile est; quod autem laetabile, id praedicandum et prae se ferendum; quod tale autem, id etiam gloriosum; si vero gloriosum, certe laudabile; quod laudabile autem[5], profecto etiam honestum; quod bonum igitur, id honestum. 44. At quae isti bona

9 Sic edd. L. Fr. Fabr. D.; Or. c. vulg *tum*. V. ad c. 25, 72. XV. 1 R. P. Gud. 1. *at quicunque*. V. ad III. 7, 14. 2 Pauci deteriores codd. et nonnull. edd. vett. *miseram;* quod vel ob verborum sequentium collocationem reiiciendum est. 3 Sic Or. c. plerisque codd., etiam R. P. Gud. 1. H. et nonnull. edd. vett. pro *versentur*. V. nos in Gr. L. §. 103, 6. b). 4 Sic Or. c. quinq. Oxx. Aug. Mon. 2. Guelf. et edd. vett. fere omnibus; Kl. c. reliquis omnibus codd. omisit *haec:* quo aegre careas; Tr. e Bentl. coni. *quae omnia* pro *quum haec o.* 5 Sic Or. c. codd. fere omnibus; *autem laud.* Gud. et edd. vett.

Davisius contulit Stob. Serm. VII. p. 90. et, qui rem aliter narrant, Plutarch. Lacon. Apophth. p. 235. Valer. Max. VI. 4, 14 extr.

minitanti] D. et Tr. e Bentl. coni. contra codd. ediderunt *minitante:* quod etiam *Wesenb.* Em. I. p. 13. probat, multis exemplis demonstrans, litterarum *i* et *e* in R. aliisque optimae notae codd. (ergo etiam in archetypo) confusionem esse frequentissimam. Dativum *Wolfius* per anacoluthon explicare studet. Opinatur enim, Ciceronem primum *responderunt* scribere voluisse, deinde autem, quum responsio in quaestione constaret, constructione excidisse dixisseque *quaesiverunt. Orellius* ad eam inclinare videtur sententiam, ut *minitanti* pro ablativi forma habendum statuat, dicens, *Bentleianae* regulae, qua ablativo participii (non adiectivi, ut *recenti*) formam in *e* necessario tribuendam esse docet (ad Horat Carm. I. 25. 17), certe codd. saepe refragari (coll. *Meyer.* ad Orator. §. 190: *a me inquirenti*, vel inter utramque formam fluctuari (N. D. II. §. 89: *undanti*, al. *undante*, in freto), vel denique formam in *i* necessario metro efflagitari, ut Divin. I. §. 18: *stellanti nocte* — *luce serenanti.* §. 21. *vigenti numine* (coll. *Moser.* ad Divin. I. §. 61: *satietate affluenti*). Etiam *Klotzius* participium *minitanti* pro ablativo habet. Quam rationem nullo modo probare possum; nam ne unus quidem apud Ciceronem in pedestri oratione reperitur locus, in quo ablativus veri participii, praesertim ubi id in ablativorum absolutorum quae appellatur structura locum habet, desinat in *i*. Quare ego nunc Wolfii explicationem amplexandam arbitror.

Cap. XV. §. 43. *Atque quum*] Qui perturbationibus animi liber est, beatus dicendus est. Perturbationibus autem una nos virtus liberat; ergo virtus vitam beatam efficit.

perturbationes — *perturbationis*] V. Adnotata in IV. 31, 65.

in bonorum — *errore*] H. e. in bonis opinatis. V. ad III. 1, 1.

§. 44. *At quae*] Solum bonum est quod honestum est. Nam externa bona qui habet, miserrimus potest esse. — *bona numerant* i. e. pro bonis habent. N. D. 3, 16: singulas — stellas *numeratis* deos cf. c. 17. Muren. 24, 49: Sulpicium accusatorem suum numerabat, non competitorem. V. *Wopkens.* Lectt.

numerant, ne ipsi quidem honesta dicunt; solum igitur bonum, quod honestum: ex quo efficitur, honestate una vitam contineri beatam. Non sunt igitur ea bona dicenda nec habenda, quibus abundantem licet esse miserrimum. 45. An dubitas, quin praestans valetudine, viribus, forma, acerrimis integerrimisque sensibus; adde etiam, si libet, pernicitatem et velocitatem; da divitias, honores, imperia, opes, gloriam; — si fuerit is, qui haec habet, iniustus, intemperans, timidus, hebeti ingenio atque nullo, dubitabisne eum miserum dicere? Qualia igitur ista bona sunt, quae qui habeat, miserrimus esse possit? Videamus, ne, ut acervus ex sui generis granis, sic beata vita ex sui similibus partibus effici debeat. Quod si ita est, ex bonis, quae sola honesta sunt, efficiendum est beatum [6]; ea mixta ex dissimilibus si erunt, honestum ex iis [7] effici nihil poterit: quo detracto, quid poterit beatum intelligi? etenim quicquid est, quod bonum sit, id expetendum est; quod autem expetendum, id certe approbandum; quod vero approbaris, id gratum acceptumque habendum: ergo etiam

6 v. Adn. 7 Sic Mon. 2. Duisb. marg. MS. ed. Asc. 2. edd. vett. S. E.; Or. c. vulg. *his*. V. ad I. 3, 5.

Tull. II, 3. p. 183. H. et nos in Gr. L. §. 113, 1.

abundantem licet] V. ad I. 38, 91.

§. 45. *An dubitas*] Oratio ἀνακόλουθος est, quae ad legitimam structuram revocata sic decurrere debebat: An dubitas, quin praestans val. —, si idem sit iniustus —, miser sit.

si fuerit] Futurum exactum positum est ob seq. fut. *dubitabisne*.

hebeti ingenio atque nullo] Observent tirones intensivam vel potius auctivam particulae *atque* vim. de Legg. III. 14, 32: pauci *atque* admodum pauci: ubi plura exempla constipavit *Goerenz*. p. 260. Sall. Cat. 51, 10: res tanta *atque* tam atrox: ubi v. *Kritzium* p. 242. *Hand*. Tursell. I. p. 466 sq. et nos in Gr. L. §. 135, 2. *Nullus* saepe καθ' ὑπερβολὴν dicitur de rebus nullius pretii, nullius momenti. Parad. IV. 1, 28: Itaque pulsus ego civitate non sum, quae *nulla* erat; arcessitus in civitatem sum, quum esset in republica consul, qui tum *nullus* fuerat. V. *Stürenburg*. in Comment. II. ad Offic. p. 193.

Videamus, ne] V. ad I. 34, 83.

acervus] Hinc genus illud concludendi, quod sorites appellatur, cuius inventor Chrysippus est (v. *Goerenz*. ad Legg. I. 18, 45.), nomen suum invenit, cuius exemplum paullo post sequitur: Etenim *quicquid — id sit solum bonum*.

beatum] Ern. e cod. Guelf. *efficiendus est beatus*. At quis unquam dixit: beatus efficitur ex bonis? uti recte Wolfius addit. *Beatum* h. l. dicitur substantivi loco, τὸ μακάριον, ut Fin. V. 28, 84: virtutem, in qua sit ipsum etiam beatum: ubi cf. *Goerenz*. p. 637. Abstinuit h. l. verbis *vita beata* ob nimis frequentem eorum recursum; nomina *beatitatis* et *beatitudinis* postea demum effinxit, de quibus de N. D. I. §. 95. ipse sic: „aut ista sive *beatitas* sive *beatitudo* dicenda est (utrumque omnino durum, sed usu mollienda verba sunt)." Cf. Wolfium et Orellium, qui Quinctil. VIII. 3, 32. comparat.

quicquid est, quod bonum sit etc.] Brevius Fin. III. 8, 27: Quod est bonum, omne laudabile est; quod autem laudabile est, omne est honestum. Bonum igitur quod est, honestum est: ubi *Goerenz*. comp. Plutarch. Stoic. Repugn. p. 1039: τὸ ἀγαθὸν αἱρετόν· τὸ δ' αἱρετὸν ἀρεστόν· τὸ δ' ἀρεστὸν ἐπαινετόν· τὸ δ' ἐπαινετὸν καλόν. *Tennemann*. Gesch. d. Phil. T. IV. p. 83 sq. provocat ad Diog. Laert. 7, 101. Coniunctivus *sit* ita explicandus est: quicquid est *ita comparatum, ut bonum sit*. Aliter se habet locus, qui legitur I. 33, 80: quaecunque sunt, quae — *faciunt*: ubi v. Adnotata.

Cap. XVI. §. 46. *quae sunt minima*] Neidius legendum suspicatur *minime*, quia

dignitas ei tribuenda est. Quod si ita est, laudabile sit necesse est; bonum igitur omne laudabile. Ex quo efficitur, ut, quod sit honestum, id sit solum bonum.

XVI. 46. Quod ni ita tenebimus, multa erunt, quae nobis bona dicenda sint; omitto divitias, quas quum quivis quamvis indignus habere possit, in bonis non numero; quod enim est bonum, id non quivis habere potest; omitto nobilitatem famamque popularem stultorum improborumque consensu excitatam: haec, quae sunt minima, tamen bona dicantur necesse est, candiduli dentes, venusti oculi, color suavis et ea, quae Anticlea[1] laudat Ulixi[2] pedes abluens,

Lénitudo orátionis, móllitudo córporis;

ea si bona ducemus[3], quid erit in philosophi gravitate, quam in vulgi opinione stultorumque turba, quod dicatur aut gravius aut grandius? 47. At enim eadem Stoici *praecipua* vel *producta* dicunt, quae bona isti. — Dicunt illi quidem, sed his vitam beatam compleri negant; hi autem sine iis esse nullam putant, aut, si sit beata, beatis-

XVI. 1 Cod. P. *Anticlia;* non male; v. nos in Gr. L. §. 2. Not. 1. Ceterum cf. Adn. 2 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. aliisque; nonnull. edd. vett. *Ulyxi*, pleraeque *Ulyssi.* 3 Sic R. P. Gud. 1. II. Gr. b. Mon. 1. Marb. MS. marg. Asc. 2. tres Oxx. edd. vett. multae et Non. p. 132; Or. c. aliis *dicemus* ob §. 44.; at ibi alia loci est ratio.

Cicero omnia haec e bonorum numero plane removenda esse censeat. Fateor, assequi me non posse, quid sibi velit hac coniectura vir bonus. *Minima* non bona, sed res minimi pretii intelligendae sunt. De seq. gen. *Ulixi* v. ad III. 10, 21.

Anticlea] In hoc nomine omnes codd. conspirant. Atqui Anticlea fuit mater Ulixis. Hinc nata est correctio *Euryclea*, quae fuit nutrix Ulixis: quam correctionem ex multis edd. vett. W. et Or. receperunt: quae ratio nullo modo probanda est; nam facile Cicero in nominibus simillimis memoria labi poterat.

Lenitudo] Est tetrameter trochaic. catal., sumptus e Pacuvii Niptris, quem attulit Nonius in *lenitudo*. Cf. Odyss. τ, 392 sqq.

quid erit] Si omnia ea, quae diximus, a sapiente in bonis ducentur, nihil erit, quo sapiens insipienti atque stulto praestet.

§. 47. *At enim*] *At*, inquiet aliquis, non recte dicis, his externis vitam beatam non compleri; Stoici *enim* eadem, quae bona Peripatetici dicunt, praecipua dicunt. Cf. de hoc elliptico usu particularum *at enim Beier.* ad Offic. I. 40, 144. p. 289. Comparari possunt cum Graecis part. ἀλλὰ γάρ. Xen. Cyr. V. 5, 13: ἀλλὰ γάρ, ἔφη, μὴ οὕτως εἰκῇ ἡμᾶς αὐτοὺς αἰτιώμεθα. V. nos in Gr. Gr. T. II. §. 754, 5.

praecipua vel producta] Cf. Fin. III. 16, 52 sq. Stoici enim, uti iam supra demonstravimus, inter bona et mala posuerunt ἀδιάφορα, quae nihil ad virtutem et ad vitia intersunt atque ideo media dicuntur: neque ad beate neque ad misere vivendum quicquam valent. Sunt tamen commoda atque incommoda vitae, quae sapienti appetere quidem licet, ita tamen, ut virtus integra maneat. Haec ἀδιάφορα dividuntur in προηγμένα (praecipua, praeposita, producta), i. e. ea, quae secundum naturam sunt, quae sumenda et quadam aestimatione dignanda sunt, et in ἀποπροηγμένα (remota, reiecta, reiectanea), quae naturae sunt contraria atque nulla aestimatione dignanda. V. nos in libr. dicto p. 233 sq. Cf. *Tiedemanni* System der Stoischen Phil. T. III. p. 95 sqq., *Beierum* in exc. VI. ad Offic. II. 3, 9. Vol. I. p. 319 sqq., *Seyffert.* ad Lael. 6, 20. p. 121 sq.

vitam beatam compleri] Bona externa necessaria esse ad vitam beatam conficiendam negabant.

simam certe negant. Nos autem volumus beatissimam, idque nobis Socratica illa conclusione confirmatur. Sic enim princeps ille philosophiae disserebat, qualis cuiusque animi affectus esset, talem esse hominem; qualis autem homo ipse[4] esset, talem eius esse orationem; orationi autem facta similia, factis vitam. Affectus autem animi in bono viro laudabilis, et vita igitur laudabilis boni viri, et honesta ergo, quoniam laudabilis. Ex quibus, bonorum beatam vitam esse, concluditur. — 48. Etenim, pro deorum atque hominum fidem! parumne cognitum est superioribus nostris disputationibus, an delectationis et otii consumendi caussa locuti sumus, sapientem ab omni concitatione animi, quam perturbationem voco, semper vacare? semper in animo eius esse placidissimam pacem? Vir igitur temperatus, constans, sine metu, sine aegritudine, sine alacritate ulla[5], sine libidine nonne beatus? At semper sapiens talis. Semper igitur beatus. Iam vero quî potest vir bonus non ad id, quod laudabile sit, omnia referre, quae agit quaeque sentit? Refert autem omnia ad beate vivendum; beata igitur vita laudabilis; nec quicquam sine virtute laudabile; beata igitur vita virtute conficitur.

4 Sic Gud. 1. aliique multi; Or. c. vulg. (etiam R. ap. Wes. Em. III.) *ipse homo;* ex altero verborum ordine *homo* et *orationem* gravius inter se opponuntur. 5 v. Adn.

qualis cuiusque] Respicere Davisio videtur Platon. de Rep. III. p. 400. D. ubi Socrates: Τί δ' ὁ τρόπος τῆς λέξεως καὶ ὁ λόγος; οὐ τῷ τῆς ψυχῆς ἤθει ἕπεται; — τῇ δὲ λέξει τἆλλα; *Menkius* in Observv. ined. comp. Dionys. Hal. Antiqq. I. c. 1. p. 3: ἐπιεικῶς γὰρ ἅπαντες νομίζουσιν εἰκόνας εἶναι τῆς ἑκάστου ψυχῆς τοὺς λόγους. Lennep. ad Phalarid. epist. 92. p. 260.

et vita igitur — et honesta ergo] *Et igitur — et ergo* sibi respondent. Affert hunc locum *Handius* in Tursell. II. p. 506, 3.

§. 48. *Etenim*] *Et* recte sic concluditur; satis *enim* cognitum est superioribus disputationibus, sapientem ab omni perturbatione animi semper vacare. V. ad IV. 17, 40. De re ipsa cf. cap. 15.

pro deorum atque hominum fidem] V. *Gernhard.* ad Lael. 15, 52: Nam quis est, *pro deum fidem atque hominum!* qui velit, ut neque diligat quemquam, nec ipse ab ullo diligatur. *Menkius* in Observv. ined. comp. Divin. in Caecil. 3, 7. et *Cortium* ad Sall. Cat. 20, 10.

sine alacritate ulla] *Alacritas* h. l. non vulgari sententia, sed de Stoicorum mente intelligenda est, ut sit *laetitia gestiens*, uti supra IV. c. 4. 6. 7: *profusa hilaritas.* c. 16: *inanis alacritas.* c. 33: *exsultans gestiensque laetitia.* IV. 14: *insolens alacritas.* c. 17: *alacritas futilis.* Hinc Bentleius, simul offensus, quod *alacritas* epitheto *ulla* donata sit, quum cetera illa *metus, aegritudo, libido* eo careant, legendum coniicit: *sine alacritate futili, sine libidine.* Propius a codd. scriptura discedunt hae coniecturae: *illa* (Nissen.), *stulta* (Bouh.), *vana* (Dav.). At, renitentibus omnibus libris et editis et scriptis, et Nonio p. 457, 6., vulgata non sollicitanda, praesertim quum illud *ulla*, ubi contrarium genus perturbationum sequitur, additum sit, et hac adiectione membrorum oppositio magis efferatur.

Cap. XVII. §. 49. *Nec in misera vita*] Nec in misera vita nec in ea, quae nec misera sit nec beata, quicquam est praedicabile; et (= *atqui*, v. ad III. 7, 14.) id negari nequit, esse in nonnullorum hominum praedicabile aliquid; id (praedicabile) igitur nihil aliud potest esse, nisi vita beata. Vita autem beata, quae praedicetur, eadem est honesta; quod nisi est, aliud melius esse vitâ beatâ necesse est; hoc autem melius

XVII. 49. Atque hoc sic etiam concluditur. Nec in misera vita quicquam est praedicabile aut gloriandum, nec in ea, quae nec misera sit, nec beata. Et est in aliqua vita praedicabile aliquid et gloriandum ac prae se ferendum, ut Epaminondas:

Cónsiliis nostris laus ést attónsa Lacónum,

ut Africanus:

A sole exoriente supra Maeotis paludes
Nemo est, qui factis aequiperare[1] *queat.*

50. Quod si est[2], beata vita glorianda et praedicanda et prae se ferenda est. Nihil est enim aliud, quod praedicandum et prae se ferendum sit. Quibus positis, intelligis, quid sequatur. Et quidem nisi ea vita beata est, quae est eadem honesta; sit aliud necesse est melius vita beata. Quod erit enim honestum, certe fatebuntur esse melius. Ita erit beata vita melius aliquid: quo quid potest dici perversius? Quid? quum fatentur satis magnam vim esse in vitiis ad miseram vitam, nonne fatendum est, eandem vim virtutum[3] esse ad beatam vitam? contrariorum enim contraria sunt consequentia.

XVII. 1 v. Adn. 2 Mos. sic distinxit: *Quodsi est beata vita* etc.; ceterum vulgo et in omnib. codd. om. *est;* habent *est* quatt. Oxx. et Vind. 2. 3 Sic scripsi c. Tr. e quatt. Oxx. Mon. 2. ed. P.; eodem ducit scr. *vim virtutem esse,* quae est in R. P. Gud. 1. tribus Pall. uno Ox. Aug. Marb.: Or. c. vulg. *vim in virtute esse;* Mos. e coni. D. *vim in virtute inesse.* Ex anteced. *in vitiis* facile ante gen. *virtutum* praep. *in* intrudi, et tum *virtutum* in *virtute* mutari potuit.

certe erit honestum; ita erit melius aliquid, quam vita beata; at, uti supra demonstratum est, praeter beatam vitam nihil aliud est, quod praedicandum sit. Ergo honestum (virtus) idem est vita beata, et vita beata eadem est honestum.

gloriandum] transitive dictum, ut paullo post §. 50: beata vita *glorianda* et praedicanda. Hic usus inde explicandus, quod nonnunquam *glorior* etiam cum accusativo construitur. Cf. nos in Gr. L. §. 131. Not. 9.

ut Epaminondas] sc. de se praedicat: quod ex praecedenti *praedicabile* eliciendum est. Similiter de Divin. I. 33, 72: alia autem subito ex tempore coniectura explicantur, *ut* apud Homerum *Calchas* (sc. explicat), qui ex passerum numero belli Troiani annos auguratus est. — *Africanus* intelligendus est Scipio Afr. *Maior*, v. indic. hist.

Consiliis] Graece ap. Plutarch. T. II. p. 1098. sic legitur versus: ἡμετέραις βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐκείρατο δόξαν. Integrum epigramma servatur ap. Pausan. IX. 15, 4., uti docet *Davisius.* — *Attonsa,* imminuta, ἀποκεκαρμένη. Dionys. A. R. 9, 23: σφόδρα γὰρ ἐπήνθησεν ἡ Ῥωμαίων πόλις, ἀνδρῶν τοιούτων καὶ τοσούτων ἀρετὰς ἀποκειραμένη. Cf. *Pflugk.* ad Eur. H. F. 875. p. 94 sq.

A sole] Ennii distichon.

aequiperare] Or. c. vulg. *me aequiperare;* sed quum R. P. Gud. 1. II. Vat. aliique codd. *me* omittant, delevi, praeeunte *Klotzio* in Add. p. 191., qui comp. Pacuv. ap. Nonium p. 307, 11: „si ita sunt promerita vestra, aequiperare ut queam," ubi pariter verbum *aequiperandi* nullum casum adiunctum habet.

§. 50. *Quod si est*] Haec verba non significant: *quod si ita est:* de qua formula supra ad V. 6, 17. exposuimus, sed *quod* referendum est ad *praedicabile aliquid*, quod §. 49. in aliqua vita esse dicitur, ut sit: aliquid praedicabile si est in vita aliqua, (quibus verbis post interiecta: *ut Epaminondas — queat* repetitur propositio antecedens) beata vita glorianda — est. Cf. *Wesenberg.* Adn. p. 13.

contrariorum] Sicuti enim in vitiis

51. Quo loco quaero, quam vim habeat libra illa Critolai, qui quum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis et externa, tantum propendere illam lancem[4] putet, ut terram et maria deprimat.

XVIII. Quid ergo aut hunc prohibet, aut etiam Xenocratem illum, gravissimum philosophorum, exaggerantem tanto opere virtutem, extenuantem cetera et abiicientem, in virtute non beatam modo vitam, sed etiam beatissimam ponere? quod quidem nisi fit[1], virtutum interitus consequetur. 52. Nam in quem cadit aegritudo, in eundem metum cadere necesse est; est enim metus futurae aegritudinis sollicita exspectatio; in quem autem metus, in eundem formido, timiditas, pavor, ignavia: ergo ut idem vincatur interdum[2] nec putet ad se praeceptum illud Atrei pertinere:

4 v. Adn. XVIII. 1 Sic Or. c. plerisque codd., etiam R. P. Gud. 1. II. Gr. pro vulg. *sit*. 2 Post *interdum* cod. Aug. et omnes fere edd. vett. ante Gebh. addunt glossam *necesse est*. V. Adn.

misera vita esse statuitur, ita virtus dici potest efficere vitam beatam. *Neidius*.

§. 51. *quam vim habeat*] H. e. quid significet. Supra I. 22, 52: et nimirum hanc habet *vim* praeceptum Apollinis.

libra illa Critolai] Hanc sine dubio respexit etiam Fin. V. 30, 92: audebo igitur, quae secundum naturam sint, bona appellare —, virtutis autem amplitudinem quasi in altera librae lance ponere. Terram, mihi crede, ea lanx et maria deprimet. Cf. de hac libra *Beierum* ad Offic. III. 8, 35. p. 241.

qui quum in alteram] Exspectamus: in cuius alteram lancem quum — imponantur. At v. Adnot. in III. 24, 57.

externa] Rhet. ad Herenn. 3, 6: Rerum externarum sunt ea, quae casu aut fortuna secunda aut adversa accidere possunt, ut genus, educatio, divitiae, potestates, gloriae, civitas, amicitiae et quae huiusmodi sunt, et ea quae sunt iis contraria. Corporis sunt ea, quae natura corpori attribuit commoda, ut velocitas, vires, dignitas, valetudo et quae contraria sunt. Animi sunt ea, quae consilio et cogitatione nostra constant, ut prudentia, iustitia, fortitudo, modestia et quae contraria sunt.

illam lancem] Ernestius edidit *illam bonorum animi lanc.*, neque aliter legitur in cod. Lall. Eandem scripturam etiam Klotzius et Moser receperunt; at recte Wolfius verba *bonorum animi* uncis inclusit, rectius Orellius cum cod. Bernensi plane exterminavit; nata enim sunt sine dubio ex interpretatione pronominis *illam*. In codd. plerisque, etiam R. P. Gud. 1., et edd. vett. usque ad Gebh. omnibus legitur *illam boni lancem*: quod tueri se non potest, primum quod *bonum* tanquam nomen quod dicitur abstractum pro *honesto* Latini scriptores non dixerunt; tum si concesseris, dici sic posse, certe hoc loco, ubi animi et corporis et externa *bona* commemorantur, ineptissimum erit. Bentleius tentabat: *illam* animi *lancem*: quod dicendi genus Latinae linguae ingenio videtur adversari.

deprimat] In bilance, inquit *Davisius*, leviora non deprimuntur, sed attolluntur. Est igitur ἄκυρον. Errasse virum doctum, intellexerunt *Kernius* et *Klotzius*. Sententia enim haec est: Quum in alteram lancem animi bona imponuntur, in alteram corporis et externa; illa lanx, in qua animi bona sunt, tanto pondere propendet, i. e. deorsum defertur, ut ne terra quidem et maria ei resistere possint, sed deprimantur.

Cap. XVIII. *Xenocratem*] v. Ind. hist.

exaggerantem — virtutem] Sic infra c. 30, 85: ut gravitatem dignitatemque virtutis *exaggerent*: ubi v. *Orellium*. Supra II. 26, 64: tibi propone amplitudinem et quasi quandam *exaggerationem* quam altissimam animi. III. 19, 45: *exaggeratis* regis opibus. Metaphora ducta est ab aggere e cespite vivo excitato. Significat idem, quod *extollere*. Tirones sibi caveant, ne hoc vocab. confundant cum Francogallico *exagérer* (übertreiben)

Proinde ita parent se in vita, ut vinci nésciant.

Hic autem vincetur, ut dixi, nec modo vincetur, sed etiam serviet. Nos autem[3] virtutem semper liberam volumus, semper invictam. Quae nisi sunt[3], sublata virtus est. 53. Atque[3] si in virtute satis est praesidii ad bene vivendum, satis est etiam ad beate. Satis est enim certe in virtute, ut fortiter vivamus. Si fortiter, etiam ut magno animo, et quidem ut nulla re unquam terreamur semperque simus invicti. Sequitur, ut nihil poeniteat, nihil desit, nihil obstet; ergo omnia profluenter, absolute, prospere, igitur beate. Satis autem virtus ad fortiter vivendum[4] potest; satis ergo etiam ad beate. 54. Etenim ut stultitia, etsi adepta est, quod concupivit, nunquam se tamen satis consecutam putat; sic sapientia semper eo contenta est, quod adest, neque eam unquam sui poenitet.

3 v. Adn. 4 Sic R. P. Gud. 1. aliique multi et edd. vett. Vict. Rob. Steph. Leod. D.; Or. c. vulg. *ad f. v. virtus.*

§. 52. *in eundem formido — ergo ut idem vincatur*] Ex antecedentibus supplendum: in eum cadit.

Proinde] Senarius iambicus ex Accii tragoedia aliqua, ut videtur, Atreo, petitus. *Proinde* bisyllabum est; de *proinde* c. coniunctivo adhortativo consociato v. nos in Gr. L. §. 138, a 4.

Nos autem virtutem] Sic scripsi pro vulg. *At nos virt.* c. Vict. Rob. Steph. D. 2. auctore Mosero, qui acute monet scripturam *At nos autem virt.*, quae est in multis optimisque codd. (R. P. Gud. 1. II. Marb. aliisque), ortam esse ex ultima syllaba antecedentis verbi *serviet.* Etiam *Tregd.* hanc scr. recepit. *Or.* retinuit vulgatam, quam multi quidem, sed deteriores codd. exhibent; *Kl.* revocavit quidem *At nos autem v.*, sed nunc in Add. p. 192. probat scripturam a nobis receptam. *Wesenb.* Em. III. p. 21. magis probat vulgatam *at nos v.*, quam alteram *serviet. Nos autem*, non minus facile *autem* ex superiore versu repetitum esse posse ratus, quam ex — *et* geminando factum, et particulam fortius adversantis *at* aptiorem videri.

Quae nisi sunt] Sic omnes codd., nisi quod in Mon. 1. Rehd. duob. Oxx. *sint*, in uno *sibi* pro *sunt* legitur, sed multae edd. vett. A. B. S. E. C. V. Ven. (Mos.) Asc. 2. Junt. aliae exhibent *quae nisi ita est* et Asc. 1. *quae nisi ita sit:* unde *Wesenberg.* Adn. p. 14. legendum coniicit: *quae nisi est* (= qualis nisi est virtus). Sed si quid coniiciendum est, ego scribam: *quod nisi ita est;* nam *quod* facile ob antec. *virtutem* in *quae* mutari potuit; tamen magis mihi placet vulgatae scripturae explicatio, ab eodem V. D. proposita: *quae* = virtus libera et virtus invicta, aut: virtutis libertas et vis invicta (quae substantiva ex adiectivis *libera* et *invicta* elicienda sunt) *nisi sunt* (inveniuntur). Quominus autem in verbis *quae nisi sunt* vim formulae: *quod nisi ita est* (sc. ut virtus libera et invicta sit) inesse statuamus, quum pluralis numerus, pro quo *quod nisi est* exspectamus, tum vero vel maxime Ciceroniana obstat consuetudo, qua in hac formula vocabulum *ita* additur: *quae* (*quod*) *nisi ita sunt* (*est*), uti ad c. 6, 17. vidimus.

§. 53. *Atque si in v.*] Sic Or. c. vulg., sed omnes fere codd., etiam R. P. Gud. 1., habent *atqui*, quod ab h. l. alienum est. Nam posteaquam Cicero paullo ante (§. 51 sq.) demonstravit, nisi in virtute vita beatissima poneretur, omnem virtutem tolli; iam *novum* addit argumentum his verbis: *atque si in virtute satis est praesidii ad bene vivendum.* Cf. *Wesenberg.* Em. I. p. 14. De confusis inter se *atque* et *atqui* v. ad III. 7, 14.

semperque simus invicti] De *que* post negationem posito v. ad I. 2, 4.

nihil poeniteat] V. ad c. 18, 81.

absolute] dicitur ut perfecte. Hinc haec vocabula etiam iuncta leguntur, ut Acad. 2, 28: perfecte et absolute ita pares. Cf. de Fin. III. 7, 26: sequitur, omnes sapientes semper feliciter, *absolute*, fortunate vivere: ubi v. *Ottonem* p. 215. Ad adverbia ex antecedenti *desit* supplendum est *adsint.*

XIX. Similemne[1] putas C. Laelii unum consulatum fuisse, et eum quidem cum repulsa[2] — si, quum sapiens et bonus vir, qualis ille fuit, suffragiis praeteritur, non populus a bono consule potius, quam ille a populo[3], repulsam fert — sed tamen, utrum malles, te, si potestas esset, semel, ut Laelium, consulem, an, ut Cinnam, quater? 55. Non dubito, tu quid responsurus sis; itaque video, cui committam. Non quemvis hoc idem interrogarem; responderet enim alius fortasse, se non modo quattuor consulatus uni anteponere, sed unum diem Cinnae multorum et clarorum virorum totis aetatibus. Laelius, si digito quem attigisset, poenas dedisset. At Cinna, collegae sui[4], consulis Gn.[5] Octavii, praecidi caput iussit, P. Crassi, L. Caesaris, nobilissimorum hominum, quorum virtus fuerat domi militiaeque cognita, M. Antonii, omnium eloquentissimi, quos ego

XIX. 1 R. P. Gud. 1. II. aliique codd. et quatt. edd. vett. *similene:* quod facile ex comp. *similēne* oriri potuit. 2 Post *repulsa* cod. Vind. 1. b. (a sec. m.) et edd. S. E. HW. addunt *L. Cinnae quattuor sine repulsa;* Ern. e cod. Norvic. *cum L. Cinnae quattuor;* at v. Adn. 3 Plurimi codd. et optimi, ut Vat. R. P. Gud. II. et edd. vett. P. V. Gebh. Verb. Alt. *a bono populo;* Or. c. trib. Oxx. et plerisque edd. vett. *a vano p.;* Pal. 5. et Gud. 2. *ab uno p.;* Gud. 1. et cod. Relandi *a malo p.* V. Adn. 4 v. Adn. 5 Sic cum Mos. scripsi ex Gud. 1. Marb. (*Gnei*) Gud. II. (*G. N.*) Duisb. (*Gnei*); Or. c. vulg. *Cn.*

Cap. XIX. §. 54. *Similemne*] Oratio ἀνακόλουθος. V. Adnotata in II. 1, 3. Oratio igitur sic composita esse debebat: Similemne putas C. Laelii unum consulatum fuisse quattuor Cinnae consulatibus, et utrum malles etc. Quae autem a c. 19—24. hominum et vitiosorum et virtute ornatorum afferuntur exempla, eam habent vim, ut demonstrent, vitio miseram vitam, virtute beatam effici.

unum consulatum] C. Laelius cognomine Sapiens, amicus ille Scipionis Africani, anno 611. (143 a. Chr.) consulatum petens repulsam tulit, eiusque loco Q. Pompeius consul factus est. Anno sequenti 612. consulatum cum Q. Servilio Caepione obtinuit et, quum superiore anno repulsam tulisset, Cicero eum *cum repulsa* consulem fuisse dicit. *Neidius.*

quam ille a populo] Sic cum Treggdero e Madvigii coniectura scripsi; plerique et optimi codd. (v. V. Scr.) exhibent *a bono pop.* Vocabulum *bono* facile ex διττογραφίᾳ oriri potuit; nam proxime praecedunt verba: *a bono consule;* quoniam autem verba *a bono p.* absurda sunt, *bono* ab aliis in *vano*, uti vulgo legitur, ab aliis in *malo* mutatum est.

malles te consulem] V. ad c. 23, 66.

§. 55. *tu quid*] Apte pronomen *tu* relativo praeponitur, quippe quum *tu* oppositum sit aliis. V. ad III. 15, 32.

video, cui committam] „De usu Ciceroniano, quo *committendi* verbum sine accusativo ponitur, monuit *Madvig.* Epist. Crit. ad Orell. p. 26 sq. et p. 184., ubi nec nostri loci immemor fuit aliosque complures laudavit.“ *Moser.* „Daher weiss ich auch, wem ich mich anvertraue.“ *Kern.*

si digito] H. e. si vel leviter attigisset. V. *Ruhnken.* Dictata in Ter. Eun. IV. 6, 2.

collegae sui, consulis] Vell. Pat. II. 22, 2: in iis (sc. excelsissimis viris) consul Octavius, vir lenissimi animi, iussu Cinnae interfectus est. Immerito P. Manutius et Lambinus verbum *consulis* delendum censuerunt. Nam, uti recte monuit *Klotzius*, cum vi additum est. Significare voluit Cicero, Cinnam interfici iussisse collegam suum consulem, ergo virum in altissimo dignitatis gradu collocatum. De praemissa appositione v. ad c. 32, 90.

M. Antonii] Plutarchus T. I. p. 431. Appian. B. C. I. p. 662. et Valer. Maxim. IX. 4, 2. auctores sunt, Antonium iussu Marii confossum esse, Velleius autem Paterc. 2, 22. Cinnam Mariumque huius facinoris auctores facit, uti docet *Davisius.* D. *C. Caesare* v. Indic. hist.

audierim, C. Caesaris, in quo mihi videtur specimen fuisse[6] humanitatis, salis, suavitatis, leporis. Beatusne igitur, qui hos[7] interfecit? Mihi contra non solum eo videtur miser, quod ea fecit, sed etiam quod ita se gessit, ut ea facere ei liceret. Etsi peccare nemini licet; sed sermonis errore labimur; id enim licere dicimus, quod cuique conceditur. 56. Utrum tandem beatior C. Marius tum, quum Cimbricae victoriae gloriam cum collega Catulo communicavit, paene altero Laelio, (nam hunc illi[8] duco simillimum,) an quum civili bello victor iratus necessariis Catuli deprecantibus non semel respondit, sed saepe: *Moriatur?* In quo beatior ille, qui huic nefariae voci paruit, quam is, qui tam scelerate imperavit. Nam quum accipere, quam facere praestat iniuriam, tum morti iam ipsi adventanti paullum procedere obviam, quod fecit Catulus, quam, quod Marius, talis viri

6 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. 2. Aug. Mon. 2. Marb. Rehd. et ed. D. pro vulg. *fuisse spec.* 7 Sic Or. c. b. Aug. Vind. 1. 2. Gud. Duisb. (hic *qui eos*) Mon. 1. 2. octo, ut vdtr., Oxx. et omnibus edd. vett. ante D.: eodem ducit scr. *quos* (pro *qui hos*) in R. P. Gud. 1.: nonnulli codd. *quia hos:* id recepit Kl., nunc autem in Add. p. 193. praefert *qui hos.* 8 Sic Gud. 2. Duisb. tres Oxx. et mult. edd. vett.; eodem ducit scr. *huic illi* in R. P. Gud. 1. II. Marb.: alii *huic illum.* Ob regulam Madvigianam, de qua v. nos ad I. 15, 34., *Wesenb.* Em. I. p. 27. coni. *illius* pro *illi*, observans, ut in aliis vel antiquissimis codd., sic, ut testatur Krarupius, in R. *us* finale interdum nota quadam scribi. V. nos in V. Scr. ad II. 24, 58: omittamus. IV, 12, 27: veniamus. At quum non rari reperiantur loci, qui illi regulae repugnent, nihil mutandum.

specimen] exemplar (Ideal). *Moser* comp. C. in Pison. 39, 95: obtigit P. Rutilio, quod *specimen* habuit haec civitas innocentiae. Adde N. D. III. 32, 80: cur temperantiae prudentiaeque *specimen* ante simulacrum Vestae pontifex m. est Q. Scaevola trucidatus? Cf. supra I. 14, 32: *specimen* naturae.

salis] Non solum plurali, sed etiam singulari numero hoc nomen hac vi (*Witz*) a Ciceroni dici, et hic et sexcenti alii loci probant. V. *Ellendt.* ad Brut. XXXIV, 128. p. 95. et ad de Or. II. 24, 98. Vol. II. p. 220 sq.

Etsi — sed] V. ad I. 37, 90.

§. 56. *paene altero Laelio*] viro Laelii simillimo.

deprecantibus] H. e. necessariis Catuli caedem *precibus depellere* conantibus. *Deprecari* enim proprie est precibus depellere, amoliri, avertere; deinde significat omnino *amovere, abigere, amoliri.* de Orat. II. 49, 201: omnia me semper pro amicorum periculis, nihil unquam pro me ipso *deprecatum.* Uberius de huius verbi ratione exposuit A. Gellius N. A. VI, 16. Adde *Ruhnken.* ad Rutil. Lup. p. 29. Multa confudit et turbavit *Burmannus* ad Quinctil. Inst. orat. III. 6. p. 240. Cf. *Müller.* ad Cic. de Orat. I. 20, 90. p. 62. et *Bremium* ad Corn. Nep. Attic. XII, 2. p. 382.

non semel, sed saepe] Apte comp. *Klotzius* ad Att. I. 19, 17: ut in senatu *non semel, sed saepe* — adiudicarit.

accipere, quam facere praestat iniuriam] De hac sententia comp. *Davisius* Plat. Gorg. p. 290: Εἰ ἀναγκαῖον εἴη ἀδικεῖν ἢ ἀδικεῖσθαι, ἕλοίμην ἂν μᾶλλον ἀδικεῖσθαι ἢ ἀδικεῖν. Senec. de Const. Sap. c. 16. Gell. N. A. XII, 9, ubi Q. Metellus Numidicus: Probi, inquit, iniuriam facilius accipiunt, quam alteri tradunt. *Moser* addit Aristot. Eth. Nicom. V, 5 extr. Plutarch. Moral. p. 36. B. c. adn. Wyttenb. p. 291. (p. 220. ed. Lips. T. I.)

quod fecit Catulus] Plutarch. Mar. c. 44. p. 431. Frcf.: Κάτλος δὲ Λουτάτιος, Μαρίῳ συνάρξας καὶ συνθριαμβεύσας ἀπὸ Κίμβρων, ἐπεὶ πρὸς τοὺς δεομένους ὑπὲρ αὐτοῦ καὶ παραιτουμένους ὁ Μάριος τοσοῦτον μόνον εἶπεν· Ἀποθανεῖν δεῖ, κατακλεισάμενος εἰς οἴκημα καὶ πολλοὺς ἄνθρακας ἐκζωπυρίσας ἀπεπνίγη. Cf. Appian. I, 665. Vellei. Pat. II, 22. Valer. Max. IX. 12, 4. Flor. III, 21. At Augustin. C. D. III, 27. narrat, Catulum sumpto veneno mortem sibi conscivisse. V. *Davisium* ad Cicer. de N. D. III. 32.

interitu sex suos obruere consulatus et contaminare extremum tempus aetatis.

XX. 57. Duodequadraginta annos tyrannus Syracusanorum fuit Dionysius, quum quinque et viginti natus annos dominatum occupavisset. Qua pulchritudine urbem, quibus autem opibus praeditam servitute oppressam tenuit civitatem! Atqui[1] de hoc homine a bonis auctoribus sic scriptum accepimus, summam fuisse eius in victu temperantiam in rebusque gerundis[2] virum acrem et industrium, eundem tamen maleficum natura et iniustum. Ex quo omnibus bene veritatem intuentibus videri necesse est miserrimum. Ea enim ipsa, quae concupierat, ne tum quidem, quum omnia se posse censebat, consequebatur. 58. Qui quum esset bonis parentibus atque honesto loco natus, (etsi id quidem alius alio modo tradidit,) abundaretque et[3] aequalium familiaritatibus et consuetudine propinquorum, haberet

XX. 1 Duo Oxx. et edd. S. *atque:* quod praefert *Hand.* Turs. I. p. 515., nescio qua de caussa. Illud recte defendit *Bakius* ad Legg. I. 5, 15. 2 Sic R. P. Gud. 1. II. Marb. Rehd. et Non. p. 241.; Or. c. vulg. *gerendis.* 3 Sic Or. c. plerisque codd., etiam P. et b.; eodem ducit scr. *ei* (pro *et*) in Vat. R. Gud. 1. II. Pal. 4.; alii om. *et.*

sex suos — consulatus] qui fuerunt inter 647 — 654 a. u. c. (107 — 100 a. Chr.)

Cap. XX. §. 57. *Duodequadraginta annos*] de N. D. III, 33: Duodequadraginta Dionysius tyrannus annos fuit opulentissimae et beatissimae civitatis. — Intelligendus est Dionysius maior.

quibus autem opibus] De particula *autem* v. ad IV. 2, 5.

sic scriptum accepimus] C. Nep. de Regib. c. II: Et manu fortis (Dionysius) et belli peritus fuit et, id quod in tyranno non facile reperitur, minime libidinosus, non luxuriosus, non avarus, nullius rei denique cupidus, nisi singularis perpetuique imperii ob eamque rem crudelis. Nam dum id studuit munire, nullius pepercit vitae, quem eius insidiatorem putaret. Omissum pron. *eum* in verbis: *in rebusque — industrium,* quum modo antecesserit *eius* proximeque subsequatur *eundem*, neminem male habebit; immo addito pronomine oratio durior facta fuisset. Similiter ad Fam. X. ep. 20: *de te* fama constans, nec decipi posse nec vinci. Quae alia exempla *Wopkens.* Lectt. Tull. I, 9. p. 75. contulit, aliena sunt. Rarior est autem haec structura, qua accusativo c. inf. praemittitur praepositio *de* cum ablativo. Supra IV. 22, 50: *de Africano* — vel iurare possum, non *illum* iracundia tum *inflammatum fuisse.* V. nos in Gr. L. §. 129, 8.

veritatem intuentibus] *Veritas* plane respondet Graeco ἀλήθεια significatque saepe rem ipsam, veram rei rationem. Cf. III. 33, 79. Eleganter enucleateque de hac v. exposuit *Ernestius* Clav. h. v. Adde *Ellendt.* ad Brut. 83, 226. *Schütz.* Lex. Cic. h. v. *Heindorf.* ad Horat. Sat. I. 3, 97. De Graeco v. cf. *Stallbaumium* ad Plat. Phileb. p. 48. E. (p. 282 sq. ed. Goth.)

§. 58. *Qui quum esset*] *Quum* vi concessiva dictum. V. Adnot. in I. 49, 117.

alius alio modo] Alii enim infimo loco eum natum esse auctores sunt. *Davisius* affert Helladium ap. Photium (p. 866. ed. Hoeschel.), qui tradit: ὅτι ὀνηλάτου μὲν υἱὸς Διονύσιος ἦν. Diod. Sic. 13. p. 26: Διονύσιος μὲν οὖν ἐκ γραμματέως καὶ τοῦ τυχόντος ἰδιώτου.

credebat — nemini] Alii legunt *credebat se,* ut est in Guelf. Aug. cod. Bentl. At „*credere* simpliciter dicitur pro *confidere*, *fidem habere:* de quo usu disputavit *Burmannus* ad Valer. Flacc. I, 532. et ad Lucan. I, 227. *Tempori credere* illustraverunt *Graev.* ad C. Catil. I, 9. *Burm.* ad Quinctil. Decl. 6, 16.“ *Handius* ad Wopkens. Lectt. Tull. p. 149., qui comp. Sall. Iug. 72: neque loco neque mortali cuiquam aut tempori satis *credere.*

ex familiis locupletium] ex famulis divitiorum aut beatiorum civium. Cf. *Bre-*

etiam more Graeciae quosdam adolescentes amore coniunctos: credebat[4] eorum nemini, sed iis[5], quos ex familiis locupletium[6] servos delegerat, quibus nomen servitutis ipse detraxerat, et quibusdam convenis et feris[7] barbaris corporis custodiam committebat. Ita propter iniustam dominatus cupiditatem in carcerem[8] quodam modo ipse se incluserat. Quin etiam, ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit. Ita sordido atque ancillari[9] artificio regiae virgines, ut tonstriculae, tondebant barbam et capillum patris. Et tamen ab his ipsis, quum iam essent adultae, ferrum removit instituitque, ut candentibus iuglandium[1] putaminibus barbam sibi et capillum adurerent. 59. Quumque duas uxores haberet, Aristomachen, civem suam, Doridem autem Locrensem, sic noctu ad eas ventitabat, ut omnia specularetur et perscrutaretur ante. Et quum fossam latam cubiculari lecto[2] circumdedisset eiusque fossae transitum ponticulo

4 v. Adn. 5 Plerique codd., etiam R. P. Gud. 1. II. *his;* at v. ad I. 3, 5. 6 v. Adn. 7 L. e coni. *fere b.;* inepte, v. c. 22, 63 extr. 8 Unus Pal. Gud. 2. Duisb. *in carcere.* 9 Sic scripsi e. cod. Marb. et multis edd. vett.: eodem ducit scriptura in R. P. Gud. 1. *sordidoque ancillari,* et in Gud. II. *sordido quae ancillari;* Or. c. vulg. *sordido ancillarique art.* 1 Unus Ox. et Non. p. 122. *iuglandum.* Male. 2 R. Gud. 1. II. unus Ox. *fossa lata cubicularis lecto,* et sic P. duo Oxx. unus Leid. Rehd. Vind. 2., sed *lectum;* alii aliter locum corruperunt; quae corruptelae omnes partim ex exquisitiore structura verbi *circumdandi*, partim ex comp. *fossā latā* ortae videntur. Erasmus et ed. vet. Bonh. *fossa lata cubiculares lectos.* Cf. Adn.

mium ad Nep. Attic. 13, 3. p. 343. Pro vulg. *locupletum*, quod etiam Or. retinuit, cum recentt. edd. scripsi *locupletium*, quod exhibent R. P. Duisb. et edd. vett. L. Fr. Fabr. D. Haec forma legitur etiam in his a *Mosero* allatis locis Ciceronis in ed. Or. ad Att. 7, 7. p. Sext. 17, 39. Parad. VI. 2, 46. Off. II. 8, 27. (ubi v. *Beier.* p. 55.) Verr. III. 51, 120. (ubi v. *Zumpt.*) Addit Klotzius ad Att. I. 19, 4: ubi etiam cod. Med. *locupletium* exhibet.

instituatque, ut — barbam sibi — adurerent] De pronomine reflexivo *sibi* ad subiectum primariae enuntiationis referendo v. nos in Gr. L. §. 122, 5. a.).

candentibus] Offic. II. 7, 25: Quid enim censemus superiorem illum Dionysium — quo cruciatu timoris angi solitum, qui cultros metuens tonsorios candente carbone [sibi] adurebat capillum: ubi cf. *Beierum* p. 50.

§. 59. *duas uxores*] Corn. Nep. de Reg. II, 3: tres uxores Dionysio tribuuntur, sed duas habebat eodem tempore. V. Valer. Maxim. IX. 13, 4. Aelian. V. H. IX, 8. et XIII, 10. — *civem suam*, Dionis sororem.

fossam latam cubiculari lecto] Valer. Max. IX. 13, 4: Dionysius *cubicularem lectum*, perinde quasi castra, lata fossa cinxit, in quem se ligneo ponte recipiebat, quum forem cubiculi, extrinsecus a custodibus opertam [haec verba V. de suo vel ex alio scriptore addidit], interiorem claustro ipse diligenter obserasset. A Cicerone abit Ammian. Marc. XVI. 8, 10: Aedemque brevem, ubi cubitare sueverat, alta circumdedit fossa etc. Etiam de Divin. II. 65, 134. commemoratur *lectus cubicularis.* Gesner legendum suspicabatur *tecto* (quod Tregd. recepit, qui tamen praef. XXIII. fortasse aliud aliquid in corruptelis codicum: *fossa lata cubicularis lecto* latere putat). At huic coniecturae repugnant verba seqq.: *quum forem cub. clauserat*, uti demonstravit *Wesenberg.* Em. III. p. 22. „Dionysius enim *clausa iam* (a se intrinsecus) cubiculi ianua non potuit tum demum *ipse* ponticulum detorquere, si fossa illa, cuius transitus eo coniunctus erat, *extra* cub. tectum (cubiculum) esset. Potuit, si *intra* parietes ipse *lectus* fossa cinctus fuit.“ Huic accedit, quod Valerius Max., qui

ligneo coniunxisset, eum ipsum, quum forem[3] cubiculi clauserat, detorquebat. Idemque quum in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex turri alta solebat. 60. Atque is quum pila ludere vellet, (studiose enim id factitabat,) tunicamque poneret, adolescentulo, quem amabat, tradidisse gladium dicitur. Hic quum quidam familiaris iocans dixisset: *Huic quidem certe vitam tuam committis*, arrisissetque adolescens, utrumque iussit interfici, alterum, quia viam demonstravisset interimendi sui, alterum, quia dictum id risu approbavisset. Atque eo facto sic doluit, nihil ut[4] tulerit gravius in vita; quem enim vehementer amarat, occiderat. Sic distrahuntur in contrarias partes impotentium cupiditates. Quum huic obsecutus sis, illi est repugnandum. 61. Quanquam hic quidem tyrannus ipse iudicavit[5], quam esset beatus.

XXI. Nam quum quidam ex eius assentatoribus, Damocles, commemoraret in sermone copias eius, opes, maiestatem dominatus,

3 Aliquot codd. deteriores et omnes edd. vett. ante Gebh. *fores;* at cf. Valer. Max. IX. 13, 4: *forem cubiculi.* 4 Sic Or. c. plerisque codd., etiam R. P. Gud. 1. II. b. pro vulg. *ut nihil.* V. Adn. 5 v. Adn.

in illo quem attulimus loco Ciceronis verba ob oculos habuit, scripturam *lecto* egregie confirmat. De constructione verbi *circumdandi* v. *Ramshorn.* L. Gr. §. 123. *Kühner.* §. 114, 8.

§. 60. *quidem certe*] *Quidem* (*wenigstens*) pertinet ad *huic*, *certe*, adverbium confirmativum (*sicherlich*), pertinet ad verbum *committis.* Saepius apud Ciceronem hae duae particulae iunctae reperiuntur. Supra c. 9, 21: quam bene, non quaeritur; constanter *quidem certe* (sc. locutus est). Offic. I. 39, 140: quarum (villarum) *quidem certe* est adhibendus modus. de Senect. II, 6: volumus *quidem certe* senes fieri. Legg. I. 13, princ. Academ. II. 7, 22: memoriae *quidem certe* — nihil omnino loci relinquitur. V. *Ochsner.* Ecl. Cic. p. 304. *Herzog.* ad Quinctil. X. p. 91. *Kühner.* L. Gr. §. 133, 2. Ubi autem *certe quidem* iunguntur, particula *quidem* intendit atque auget vim adverbii *certe.* Supra I. 29, 70: *certe quidem* in te est (mens).

nihil ut tulerit] De eleganti verborum collocatione v. ad I. 8, 16.

Quum huic quum alteri cupiditatum obsecutus sis, alteri est repugnandum.

§. 61. *iudicavit*] Davisius et Wolfius, praeeuntibus Manutio et Lambino, e Med. et Bak. ediderunt *indicavit.* Cf. c. 21, 62: Satisne videtur *declarasse* Dionysius, nihil esse ei beatum, cui semper aliqui terror impendeat. Saepe haec duo verba in MSS. confunduntur. V. *Ottonem* ad Fin. I. 9, 30. p. 39. At quum plurimi codd. optimique, ut R. P. Gud. 1. II. Vat. Gr., et multae edd. vett. exhibeant *iudicavit*, idque sententiam minime absurdam habeat, haec scr. alteri praeferenda est. Cf. *Wopkens.* Lectt. Tull. p. 150. ibique *Handium.* Etiam *Klotzius, Moser, Tregder* receperunt *iudicavit*, quod bene explicavit *Bakius* ad Legg. I. 12, 33. Sententia est: Dionysius suis ipse factis et illo in Damocle periculo satis *demonstravit*, quam beatum se esse *iudicaret.* Aptissime *Moser* comp. Off. III. 22, 86: Quanquam id quidem (sc. nihil esse utile, quod honestum non esset) quum saepe alias, tum Pyrrhi bello a C. Fabricio — et a senatu nostro *iudicatum est*, h. e. se ita *iudicare significaverunt* Fabricius et senatus. Off. I. 43, 153. supra I. 47, 114. Cf. *Klotzium* ad Lael. III, 11 p. 194.

Cap. XXI. *o Damocle*] W c. ed. 1584. Gebh. omisit *o*, quod nullo modo probari potest. Nam inter vocativum simplicem et vocativum cum vocula *o* consociatum id discriminis intercedit, ut ille in simplici allocutione locum habeat, hic in oratione cum affectu quodam elata, ut in admiratione, in laetitia, in tristitia, in indignatione, in contemptione. Supra III. 12, 26: Haec mala, *o* stultissime Aeeta, ipse tibi addidisti.

rerum abundantiam, magnificentiam aedium regiarum negaretque unquam beatiorem quenquam fuisse: *Visne igitur*, inquit, *o Damocle*[1], *quoniam te haec*[2] *vita delectat, ipse eadem*[3] *degustare et fortunam experiri meam?* Quum se ille cupere dixisset, collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo[4] textili stragulo magnificis operibus picto, abacosque complures ornavit argento auroque caelato. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere eosque nutum illius intuentes diligenter ministrare. 62. Aderant unguenta, coronae; incendebantur odores; mensae conquisitissimis epulis exstruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium e lacunari seta equina aptum[5] demitti iussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos ministratores adspiciebat nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam; iam ipsae defluebant coronae; denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod iam bea-

XXI. 1 v. Adn. 2 Sic R. P. Gud. 1. II. Aug. Mon. 1. 2. et edd. vett. P. D.; Or. c. vulg. *haec te*. 3 Sic Vat. R. P. Gud. 1. II. Aug. Vind. 2. Guelf. Pal. 4. Rehd. unus Ox.; Or. c vulg. *eandem*. V. ad III. 4, 7: *haec enim*. 4 v. Adn. 5 Sic Or. c. Vat. R. Gud. 1. II. aliisque et Non. p. 255.; plures *appensum:* glossema.

Cf. *Ellendt.* ad de Or. I. 10, 40. Vol. II. p. 33 sq. Pro *Damocle* unus Gud. 2. habet *Damocles*. At forma vocativi horum nominum propriorum, e Graeco sermone ductorum, apud Ciceronem in *e* exire solet, ut *Pericle, Sophocle, Ulixe, Themistocle, Callicle, Cleanthe* (III. 32, 77.), *Socrate, Carneade*. Multo rarior est forma in *es* desinens, ut *Socrates* (ad Att. XIV. 9, 1.). In poetica oratione forma in *es* exiens frequentior videtur esse. Cf. supra II. 16, 38: *Patrocles*. 21, 49. de Or. III. 40, 162. Acad. II. 28, 89. Fin. V. 18, 49: ubi v. *Madvig*. p. 705. supra III. 27, 65: *Chremes* (e Terentio). Cf. *C. L. Schneider*. Lat. Formenl. I. p. 44. et nos in Gr. L. §. 21. e).

collocari iussit hominem] V. ad I. 21, 49: vide, quid *homini* tribuam.

strato] H. e. in aureo lecto, sui superiniectum erat pulcherrimum textile stragulum. Nihil opus est cum Ernestio legere: *lecto, strato* pulcherrime *textili stragulo*. Notum est enim, duo adiectiva uni substantivo ἀσυνδέτως adiungi, quum alterum horum adiectivorum cum substantivo in unam quasi notionem coaluit, ut Verr. V, 52: privata navis oneraria. Corn. Nep. Datam. III, 2: agresti *duplici amiculo:* ubi v. *Bremium* p. 191. Cf. *Ramshorn*. Lat. Gramm. §. 152. p. 479. ed. 2. *Kühner*. L. Gr. §. 109. 4

ministrare] V. ad I. 26, 65.

§. 62. *odores*] per metonymiam (v. ad I. 46, 110.) pro suffimentis, aromatis, thuribus odoriferis. Cf. supra III. 18, 43.

exstruebantur] gravius, quam *instruebantur*, quod aliis locis de mensarum apparatu dicitur; illud enim verbum abundantiae, copiae, affluentiae notionem adiunctam habet. Sic de Senect. 13, 44: caret epulis *exstructisque* mensis et frequentibus poculis: ubi v. *Gernhard*. p. 81. At vero nunquam Latini scriptores dixerunt animum doctrinis, praeceptis, virtutibus etc. *exstructum*, sed *instructum*.

lacunari] V. Adn. in I. 35, 85.

defluebant] H. e. sensim delabebantur. *Moser* comp. ad Famm. 9, 20: salutatio *defluxit* (i. e. sensim discesserunt salutatores).

quod iam beatus nollet esse] H. e. dicens se nolle iam beatum esse: uti recte explicat *Goerenz*. ad Fin. III. 16, 55. p. 382. Sic II. 19, 45: multosque possum bonos viros nominare, qui complures annos doloribus podagrae *crucientur* maximis: ubi v. Adn. IV. 19, 44: noctu ambulabat in publico Themistocles, quod somnum capere non *posset*. Cf. nos in Gr. L. §. 140. b b). Sic in Gr. lingua, ut Thuc. II, 21: οἱ Ἀχαρνῆς ἐκάκιζον, ὅτι, στρατηγὸς ὤν, οὐκ ἐπεξάγοι (e mente Acharnensium). V. nos in Gr. Gr. T. II.

tus nollet esse. Satisne videtur declarasse Dionysius, nihil esse ei beatum, cui semper aliqui[6] terror impendeat? Atque ei ne integrum quidem erat, ut ad iustitiam remigraret, civibus[7] libertatem et iura redderet; iis enim se adolescens improvida[8] aetate irretierat erratis eaque commiserat, ut salvus esse non posset, si sanus esse coepisset.

XXII. 63. Quanto opere vero amicitias desideraret, quarum infidelitatem extimescebat, declaravit in Pythagoriis[1] duobus illis, quorum quum alterum vadem mortis accepisset, alter, ut vadem suum liberaret, praesto fuisset ad horam mortis[2] destinatam: *Utinam ego*, inquit, *tertius vobis amicus adscriberer!* Quam huic erat miserum carere consuetudine amicorum, societate victus, sermone omnino familiari! homini praesertim docto a puero et artibus[3] ingenuis erudito.

6 Sic D. de Iac. Gron. sententia e vestigiis codd.; nam optimi R. P. Gud. 1. II. et duo Pall. *aliquid error*, vulgo *aliquis*. V. ad IV. 16, 35. 7 Duo Oxx. et omnes fere edd. vett. *civibusque*. Asyndeton orationem graviorem facit. 8 D. coni. *in improvida aetate;* sed recte monet Kl., ablativum sine *in* simul caussam rei iudicare. XXII. 1 Sic R. et P.; eodem ducit *Pythagoricis* in quatt. Oxx. et Mon. 2.; Or. c. vulg. *Pythagoreis*. 2 v. Adn. 3 Male D. e coni. Bentl. *docto et a puero artibus*.

§. 845. Not. (Gr. schol. §. 345. Not. 3.) Cum vi quadam verbum *esse* in clausula ponitur. V. *Goerenz.* ad Fin. I. 18, 57. p. 80.

Satisne] De interrogativo *ne* v. Adnotata in II. 11, 26.

Atque] V. ad III. 2, 4.

ei ne integrum quidem erat, ut] Ne in potestate quidem eius erat, ut. Cum simplici infinitivo: ad Attic. IV. 2, 6; cum *ut:* pro Mur. 4: neque est integrum, ut meum laborem hominum periculis sublevandis non impertiam. De coniunctione *ut* v. quae fusius disputavimus ad III. 3, 5. Neque aliter explicandum est *ut*, quum sequitur post *certum est, verum est, inusitatum est, aequum est, par est, convenit, consentaneum est, mos est, consuetudo est, accedit* (supra I. 19, 43.), *sequitur, restat, relinquitur, reliquum est, extremum est, inauditum est, celebratum est*, similia. Cf. *Beier.* ad Offic. II, 22. p. 154. In his omnibus, sequente *ut*, inest notio *fit* aut *factum est* aut *fieri debet* aut *fieri potest*. Sic nostro loco *ne integrum quidem erat*, h. e. ne fieri quidem poterat, ut is. C. Phil. VII. 2, 4: Qui enim *convenit, ut*, qui populares fuerunt, iidem — improbos se quam populares esse malint. *Accedit, ut* h. e. praeterea fit etiam, ut. *Inusitatum est, ut*, h. e. inusitate factum est, ut; *verum est, ut*, h. e. vere factum est, ut — et sic porro. Cf. nos in Gr. L. §. 142, 5.

Cap. XXII. §. 63. *in Pythagoriis duobus*] Damone et Phintia. Cf. Offic. III. 10, 45. ibique *Beier.* p. 259. *Goerenz.* Fin. p. 214. *Davisius* comp. Diod. Sic. Excerpt. Peiresc. p. 242. 244. Val. Max. IV. 7, 1. Porphyr. vit. Pyth. §. 60. Lact. Div. Inst. V. 17, 22. Ex Aristoxeno ap. Iamblich. vit. Pythag. §. 253. apparet, non maiori, sed minori Dionysio id evenisse. V. *Beier.* l. d. Hyginus fab. 257., quem Schiller noster secutus est, nominat Moerum et Selinuntium et pro Dionysio Phalarim.

ad horam mortis] Sic plerique codd., etiam Gud. 1. II., et multae edd. vett.; R. P. et nonnulli alii *morti*, quod nuper Tregder recepit; at illa scriptura difficilior est; praeterea cf. Off. III 10, 45: quum — Dionysius tyr. *diem necis* destinavisset.

Utinam — adscriberer!] Off. III. 10, 45: tyrannus petivit, ut *se* ad amicitiam *tertium adscriberent*. Tirones observent, duplex genus esse optati exprimendi; ponitur enim aut coniunctivus praesentis aut coniunctivus imperfecti. Quum optantur ea, quae possunt evenire, praesens ponitur; quum autem optantur ea, quae fieri non possunt, imperfectum ponitur. Hoc igitur loco apte imperfectum positum est, si quidem Dionysius rem optabat, quam effici posse ipse non sperabat. V. nos in Gr. L. §. 108, 6. b), β). Sic distinguunt Graeci inter εἴθε τοῦτο γένοιτο, utinam hoc fiat, et inter εἴθε τοῦτο ἐγένετο aut εἴθ' ὤφελε τοῦτο γί-

Musicorum vero perstudiosum[4], poëtam etiam tragicum — quam bonum, nihil ad rem; in hoc enim genere nescio quo pacto magis, quam in aliis, suum cuique pulchrum est; adhuc neminem cognovi poëtam, (et mihi fuit cum Aquinio[4] amicitia,) qui sibi non optimus videretur; sic se res habet: „te tua, me delectant mea" — sed, ut ad Dionysium redeamus, omni cultu et victu humano carebat; vivebat cum fugitivis, cum facinorosis[5], cum barbaris; neminem, qui aut libertate dignus esset aut vellet omnino liber esse, sibi amicum arbitrabatur.

XXIII. 64. Non ego iam cum huius vita, qua tetrius, miserius, detestabilius excogitare nihil possum, Platonis aut Archytae vitam comparabo, doctorum hominum et plane sapientium; ex eadem urbe humilem homunculum a pulvere et radio excitabo, qui multis an-

4 v. Adn. 5 Kl. et Tr. c. R. P. *facinerosis.*

γνεσθαι, utinam hoc fieret. Eleganter et acute in hanc rem disputat *Hermannus* in Viger. p. 756. §. 190. Cf. nos in Gr. Gr. T. II. §. 819. Not. 7. et §. 820. Not. 2. (Gr. schol. §. 259, 3. b) et Not. 6.)

a puero] H. e. a prima iuventute.

Musicorum vero perstudiosum] Sic recte Or., ut est in plurimis codd. et optimis, ut R. P. Gud. 1. II. b.; vulgo *perstudiosum accepimus:* duo codd. *accepimus* post *tragicum* habent. Aperta interpolatio. Cicero in mente quidem habuit verbum *accepimus*, sed id omisit, orationis impetu ad aliam sententiam delatus; ex hoc aliisque permultis locis meridiana luce clarius apparet, his disputationibus non ultimam a Cicerone limam admotam esse. Sententiae autem sic se excipiunt: Quam huic erat miserum carere consuetudine amicorum, societate victus, sermone omnino familiari! homini praesertim docto a puero et artibus ingenuis erudito. Vivebat enim cum fugitivis etc. V. ad II. 1, 3. Ceterum Cicero dicere solet *musica, musicorum* (τὰ μουσικά). V. ad I. 24, 57.

poëtam etiam tragicum] Ammian. Marcell. XV, 5: Legimus Dionysium intentasse poetae Philoxeno mortem, quum eum recitantem proprios versus absurdos et inconcinnos, laudantibus cunctis, solus audiret immobilis. *Davisius* addit Lucian. adv. Indoct. §. 15. et, qui aequius iudicat, Themistium or. 9, p. 126: τραγωδίας δὲ ἱκανῶς γράφειν καὶ Διονύσιος ὁ τύραννος ἱκανὸς ἦν.

neminem — poëtam] V. *Stürenburg.* in II. Commentatione ad Off. c. 2 sqq. et nos in Gr. L. §. 39. Not. 2.

et mihi fuit cum Aquinio amicitia] Aquinius erat poeta malus et insulsus. V. Catull. XIV, 18. Sententia igitur huius loci est haec: Adhuc neminem cognovi poetam, qui sibi non optimus videretur, quid? ipse Aquinius, pessimus poeta, cum quo mihi fuit amicitia, optimus sibi visus est. Sine dubio h. l. cum plurimis codd. optimisque, ut R. P. Gud. 1., et omnibus fere edd. vett. legendum est *Aquinio*, non *Aquino*, licet ap. Catull. l. d. legatur *Aquinos;* sed ibi auctore *Turnebo* in Adversarr. XII, 1. p. 373. cum Silligio rescribendum est *Aquinios*, sed legendum *Aquinjos*, quod metrum postulat. *Orellius* c. b. (sed corr. *Aquinio*) duob. Oxx. Vind. 1. aliisque et edd. S. M. edidit *Aquino.*

qui sibi non optimus videretur] Apte *Turnebus* in Adversarr. XII, 1. p. 373. comp. Aristotel. Eth. IX, 7: ὑπεραγαπῶσιν οἱ ποιηταὶ τὰ οἰκεῖα πράγματα, στέργοντες ὥςπερ τέκνα.

Cap. XXIII. §. 64. *ex eadem urbe*] Cum vi quadam coniunctio adversativa *sed* omissa est. V. nos ad II. 2, 5.

humilem homunculum] Haec verba accipienda sunt de infimo quo Archimedes natus erat loco et de tenui in qua constitutus erat sorte. Apposite interpretes in partes vocant Sil. Italic. XIV, 342.

Vir fuit Isthmiacis decus immortale colonis,
Ingenio facile ante omnes telluris alumnos,
Nudus opum, sed cui caelum terraeque paterent.

a pulvere et radio] Mathematicus dicitur, qui figuras in pulvere radio (*bacillo*) describit. *Ernestius* Clav. v. *pulvis.* Radius enim erat instrumentum, quo geometrae ad figuras in mensa, pulvere conspersa, describendas utebantur. Hinc

nis post fuit, Archimedem. Cuius ego quaestor ignoratum ab Syracusanis, quum esse omnino negarent, saeptum undique et vestitum vepribus et dumetis indagavi sepulcrum. Tenebam enim quosdam senariolos, quos in eius monumento esse inscriptos acceperam, qui declarabant, in summo sepulcro sphaeram esse positam cum cylindro. 65. Ego autem, quum omnia collustrarem oculis, (est enim ad portas Agragianas[1] magna frequentia sepulcrorum,) animum adverti[2] columellam non multum e dumis eminentem, in qua inerat sphaerae figura et cylindri. Atque ego statim Syracusanis (erant autem principes mecum) dixi, me illud ipsum[3] arbitrari esse, quod quaererem. Immissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum. 66. Quo quum patefactus esset aditus, ad adversam basim accessimus. Apparebat epigramma, exesis posterioribus partibus versiculorum dimidiatis fere. Ita nobilissima Graeciae civitas, quondam vero etiam doctissima, sui civis unius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset. Sed redeat, unde aberravit, oratio. Quis est omnium, qui modo cum Musis, id est cum humanitate et cum doctrina, habeat aliquod commercium, qui se[4] non hunc mathe-

XXIII. 1 Sic optimi codd. Vat. R. P. Gud. 1. et reliqui fere omnes vel aperte, vel tecte, itemque omnes fere edd. vett. et Non. p. 335; Or. c. cod. Urs. *Achradinas.* V. Adn. 2 v. Adn. 3 Or. nescio qua de caussa c. ed. P. *ipsum illud.* 4 v. Adn.

Cicer. de N. D. II. 18, 48: nunquam *eruditum* illum *pulverem* attigistis, h. e. nunquam mathematicis operam dedistis.

senariolos] Nusquam hi exstant. *Neidius.*

qui declarabant] quibus significaretur theorema de ratione, quae intercedit inter utrumque corpus [sphaeram et cylindrum], ab Archimede inventum. *Ernestius.*

§. 65. *Agragianas*] *Camerarius* putat significari portas, qua Agrigentum petentes tendere soliti sint. Non video, cur haec scriptura omnium fere librorum auctoritate (v. V. Scr.) confirmata ab omnibus post W. edd. deserta sit. Si in archetypo lectum esset *Achradinas,* id certe mutatum non esset in hanc insolentiorem formam. Scriptura a me recepta probata est nuper etiam a *Wessenbergio* Em. III. p. 23., qui verissime monet, neque admodum veri simile esse sic *Achradinas* in antiquissimo cod. esse corruptum, neque facile ex *Achradina* (de qua v. Indic. hist.) adiectivum *Achradinus* fieri potuisse (Liv. 25, 25 et 31: *Achradinae* portas et portis), neque *unam* quandam ex *pluribus* Achradinae portis apte sic dici. Non improbabiliter Lamb. coni. *Acraganas,* Camerar. *Acragantinas* (uti Gr. Ἀκραγαντῖνος), neque aliter Lucret. 1, 716. in ed. Veronensi et Marullus, sed Lachmannus *Acragantinas.* Plin. H. N. 35. §§. 62. 64. 179. a Silligio editum est *Agragentin.*

animum adverti columellam] Sic R. P. Vat. Gud. 1. Marb.; Or. c. reliquis *animadverti. Animum advertere* idem significat, quod *animadvertere* (*wahrnehmen, bemerken*), eandemque habet constructionem; cf. Caes. C. 1, 80: *equites an. adv. Moser* affert Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 77., qui comp. Sall. Iug. 93: animum advertit repentes cochleas. C. Inv. II, 51: naufragum quendam natantem — animum adverterunt. Ipse addit Caes. B. G. I, 24: postquam id animum advertit. De pass. confer Caes. C. 1, 80. 2, 6. 50: *qua re animum adversa.* Sic supra III. 20, 48. ex optimis codd. restitutum est: *Animum advertit Gracchum.* Cf. *Seyffert.* ad Lael. 26, 98. p. 542 sq.

§. 66. *unius acutissimi*] V. ad II. 26, 64. Paullo post: qui est *unus suavissimus* pastus animorum.

maticum malit, quam illum tyrannum? Si vitae modum actionemque quaerimus, alterius mens rationibus agitandis exquirendisque alebatur cum oblectatione sollertiae: qui est unus suavissimus pastus animorum; alterius in caede et iniuriis cum et diurno et nocturno metu. Age, confer Democritum, Pythagoram, Anaxagoram, quae regna, quas opes studiis eorum et delectationibus antepones? 67. Etenim quae pars optima est in homine, in ea situm esse necesse est illud, quod quaeris[5], optimum. Quid est autem in homine sagaci ac bona mente melius? Eius bono fruendum est igitur, si beati esse volumus; bonum autem mentis est virtus; ergo hac beatam vitam contineri necesse est. Hinc omnia, quae pulchra, honesta, praeclara sunt, (ut supra dixi, sed dicendum idem illud paullo uberius videtur;) plena gaudiorum sunt. Ex perpetuis autem plenisque gaudiis quum perspicuum sit vitam beatam exsistere, sequitur, ut ea exsistat ex honestate.

XXIV. 68. Sed ne verbis solum attingamus ea, quae volumus ostendere, proponenda quaedam quasi moventia sunt, quae nos magis ad cognitionem intelligentiamque convertant. Sumatur enim nobis quidam praestans vir optimis artibus, isque animo parumper et

5 Bentl. frustra coni. *quaerimus:* quod est in Marb. Cf. *si quaeris.*

ab homine Arpinate] Cicero enim Arpinas erat. *Neidius.*

qui se non hunc mathematicum malit] *Goerenz.* ad Fin. II. 31, 102. p. 274. e tribus suis MSS et uno Oxon. locum sic putat emendandum: *qui se esse non hunc mathematicum malit.* At nihil mutandum. Cf supra c. 19, 54: utrum *malles te*, si potestas esset, semel, ut Laelium, *consulem*, an, ut Cinnam, quater? Fin. V. 5, 13: Arato *physicum se voluit:* ubi v. *Madvig.* p. 634. de opt. gen. dic. §. 15: qui *se Atticos volunt.* Off. II. 22, 78: qui vero *se populares volunt.* de Or. II. 60, 246: iste, qui *se vult dicacem* et mehercule est. Cf. *Madvig.* ad Fin. II. 31, 102. p 316. *Moser* in censura laud. p. 615. affert de Divin. II, 57: quidvis *malle* videntur, quam *se non ineptos.*

agitandis] Scil. mente. Sic *cogitare* est secum, cum mente agitare. Observandum est, veteres *cogitandi* actiones notare verbis, quae *movendi* notionem habent, ut *volvere, versare, volutare* aliquid in animo vel animo vel secum. De Graecis cf. H. κ, 4: πολλὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντα. Sic βάλλεσθαι ἐνὶ θυμῷ apud Homerum.

in caede] Ex antecedenti verbo *alebatur* per figuram, quae grammaticis dicitur zeugma, eliciendum est aliud verbum, quod huic sententiae magis conveniat, uti *delectabatur* in caede et iniuriis. V. Adnot. in II. 24, 57.

§. 67. *Eius bono fruendum est igitur*] Observa voculam *igitur* in quinta sede positam, quod inde factum est, quod verba *eius bono* cum vi quadam efferenda sunt. Cf. Adnot. in I. 14, 32. 29, 71.

Cap. XXIV. §. 68. *Sed ne verbis*] Virtutem ad beate vivendum se ipsa esse contentam (c. 24. et 25), sic concluditur: Bonus vir idem est sapiens, ingenio eximio munitus et veritatis indagandae studio agitatus. Ex sapientiae autem studio humanissimae voluptates gaudiaque limpidissima ad sapientem redundant; quodsi igitur talibus bonis animi, i. e. virtutibus, uti beatum est, sequitur, ut omnes sapientes non solum beati sint, sed etiam beatissimi, quia talis vitae gaudiis nihil beatius cogitari potest, nec ea obnoxia est fortunae.

quaedam quasi moventia] Beweggründe, Triebfedern.

ad cognitionem] ad ea melius cognoscenda et intelligenda, quae in superioribus generatim disputata sunt. *Neidius.*

Sumatur — nobis] V. ad II. 1, 2.

parumper] „wie das Franz. *un peu*; dic mihi *parumper* (einmal), dites-moi un peu.“ *Wolf.* *Parumper* est *auf eine*

cogitatione fingatur. Primum ingenio eximio sit necesse est; tardis enim mentibus virtus non facile comitatur [1]; deinde ad investigandam veritatem studio incitato. Ex quo triplex ille animi fetus exsistet [2]: unus in cognitione rerum positus et in explicatione naturae; alter in descriptione expetendarum fugiendarumve [3] rerum; tertius in iudicando, quid cuique rei sit consequens, quid repugnans: in quo inest omnis quum [4] subtilitas disserendi, tum veritas iudicandi. 69. Quo tandem igitur gaudio affici necesse est [5] sapientis animum cum his habitantem pernoctantemque curis! ut [6] quum totius mundi motus conversionesque perspexerit sideraque viderit innumerabilia caelo inhaerentia cum eius ipsius motu congruere certis infixa sedibus; septem alia suos quaeque tenere cursus multum inter se aut altitudine aut humilitate distantia, quorum vagi motus rata tamen et certa sui cursus

XXIV. 1 Pauci deteriores codd. *committitur.* V. Adn. 2 Sic omnes codd.; sed edd. ante Gebh. fere omnes *exsistit,* ut §. 70. 71. 3 v. Adn. 4 Sic R. Gud. 1.; Or. c. vulg. *tum;* at v. ad c. 25, 72. 5 R. P. Gud. 1. 2. sept. Oxx. Mon. 2. Vind. 1. 2. ed. P. *necesse esset:* quod recepit Kl. 6 v. Adn.

kleine Weile, auf einen Augenblick, respectu habito futuri temporis, quo actionis vicissitudo futura est (*vor der Hand*); *paulisper, eine kleine Weile lang,* diuturnitatem tantum notat, uti docuit *Seyffert.* ad Lael. 1, 5: tu velim a me animum *parumper* avertas.

mentibus comitatur] Sic infra c. 35, 100: *quae comitantur huic vitae:* ubi sic expressit Gr. ὅσα τούτῳ ξυνέπεται τῷ βίῳ. In his duobus locis verbo *comitandi* Cicero ideo adiunxisse videtur dativum, quia hanc habet vim, ut idem significet, quod *coniunctum esse.* Aliis enim locis, ubi propriam significationem habet, construxit cum accusativo; quanquam de Rep. II, 24. legitur: *illi* prospere fortuna comitata est.

triplex ille animi fetus] H. e. his animi virtutibus si quis ornatus est, perfecte sapiens exsistit, qui omnes philosophiae partes (physicam dico, ethicam, dialecticam) mente sua comprehendat iisque plene ac cumulate satisfaciat. De tripertita philosophiae divisione v. Acad. I. 5, 19. II. 36, 116. Fin. V. 4, 9. de Or. I. 15, 68. all.

alter in descriptione exp. fugiendarumve rerum] H. e. in doctrina de finibus bonorum et malorum. Quam ego c. Or. dedi scripturam, vulgata (edd. vett.) est nonnullor. codd.; plerique codd. pro *ve* exhibent *que* et Gud. I. II. *fugiendarumque ve rerum.* Sed quum post *rerum* plerique codd. aliquid additum habeant: R. in m. *ne et vivendi,* sed erasum, R. P. (ap. Wes.) Gud. I. aliique *ne vivendi,* Gud. II. aliique *vivendi,* alii ex aperta interpolatione *in munere* (aut *arteve* aut *communione*) *vivendi* (aut *bene vivendi*): dubitandum non est, quin etiam in archetypo post *rerum* aliquid additum fuerit. Acute *Wesenbergius* Em. I. p. 29. suspicatur in verbis *ne et vivendi* latere *et in vivendi ratione*, uti Fin. V. 6, 15: summum autem bonum si ignoretur, *vivendi rationem* ignorari necesse est. Aliis locis *bene* (*beate*) *vivendi* aut *vitae ratio* dicitur. „Scilicet," inquit W., „quanquam quaestione illa de finibus b. et m. quasi fundamento quodam tota ethica nititur (cf. Fin. IV. § 5. et 14. V. §. 15. Div. II. §. 2.), tamen parum apte h. l. omissa esset paraenetica eius pars, quae est de officiis s. praeceptis, quibus in omnes partes usus vitae conformari possit (Off. I. §. 7.). Cf. Div. II. 4, 10. et 11. Acad. II. 36, 114. Brut. §. 31: philosophia haec, in qua 1) de *bonis rebus et malis* 2) *deque hominum vita et moribus* disputatur. Fin. V. §§. 11—12 et 15—16. Legg. I. §. 60."

§. 69. *curis*] Hoc verbum, ut Graecum μελέτη, saepe dicitur de litterarum artiumque studio. Hac paragrapho commemorantur gaudia, quae percipiuntur ex ea philosophiae parte, quae dicitur *physica.*

ut quum] Davisius voculam *ut,* quam nescit cod. Med., auctore Bentleio exterminavit. Vereor, ne incogitate id factum sit. Particula enim *ut* significat

spatia definiant: — horum nimirum adspectus impulit illos veteres et admonuit, ut plura quaererent. Inde est indagatio nata initiorum et tanquam seminum, unde essent omnia orta, generata, concreta, quaeque cuiusque generis vel inanimi vel animantis vel muti vel loquentis origo, quae vita, qui interitus quaeque ex alio in aliud vicissitudo atque mutatio; unde terra et quibus librata [7] ponderibus, quibus cavernis maria sustineantur [8]; qua omnia delata gravitate medium mundi locum semper expetant, qui est idem infimus in rotundo.

XXV. 70. Haec tractanti animo et noctes et dies cogitanti exsistit illa a [1] deo Delphis praecepta cognitio, ut ipsa se mens [2] agnoscat coniunctamque cum divina mente se sentiat, ex quo insatiabili gaudio compleatur [3]. Ipsa enim cogitatio de vi et natura deorum studium incendit illius aeternitatis imitandi [4] neque se in brevitate vitae colloca-

7 D. ex El. 2. interpolato *unde terra aequis libr. p.* V. Adn. 8 v. Adn. XXV. 1 R. P. Gud. 1. Marb. om. *a;* v. ad I. 24, 54. 2 Unus Leid. unus Ox. Vind. 1. et edd. vett. pleraeque *ipsa se mens vitiis exutam*, ex aperto glossem. 3 Or. e coni. Bentl. *completur;* perperam: *ex quo* bene interpretatur Mos. *ita ut inde.* 4 v. Adn.

idem, quod nostrates male per *exempli gratia* exprimere solent. De re cf. I. 28, 68.; de verbo *congruendi* v. ad 1, 3.

septem alia] Planetas cum sole et luna intelligit. Cf. supra I. 28, 68.

rata — sui cursus spatia] Vocabulum *ratus* proprium est de siderum cursu. N. D. II. 38, 97: tam certos caeli motus, tam *ratos* astrorum ordines: ubi v. *Heindorfium* p. 210. Ibid. c. 37: in omni aeternitate *ratos* immutabilesque cursus. c. 20: motus constantes et ratos. Cf. *Wopkens.* Lectt. Tull. II, 7. p. 230 sq.

nimirum] H. e. horum adspectum non est mirum impulisse illos etc. V. Adnotata in I. 22, 52.

unde terra et quibus etc.] Billerbeckius verba sic construit: *unde et quibus ponderibus librata sit terra*, ut scilicet tautologia vitetur. Ego vero cum Orellio post verba: *unde terra* supplendum puto *sit;* primum enim verba *unde terra librata sit* obscuriora sunt, tum *terra* h. l. opponitur verbis antecedentibus: *unde essent omnia* (τὸ πᾶν) *orta.* Sententia est: indagare studemus, unde orta sit terra, et qui fiat, ut suis librata ponderibus medio in aëre pendeat.

sustineantur] Sic Gud. II. 2. Marb. Mon. 1. Petr. plerique ut vdtr. Oxx. et pleraeque edd. vett.; eodem ducit scr., quae est in R. P. Vat. duob. Pall., *sustineant'*, quod facile ex comp. *sustineant'* (i. e. sustineantur) oriri potuit. Orellius c. duob. Oxx. Vind. 1. 2. Rehd. Mon. 2. Duisb. duob. Pall. Col. cod. vet. Goth. et compluribus edd. vett. edidit *sustineat*, sententiam sic explicans: „quomodo fiat, ut tam profundis cavernis terra maria ita sustineat, ut nunquam redundent seseque effundant.“ Etiam *Klotzius* et *Tregder sustineantur* revocaverunt. Porro pro *in qua omnia*, uti in omnibus libris legitur, c. D. et Tr. edidi *qua omnia*, abiecta vocula *in*, quae facile ex antecedenti *sustineantur* oriri potuit, ut *qua* referretur ad v. *gravitate.* Si legitur *in qua*, pronomen relativum ad *terram* referendum est: unde durissima nascitur structura. Huc accedit, ut, si statuimus duas ultimas litteras verbi *sustineantur* a librariis in praepositionem *in* mutatas esse, facile intelligatur, unde scr. *sustineant* orta sit. De re ipsa cf. eruditam observationem *Ochsneri* ad Ecl. Cic. p. 250 sq. Ceterum pro *sustineantur* exspectes *sustinerentur;* cf. paullo ante *unde essent omnia orta.* Deflexit igitur C. a coepta structura.

Cap. XXV. §. 70. *Haec*] Sequuntur gaudia, quae affert studium philosophiae moralis.

et noctes et dies] V. ad IV. 31, 65.

Delphis praecepta] H. e. illa cognitio, quae Delphis praecepta est. Hoc monui ob Wolfium, qui interpretatur: *Delphico, qui Delphis colitur.*

studium incendit illius aeternitatis imitandi] Sic R. P. Gud. 1. Vat. Rehd. Marb. Mon. 1. 2. Fabr. quinque Pall. Med. Bak.

tam[5] putat, quum rerum caussas alias ex aliis aptas et necessitate nexas videt, quibus ab aeterno tempore fluentibus in aeternum ratio tamen mensque moderatur. 71. Haec ille intuens atque suspiciens vel potius omnes partes orasque circumspiciens quanta rursus animi tranquillitate humana et citeriora considerat! Hinc illa cognitio virtutis exsistit, efflorescunt genera partesque virtutum, invenitur, quid sit, quod natura spectet extremum in bonis, quid[6] in malis ultimum, quo referenda sint officia, quae degendae aetatis ratio deligenda[7]. Quibus et talibus rebus exquisitis hoc vel maxime efficitur, quod hac disputatione agimus[8], ut virtus ad beate vivendum sit se ipsa contenta.

5 Wes. Em. II. p. 42. c. D. e Pith. *collocatum* legendum censet, referens ad *sapientem* ob antec. *tractanti* (sc. sapienti) et ob seqq. *haec ille intuens;* sed *collocatam* defendi potest, si refertur ad *mentem.* 6 Sic R. P. b. Gud. 2. Duisb. Marb. unus Ox. Vind. 1. 2. Mon. 1. 2. Med. Ball. duo Leidd.; Or. c. vulg. *quod.* At verba sic construenda sunt: invenitur, quid sit, quod natura spectet extremum in bonis, quid sit, quod natura spectet in malis ultimum. 7 Sic pleraeque edd. vett. et pauci codd. deteriores; plerique codd., etiam R. P. Gud. 1. II. *diligenda.* 8 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. aliisque multis et compluribus edd. vett.; alii *agitamus:* quod Kl. recepit, nunc autem in Add. reiicit.

duo Leidd. tres Oxx. (eorum unus *mutandi*) pro vulg. *imitandae*, quam retinuit *Orellius.* E recentioribus editoribus illud *Klotzius* et *Moser* receperunt. Haec constructio multis locis a librariis falsis scripturis oblitterata est. *Madvigius* ad Fin. I. 18, 60. p. 113. hanc constructionem e duarum in unam confusione (studium *imitandi sapientes* et studium *sapientium imitandorum*) originem duxisse existimat, explicationem autem suam eo valde confirmari, quod nemo sic dixerit, nisi in plurali. At haec explicatio et ab omni probabilitate abhorret, nec eo, quod dixit, confirmatur, uti et hic, quem cummaxime tractamus, locus et alii, quos postea commemorabimus, demonstrant. Multo simplicior ac verior ea quam iam alii iniverunt est ratio, qua substantivum regens cum genitivo gerundii in unam notionem (*studium imitandi* = Nachahmungseifer) coaluisse et inde alter genitivus pendere iudicatur. V. nos in Gr. L. §. 131. Not. 15: ubi allati sunt hi loci: Acad. II. 41, 128. Verr. IV. 47, 104. Inv. II. 2, 5. Phil. V. 3, 6. de Or. III. 38, 156.; adde quem attulit *Moser,* Tim. c. 9: „*reliquorum siderum* quae *caussa collocandi* fuerit quaeque eorum collocatio," et quos iam *Davisius* excitavit, Cod. Iust. lib. V. tit. 37. I. 22: huc accedit, quod *ipsius pecuniae*, in qua robur omne patrimoniorum veteres posuerunt, *fenerandi usus* vix diuturnus, vix continuus et stabilis est. Ter. Hec. III. 3, 13: ego *eius* (feminin.) *videndi cupidus* (pro eius videndae cup.). *Klotzius* in Add. p. 198. addit: Sueton. Octavian. c. 98: exacta iocandi *licentia diripiendique pomorum* et *obsoniorum rerumque missilium.* Gell. IV, 15 extr.: elegantia orationis Sallustii *verborumque fingendi* et *novandi studium.* XVI, 8: fecisse videtur eum librum Aelius sui magis admonendi, quam *aliorum docendi gratia. Haasius* ad Reisigii de Gr. L. scholas p. 772. comp. Fronton. epp. ad am. I, 24. p. 158: *tantus usus studiorum bonarumque artium communicandi.* Dict. Cretens. IV, 8: missi ab Troianis qui peterent *eorum,* qui in bello ceciderant, *humandi veniam.* et *Gronov.* et *Drakenb.* ad Liv. XXIV. 23, 1. *Voss.* de constr. c. 53. *Ruddim.* II. p. 246 sq. et *Kritz.* ad Sall. Cat. 31, 5. *Moser* laudat *Garaton* ad Philipp. p. 98 sq. ed. Wernsd. *Beneck.* ad Cic. Catil. I. 3, 7. p. 37. *Wüllner.* über d. Cas. u. Mod. p. 106 sq. *Krüger.* über d. Attr. p. 152.

quibus — moderatur] quas — ratio tamen divina mensque regit et gubernat. Haec verba videntur adiecta a Cicerone contra Stoicorum opinionem, qui fatum esse statuebant. V. nos in libro dicto *de Cicer. in phil. mer.* p. 208 sq.

§. 71. *citeriora*] H. e. terrestria. Cf. Legg. III. 2, 4: ut ad haec *citeriora* veniam.

genera partesque] V. ad III. 11, 24.

extremum] fines bonorum et malorum. Cf. infra c. 28, 81. et nos in libro d. p. 53. Adn. 3). Significantur h. l. tres partes, in quas Stoici moralem philoso-

72. Sequitur tertia, quae per omnes partes sapientiae manat et funditur, quae rem definit, genera dispertit, sequentia adiungit, perfecta concludit, vera et falsa diiudicat, disserendi ratio et scientia. Ex qua quum summa utilitas exsistit ad res ponderandas, tum maxime ingenua delectatio et digna sapientiâ [9]. Sed haec oti [1]. Transeat idem iste sapiens ad rem publicam tuendam. Quid eo possit esse praestantius, quum contineri [2] prudentiâ utilitatem civium cernat, iustitiâ nihil in suam domum inde derivet, reliquis utatur tot tam variisque virtutibus? Adiunge fructum amicitiarum, in quo doctis [3] positum est quum [4] consilium omnis vitae consentiens et paene conspi-

9 v. Adn. 1 Sic R. P. et sine dubio alii; Or. c. vulg. *otii.* 2 Or. aliique c. uno cod. deleverunt *contineri;* bene, si addicerent codd., hac sententia: sapiens prudentia fretus utilitatem civium cernet; Kl. pro *cont.* legit *communem.* 3 Rehd. et edd. vett. fere omnes *a doctis:* quod Kl. recepit, nunc autem reiicit. 4 v. Adn.

phiam distribuerunt, doctrina de bonis (de summo bono), de virtutibus, de officiis. V. nos in libro dicto p. 225.

exquisitis] indagatis, exploratis.

§. 72. *Sequitur tertia*] Gaudia, quae redundant ad nos e disserendi ratione, i. e. dialectica.

perfecta concludit] H. e. ex rebus concessis rationem concludit. Cf. ad II. 11, 29.

digna sapientiâ] Ursinus ex uno cod. legendum censebat *sapiente;* sed multo gravius et exquisitius abstractum ponitur pro concreto. V. ad II. 7, 18.

in suam domum] H. e. in suam familiam, in suam rem familiarem. Hinc praepositio *in* addita est.

quum consilium] Sic plerique codd., etiam R. P. Gud. I. II.; Wolfius et Or. c. b. Rehd. Gud. 2. uno Ox. Mon. 2. ediderunt *tum cons.* Illa scr. unice vera censenda est. Saepissime ab editoribus permiscentur inter se particulae *tum — tum* et *quum — tum.* Nuper *Stürenburgus* ad or. pro Arch. p. 104 sqq. harum particularum discrimen accuratissime ac firmissime constituit. Scilicet *tum — tum* nunquam significant *sowol — als auch,* sed semper, ut *modo — modo, nunc — nunc,* referuntur ad *tempus* respondentque plane nostris *bald — bald,* Graecis τοτὲ μέν — τοτὲ δέ. Particulae autem *quum — tum* temporis quandam consecutionem indicant, ut vel post unam rem factam vel cum una re facta altera facta esse dicatur. Iam vero quoniam temporalis consecutionis notio ad caussalis consecutionis notionem translata est, caussalis autem consecutio a generali notione ad specialem descendere solet: factum est, ut hae particulae ibi usurpari solerent, ubi priore membro res generalis vel res minus gravis, posteriore res specialis vel res gravior contineretur (v. Adnotata in c. 39, 113.): quanquam haud pauci leguntur loci, in quibus utriusque membri aequa plane est ratio, ut supra c. 14, 41., nec desunt loci, in quibus certis quibusdam conditionibus prius membrum specialem, posterius generalem notionem notet, ut de Orat. I. 48, 211: *innumerabiles alios quum ex nostra civitate, tum ex ceteris,* quia hic omnes modo laudati viri Romani erant, ut Brut. XLIX, 183: *ex his Cotta et Sulpicius quum meo iudicio, tum omnium facile primas tulerunt* (sic optim. cod. Guelferb. B.), quia hic ipse Cicero loquitur, et sic recte suum priore loco affert iudicium. Horum librorum loci, in quibus vel codd. vel edd. fluctuantur, hi sunt: Supra c. 10, 28. recte legitur: omnibus enim virtutibus instructos et ornatos *tum* sapientes, tum viros bonos dicimus: ubi alii (v. V. Scr.) contra sententiam et contra optimos codd. scripserunt *quum sapient.* Significatur enim *bald — bald.* At nullo modo probandus est Wolfius, qui c. 14, 41. sic ex uno Ox. edidit: *quae est enim alia fortitudo, nisi animi affectio,* tum *in adeundo periculo, et in labore ac dolore patiens, tum procul ab omni metu?* Porro I. 12, 27. pro: „*quum* multis aliis rebus, tum e pontif. iure" temere *Schützius* edidit *tum* multis etc. 16, 38. extr. male *Wolfius* e coni. edidit: *tum honore disciplinae, tum etiam auctoritate* pro vulg. *quum h. d.* 25, 62. c. Dav. legendum est *quum.* Sic idem *Wolfius* lapsus est

rans, tum summa iucunditas e quotidiano cultu atque victu. Quid haec tandem vita desiderat, quo sit beatior? cui refertae[5] tot tantisque gaudiis fortuna ipsa cedat necesse est. Quod si gaudere talibus bonis animi, id est virtutibus, beatum est, omnesque sapientes his[6] gaudiis perfruuntur; omnes eos beatos esse confiteri[7] necesse est.

XXVI. 73. *A.* Etiamne in cruciatu atque tormentis? *M.* An tu me in viola putabas aut in rosa dicere? An Epicuro, quia[1] tantummodo induit personam philosophi et sibi ipse hoc nomen inscripsit, dicere licebit, (quod quidem, ut habet se res, me tamen plaudente dicit;) nullum sapienti esse tempus, etiamsi[2] uratur, torqueatur, secetur, quin possit exclamare: *Quam pro nihilo puto!* quum praesertim omne malum dolore definiat, bonum voluptate; haec nostra, honesta turpia, irrideat dicatque, nos in vocibus occupatos inanes sonos fundere, neque quicquam ad nos pertinere, nisi quod aut leve[3] aut asperum in corpore sentiatur; huic ergo, ut dixi, non mul-

5 Sic Petr. (a pr. m.) unus Leid. duo Oxx. b. (hic a sec. m.) et ed. vet. Bonh.; reliqui *cui rei refertae:* quod revocatum est a Kl., mihi vero admodum inficetum vdtr., quanquam defendi aliquo modo posse non nego; illud *rei* ex διττογραφία syllabae primae verbi *refertae* facile oriri potuit. 6 Sic codd.; sed multae edd. vett. *iis:* quod temere recepit Tr. V. ad I. 3, 5. 7 Sic R. P. Gud. 1. II. 2. Vind. 2. Mon. 2. et paucae edd. vett.; Or. c. vulg. *conf. beat. esse.* XXVI. 1 Sic R. P. Gud. 1. Med; Or. c. vulg. *qui.* Bene monet Kl., per *quia* orationi ironiae quendum colorem admisceri. 2 Sic R. P. Gud. 1. II. 2. Mon. 1. Marp. Rehd. duo Oxx. ed. D.: Or. c. vulg. *etsi.* 3 Unus Ox. Ern. Sch. Lall. *laeve,* scriptura prava; cf. ad I. 11, 22.

IV. 1, 2., ubi e coni. scripsit *idque tum coniectura probabile est, tum* etc. pro vulg. *quum coni.* cett. De IV. 5, 10. v. Adn. V. 1, 4. *Dav.* recte edidit *quum:* 10, 28. male *Klotzius* edidit *cum* sapientes; 14, 41. et 42. *W.* et *Or.* iniuria legunt *tum.* V. 24, 68. legendum: omnis *quum* subtilitas disserendi, tum veritas iudicandi. c. 26, 73. *Dav.* contra codd. male *cum* edidit; c. 34, 99. cum vulg. reponendum: *quum* copia facili, tum suavitate praestantia.

fortuna ipsa cedat] Paradox. V. 1, 34: cui quidem (sapienti) etiam, quae vim habere maximam dicitur, fortuna ipsa cedit.

Cap. XXVI. §. 73. *Etiamne* — §. 82.] Si concedatur, sapientem, in his occupatum studiis, beatum esse posse, tamen dubitari possit, num idem in cruciatu et tormentis beatus esse possit. Cicero respondet sic: si sapientem ponamus in vita suavissima et iucundissima, non opus est quaerere, possitne is beatus esse. Si ipsi Epicuro, qui omne malum dolore definiat, bonum voluptate, dicere licebit, sapientem semper, etiam in maximis cruciatibus, beatum esse, multo magis id iis faciendum est, qui hanc sequuntur sententiam, ut summum bonum in virtute positum esse statuant.

me in viola — aut in rosa dicere] H. e. violis aut rosis redimitum aut circumfusum dicere. (Cf. supra III. 18, 43: sertis redimiri iubebis et rosa.) Fin. II. 20, 65: (Regulum) quum vigiliis et fame cruciaretur, clamat virtus beatiorem fuisse, quam potantem *in rosa* Thorium: ubi v. *Ottonem* et *Madvigium*, qui laudant *Gronov.* ad Senec. Vit. beat. c. 11. Sic Senec. ep. 36, 9: iacere *in rosa.* Hor. Carm. I. 5, 1: Quis multa gracilis te puer *in rosa* — urget? ubi v. *Mitscherlichium* et *Regelium.*

An Epicuro etc.] Orationem exorditur, ac si sequatur: iis, qui nihil expetendum —, quod honestate careat, existimant, non licebit; sed diutius in Epicuri sententia explicanda moratus, structura deserta, pergit §. 75: Sed quum

tum differenti a iudicio ferarum, oblivisci licebit sui? et tum[4] fortunam contemnere, quum sit omne et bonum eius et malum in potestate fortunae, tum dicere se beatum in summo cruciatu atque tormentis, quum constituerit, non modo summum malum esse dolorem, sed etiam solum? 74. Nec vero illa sibi remedia comparavit ad tolerandum dolorem, firmitatem animi, turpitudinis verecundiam, exercitationem consuetudinemque patiendi, praecepta fortitudinis, duritiam virilem; sed una se dicit recordatione acquiescere praeteritarum voluptatium[5], ut si quis aestuans, quum vim caloris non facile patiatur, recordari velit, sese[6] aliquando in Arpinati nostro gelidis fluminibus circumfusum fuisse. Non enim video, quo modo sedare possint mala praesentia praeteritae voluptates. 75. Sed quum is dicat, semper beatum esse sapientem, cui dicere hoc, si sibi constare vellet, non liceret; quidnam faciendum est iis[7], qui nihil expetendum, nihil in bonis ducendum, quod honestate careat, existimant? Me quidem auctore etiam Peripatetici veteresque Academici balbutire aliquando desinant[8] aper-

4 D. contra codd. *cum;* at *tum — tum* est *modo — modo.* V. ad c. 25, 72. 5 v. Adn. 6 Sic scripsi c. recc. edd. e Mon. 1. Duisb. et e vestigiis codd. R. Gud. 1. II. duor. Oxx. Rehd. Marb., qui habent *esse*, P., qui habet *ēē;* Or. c. vulg. *se.* 7 Or. c. R. P. Gud. 1. II. Mon. 2. *his;* at v. ad I. 3, 5. 8 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. aliisque et Nonio pro *desin. aliq.*

is dicat etc. Cf. *Hand.* Tursell. I. p. 352. et *Madvig.* ad Fin I, 21, 72.

hoc nomen inscripsit] de Finib. II. 3, 7: qui (Epicurus) se unus, quod sciam, sapientem profiteri sit ausus.

ut habet se res] H. e. si rem ipsam spectamus, nulla habita ratione eius sententiae, qua omne malum dolore definiat, bonum voluptate. *Bentleius* legendum coniecit: *utut habet se res*, h. e. utcunque habet se res, quamvis non constet sibi, sed decreta sua everiat; sed *utut* Ciceronianum non est. Vocabulum *tamen* Orellius ad verba *ut res se habet* refert, Klotzius ad verba *quia — inscripsit;* uterque, ut videtur, non recte. In verbis enim: *quod quidem — dicit* haec inest sententia: Quod Epicurus dicit, sapientem semper, etiam in maximis cruciatibus, esse beatum; id *licet* pugnet cum reliquis eius decretis, *tamen* per se spectatum non possum non probare.

honesta turpia] V. ad V. 39, 114.

inanes sonos fundere Κενὰ φθέγγεσθαι. Supra III. 18, 42. Similiter Fin. II. 15, 48. in eadem re: ait (Epicurus) eos *inani voce sonare* — neque intelligere neque videre, sub hanc vocem honestatis quae sit subiicienda sententia: ubi v. *Goerenz.* p. 195. Cf. Academ. II. 23, 73: at mihi (videtur Empedocles) dignissimum rebus his, de quibus loquitur, *sonum fundere.*

ad nos pertinere] neque quicquam homines afficere, nisi quod aut leve aut asperum in corpore sentiatur, h. e. nisi quod sensibus percipiatur.

huic non multum differenti a iudicio ferarum H. e. huic, *cuius iudicium* non multum differt a *iudicio ferarum.* Cic. de Off. II. 7, 26: Phalaris, cuius est *praeter ceteros* nobilitata crudelitas i. e. praeter ceterorum crudelitatem: ubi cf. *Beier.* V. nos ad I. 1, 2.

§. 74. *recordatione praeter. voluptatium*] Cf. III. 15, 33. V. 31, 88. Uberius de hac Epicuri sententia disputat Cicero de Finibus II, 30. Cf. Diog. L. X, 22.

voluptatium] Sic c. *Klotz.* in Add. p. 200. et *Wesenb.* Em. III. p. 24. e R. P. Gud. 1. II. scripsi pro vulg. *voluptatum.* Genitivus *civitatium* ap. Ciceronem (ut Rp. II. 4, 8. ad Fam. IX. 8, 6. XII. 13, 3.) optimosque scriptores frequentissime legitur. Apud Livium huius genitivi nominum in *tas*, gen. *tatis* exeuntium exempla sunt frequentissima. V. *K. L. Schneider.* Ausführl. Gr. II, 1. p. 253. *Ruddimann.* Inst. Gr. L. p. 93. ed. Stallb. *Kühner.* L. Gr. §. 20, 2. e).

Arpinati nostro] Scil. fundo.

balbutire] *Balbutire* (*nicht recht mit der*

teque et clara voce audeant dicere, beatam vitam in Phalaridis taurum descensuram.

XXVII. 76. Sint[1] enim tria genera bonorum, (ut iam a laqueis Stoicorum, quibus usum me pluribus, quam soleo, intelligo, recedamus,) sint sane illa genera bonorum, dum corporis et externa iaceant humi et tantummodo, quia sumenda sint[2], appellentur bona, alia autem illa divina longe lateque se pandant caelumque contingant, ut[3], ea qui adeptus sit, cur eum beatum modo et non beatissimum etiam dixerim? Dolorem vero sapiens extimescet. Is enim huic maxime sententiae repugnat; nam contra mortem nostram atque nostrorum contraque aegritudinem et reliquas animi perturbationes satis esse videmur superiorum dierum disputationibus armati et parati; dolor esse videtur acerrimus virtuti[3] adversarius, is ardentes faces intentat, is fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam se debilitaturum

XXVII. 1 R. P. et pauci deteriores codd. *sunt*, v. ad I. 23, 55: *sum* passus. 2 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. aliisque aliquot edd. vett. pro vulg. *sunt*. 3 v. Adn.

Sprache heraus wollen, Wolf.) eleganter dicuntur Peripatetici veteresque Academici, quia beatam quidem vitam una virtute confici dicebant, sed beatissimam virtute et corporis fortunaèque bonis. Bene *Ernestius* in Clav. *balbutire* de iis accipit, qui satis clare, quae sentiunt, dicere nolunt. Alienum est exemplum de Divin. I, 1. ab Orellio allatum: Epicurum *balbutientem* de natura deorum, h. e. inepte disserentem.

descensuram] Sententia: dicant, beatam vitam ab una virtute pendere, nec quicquam malum esse, nisi quod honestate careat.

Cap. XXVII. §. 76. *laqueis*] fallacibus conclusiunculis. *Moser* comp. de Fato 4. de Or. I. 10, 43: „Stoici vero nostri disputationum suarum atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent.“ Stoici enim dicebant, corporis et externa bona non bona esse, sed tantum commoda, et ideo sapienti non expetenda, sumenda (*producta*, προηγμένα) tamen. V. Adnotata in c. 16, 47.

ut, ea] W. Or. Mos. Tr. particulam *ut* uncis sepserunt: quod nuper *Wesenberg*. Em. II. p. 14. probavit; Davisius cum Lambino *ut* exsulare iussit, quod probat Orellius, quem vide; ea vero deleta, id mihi videtur durissimum, quod haec ultima enuntiatio nullo vinculo cum antecedentibus sententiis copulata sit. Itaque in ed. pr. legendum putabam: *et, ea qui adeptus sit* cett.; sed postea meliora me edocuit *Handius* ad Wopkens. Lectt. p. 152., qui de h. l. scripsit sic: Mihi quidem haec Ciceronis verba non negligenter, sed pereleganter dicta videntur. Nam in ipsa interrogationis forma caussam video mutatae orationis. Dicere voluit Cicero: *ut, ea qui adeptus sit, beatus sit dicendus;* sed subito mutat sententiam et amplius addit: *cur eum beatum modo et non beatissimum dixerim?* Cf. ad I. 22, 50: *ut* — casurusne in conspectum videatur. *Moser* in censura laud. p. 615. coniicit, pro *ut ea qui* legendum esse: *eaque qui;* scilicet voculam *que* a seq. *qui* absorptam esse (quod facile fieri potuisse, si scriptum esset EAQQVI), tum vero voculam *ut* irrepsisse.

extimescet.] *Wopkensius* Lectt. Tull. I, 19. p. 147. post hoc verbum notam interrogandi posuit, ea scilicet ratione, quam ad IV. 26, 56. vidimus; sed dubito, num haec ratio in hunc locum quadret. Nam a verbis *Dolorem vero* etc. nova orditur quaestio.

acerrimus virtuti adversarius] Attende hoc exemplum, in quo *adversarius* cum adiectivo copulatum dativum pro gen. adiunctum habet. Probabiliter *Wesenberg*. Em. I. p. 29. legendum censet *virtutis*, comp. Off. III. 22, 80: *gravem adversarium imperii*. Har. resp. §. 34. *acerrimum Hennarchi adversarium*, *Th.* A quibus exemplis discernenda sunt ea, in quibus dativus pendet a sententiae verbo vel potius ex tota sententia, ut: est mihi acerbus adversarius, profiteor

minatur; 77. huic igitur succumbet virtus, huic beata sapientis et constantis viri vita cedet. Quam turpe! o dii boni! Pueri Spartiatae non ingemiscunt verberum dolore laniati. Adolescentium greges Lacedaemone vidimus ipsi incredibili contentione certantes pugnis, calcibus, unguibus, morsu denique, quum[3] exanimarentur prius, quam victos se[4] faterentur. Quae barbaria Indiâ vastior aut agrestior? In ea tamen gente primum ei[5], qui sapientes habentur, nudi aetatem agunt et Caucasi nives hiemalemque vim perferunt sine dolore, quumque ad flammam se applicaverunt[6], sine gemitu aduruntur. 78. Mulieres vero in India[6], quum est cuius[6] earum vir mortuus, in certamen iudiciumque veniunt, quam plurimum ille dilexerit; plures enim singulis solent esse nuptae; quae est victrix, ea laeta, prosequentibus suis, una cum viro in rogum imponitur; illa victa[6] maesta discedit. Nunquam naturam mos vinceret; est enim

4 Sic R. P. Gud. 1. II. aliique; Or. c. vulg. *se victos.* 5 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. 2. Mon. 2. Duisb. et edd. vett. P. D. pro vulg. *ii* vel *hi.* V. ad IV. 36, 78. 6 v. Adn.

me tibi acerbum adversarium. Saepe autem *s* litteram finalem in optimis codd., ut R et P, aut omitti aut addi, multis exemplis idem *W.* demonstravit.

ardentes faces] V. ad II. 25, 61.

§. 77. *Pueri Spartiatae*] Supra II. 14, 34.

quum exanimarentur] Sic recte Or. c. R. P. Gud. 1. II. 2. b. a pr. m. et reliquis plerisque pro vulg. *ut ex.* Saepe enuntiatio per *quum* inducta inservit explicationi aut descriptioni alterius enuntiationis. Cf. *Madvig.* Opusc. acad. alt. p. [illegible]

barbaria] Significat terram, in qua barbari habitant.

qui sapientes habentur] Brachmanae aut Gymnosophistae, inde dicti, quod *nudi per opacas Indiae solitudines perhibentur philosophari*, ut Isidori utar verbis Orig. VIII. c. 6. Comparat *Davisius* praeterea Val. Max. III. 3, 6. extr. Lucian de Mort. Pereg. T. II. p. 579. ed. Hemst. et Reitz. eund. in Fugit. p. 594. Plutarch. T. II. p. 499. C. Frcf. Porphyr. περὶ ἀποχῆς IV. §. 1[illegible]. Clem. Alex. Strom. II. p. 494. Pott. *Menkius* in Observv. ined. addit Plin. H. N. VII. 2, 2. Solin. LII, 25. P. de Bohlen „das alte Indien" Vol. I. p. 280 sq.

Caucasi] V. Adnot. in II. 22, 52.

applicaverunt] Sic recte Or. c. R. P. Vat. Gud. 1. II. Gr. trib. Pall.; alii codd. *applicaverint;* alii *applicuerunt.* Verba *applicandi* et *explicandi* apud Ciceronem semper et in perf. et in sup. sequuntur primam quae dicitur coniugationem; sed *implico* semper habet *implicui,* in partic. autem ap. Cic *implicatus,* nunquam, ut apud alios, *implicitus.* V. nos in Gr. L. §. 69, 5.

§. 78. *Mulieres vero*] Per anantapodoton pro: *tum mulieres,* praegresso *primum.* V. ad IV. 35, 74. Hunc autem Indicarum mulierum morem, qui etiam nostris temporibus valet, illustravit *Davisius* comp. Propert. III. 11, 15. Valer. Maxim. II. 6, 14. Stob. Serm. 122. p. 614. Plutarch. T. II. p. 499. C. et de simili Thressarum quarundam consuetudine Herodot. V, 5. Pomp. Mel. 2, 2. Verba *in India* Dav. et Ern. uncis sepserunt. Perperam; nam, iis deletis, intelligendae essent mulieres *eorum, qui sapientes habentur.*

quum est cuius] Sic recte Or. c. R. P. Vat. Gud. 1. II. 2. b. duob. Pall.; alii codd. et vulgo *cuiusque;* alii codd. *cuiusvis;* unus Ox. *alicuius;* Vind. 1. *cuiusquam.* Ernestius scripsit *cuiusvis,* sed uncos addidit. Nam non est, inquit, unius earum vir plurium; intelliguntur mulieres, quarum vir communis mortuus est. Hoc vero voc. eiecto, loci sententia pervertitur; quasi vero unus sit vir omnium mulierum; neque intelligitur, quo modo vox *cuiusvis* irrepserit. At omnis difficultas tollitur, si legitur *cuius,* quod est idem fere, quod *alicuius.* V. nos in Gr. L. §. 124, 1 et 2.

illa victa] Haec est omnium librorum

ea semper invicta; sed nos umbris, deliciis, otio, languore, desidia animum infecimus, opinionibus maloque more delenitum [7] mollivimus. Aegyptiorum morem quis ignorat? quorum imbutae mentes pravitatis [8] erroribus quamvis carnificinam prius subierint, quam ibim aut aspidem aut felem aut canem aut crocodilum violent, quorum etiam si imprudentes quidpiam fecerint, poenam nullam recusent. 79. De hominibus loquor. Quid bestiae? non frigus, non famem, non montivagos atque silvestres cursus [9] lustrationesque patiuntur? non pro suo partu ita propugnant, ut vulnera excipiant, nullos impetus, nullos ictus reformident. Omitto, quae perferant quaeque patiantur ambitiosi honoris caussa, laudis studiosi gloriae gratia [1], amore incensi cupiditatis. Plena vita exemplorum est.

XXVIII. 80. Sed adhibeat oratio modum et redeat illuc, unde deflexit [1]. Dabit, dabit [2], inquam, se in tormenta vita beata nec

7 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. Rehd. ed. D. pro vulg. *delin.* 8 v. Adn. 9 Victor. V. L. I, 16. testatur in vet. cod. legi *silvestricursus:* hinc et ex v. *montivagos* Fabricius suspicatur, totum locum ex aliquo vetere poeta petitum esse. Utraque ratio inanis est. 1 Multae edd. vett. *caussa;* fuerunt, qui ob anteced. *caussa* delendum censerent h. l. *gratia.* Utrumque male. XXVIII. 1 Ern. e Guelf. et ed. Iunt. *defluxit:* quod ab h. l. alienum est. Eadem scripturae varietas Lael. XXVI, 100. 2 v. Adn.

scriptura, nisi quod Leid. habet: *illa alia victa.* Davisius vero e Bentleii coniectura dedit: *illae victae moestae discedunt*, quum paullo ante dictum esset, *plures singulis solere esse nuptas.* Alii statuebant, duas tantum singulis nuptas fuisse: cui sententiae adversari videtur vox *plures*, itemque *quam plurimum.* Olivet. Ecl. Cic. l. d. explicat *illa victa: ceterae omnes s. quaecunque victa est.* — *Illa* igitur collective, ut aiunt, sumendum videtur, ut ceterae mulieres victae tanquam una opponantur uni mulieri victrici. Pronomen autem *ille* saepe vi δεικτικῇ rem antea quidem non commemoratam, sed notam, sed insignem atque illustrem indicat. Hunc usum pluribus *Orellius* illustravit exemplis, ut Cic. Orat. 1, 4: quodsi quem aut natura sua aut *illa* praestantis ingenii vis forte deficiet (*ingenii vis* non erat commemorata, ergo: jene ausgezeichnete Geisteskraft). Tacit. Germ. c. 14: *illum* bellatorem equum, *illam* cruentam victricemque frameam.

umbris] vita umbratili.

pravitatis erroribus] H. e. erroribus, qui nascuntur ex pravitate. V. ad III. 1, 1: eiusque utilitas. Nullo modo opus est cum Lambino legere *pravis erroribus*, ut est in duob. Oxx. Cf. *Wopkens.* Lectt. Tull. p. 152 sq. H.

ibim — violent] Cicer. N. D. I. 29, 82: Ne fando quidem auditum est crocodilum aut ibim aut felem violatum ab Aegyptio: cum quo Davis. comparavit Herodot. 2, 65: ubi v. *Baehr.* Diod. Sic. I. p. 74. Origen. in Cels. I. p. 40. Timoclem. ap. Athen. VII. p. 380. *Moser* addit *F. S. Zickleri* Diatr. de Aegyptiis bestiarum cultoribus Ien. 1756. §. 4 sq. p. 10 — 19. *Meiners.* Über d. Thierdienst d. Aeg. in ei. Philos. Schrift. I. p. 192 — 250. eiusd. Hist. de vero deo I. 23 sq. *Creuzeri* Commentt. Herodott. I. p. 110 — 164. eiusd. Symb. u. Myth. I. p. 475 — 493. ed. 2.

quorum — si — quidpiam fecerint] *quorum* i. e. quarum rerum (violare ibim aut asp. aut felem etc.). *Wolfius* refert *quorum* ad bestias commemoratas, ut haec sit sententia: si quam harum bestiarum violaverint, et verb. *fecerint* pro *violaverint* dictum sit: de quo usu v. ad IV. 14, 31. Sed haec ratio minus placet.

Cap. XXVIII. §. 80. *illuc, unde deflexit*] c. 20.

Dabit, dabit] Omnes praeter unum Ox. codd. om. alterum *dabit;* contra habent omnes praeter S. et E. edd. vett. Recte monet *Moser* talia verba repetita saepissime excidere additumque *inquam* satis tueri verbum illud repetitum. *Klotzius*, quem secutus est *Tregder*, delevit

iustitiam, temperantiam in primisque fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam[2] prosecuta, quum tortoris os viderit, consistet virtutibusque omnibus sine ullo animi terrore ad cruciatum profectis resistet extra fores (ut ante dixi) limenque carceris. Quid enim ea foedius, quid deformius sola relicta, a comitatu[2] pulcherrimo segregata? Quod tamen fieri nullo pacto potest. Nec enim virtutes sine beata vita cohaerere possunt, nec illa sine virtutibus. 81. Itaque eam tergiversari non sinent secumque rapient, ad quemcunque ipsae dolorem cruciatumque ducentur. Sapientis est enim proprium nihil, quod poenitere possit, facere, nihil invitum, splendide, constanter, graviter[3], honeste omnia, nihil ita exspectare, quasi certo futurum, nihil, quum acciderit, admirari, ut inopinatum ac novum accidisse videatur, omnia ad suum arbitrium referre, suis stare iudiciis. Quo quid sit beatius, mihi certe in mentem venire non potest. 82. Stoi-

3 Tr. c. R. Duisb. *graviter, constanter;* at cf. c. 5, 12. 13. c. 36, 104. De transpositionibus vocabulorum v. *Wesenb.* Em. I. p. 20. *Tregd.* praef. p. XI.

alterum *dabit* et verbum *inquam* confirmandae tantum sententiae iam c. 26, 75. propositae inservire arbitratur.

patientiam] Vat. R. P. Gud. 1. II. Gr. quinque Pall. duo Oxx. Marb. Vind. 1. 2. *patientia*, adversante sententia; non enim de patientia, sed de vita beata patientiam reliquasque virtutes prosecuta agitur, uti recte docet D.

ut ante dixi] c. 5, 13.

a comitatu] Addidi c. L. et W., nuper etiam Wesenb. Em. III. p. 24., e coni. praepositionem *a*, quia verbum *segregandi* nemo scriptor cum simplici ablativo iunxit, nisi Accius poeta ap. Non. vv. *faventia* et *obscaenum:* Edicite per urbem, ut omnes ominibus faustis augustam adhibeant faventiam, *ore* obscaena dicta *segregent:* ubi tamen in Nonii cod. Acciano *ab* post *faventiam* facile excidere potuit, uti suspicatur *Wesenb.*, qui recte docet, antiquiores prosae orationis scriptores, ut Ciceronem, Caesarem, Sallustium, verba cum inseparabilibus particulis *se, re, dis* composita nunquam de motu a loco nisi addita praepositione (*ab, ex, de*) posuisse videri; licentiam omittendae praepositionis a poëtis profectam ad posteriores prosae orationis scriptores manasse. Cf. nos in Gr. L. §. 115. Not. 20. Litteram *a* h. l. facile ultima praecedentis vocabuli littera absorberi potuit. Cf. ad I. 23, 54: a primo. V. 25, 70. 37, 106. *Moser* defendit omissam praepositionem, quum dicit, fieri etiam posse, ut evitaverit Cicero hiatum et κακοφωνίαν consulto, et potuisse Ciceronem ita scribere, quum *segregata* idem fere sit, quod *destituta.*

cohaerere] V. ad III. 25, 61.

§. 81. *quod poenitere possit*] *Quod* non, uti *Davisius* et *Klotzius* arbitrantur, nominativus est, sed accusativus, ut de Inv. 2, 13: Utrum id facinus sit, *quod poenitere* fuerit necesse. Observent enim tirones, verba cuiuscunque generis cum accusativo pronominum coniungi posse; hinc apud veteres legitur: *id operam do, id studeo, id doleo, id succenseo*, similia. Vetusti vero Romanorum scriptores, ut Plautus, ut Terentius, verba impersonalia *pudet, piget, poenitet*, alia, nonnunquam personaliter posuerunt, ut Ter. Adelph. IV. 7, 36: *non te haec pudent?* Plaut. Sticho I. 1, 50: *me quidem haec conditio nunc non poenitet.* V. *Ramshorn.* L. Gr. §. 113. Not. 2. *Kühner.* L. Gr. §. 112. Not. 3. Sed supra V. 18, 53: „sequitur, ut *nihil poeniteat*, nihil desit, nihil obstet" *nihil* pro nominativo accipiendum videtur ob concinnitatem membrorum.

nihil — admirari, ut inopinatum ac novum accidisse videatur] De v. *admirandi* v. ad c. 3, 8. „Particula *ut* nostro sermone melius redditur *als wenn*, quam *so dass*, quanquam cavendum est, ne quis credat, *ut* revera significare idem atque *quasi*," ut ait *Stürenburg.* ad pr. Arch. 12, 30. p. 159. comp. de Rep. I. 40, 62: tum prorsus ita acta pleraque, *ut* in po-

corum quidem facilis conclusio est, qui quum finem bonorum esse senserint congruere naturae cumque ea convenienter vivere, quum id sit in sapiente[4] situm non officio solum, verum etiam potestate; sequatur necesse est, ut, cuius in potestate summum bonum, in eiusdem vita beata sit. Ita fit semper vita beata sapientis. Habes, quae fortissime de beata vita dici putem et, quo modo nunc est, nisi quid tu melius attuleris, etiam verissime.

XXIX. *A.* Melius equidem afferre nihil possum; sed a te impetrarim libenter, ut[1], nisi molestum sit, (quoniam te nulla vincula impediunt ullius certae disciplinae libasque ex omnibus, quodcunque te maxime specie veritatis movet,) quod paullo ante Peripateticos veteremque Academiam hortari videbare, ut sine retractatione libere dicere auderent, sapientes esse semper beatissimos, id velim audire, quemadmodum his putes consentaneum esse id dicere. Multa enim

4 v. Adn. XXIX. 1 v. Adn.

pulo essent omnia. de Or. I. 25, 115: neque haec ita dico, *ut* ars aliquid limare non possit. De sententia v. ad III. 14, 30.

§. 82. *finem bonorum esse senserint*] H. e. iudicarint, censuerint. *Madvigius* ad Fin. 2, 3. p. 147. et in Addend. p. 867. complures e Cicerone congessit locos, in quibus verbum *sentiendi* c. acc. et inf. iunctum hanc significationem habet; sed nescio cur rariorem hunc usum dicat, quum apud Ciceronem sit frequentissimus.

congruere naturae] de Fin. III. 9, 31. V. nos in l. d. *de Cicer. in phil. mer.* p. 227.

quum id sit in sapiente situm non officio solum, verum etiam potestate] Hanc omnium codd. scripturam recte revocavit *Klotzius.* Or. et nuper Tregder e Lamb. coni. ediderunt: q. i. s. in *sapientis situm non officio solum* etc. Similem nostro locum *Klotzius* attulit e l. de Sen. 16, 56: „num igitur horum senectus miserabilis fuit, qui se agri cultione oblectabant? mea quidem sententia haud scio, an ulla beatior possit esse, neque solum *officio* (der Pflicht nach), quod hominum generi universo cultura agrorum est salutaris, sed et *delectatione*, quam dixi, et *maturitate copiaque* rerum omnium, quae ad victum hominum, ad cultum etiam deorum pertinent?“ Eiusmodi ablativi indicant, aliquid enuntiari *ratione habita alicuius rei.* V. nos in Gr. L. §. 115, 4. c).

quae fortissime — dici putem] „auf die Weise, wie es einem *vir fortis* zukommt.“ *Orelli.*

Cap. XXIX. *ut, nisi molestum sit*] Ernestius cum Davisio particulam *ut*, quae abest a paucis deterioribus codd., eiecit: quod equidem probare non possum. Iam supra ad III. 8, 16. demonstravimus, haud rara esse apud veteres scriptores exempla, in quibus sententia aliter continuetur, ac pro eius initio exspectetur; sic hoc loco oratio ita exorditur, ac si sequatur: *id mihi demonstres, quemadmodum* cett. Cf. *Beier.* ad Offic. 3, 26. p. 365.

nulla vincula] V. ad IV. 4, 7.

paullo ante] c. 26, 75.

sine retractatione] V. ad I. 31, 76.

id velim audire, quemadmodum — id dicere] Frustra Ernestius alterutrum *id* deletum volebat.

contra istam sententiam] qua sapientem beatum quidem esse semper statuebant, sed non semper beatissimum.

§. 83. *nobis solis*] recentioribus Academicis.

nullius auctoritate] *Nullius* vices sustinet soloeci genitivi *neminis.* V. *Stürenburg.* in II. Commentat. ad Offic. c. 2 sqq. et nos in Gr. L. §. 39. Not. 2.

de finibus] bonorum et malorum. Cf. 30, 84. De v. *fin.* v. ad II. 1, 3.

quod quidem Carneadem] Locum sic interpretor: Stoici statuebant, ex una ea sententia, qua nihil bonum esset, nisi quod honestum esset, nihil malum, nisi quod turpe esset, virtutem satis habere

a te contra istam sententiam dicta sunt et Stoicorum ratione conclusa. 83. *M.* Utamur igitur libertate, qua nobis solis in philosophia licet uti, quorum oratio nihil ipsa iudicat, sed habetur in omnes partes, ut ab aliis possit ipsa per sese, nullius auctoritate adiuncta, iudicari. Et quoniam videris hoc velle, ut, quaecunque dissentientium philosophorum sententia sit de finibus, tamen virtus satis habeat ad vitam beatam praesidii: quod quidem Carneadem disputare solitum accepimus; sed is, ut contra Stoicos, quos studiosissime semper refellebat et contra quorum disciplinam ingenium eius exarserat; nos illud quidem[2] cum pace agemus. Si enim Stoici fines bonorum recte posuerunt[3], confecta res est; necesse est semper beatum esse sapientem. 84. Sed quaeramus unamquamque reliquorum sententiam, si fieri potest, ut hoc praeclarum quasi decretum beatae vitae possit omnium sententiis et disciplinis convenire.

2 Tr. e coni. Bouh. *illud idem c. p. a.* Cf. Adn. 3 v. Adn.

ad vitam beatam praesidii. Contra quam sententiam Carneades, et quidem acriter, ut contra Stoicos, quos studiosissime semper refellebat, disputabat, non ex hac una sententia, sed quaecunque dissentientium philosophorum sententia esset de summo bono et de summo malo, tamen virtutem sufficere ad vitam beatam. Breviloquentia, qua Cicero usus est, oratio paullo impeditior facta est, quae sic est complenda: quod quidem C. disp. solitum accepimus; sed is, ut contra Stoicos —, *id egit studiosissime.* Haec verba ex antecedentibus *quos studiosissime semper refellebat* et ex seqq. *illud quidem agemus* supplenda sunt. Constructio haec est: *quoniam videris hoc velle, ut — virtus satis habeat ad v. b. praesidii*, de hac sententia, quam etiam Carneades tenuit, sed, ut contra Stoicos, nimis acriter egit, nos quidem cum pace agemus. — Verba *illud quidem* respondent antecedentibus *quod quidem.* Supersedere igitur possumus *Lambini* coniectura: *hoc quidem Carn. — nos autem illud c. p. a.*, et *Wesenbergii* Em. I. p. 21.: *nos quidem illud c. p. a.*, ut v. *nos* opponatur *Carneadi.*

sed is, ut contra Stoicos] H. e. sed is *studiosissime:* quod e sequentibus eliciendum est. *Ut contra Stoicos* h. e. ut exspectari poterat, quum contra Stoicos disputaret. V. ad I. 8, 15. De re cf. IV. 24, 53.

posuerunt] *Klotzius* e R. et P., qui *possiver'* exhibent, edidit *posiverunt,* haec addens: „Wir glauben, dass C. nicht ohne Grund hier das alterthümliche *posiverunt* gewählt habe; er wollte dadurch zu erkennen geben, dass er an einen Markstein, an eine Gränzsäule dachte, worauf das FINIS POSIVERVNT VICINI eingegraben war. Die Form *posivi* kam nicht nur in d. älteren Sprache sehr oft vor, sondern blieb auch noch in d. Sprache des gemeinen Lebens bis in die späteste Zeit. So hat Cato R. R. praef. *posiverunt,* c. 4. *posiveris.* Ausserdem findet sich die Form b. Plaut., Lucil., Catull., u. auf Inschriften u. Steinen sehr häufig. Vgl. *Struve* über d. Lat. Decl. u. Conjug. p. 198. u. p. 281 f.“ Etsi hanc disputationem satis plausibilem esse fateor neque intelligo, quomodo haec antiqua forma, nisi in archetypo fuerit, in codices irrepere potuerit; tamen, quum eius nullum alibi apud Ciceronem reperiatur vestigium, a me impetrare non potui, ut eam reciperem.

§. 84. *si fieri potest*] *Wolfius* non recte per breviloquentiam dictum esse putat pro: „*ut videamus, num fieri possit:* quod tamen non prorsus despero.“ Immo verba sic iungenda sunt: *Sed quaeramus, si fieri potest, unamq. r. sent., ut hoc pr. — possit — convenire.*

quasi decretum] *Wolfius* vocabulum *quasi* additum putat, quia *decretum* usurpetur de iis, quae publice decernuntur. Tenendum vero ait *Moser*, Ciceronem, ubi primum eo vocabulo usus esset, Graecum nomen, cui illud accommodatum esse volebat, addidisse: Acad. II. 9, 29: quoniam id haberent Academici

XXX. Sunt autem hae de finibus, ut opinor, retentae defensaeque sententiae. Primum simplices quattuor: nihil bonum, nisi honestum, ut Stoici; nihil bonum, nisi voluptatem [1], ut Epicurus; nihil bonum, nisi vacuitatem doloris [1], ut Hieronymus; nihil bonum, nisi naturae primis bonis aut omnibus aut maximis frui, ut Carneades contra Stoicos disserebat. Haec igitur simplicia; illa mixta: 85. tria genera bonorum, maxima animi, secunda corporis, externa tertia, ut Peripatetici, nec multo veteres Academici secus; voluptatem cum honestate Dinomachus [1] et Callipho [2] copulavit; indolentiam autem honestati Peripateticus Diodorus adiunxit. Hae sunt sententiae, quae stabilitatis aliquid habeant; nam Aristonis, Pyrrhonis, Herilli non-

XXX. 1 v. Adn. 2 Or. e coni. Wolfii *Calliphon*, adversantibus omnibus codd. et edd. V. ad I. 47, 113.

decretum, (sentitis enim iam me hoc δόγμα dicere,) nihil posse percipi.

Cap. XXX. *hae de finibus sententiae*] V. de Finib. II. 6, 19. 11, 34—36. V. init.

nisi voluptatem] Ern. c. Guelf. et uno Ox. *voluptas — vacuitas;* male; supplendum est enim *esse*, et acc. c. inf. pendet a v. *sententiae.*

vacuitatem doloris] Sic Or. c. Gud. 1. tribus Oxx. Vind. Marb. et edd. vett. omnibus praeter P.; plerique codd. et optimi, ut R. P. Gud. II., om. *doloris:* quod abesse non potest et in eadem re semper a Cicerone additur, cf. Fin. 2, 5. et 11.

naturae primis bonis] Academ. II. 42, 131: Introducebat etiam Carneades, quo non probaret, sed ut opponeret Stoicis, summum bonum esse, frui iis rebus, quas primas natura conciliavisset. Fin. II. 11, 35: Carneadi, frui principiis naturalibus, esset extremum. Graece τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, prima secundum naturam, in quibus numerant (philosophi) incolumitatem conservationemque omnium partium —: quorum similia sunt prima in animis, quasi virtutum igniculi et semina, ut ait Tullius de Fin. V. 7, 18. Cum his *Davisius* comparat Gellium 12, 5: A veteribus philosophis τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν appellata sunt, ut omnibus scilicet corporis sui commodis gauderet, ab incommodis omnibus abhorreret. Sen. ep. 66. Cf. *Madvig.* ad Fin. IV. 6, 15. p. 508 sq. et *Seyffert.* ad Lael. 6, 20. p. 121.

§. 85. *voluptatem cum honestate Dinomachus et Callipho*] De horum sententia v. quae contulit *Beier* ad Off. III. 33, 119. p. 413. *Schuchius* observavit, Dinomachum a Luciano in Philopseud. c. 6. T. III. p. 34. ed. Reitz. aperte vocari Stoicum. Pro *Dinomachus* cod. Vind. 1. et pleraeque edd. vett. exhibent *Clitomachus;* perperam, uti ex Ciceronis allatis locis apparet. Adde quem *Frc. Fabr.* affert Lactant. 3, 7: Calliphon et Dinomachus Cyrenaici honestatem cum voluptate iunxerunt.

Aristonis, Pyrrhonis, Herilli] Academ. II. 42, 130: *Aristo*, quum Zenonis fuisset auditor, re probavit ea, quae ille verbis, nihil esse bonum, nisi virtutem, neque malum, nisi quod virtuti esset contrarium; in mediis ea momenta, quae Zeno voluit, nulla esse censuit. Huic summum bonum est, in his rebus neutram in partem moveri, quae ἀδιαφορία ab ipso dicitur. *Pyrrho* autem ea ne sentiri quidem sapientem: quae ἀπάθεια nominatur. Legg. I. 21, 55: *Aristo* dixit, solum bonum esse, quod honestum esset, malumque, quod turpe, ceteras res omnes plane pares, ac ne minimum quidem, utrum adessent, an abessent, interesse. De *Aristone* cf. Diog. L. VII. c. II. §. 160. Fin. V. 25, 73: *Herillus* scientiam summum bonum esse defendit, nec rem ullam aliam per se expetendam. Lactant. Instit. 3, 7: *Herilli* summum bonum est scientia (κατ' ἐπιστήμην ζῆν). De *Herillo* cf. Diog. L. VII. c. III. §. 165. V. eruditissimam adnotationem *Beieri* ad Offic. I. 2, 6: Aristonis, Pyrrhonis, Herilli iam pridem explosa sententia est. Adde nos in libro dicto p. 72.

Hi quid possint obtinere] H. e. quomodo sententia illa, qua virtute vita beata confici dicitur, e singularum disciplinarum ratione possit defendi. V. Adnotata in I. 12, 26.

nullorumque aliorum evanuerunt. Hi quid possint obtinere, videamus, omissis Stoicis, quorum satis videor defendisse sententiam. Et Peripateticorum quidem explicata caussa est; praeter Theophrastum et si qui illum secuti imbecillius horrent dolorem et reformidant, reliquis quidem licet facere id, quod fere faciunt, ut gravitatem dignitatemque virtutis exaggerent. Quam quum ad caelum extulerunt[3], quod facere eloquentes homines copiose solent, reliqua ex collatione facile est conterere atque contemnere. Nec enim licet iis[4], qui laudem cum dolore petendam esse dicant[5], negare eos esse beatos, qui illam adepti sunt[5]. Quanquam enim sint in quibusdam malis, tamen hoc nomen beati longe et late patet.

3 Sic scripsi c. Tr. pro vulg. *extulerint:* quod ferri nequit. V. ad II. 24, 58. 4 R. P. Gud. 1. II. aliique *his.* V. ad I. 3, 5. 5 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. sex Oxx. aliisque pro vulg. *dicunt:* quod ob seq. *adepti sunt* ortum videtur, pro quo Ern. e coni. *ad. sint* scripsit.

explicata caussa est] H. e. plana, non abstrusa, facilis intellectu, expedita. *Moser* comp. p. Planc. 2, 5: caussa facilis atque *explicata.* ad Att. IX. 7, 2: (litterae tuae,) quibus nihil potest esse *explicatius,* nihil perfectius. Cf. *Seyffert.* ad Lael. 17, 61. p. 380., qui ex participiis adiectivorum vim habentibus affert: emendatus, inquinatus, corruptus, perditus, profligatus, distinctus, involutus, confusus, contortus.

Theophrastum] V. de Finib. V. 5, 12: ubi v. *Madvigium* p. 631. Cf. supra c. 9, 24. et 25.

licet] ex eorum principiis. *Neidius.*

exaggerent] V. ad c. 18, 51.

ex collatione] Ernestius explicat κατ' ἀναλογίαν: Neidius: *e notionum coniunctione;* bene Wolfius: *aus dem Kontraste,* et Nissenius: *reliquarum rerum cum virtute facta comparatione,* quam sint eae contemnendae, facile patet. Peripatetici enim dicebant, gloriam esse petendam etiam cum dolore; gloriam autem qui adepti essent, beatos esse; gloriam autem nisi virtute acquiri non posse: ergo virtutem efficere vitam beatam.

conterere] quasi pedibus conculcare (opp. *ad caelum extulerunt*) exquisite pro: despicere, pro nihilo habere. Sic pro Sestio 40, 86: praeter hoc, quod iam *contritum* et contemptum putatur, iudicium bonorum.

Quanquam enim sint] Legg. III. 8, 18. *quanquam* ad commodum senatus pertinere *videatur,* tamen etc.: ubi plura contulit *Goerenz.* p. 238. de Orat. III. 8, 27: *quanquam* omnibus par paene laus — *tribuatur.* Offic. I. 2, 6: Quae *quanquam* ita sint in promptu, ut res disputatione non *egeat;* tamen sunt a nobis alio loco disputata. Multi viri docti de hac constructione disputaverunt eamque vario modo diiudicaverunt. V. *Ellendtum* ad Brut. XXX, 115. *Ottonem* ad Fin. III. 21, 70. *Müller.* ad de Orat. I. 6, 21. p. 18. *Moserum* ad Legg. III. 8. p. 413. *Madvig.* ad Fin. III, 21. p. 470. *Bakium* ad Legg. III. 8, 18. *Kritz.* ad Sall. Iug. III, 2. *Wesenberg.* Em. I. p. 10 sq., qui multos Ciceronis locos correxit, *Ramshorn.* L. Gr. §. 194. p. 881 sq. ed. 2. *Kühner.* L. Gr. §. 155. Not. 1. Apud argenteae aetatis scriptores nihil frequentius hac constructione. V. *Spalding.* ad Quinctil. de Inst. or. prooem. 18. p. 15. Ubi apud Ciceronem *quanquam* cum coniunctivo iunctum reperitur, concessio non simpliciter ponitur, sed ad alterius, quicum oratio instituta est, cogitationem refertur, ut h. l.: quanquam facile *tibi concedo, quum dicis,* eos esse in quibusdam malis. Indicativum igitur ab hoc loco alienum esse, facile est ad intelligendum. Quare coniunctivus recte sese tuebitur, ubi is qui loquitur aliquid *dubitanter* et *cum fluctuatione quadam* concedit, ubi rem concessam non ut veram atque indubitatam proponit, sed ad alterius, quicum loquitur, iudicium refert ex eoque aptum facit. Quae verba etsi, ni fallor, tam clara sunt atque plana, ut vel puerulus intelligere possit, me non eorum sequi opinionem, qui coniunctivum a coniunctione *quanquam* pendere statuunt, sed coniunctivum per se, nulla coniunctionis habita ratione, necessarium esse censere; tamen vir doctissimus,

XXXI. 86. Nam ut quaestuosa mercatura, fructuosa aratio dicitur, non si altera semper omni damno, altera omni[1] tempestatis calamitate semper vacat, sed si multo maiore ex parte exstat in utraque felicitas; sic vita non solum si undique referta bonis est, sed si multo maiore et graviore ex parte bona propendent, beata recte dici potest. 87. Sequetur igitur horum[2] ratione vel ad supplicium beata vita virtutem cumque ea descendet in taurum, Aristotele, Xenocrate, Speusippo, Polemone auctoribus, nec eam minis[3] aut blandimentis corrupta deseret. Eadem Calliphontis erit Diodorique sententia, quorum uterque honestatem sic complectitur, ut omnia, quae sine ea sint, longe[4] retro ponenda censeat. Reliqui habere se videntur angustius; enatant tamen: Epicurus, Hieronymus et si qui sunt, qui de-

XXXI. 1 Sic Or. c. cod. Urs. et uno Ox.; reliqui *omnis:* quod recepit Kl., nunc autem in Add. reiicit. 2 Sic Or. c. Gud. 1. 2. sex Oxx. Rehd. Duisb. Guelf. et aliquot edd. vett.; alii codd., ut R., *honorum;* vulg. *bonorum* (sic etiam P.) 3 Sic egregie coni. Bentl. et vere legitur in Gud. 1., qui tamen sequens *aut* omittit; vulgo et omnes fere codd. (etiam R. P.) *eam minimis bl.:* quam absurdam scr. Kl. recepit ingentique verborum turba defendit, nunc autem in Add. deseruit; Tr. *minis* [*blandimentis*]; at *minis corrumpi* Latine non dici vere observavit *Wes.* Em. II. p. 11., qui probat Bentl. coniecturam et l. d. p. 9. multa exempla contulit, in quibus a librariis mediis vocabulis syllabae illatae sunt. Depravato autem *minis* in *minimis*, sponte patet, cur *aut* omissum sit. Rehd. *minimis ā bl.:* e quo compendio facile intelligitur, quomodo ex *minis aut bl.* fieri potuerit *minimis bl.* 4 v. Adn.

Ellendtus ad de Or. I. 6, 21. Vol. II. p. 20., perversam illam mihi tribuit sententiam.

Cap. XXXI. §. 86. *propendent*] praeponderant, ut loquuntur posterioris aetatis scriptores. Apud Ciceronem passive tantum usurpatur hoc verbum, ut *praeponderari honestate.* Metaphora ducta est a libra. V. supra c. 17, 51.

§. 87. *horum ratione*] Scil. Peripateticorum; *descendet in taurum*, scil. Phalaridis; cf. 26, 75.

nec eam minis aut blandimentis corrupta deseret] H. e. nec beata vita *minis doloris* (a se repellentibus) *territa* nec *voluptatis blandimentis* (ad se revocantibus) *corrupta* virtutem ad supplicium proficiscentem deseret, uti eleganter h. l. explicavit *Wesenb.* Em. II. p. 11., comp. V. 6, 14. Tacit. Ann. 15, 61: *blandimentis vitae evictam* sc. ut mori nollet. Fin. I. §. 33: *blanditiis p. voluptatum deleniti* atque *corrupti.* Acad. II. §. 139. Tusc. IV. §. 6. p. Cael. §. 11.; de zeugmate v. supra ad II. 24, 37.

longe retro ponenda] longe posthabenda. Auctore *Wesenbergio* Em. I. p. 30. delevi *et*, quod inter *longe* et *retro* interiectum in omnibus codd. legitur. *Longe retro ponere* dictum est, ut *longe postponere, antep.*, similia. *Et* in codd. saepe ex *e* natum esse, W. multis exemplis demonstravit; cf. V. Scr. IV. 4, 8. *Tischer* e coni. edidit *longe ei retro p.:* quod minus placet.

angustius] pluribus difficultatibus urgentur. *Ernestius* Clav. h. v. Dein *enatant* est has difficultates superant.

desertum] quia eius sententiam de summo bono nemo Academicorum post eum defendit. *Neidius.* Hinc de Finib. 4, 18: Quid censes eos esse facturos, qui omnino virtutem a bonorum fine segregaverunt, Epicurum, Hieronymum, illos etiam si qui Carneadeum finem tueri volunt. et 2, 12: Reiicitur etiam Carneades; nec ulla de summo bono ratio, aut voluptatis, non dolendive particeps, aut honestatis expers probabitur. V. de eius sententia supra c. 30, 84. ibique Adnotata.

Nemo est enim, quin verorum bonorum animum] Sic scripsi de Bentl. coni. *Vera bona* opponuntur seqq.: *ea, quae bona — videantur.* Omnes fere codd. et Non. p. 82, 27. sic legunt: *nemo est enim, qui eorum bon. a.*, sententia reluctante. Hinc L. *qui* mutavit in *quin*, idque duo Oxx. habere videntur; Rehd. pro *qui* habet *qui non;* Or. de coni. Ern., etiam Wesenbergio Em. I. p. 21. pro-

sertum illum Carneadem curent defendere. Nemo est enim, quin *verorum*[4] bonorum animum putet esse iudicem eumque condocefaciat, ut ea, quae bona malave videantur, possit contemnere. 88. Nam quae[5] tibi Epicuri videtur, eadem erit Hieronymi et Carneadis caussa et hercule[6] omnium reliquorum. Quis enim parum est contra mortem aut dolorem paratus? Ordiamur ab eo, si placet, quem mollem, quem voluptarium dicimus. Quid? is tibi mortemne videtur, an dolorem timere? qui eum diem, quo moritur, beatum appellat maximisque doloribus affectus eos ipsos inventorum suorum memoria et recordatione confutat[7] nec haec[8] sic agit, ut ex tempore quasi effutire videatur. De morte enim ita[9] sentit, ut, dissoluto animante, sensum exstinctum putet, quod autem sensu careat, nihil ad nos id

5 Sic Or. c. quatt. Oxx. Mon. 2. Vind. 2. aliisque paucis et omnibus praeter P. edd. vett.: plerique codd. et optimi, ut Vat. R. P. Gud. 1. II., *quod:* id revocavit Kl., mire interpretans sic: *Denn was deine Ansicht v. Ep. ist.* Idem nunc in Add. p. 202. corruptela hunc locum laborare suspicatur. *Keilius* in Pr. d. p. X. *quod* pro coniunctione habet. 6 Sic Or. c. R. Gud. 1. II. aliisque codd. pro vulg. *hercle.* 7 v. Adn. 8 Sex Oxx. Gud. 2. Mon. 1. 2. et pleraeque edd. vett. *hoc.* 9 Sic Or. c. Gud. 2. Vind. 1. 2. uno Leid. et multis edd. vett.; reliqui codd. et optimi Vat. R. P. Gud. 1. II. *ista:* quod revocavit quidem Kl., sed nunc in Add. reiicit.

bata, edidit: *nemo est enim e o r u m, quin bonorum a.*; Tr. *n. est enim, quin* [*eorum*] *b. a.*; Kl. *n. est enim, quin eorum b. a.*, sic interpretans: *denn es gibt Niemanden, der von ihnen nicht* u. s. w. pro: *es gibt Niem. von ihnen, der nicht* u. s. w.: qua interpretatione nihil proficitur. Pronomen *eorum* post v. *nemo est enim* non admodum desideratur, quum per se pateat, non omnium, sed eorum, qui commemorati sunt (*reliquorum: Epicuri, H. et si qui — curent def.*), neminem fuisse dici, quin ita sentiret.

condocefaciat] Exquisitius dictum pro vulgari: animum instituat.

§. 88. *voluptarium* Sic etiam Fin. V. 25, 74. Epicureos *voluptarios* appellat.

Quid? is tibi mortemne etc.] „Quae sequuntur, pertinent ad eam Epicuri ad Hermarchum epistolam, quam scripsit extremo vitae die, quamque Latine conversam legimus de Finn. 2, 30. Legimus eandem Graece ap. Diog. L. 10, 22., qui eam ad Idomeneum scriptam fuisse memorat: qua de re v. intp., in primis Menagium p. 454 sq.“ *Davisius.*

memoria et recordatione] V. supra c. 26, 74. Significationis discrimen utriusque vocabuli eleganter *Seyffertus* ad Lael. 27, 104. p. 558. constituit: *recordatio et memoria* ist nichts weiter, als was wir *lebendige Erinnerung* nennen; *memoria* ist die blosse Erinnerung eines Früheren, insofern sie mittelst der mens et cogitatio geschieht; *recordatio* dagegen die *Vergegenwärtigung* und *Beherzigung* des Vergangenen cum animo et affectu, comp. *Herzog.* ad Caes. C. 3, 72. p. 444. C. p. Ligar. 12, 35: reminiscentem recordari. Plerumque *memoria*, ut genus, praemittitur *recordationi*, ut parti, ut Brut. 2, 9. Ubi autem contrarius ordo reperitur, ut Lael. l. d. de Or. I. 53, 228., ibi *memoria* (d. Andenken) a *recordatione* (d. Zurückrufen in die Seele) pendere cogitatur, uti idem *Seyff.* verissime docuit.

confutat] H. e. reprimit, sedat, compescit. Supra II. 23, 55: Refutetur ac reiiciatur Philocteteus ille clamor. Proprie verbum *confutandi* est aquam ebullientem supprimere, ne exundet, uti bene interpretatur *Ernestius* in Clav. Cf. *Forcell.* Thes. Lat. *Moser* comparat C. Partit. 38: audaciam confutare. Scriptura *compensat* in cod. Ursini est mera glossa. Cf. Fin. II, 30.

ex tempore] non tempori serviens, pro temporis conditione ita sensit Epicurus, sed certa nisus sententia.

De morte ita sentit, ut — sensum exstinctum putet] est pleonasmus quidam Tullio familiaris, cuius complura exempla contulit *Wopkensius* Lectt. Tull. I, 20. p. 156. H. Cf. nos in Gr. L. §. 163. Not. 2. Infra c. 33, 95: totumque hoc de voluptate *sic* ille *praecipit*, ut voluptatem ipsam per se — optandam — *putet.* de

iudicet pertinere. Item de dolore certa habet, quae sequatur, cuius[1] magnitudinem brevitate consolatur, longinquitatem levitate[1]. 89. Qui[2] tandem isti grandiloqui contra haec duo, quae maxime angunt, melius se[3] habent, quam Epicurus? an ad cetera, quae mala putantur, non et Epicurus et reliqui philosophi satis parati videntur? Quis non paupertatem extimescit? Neque tamen quisquam philosophorum.

XXXII. Hic vero ipse quam parvo est contentus! Nemo de tenui victu plura dixit. Etenim quae res pecuniae cupiditatem afferunt, ut amori, ut ambitioni, ut quotidianis sumptibus copiae suppetant, quum procul ab iis[1] omnibus rebus absit, cur pecuniam magno opere desideret vel potius, cur[2] curet omnino? 90. An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere; nostrates philosophi fa-

1 v. Adn. 2 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. aliisque multis pro vulg. *quid.* Eadem in codd. confusio I. 6, 12. Cf. *Madvig.* Opusc. acad. alt. p. 265. 3 v. Adn. XXXII. 1 R. P. Gud. 1. II. b. aliique *his;* at v. ad I. 3, 5. 2 Sic Or. c. R. P. (hic *curreret* pro *cur curet*) Gud. 1. II. b. aliisque multis; vulg. om. *cur.*

Orat. II, 38: omne, quod eloquimur, *eloquimur sic*, ut esse *dicamus* id, aut non esse. N. D. II. 23, 61: res ipsa, in qua vis inest maior aliqua, *sic* appellatur, ut ea ipsa *nominetur* deus. De re cf. Diog. L. X, 124—126. 139.

cuius magnitudinem brevitate consolatur] Sic Or. de Bentl. coniectura, quae confirmatur tribus Oxx. Reliqui omnes pro *cuius* habent *quorum.* Haec corruptela ex antiqua scriptura *quoius* nata videtur Bouhierio. *Klotzius* in ed. retinuit *quorum* idque ita defendit, ut ad *certa quae sequatur* referretur; sed nunc in Add. p. 202 sq. ad Bentleii coniecturam inclinare videtur.

levitate] Sic Or. c. P. Gud. 1. II. 2. aliisque multis et omnibus fere edd. vett. ante Gebh.; alii, etiam Vat., *lenitate;* R. *laenitate;* at recte *Orellius* comparat Fin. II. 29, 94: *longinquum* (dolorem) *levem* dicitis. Adde Fin. I. 12, 40: *dolor in longinquitate levis.* II. 7, 22: si gravis (dolor) brevis, si *longus levis.* De re ipsa cf. Diog. L. X, 140. et *Madvig.* ad Fin. I. 12, 40. p. 85 sq.

§. 89. *grandiloqui*] Stoici, qui magnifice de virtute loquebantur. *Ernestius.*

melius se habent] Ern. delevit *se*, quod abest a Gud. 2. Vind. 2. et compluribus Oxx. At hic reflexivus usus apud Ciceronem rarissimus est. Cf. §. 87: *habere se* videntur *angustius.*

Neque tamen quisquam] Sententiarum nexus: Virtus secundum omnes philosophorum disciplinas satis in se habet praesidii ad vitam beatam. Quod ita esse ex eo intelligitur, quod philosophorum nemo extimescit ea, quae ab iis, qui philosophia non sunt imbuti, mala putantur; ut hoc utar: omnes timent paupertatem, philosophorum, quamcunque sectantur disciplinam, nemo.

Cap. XXXII. §. 90. *Scythes Anacharsis*] Attributivum *Scythes* cum vi praemissum est, quia opponitur verbis seq. *nostrates philosophi*, h. e. non barbarae gentis ph. Postponi solet nomen proprium, ubi non in eo, sed in attributo sententiae pondus collocatum, et illud huic explicationis caussa appositum est. Supra c. 19, 55: Cinna *collegae sui, consulis Gn. Octavii*, praecidi caput iussit. Offic. I. 10, 32: *Theseus* (sc. pater) *filio Hippolyto* non esset orbatus. Fin. II. 16, 54: decreta a *senatu* est *consuli* quaestio Cn. Caepioni. V. *Beierum* ad Offic. II. 14, 50. p. 97. *Kritzium* ad Sall. Cat. 51, 5. Iug. 19, 7. p. 125: Mauris omnibus *rex Bocchus* imperitabat („quippe sententia est: Mauros *regio imperio* gubernari, idque tunc tenuisse Bocchum"). *Ottonem* ad Fin. III. 2, 7. *Kühner.* L. Gr. §. 166, 4. e).

facere non potuerunt?] Verbum *facere* Davisio cum aliis glossematis suspectum videtur, et sane abest ab uno Ox. At, ut ad IV. 14, 31. docuimus, hoc verbum saepe alius verbi vices sustinet. Sequens *potuerunt*, quod est in R. P. Gud. 1. II. aliisque et in plurimis edd. vett. ego revocavi, et nuper etiam a *Wesenbergio*

cere[3] non potuerunt[3]? Illius epistola fertur his verbis: „ANACHARSIS HANNONI SALVTEM. Mihi amictui[4] est Scythicum tegimen[5], calciamentum[6] solorum callum, cubile terra, pulpamentum[7] fames; lacte, caseo, carne vescor. Quare ut ad quietum me licet venias. Munera autem ista, quibus es delectatus, vel civibus tuis vel diis immortalibus bona.“ Omnes fere philosophi omnium disciplinarum, nisi quos a recta ratione natura vitiosa detorsisset, eodem hoc[8] animo esse potuerunt. 91. Socrates, in pompa quum magna vis auri argentique ferretur: *Quam multa non desidero!* inquit. Xenocrates, quum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attulissent, quae erat pecunia temporibus illis, Athenis praesertim, maxima, abduxit legatos ad coenam in Academiam, iis apposuit tantum, quod satis esset, nullo apparatu. Quum postridie rogarent eum, cui numerari

3 v. Adn. 4 Unus Ox. Vind. 1. et aliquot edd. vett. *amictus*, male ad Gr. περίβλημα. 5 Sic Or. c. R. P. Med. Duisb. Mon. 1. Marb. (hic *regimen*) pro vulg. *tegmen*. 6 Sic omnes codd. et edd. praeter HWolf. et S. pro *calceam*. 7 L. e coni. et Pal. 2. Petr. et unus Lall. *pulmentum*. 8 Sic Or. c. omnibus codd.; Kl. c. omnib. edd. vett. *hoc eodem;* at nunc in Add. praefert *eod. h.*

Em. III. p. 29. praelatum est alteri scripturae *poterunt*, quam exhibent Vat. duo Pall. quattuor Oxx. Vind. Rehd. Gud. 2. Marb. Mon. 1. 2., primum quod illa scriptura optimorum codd. auctoritate nititur; deinde quod perfectum huic loco melius convenit. *Nostrates* enim philosophi opponuntur *Scythae Anacharsidi*, i. e. *barbaro* philosopho, ob eamque caussam intelligendi sunt non tam Romani philosophi, qui Ciceronis aetate erant, quam *Graeci*, qui iam fuerant. Cf. c. 31, 89. et c. 32, 90: omnes fere philosophi — eodem hoc animo esse potuerunt. De duplici praeterito v. ad 14, 42. Suspicatur idem *Wesenb.*, Ciceronem in hac de Epicuro disputatione idem fecisse, quod *Petersenius* (in Iud. scholar. gymn. Hamb. 1833.) in libris de N. D., *Madvigius* (p. LXIV., p. 35., Exc. V. VII.) in libris de Finn. ab eo factum demonstravit, ut saepe tacite, quum Graecum scriptorem elegisset, quem sequeretur, eius non solum sententias totasque disputationes excerperet, sed etiam verba ipsa simpliciter verteret.

Anacharsis Hannoni] Graeca sic se habent: Ἀνάχαρσις Ἄννωνι. Ἐμοὶ μὲν περίβλημα χλαῖνα Σκυθική, ὑπόδημα δέρμα ποδῶν· κοίτη δὲ πᾶσα γῆ, δεῖπνον καὶ ἄριστον γάλα καὶ τυρὸς καὶ κρέας ὀπτόν, πιεῖν ὕδωρ. Ὡς οὖν ἄγοντός μου σχολήν, ὧν οἱ πλεῖστοι ἕνεκεν ἀσχολοῦνται, παραγένου πρός με, εἴ τινα χρείαν ἔχεις· δῶρα δέ, οἷς ἐντρυφᾶτε, ἀντιδωροῦμαί σοι, ὑμεῖς δ' ὅσοι Καρχηδονίων, εἰς χάριν σὴν ἀνάθεσθε θεοῖς. Leguntur haec in epist. Genevae editis p. 349., uti docet *Davisius*, qui ultima sic legere vult: ὑμεῖς δὲ τοῖς Καρχηδονίοις χαρίζεσθε ἢ ἀνάθεσθε θεοῖς: satis probabiliter. Ceterum haec, ut aliae epistolae, a sophistis conficta et Anacharsi supposita est.

Scythicum tegimen] Iustin. 2, 2. de Scythis: *pellibus ferinis aut murinis utuntur.*

solorum callum] H. e. pedis planta.

natura vitiosa] mores, indoles vitiosa. De seq. indic. *potuerunt* v. ad I. 49, 116.

§. 91. *Socrates in pompa* etc.] Rem paullo aliter tradit Diog. L. 2, 25: Πολλάκις δ' ἀφορῶν (Σωκράτης) εἰς τὰ πλήθη τῶν πιπρασκομένων ἔλεγε πρὸς αὑτόν· Πόσων ἐγὼ χρείαν οὐκ ἔχω.

legati ab Alexandro] De Offic. 1, 13: Maximum autem exemplum est iustitiae in hostem a maioribus nostris constitutum, quum *a Pyrrho perfuga* senatui est pollicitus, se venenum regi daturum. Est Graeca structura. V. *Ochsner* Ecl. Cic. p. 139.

quinquaginta ei talenta] *Davisius* comp. Plutarch. Alex. p. 668. de fort. Alex. p. 331. Themist. or. II. p. 26. or. XXI. p. 252. Stob. Serm. V. p. 74. Sed Valer. Max. V. 3, 3. et Diog. L. 4, 8. talentorum numerum non addunt, Hesych. et Suid. *triginta* ponunt. — *Athenis praesertim*, quae pecunia non abundabant.

tantum, quod satis esset] H. e. tantum,

iuberet: *Quid? vos hesterna*, inquit, *coenula non intellexistis, me pecunia non egere?* Quos[9] quum tristiores[1] vidisset, XXX minas accepit, ne aspernari regis liberalitatem videretur. 92. At vero Diogenes liberius, ut Cynicus, Alexandro roganti, ut diceret, si quid opus esset: *Nunc quidem paullulum*, inquit, *a sole*[2]. Offecerat videlicet apricanti. Et hic quidem disputare solebat, quanto regem Persarum vita fortunaque superaret; sibi nihil deesse, illi nihil satis unquam fore; se eius voluptates non desiderare, quibus nunquam satiari ille posset, suas eum[3] consequi nullo modo posse.

XXXIII. 93. Vides, credo, ut Epicurus cupiditatum genera diviserit non nimis fortasse subtiliter, utiliter tamen: partim esse naturales et necessarias, partim naturales et non necessarias, partim neutrum; necessarias satiari posse paene nihilo; divitias enim naturae

9 R. P. Gud. 1. Pal. 2. *Quod:* quod non absurdum est. 1 R. et P. ap. Wes. *tristioris.* 2 Edd. vett. ante Gebh. fere omnes et quatt. Oxx. Mon. 2. unus Leid. *a sole absis;* hinc I. Gulielmius coni. *abi sis;* pauci deter. codd. *ab sole abscede:* apertae glossae. Pro *paullulum* habent Gud. 1. et Mon. 1. *paulum.* 3 Ern. c. L. et Alt. et trib. Oxx. *enim* pro *eum;* male.

ut id satis esset. Sic Legg. II. 3, 6: *tantum* complectitur, *quod* satis sit modicae palaestrae, loci: ubi v. *Moser.* p. 169. Verr. II. 74, 183. p. Sulla 29, 82. De *tantum, quantum* c. indic. v. ad I. 13, 29.

tristiores] verdriesslich, verstimmt (non: traurig). V. ad II. 8, 20.

§. 92. *ut Cynicus*] ut qui Cynicus esset. V. Adnot. in I. 8, 15.

Nunc quidem paullulum — a sole] Plutarch. Alex. c. 14. περὶ φυγῆς p. 205: Ἄδοξός ἐστι Διογένης, ὃν ἰδὼν Ἀλέξανδρος ἐν ἡλίῳ καθήμενον ἐπιστὰς ἠρώτησεν, εἴ τινος δεῖται· τοῦ δὲ μηδὲν ἀλλ' ἢ σμικρὸν ἀποσκοτίσαι κελεύσαντος, ἐκπλαγεὶς τὸ φρόνημα κ. τ. λ. Cf. Diog. L. 6, 38. De v. *offecerat* comp. *Moser* N. D. 2, 19: umbra terrae *soli officiens* noctem efficit.

Cap. XXXIII. §. 93. *Vides*] in mente, memoria habes aut tenes. Verbum enim *videndi* saepe dicitur de mentis actione.

diviserit] Cicero de Fin. I. 13, 45. II. 9, 26. Diog. Laert. 10, 127: τῶν ἐπιθυμιῶν αἱ μέν εἰσι φυσικαί, αἱ δὲ κεναί, καὶ τῶν φυσικῶν αἱ μὲν ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ φυσικαὶ μόνον· τῶν δὲ ἀναγκαίων αἱ μὲν πρὸς εὐδαιμονίαν εἰσὶν ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ πρὸς τὴν τοῦ σώματος ἀοχλησίαν, αἱ δὲ πρὸς αὐτὸ τὸ ζῆν. Cf. ibid. 149.

paene nihilo] Fin. I. 13, 45: necessariae cupiditates nec opera multa nec impensa explentur. Ne naturales quidem multa desiderant, propterea quod ipsa natura divitias, quibus contenta sit, et parabiles et terminatas habet; inanium autem cupiditatum nec modus ullus nec finis inveniri potest.

neque — modo, sed ne — quidem] Pro: neque modo non, sed ne — quidem. V. Adnotata in I. 36, 87. Sententia: quae neque necessariae sunt neque naturales.

§. 94. *eaeque voluptates s. ext.*] Si *eae* μονοσυλλάβως vel c. aliis *haeque* legitur, efficiunt haec verba hexametrum.

singillatim] Sic R. P. Vat. Gud. 1. II. b. aliique; Or. c. vulg. *singulatim.* Eadem scripturae varietas Sall. Cat. 49, 4., ubi *Kritzius* c. Cort. et Gerl. ex aliquot codd. recepit *singulatim.* Illa forma apud Ciceronem usitata videtur. V. quem *Klotzius* laudat *Zumptium* ad Verr. oratt. Vol. I. p. 36., qui provocat ad *Oudendorp.* ad Caes. B. G. 3, 2.

quarum genera non contemnunt, quaerunt tamen] Bentl. coni. *nec* (vel *non*) *quaerunt:* quod recepit D., et probat Bouh. dicens: plane contraria sunt iis, quae modo dixit Cic., Epicureos videlicet contemptum voluptatum simulasse; HWolf. coni. *quarum genera quum contemnant, quaerunt tamen cop.* Codd. et edd. omnes ante Dav. exhibent: *non contemnunt, quaerunt tamen copiam:* quam scripturam Tullio recte restituit *Orellius,* sententiam loci sic explicans: singulas voluptates extenuant; genera ipsa non contemnunt; [nam ἡ ἡδονή de Epicureorum sententia summum bonum erat] ita tamen quaerunt, si facile sint parabiles neque obsint. Copiam [facilitatem]

esse parabiles[1]; secundum autem genus cupiditatum nec ad potiendum difficile esse censet, nec vero ad carendum; tertias, quod essent plane inanes neque necessitatem modo, sed ne naturam quidem attingerent, funditus eiiciendas putavit. 94. Hoc loco multa ab Epicureis disputantur, eaeque voluptates singillatim[2] extenuantur, quarum genera non[2] contemnunt, quaerunt[2] tamen copiam. Nam et obscoenas voluptates, de quibus multa ab illis habetur oratio, faciles, communes, in medio sitas esse dicunt, easque si natura requirat, non genere aut loco aut ordine, sed forma, aetate, figura metiendas putant, ab iisque abstinere minime esse difficile, si aut valetudo aut officium aut fama postulet, omninoque genus hoc voluptatum optabile esse, si non obsit, prodesse nunquam. 95. Totumque hoc de voluptate sic ille praecipit[3], ut voluptatem ipsam per se, quia voluptas sit, semper optandam expetendamque[4] putet eademque ratione dolo-

XXXIII. 1 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. 2. Rehd. ed. P. pro vulg. *par. esse.* 2 v. Adn. 3 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. 2. b. uno Ox. Rehd. Duisb. Marb. Mon. 1. 2. Petr. Bak. pro vulg. *praecepit:* cui vel seq. *putet* obest. 4 R. P. Gud. 1. Rehd. Mon. 1. unus Ox. *optandam expetendam put.;* unus Ox. *semper expetendam put.,* omisso *optandam;* Marb. *semper exoptandam putet expetendam;* Vind. 1. om. *expetendamque;* D. et unus Ox. *s. optandam et expetendam;* Tr. *semp. optandam expetendam;* ego contra *optandam* ut difficilius vocabulum germanum censuerim et vocabulum *expetendam* explicationis caussa additum. *Wesenbergio* Em. II. p. 11. excidisse potius videtur *q.* ante seq. *p* aut *et* ante *exp.,* quam librarius quisquam tritissimo voc. *expet.* glossema ascripsisse, de synonymis *opt.* et *expet.* comp. de Orat. I. §. 221. in Pison. §. 32. Fin. III. §. 46.

enim voluptatum studiosissime quaesitam esse ab Epicureis. *Tregder* (praef. p. XXIII sq.), probatus *Wesenbergio* Em. I. p. 24., voculam *non*, quae ab uno Ox. et Duisb. abest, ante *contemnunt* delevit, auctore *Madvigio* ad Fin. I. 13, 46. p. 94., qui *non* ex mala repetitione (*non con*) ortum putat et loci sententiam sic explicat: „generatim contemnebant et extenuabant voluptates, velut obscoenas, cibi, ceteras; vivere tamen in omnium copia malebant." At haec sententia sine dubio perversa est; nam verbis *voluptates singillatim extenuantur* aperte verba *quarum genera non contemnunt* opponuntur. Neque magis vera est ea quam *Tregder* attulit explicatio: „*genera* quidem *contemnunt*, i. e. singulas voluptates, quas extenuant, sed *quaerunt copiam.*" At qui tandem nomen *genera* h. l. significare potest *species*, quum proxime antecedat *singillatim*? Mihi quidem verba *quaerunt tamen copiam* non verbis *quarum genera non contemnunt*, sed verbis *eaeque v. singillatim extenuantur* opposita videntur, ut haec sit sententia: etsi Epicurei eas voluptates, quarum genera ipsa (*Arten*) non contemnunt, singulas extenuant, tamen singularum voluptatum multitudinem ita quaerunt, ut ex iis perpetuitas quaedam voluptatis exsistat (§. 95.). Quod autem post passivum *extenuantur* non pergitur *quaeritur tamen copia*, id eo minus offensioni potest esse, quod iam in enuntiatione secundaria: *quarum g. non contemnunt* activum positum est. Plura activae structurae in passivam transitus exempla contulimus supra ad II. 16, 37.

et obscoenas] et obscoenas voluptates facili negotio (faciles) parari posse, communes et ubivis in promtu esse. Cicero scripsit *et obsc.*, in mente habens addere: *et magnificentiam et sumptus epularum extenuant;* sed post multas interiectiones coeptae structurae oblitus c. 34, 97. pergit: *Atque his similia ad victum etiam transferuntur, extenuaturque magnificentia et sumptus epularum.* V. ad IV. 35, 74: *et illud.*

aut loco aut ordine] Locus et ordo species sunt generis.

prodesse nunquam] Diog. Laert. 10, 118: συνουσία δὲ ὤνησε μὲν οὐδέποτε, ἀγαπητὸν δέ, εἰ μὴ καὶ ἔβλαψεν.

rem ob id ipsum, quia dolor sit, semper esse fugiendum; itaque hac usurum compensatione sapientem, ut et[5] voluptatem fugiat, si ea maiorem dolorem effectura sit, et dolorem suscipiat maiorem efficientem voluptatem, omniaque iucunda, quanquam sensu corporis iudicentur, ad animum referri tamen; 96. quocirca corpus gaudere tam diu, dum praesentem sentiret[6] voluptatem, animum et praesentem percipere pariter cum corpore et prospicere venientem nec praeteritam praeterfluere sinere; ita perpetuas et contextas voluptates in sapiente fore semper, quum exspectatio speratarum voluptatum perceptarum memoriâ iungeretur[6].

XXXIV. 97. Atque his[1] similia ad victum etiam transferuntur, extenuaturque[2] magnificentia et sumptus epularum, quod parvo cultu natura contenta sit. Etenim quis hoc non videt, desideriis omnia ista condiri[3]? Darius in fuga, quum aquam turbidam et cadaveribus inquinatam bibisset, negavit unquam se bibisse iucundius. Nunquam

5 Sic Vind. 1. Rehd. Gud. 2., eodemque ducunt R. P. Gud. 1. II. unus Ox., qui habent *et* pro *ut et*, itemque duo Oxx. et Mon. 1., qui habent *et ut* pro *ut et*; Or. c. vulg. *ut* sine *et*, sed idem primus coni. *ut et*, quod recc. edd. iure receperunt. V. Adn. 6 v. Adn. XXXIV. 1 Mon. 2. et omnes fere edd. vett. *iis*; male; v. ad I. 3, 5 2 Sic R. P. tres Oxx. Rehd. Gud. 2. Mon. 2. et edd. vett. S. E.; Gud. II. et unus Ox. *extenuatur* omisso *que*; *et extenuatur* alius Ox.; Or. c. vulg. *extenuanturque*: quod ex antec. *transferuntur* ortum videtur. 3 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. Marb. Rehd. Duisb. Mon. 1. 2. et edd. vett. Rob. Steph. D. pro vulg. *ista cond. omnia.*

§. 95. *compensatione*] Fin. 2, 30: Compensabatur — cum summis doloribus laetitia. N. D. 1, 9: Ita multa sunt incommoda in vita, ut ea sapientes commodorum compensatione leniant. Hoc autem quem prae manibus habemus loco compensatio est comparatio inter voluptatem et dolorem instituta. Ad rem ipsam cf. Diog. L. 10, 129. 137. 141. Cic. Fin. 1, 10. 12. et 17.

ad animum referri tamen] De collocatione v. *tamen* v. ad I. 12, 27. extr.

§. 96. *sentiret*] Ernestius, auctore Bentleio, dedit *sentiat*, nulla tamen urgente necessitate: nam facile sexcenta excitari possunt exempla, in quibus post praesens, quod perfecti vices sustinet, primum sequuntur praesentia, tum inferuntur imperfecta, ac si antecesserit perfectum. Idem Bentleius eadem de caussa paullo post pro *iungeretur* legendum censet *iungetur*. At lapsus est vir magnus. Nam tota enuntiatio: *ita perpetuas — iungeretur* ὑποθετικῶς dicta est: quod vel futurum *fore*, quod infinitivus est praesentis conditionalis, aperte demonstrat. Cf. Legg. III. 17, 38: quae lex hanc sententiam *continet*, *ut* omnes leges *tolleret*, quae postea latae sunt (sc. si haec lex *promulgaretur*). pro Plancio 32, 78: *putas* — esse — stantam contentionem, quam ego — *defugerem*. de Rep. I. 3, 4: ut *possint* eam vitam, quae tamen *esset* reddenda, pro patria potissimum reddere. V. *C. Guil. Dietrich.* Quaest. Gr. Lips. 1835. p. 32.

memoria iungeretur] Bentl. coni. *memoriae*, Dav. *exspectationi* — *memoria iung.*, ut est in quatt. Oxx. Mon. 2. et multis edd. vett. Utrumque frustra. Verba *iungendi* et *coniungendi* saepissime apud Ciceronem cum ablativo construuntur. Cf. III. 5, 11: insaniam, quae *iuncta stultitia* patet latius. *Moser* comp. Brut. 44, 162: *defensione iuncta* — laudatio. ad Att. 9, 10: infinitum bellum *iunctum miserrima fuga*. V. nos in Gr. L. §. 114. Not. 4.

Cap. XXXIV. §. 97. *desideriis ista condiri*] Fin. 2, 28: Socratem audio dicentem, cibi condimentum esse famem, potionis sitim.

Darius in fuga etc.] *Davisius* comp. Maxim. Tyrium Diss. 35., qui eandem rem de Artaxerxe tradit, Plutarch. Artax. T. I. p. 1017. et Apophth. T. II. p. 174.

videlicet sitiens biberat. Nec esuriens Ptolemaeus[4] ederat, cui quum peragranti[5] Aegyptum, comitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est[6] illo pane iucundius. Socratem ferunt, quum usque ad vesperum[7] contentius ambularet, quaesitumque esset ex eo, quare id faceret, respondisse, se, quo melius coenaret, opsonare ambulando famem. 98. Quid? victum Lacedaemoniorum in philitiis[8] nonne videmus? Ubi quum tyrannus coenavisset Dionysius, negavit se iure illo nigro, quod coenae caput erat, delectatum. Tum is, qui illa coxerat: Minime mirum; condimenta enim defuerunt. — Quae tandem, inquit ille? — Labor in venatu, sudor, cursus ab Eurota[8], fames, sitis; his enim rebus Lacedaemoniorum epulae condiuntur. — Atque hoc non ex hominum more solum, sed etiam ex bestiis intelligi potest, quae, ut quicquid[8] obiectum est, quod modo a[9] natura non sit alienum, eo contentae non quaerunt amplius. 99. Civitates quaedam universae more doctae

4 R. et P. ap. Wes. Gud. 1. Mon. 1. *Ptolomaeus;* Gud. 2. Vind. 1. *Phtolomeus.* 5 Non. p. 93. *peregrinanti.* 6 Non. l. d. *visum* sine *est.* 7 Non. ed. Gothofr. *Piraeeum*, sed ed. Merc. *vesperum* (*epirum*). 8 v. Adn. 9 Sic R. P. Vat. Gud. 1. II. aliique; alii om. *a;* Or. uncis cinxit.

videlicet] sine dubio, cum ironia quadam. V. ad I. 21, 48. II. 11, 27.

cibarius panis] *Davisius* comp. Isidor. Orig. XX. c. 2: Panis cibarius est, qui ad cibum servis datur, nec delicatus. Cels. 2, 18: infirmissimus cibarius panis. c. 29: (panis) cibarius vel hordaceus.

Socratem] Fin. II. 28, 90: audio (Socratem) dicentem, cibi condimentum esse famem, potionis sitim. Porphyr. de Abstin. 3, 26: Σωκράτης ὄψον τροφῆς τὸ πεινῆν ἔλεγεν. Xenoph. Commentar. I. 3, 5: καὶ ἐπὶ τούτῳ οὕτω παρασκευασμένος ᾔει, ὥστε τὴν ἐπιθυμίαν τοῦ σίτου ὄψον αὐτῷ εἶναι. Athenaeus IV. p. 157. E. (Vol. I. p. 352. Dind.): Σωκράτης δὲ καὶ πολλάκις κατελαμβάνετο διαπεριπατῶν ἑσπέρας βαθείας πρὸ τῆς οἰκίας καὶ πρὸς τοὺς συνδανομένους· Τί τηνικάδε; ἔλεγεν ὄψον συνάγειν πρὸς τὸ δεῖπνον.

opsonare famem] H. e. famem quasi obsonii loco adhibere. *Schütz.* in Lex. Ciceron. v. *opsonare.*

§. 98. *philitiis*] Sic recte edidit Or., uti est in R. P. Vat. Gud. 1. aliisque permultis pro vulg. *phiditiis.* Etiam Xenophon usus est forma τὸ φιλίτιον, τὰ φιλίτια. V. Lex. Xenoph. h. v. et *Haasium* in Ind. ad Xen. de Rep. Lac. p. 333.

iure illo nigro] ζωμῷ Λακωνικῷ, ζωμῷ μέλανι, v. Athenaeum IX. p. 379. E. De Dionysio v. Stobaei Serm. 29.

illa coxerat] Pluralis numerus *illa* referendus est ad plures, quibus ius illud nigrum apponebatur.

cursus ab Eurota] ad cuius ripam Lacedaemoniorum iuventus se exercere solebat. *Neidius.* Pro *ab Eurota* Bentl. legendum putat *ad Eurotam:* quam coniecturam D. Lall. W. Or. receperunt; sed ea minime opus est. Optime *Ernestius:* cursus videtur initium cepisse a ripa Eurotae, ad quam sedebant spectatores. Male *Klotzius ab Eurota* interpretatur *längs dem Eur.* *Wesenb.* Em. I. p. 21. locum sic emendandum putat: *Labor in v., cursus ad Eurotam, sudor, fames, sitis,* quia ex vulgari ordine venantes tantum Lacedaemonii, non item currentes, sudavisse dicantur: quae quidem ratio subtilior mihi videtur, quam verior.

ut quicquid obiectum est] H. e. ut (aliquid) obiectum est, *quicquid est.* V. *Stürenburg.* ad or. pro Arch. p. 102. et nos in Gr. L. §. 146 Not. 1. p. 393. Fuerunt, qui pro *quicquid* legendum coniicerent *quid,* uti est in Mon. 2. et El. 2.: quod minime probandum est, praesertim quum *quicquid* in reliquis omnibus codd. legatur. Neque vero probanda est sententia *Max. Schmidtii,* qui in Commentat. de pron. Gr. et Lat. p. 56 sq. *quisquis* pro pronomine indefinito accipere videtur, in qua sententia etiam *Ramshornius*

parsimonia delectantur, ut de Lacedaemoniis paullo ante diximus. Persarum a Xenophonte victus exponitur, quos negat ad panem adhibere quicquam praeter nasturtium. Quanquam, si quaedam etiam suaviora natura desideret, quam multa ex terra arboribusque gignuntur quum[1] copia facili, tum suavitate praestantia[2]! Adde siccitatem, quae consequitur hanc continentiam in victu; adde integritatem valetudinis. 100. Confer sudantes, ructantes, refertos epulis, tanquam opimos boves; tum intelliges, qui voluptatem maxime sequantur, eos minime consequi, iucunditatemque victus esse in desiderio, non in satietate.

XXXV. Timotheum, clarum hominem Athenis et principem civitatis, ferunt, quum coenavisset apud Platonem eoque convivio admodum delectatus esset vidissetque eum postridie, dixisse: *Vestrae quidem coenae non solum in praesentia, sed etiam postero die iucundae sunt.* Quid? quod ne mente quidem recte uti possumus

1 Or. c. W. e coni. et cod. b. *tum*; male; v. ad c. 25, 72. 2 v. Adn.

in L. Gr. §. 159. p. 575 sq. ed. 2. et *Manutius* ap. Orell. Vol. IV. P. 1. p. 374. versari videntur. Neque magis placet *Madvigii* ad Fin. V. 9, 24. p. 655. sententia, qui *quisquis* pronomen neutro genere etiam apud Ciceronem, deposita relativi natura, eam singularum rerum significationem, quae in *quisque* sit, accipere statuit. Negari quidem non potest, Lucretium neutrum *quicquid*, relativa huius pronominis natura neglecta, pro *quicque* saepe usurpasse, ut 2, 957: in suos *quicquid* meatus; sed unius scriptoris error non est trahendus ad alios. Certe apud Ciceronem nullus invenitur locus, in quo relativi vis indagari non possit. Uti hoc loco, ita saepe aliis apud Ciceronem cum pronominibus vel particulis relativis coniungitur. Verr. IV. 13, 31: ita odorabantur omnia et pervestigabant, ut, *ubi quicquid* esset, aliqua ratione invenirent, h. e. ubi aliquid esset, *quicquid esset.* (Ibi tamen *Zumptius* edidit *quicque*, quod est in Havn. coll. et Guelf. 1.) Fin. V. 9, 24: Quum autem processit paullum et, *quatenus quicquid* se attingat ad seque pertineat, perspicere coepit (h. e. quatenus aliquid, *quicquid est*, etc.). ad Fam. VI, 1, 1: *quocunque* in loco *quisquis* est, idem est ei sensus ex interitu rerum suarum (h. e. quocunque in loco aliquis est, *quisquis est*). p. Cluent. 19, 59: *ut quicquid* ego apprehenderam, statim accusator extorquebat e manibus (h. e. aliquid, *quicquid erat*). Supra IV. 19, 44: *ubi* enim *quicquid* esset, quod disci posset, eo veniendum iudicaverunt. Etiam pro M. Fonteio 7, 15. *Klotzius* nunc (in Add. p. 168.) c. Manutio legendum censet: *ut quicquid* ex illo loco dicetur, uti etiam cod. Ox. S. legit. de Or. I. 27, 123: „quum caussam quaererem, quidnam esset, cur, in *quoquo* oratore plurimum esset, ita maxime is pertimesceret" verba ita construenda sunt: cur is orator, in quoquo plurimum esset, maxime pert.; sequitur *ita*, quasi antecesserit: *ut in quoque* or. pl. esset, uti vulgo legitur. Duae constructiones confusae sunt in unam. In exemplis, quale est Liv. 41, 8: liberos suos *quibusquibus* Romanis mancipio dabant, attractio est statuenda: Romanis, *quiqui erant*, uti dicitur v. c. *quacunque* ratione pro: ratione, quaecunque est. V. nos in Gr. L. §. 146. Not. 1.

§. 99. *a Xenophonte*] Cyrop. I. 2, 8. Cf. Fin. II. 28, 92.

nasturtium] κάρδαμον. V. Fischer. ad Xenoph. Cyr. l. d. p. 14. Cf. C. de Finn. II. 28, 92.

quum c. facili, tum suav. praestantia] D. e Bentl. coni. *quum c. facilia, tum suav. pr.*; melius L. *quum c. facili, t. suav. praestanti.* Ultima littera e seq. *adde* facile nasci potuit. Probavit etiam *Wes.* Em. III. p. 28., qui de rariore vocabuli *praestans* usu comp. IV. §. 2: *praestanti* sapientia et nobilitate Pythagoras. p. Sest. §. 91: qui — primi virtute et consilio *praestanti* exstiterunt.

multo cibo et potione completi? Est praeclara epistola Platonis ad Dionis propinquos, in qua scriptum est his fere verbis: „Quo quum venissem, vita illa beata, quae ferebatur, plena Italicarum Syracusiarumque[1] mensarum, nullo modo mihi placuit, bis in die saturum fieri nec unquam pernoctare solum ceteraque, quae comitantur huic vitae, in qua sapiens nemo efficietur unquam, moderatus vero multo minus. 101. Quae enim natura tam mirabiliter temperari potest?" Quo modo igitur iucunda vita potest esse, a qua absit prudentia, absit moderatio? Ex quo Sardanapali, opulentissimi Syriae regis, error agnoscitur, qui incidi iussit in busto:

Haec habeo, quae edi, quaeque exsaturata libido
Hausit; at illa iacent multa et praeclara relicta.

Quid aliud, inquit Aristoteles, in bovis, non in regis, sepulcro inscriberes? Haec habere se mortuum dicit, quae ne vivus quidem diutius habebat, quam fruebatur. 102. Cur igitur divitiae desiderentur? aut ubi paupertas beatos esse non sinit[2]? Signis, credo, ta-

XXXV. 1 Vind. 1. Mon. 1. tres Oxx. et pleraeq. edd. vett. *Syracusanarumque*, ut Fin. II. 28, 92. 2 Sine caussa Ern. coni. *sinat*.

At rectius *praestantia* ad v. *multa* refertur, ut uterque abl. *copia facili* et *suavitate* a v. *praestantia* pendeat.

siccitatem] salubritatem: nam, uti recte docet *Ernestius* Clav. h. v., corpora sicca saluberrima et firmissima sunt, et siccitas oritur e continentia et labore et exercitationibus. de Senect. c. 10: summam in eo esse corporis siccitatem. Cf. Xenoph. Cyr. I. 2, 16.

Cap. XXXV. §. 100. *Timotheum, clarum hominem Athenis*] De *Timotheo* laudat *Klotzius Koepkium* de hypomn. Graec. p. 23. Ablativus *Athenis* tanquam attributum cum verbis *clarum hominem* iungendus est. V. nos in Gr. L. §. 109. Not. 10.

epistola Platonis] Ep. 7. [p. 326. B.] Tom. IX. p. 97. ed. Bip. Scripta est haec epistola post mortem Dionis patriae liberatoris. *Ernestius.*

bis in die saturum fieri] Praepositio *in* ablativo nominum tempus significantium semper additur, quum actio *intra aliquod temporis spatium repeti* significatur. V. nos in Gr. L. § 115. Not. 23. Non satis accurate rem definit *Ramshorn.* L. Gr. §. 148. p. 458. ed. 2. pr. Rosc. Am. 46, 132: vix *ter in anno* audire nuntium possunt.

comitantur huic vitae] V. ad c. 24, 68.

§. 101. *temperari*] misceri.

Syriae] Ernestius auctore Corrado in Quaest. p. 383. scripsit *Assyriae;* et Sardanapalus erat rex Assyriae: sed saepe apud veteres scriptores *Assyriam* et *Syriam* permutatas reperiri, demonstravit *Davisius.* Cf. Fin. II. 32, 106. *Orellius* provocat ad *Graevium* et *Oudendorp.* in Suet. Caes. 22: in Syria — regnasse Semiramin.

Haec habeo] Hoc epigramma et ab aliis affertur et ab Athenaeo in Deipnos. VIII. p. 336:

Κεῖν' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα καὶ σὺν ἔρωτι
Τέρπν' ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια πάντα λέλειπται.

Cf. eruditissimam adnotationem *Davisii* ad hoc epigramma. Explicavit hoc epigr. *Huebmannus*, a Klotzio laudatus, in: Neuen Jhrb. f. Phil. u. Paedag. Supplem. 1835. T. III. fasc. 1. p. 126 sqq. Cf. *Madvig.* ad Fin. II. 32, 106., ubi eadem res commemoratur, et quem attulit *Naekium* de Choerilo Samio Lips. 1817. p. 196 sqq. Verba Aristotelis sumpta sunt e libro, qui temporis iniuria intercidit. Verba: *Quid — inscriberes?* parenthesis signis a seqq. *Haec — fruebatur* iniuria Orellium distraxisse, apparet ex Fin. II. 32, 106. V. *Wesenb.* Em. I. p. 32.

§. 102. *aut ubi — sinit?*] *Ubi* est *in qua re*, ut V. 41, 121: *ubi* enim melius uti possumus hoc — otio?

Signis, credo, tabulis, ludis] Ad signa,

bulis, † ludis †[3]. Si quis est, qui his delectetur, nonne melius tenues homines fruuntur, quam illi, qui his abundant? Est enim earum rerum omnium[4] in nostra urbe[5] summa in publico copia. Quae qui privati[5] habent, nec tam multa et raro vident, quum in sua rura venerunt[6]; quos tamen pungit aliquid, quum, illa unde habeant, recordantur. Dies deficiat[7], si velim paupertatis caussam defendere. Aperta enim res est, et quotidie nos ipsa natura admonet, quam paucis, quam parvis rebus egeat, quam vilibus.

XXXVI. 103. Num igitur ignobilitas aut humilitas aut etiam popularis offensio sapientem beatum esse prohibebit? Vide, ne plus commendatio in vulgus et haec quae expetitur gloria molestiae habeat, quam voluptatis. Leviculus sane noster Demosthenes, qui illo su-

3 v. Adn. 4 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. b. aliisque pro vulg. *omnium rerum.* 5 v. Adn. 6 Sic codd.; sed edd. vett. praeter P. omnes ante Gebh. *venerint.* Male; v. ad II. 24, 58. 7 v. Adn.

credo, tabulas, ludos parandos desiderantur divitiae. *Wolfius* hos ablativos aptos esse putat e seq. *delectetur. Signa* sunt statuae. De ironico *credo* supra ad I. 22, 52. diximus. *Ludi* a Bouhierio intelliguntur *ludi gladiatorii*, rectius a Wolfio *ludi publici.* At vocabulum *ludis* varie a VV. DD. sollicitatum est nec sane convenit cum sequentibus; nam neque dici potest *habere ludos*, neque privati domi ludos instituebant. Porro quae sequuntur: *et raro*, *quum in sua rura venerunt*, denique verba *pungit aliquid*, quae de peculatu et sacrilegiis accipienda sunt, ad signa et tabulas referri possunt, non item ad ludos. Hinc *Bentleius* acutissime legendum suspicatur: *signis*, *credo*, *et tabulis pictis*, collatis quum aliis locis, tum his: N. D. 2, 34: Qui igitur convenit, *signum* aut *tabulam pictam* quum adspexeris, scire adhibitam esse artem? pro Rosc. Amer. c. 46: quid *pictarum tabularum?* quid *signorum?* quid marmoris apud illum putatis esse? Verba PICTIS et LVDIS facile inter se confundi poterant, itemque ET ante T excidere, quanquam ne necessarium quidem mihi videtur *et*, immo asyndeton huic loco, in quo commotior est oratio, longe aptissimum. *Davisius* Ciceronem dedisse putat: *signis*, *credo*, *tabulis*, *columnis?* *Wesenbergius* Em. I. p. 31. non dubitat, quin C. scripserit: *Signis*, *credo*, *et tabulis*, comparato loco simillimo, qui est Parad. V. 2, 36—37., ubi *tabula* item pro *t. picta* bis positum est; *ludis* ex geminato *bulis* factum putat. Ego huic vocabulo addidi signa corruptelae, quippe qui Bentleianam coniecturam maxime plausibilem existimem.

in nostra urbe] Sic c. Tregd. scripsi e Wolf. coni., quae confirmatur a cod. Vind. 1. Or. c. plurimis codd. optimisque, ut R. P. Gud. 1. (pr. m. *nostrae urbe*) Gud. II. b. et edd. vett. P. D. et ed. vet. Bouh. edidit *nostra urbe* (sine *in*) pro vulg. *nostra in urbe.* Caussae, cur *in nostra urbe* legendum censeam, hae sunt: Primum nullum e Cicerone exagitari potest exemplum nostro geminum. *Moser* quidem attulit Liv. 1, 33: carcer ad terrorem increscentis audaciae *media urbe* imminens foro aedificatur; sed ibi quoque *in* ante *media* facile excidere potuit. Cf. II. 1, 1. III. 22, 54. V. 39, 114., in quibus locis *in* item simili caussa in optimis codd. excidit. Cf. *Wesenb.* Em. I. p. 1. Loci autem, qualis est Liv. 3, 51: „Porta Collina urbem intravere sub signis *mediaque urbe* agmine in Aventinum pergunt" ei nihil plane probant. Constat enim verba *eundi* cum ablativo eius loci, per quem quis it, iungi solere, uti h. l. *porta Collina intravere* et *media urbe pergunt.* V. *Ramshorn.* Gr. L. §. 147. et nos in Gr. L. §. 115, 10. Deinde inter verba *omnium* et *nostra* facillime *in* excidere potuisse, quis neget? Quod autem Orellius praepositionem *in* propter seqq. *in publico* reiiciendam esse dicit, id mihi quidem nullius momenti videtur esse.

privati] h. e. „nullos magistratus quum maxime gerentes." Orellius cum uno Oxon. et Lambino edidit *privatim*, dicens h. l. de *privatim*, non publice pos-

surro delectari se dicebat aquam ferentis mulierculae, ut mos in Graecia est, insusurrantisque alteri: *Hic est ille Demosthenes.* Quid hoc levius? At quantus orator! sed apud alios loqui videlicet didicerat, non multum ipse secum. 104. Intelligendum est igitur, nec gloriam popularem ipsam per sese expetendam, nec ignobilitatem extimescendam. *Veni Athenas*, inquit Democritus, *neque me quisquam ibi*[1] *agnovit.* Constantem hominem et gravem! qui glorietur, a gloria se afuisse[2]. An tibicines iique, qui fidibus utuntur, suo, non multitudinis arbitrio, cantus numerosque moderantur; vir sapiens, multo arte maiore praeditus, non, quid verissimum sit, sed quid velit vulgus, exquiret? An quicquam stultius, quam, quos sin-

XXXVI. 1 Sic plurimi codd., etiam R. P. Gud. 1. II. b. et omnes edd. vett. usque ad Gebh.; pauci codd. om. *ibi*; Or. uncis sepsit; nonnulli deleverunt. 2 Sic Or. c. P. Gud. 1. II. aliisque pro vulg. *abfuisse.*

sessis manifesto agi et litteram *m* finalem saepe suppressam esse a scribis librariis. Etiam *Wesenberg.* Em. I. p. 32. *privatim* legendum censet, de saepissime vel omissa vel addita in codd. nota litterae *m* comp. III. 1, 2: ratione ac doctrina. 2, 3: una. 11, 25: in vita. 18, 40: rem. V. 18, 54: Similene. 20, 59: fossa lata. 28, 80: patientia. At in vocabulo *privati* latet notio verbi *privatim.* Neque assentior *Wesenbergio*, qui scripturam *privati* nos cogere censet, ut contrarium cogitemus *magistratus ea habentes*, quum *tenues* potius homines summa quae earum rerum *in publico* erat copia fruentes cogitandi sint, vel certe *privata* dicendum fuisse.

nec — et V. Adnotata in I. 4, 7.

Dies deficiat, si velim — defendere] Sic c. *Mosero* scripsi e Vat. Gud. 1. II. Pal. 3. uno Ox.; Or. c. R. P. reliquisque codd. et plerisque edd. vett. edidit *deficiet*, comparare iubens Garaton. ad Coelian. p. 433. et Addenda sua ad Vol. II. P. 2. p. 639. Utrumque defendi potest (v. *Madvig.* ad Finn. III. 21, 70. et nos in Gr. L. §. 154, 3. 1.), sed coniunctivus in hac formula et simplicior est et usitatior fuisse videtur. N. D. III. 32, 81: dies *deficiat, si velim* numerare, quibus bonis male evenerit, quibus improbis optime: ubi v. *Heindorfium* p. 365. *Moser* comp. Verr. II. 21, 52: Nam me dies, vox, latera *deficiant*, si hoc nunc vociferari *velim.* pro Cael. 12, 29: dies iam me *deficiat* (sic legend. ex optimo cod. Par. pro vulg. *deficiet*), si — *coner* expromere. Cf. *Wesenb.* Em. III. p. 31.

Cap. XXXVI. §. 103. *commendatio in vulgus*] Exquisitius dictum pro: commendatio apud vulgus. Aliquantum distant quos *Moser* attulit locos: supra II. 26, 63: *in vulgus* insipientium opinio valet honestatis. ad Att. 2, 22: *in vulgus* gratum esse.

Demosthenes] Plin. 9, epist. 23. *Demosthenem* dicit *iure laetatum, quod illum anus Attica ita demonstravit:* Οὗτός ἐστι Δημοσθένης. Cf. Aelian. V. H. 9, 17. *Noster* i. e. quem in deliciis habeo.

videlicet] cum magna irrisione! V. Adnotata in I. 21, 48.

§. 104. *Veni Athenas*] Diog. Laert. 9, 36: ἦλθον γὰρ — εἰς Ἀθήνας, καὶ οὔτις με ἔγνωκεν. Ibid. 37. Demetrius Phalereus negat Democritum Athenas venisse: cui *Davisius* opponit Valer. Max. 8, 7, 4. ext.: (Democritus) Athenis compluribus annis moratus — ignotus illi urbi vixit, quod ipse in quodam volumine testatur.

vir sapiens, multo arte maiore praeditus] Observanda exquisitior verborum collocatio, qua sententiae vis magis intenditur, quam vulgari: *multo maiore arte.* de N. D. 3, 27: nec vero scena solum referta est his sceleribus, sed *multo* vita communis paene *maioribus.* p. Sest. 23, 52: *multo* alia *maiora.* Sic etiam subiicitur comparativo, idque magna cum vi, ut de Orat. II. 46, 192: sed alia sunt *maiora multo.* Ibid. 42, 178: *plura* enim *multo* homines iudicant odio aut amore, quam veritate. V. *Goerenz.* ad Fin. III. 12, 41. p. 366. et *Olton.* ad Fin. I. 20, 69. De Graeca lingua cf. Demosth. de Chersoн. p. 106, 68: ἀνδρειότερον πολλῷ πολιτεύεσθαι. V. nos in Gr. Graeca T. II. §. 588, 2. (Gr. schol. §. 348, 9.)

gulos sicut operarios barbarosque contemnas, eos aliquid putare esse[3] universos? Ille vero nostras ambitiones levitatesque contemnet honoresque populi, etiam ultro delatos, repudiabit; nos autem eos nescimus, antequam poenitere coepit, contemnere. 105. Est apud Heraclitum physicum de principe Ephesiorum Hermodoro: universos, ait[4], Ephesios esse morte multandos, quod, quum civitate expellerent Hermodorum, ita locuti sint: *Nemo de nobis unus excellat; sin quis exstiterit, alio in loco et apud alios sit.* An hoc non ita fit omni in populo? nonne omnem exsuperantiam virtutis oderunt? Quid? Aristides (malo enim Graecorum quam nostra proferre) nonne ob eam caussam expulsus est patria, quod praeter modum iustus esset? Quantis igitur molestiis vacant, qui nihil omnino cum populo contrahunt? quid est enim dulcius otio litterato? iis[5] dico litteris, quibus infinitatem rerum atque naturae et in hoc ipso mundo caelum, terras, maria cognoscimus.

3 Ern. e coni. *eos esse aliquid putare.* 4 v. Adn. 5 Sic R. P. et, ut videtur, reliqui; Kl. male c. vulg. *his.*

aliquid putare esse] Graece: οἴεσθαί τι εἶναι: de quo pronominis *aliquid* usu supra ad I. 20, 45. exposuimus. De sententia *Davisius* comp. Aelian. V. H. 2, 1. Xen. Comment. III. 7, 6. Diog. L. 2, 34.

Ille vero] sapiens; *nos autem,* qui non sapientes sumus.

§. 105. *apud Heraclitum*] Diog. Laert. 9, 2.

Hermodoro] „Quarum (legum XII tabularum) ferendarum auctorem fuisse decemviris Hermodorum quendam Ephesium, exsulantem in Italia quidam retulerunt. Pompon. de orig. iuris: Digest. I. 2, 2. Cf. Plin. h. n. 34, 5." *Orellius.*

universos, ait] Immerito *Davisius* delevit *ait.* Tirones observent, Latinos scriptores verbum *ait* et *inquit,* Graecos φησί ab initio orationis inserere, etsi iam verbum antecessit, quod orationem indicavit. Nep. Hannib. 2, 3: hoc adiunxit: Pater, *inquit,* meus Hamilcar. ubi cf. *Bremium* p. 325. et *Ochsner.* Ecl. Cicer. p. 298., qui praeter multa alia exempla adduxit Xenoph. Cyr. III. 1, 14: ὁ δὲ παῖς αὐτοῦ ἐπήρετο τὸν Κῦρον, Εἰπέ μοι, ὦ Κῦρε, ἔφη. Hoc autem loco non *inquit,* sed *ait* positum est, quia Heracliti verba non directe, sed indirecte, ut aiunt, commemorantur. Cf. *Ochsner.* l. d. p. 116. et nos in Gr. L. §. 160. Not. 1.

Nemo — excellat] H. e. ne quis. Rarius *nemo* dicitur pro *ne quis.* Plura exempla collegit *Stürenburg.* in Comment. II, 5. ad Offic. p. 188. Verr. I. 17, 50: opto, ut in hoc iudicio *nemo* improbus reperiatur. Verba Graeca ap. Diog. l. d.: Ἡμέων μηδὲ εἷς ὀνηϊστὸς ἔστω· εἰ δέ τις τοιοῦτος, ἄλλῃ τε καὶ μετ' ἄλλων.

Aristides] Cornel. Nep. Aristid. cap. 1.

nihil cum populo contrahunt] Verbum *contrahendi* proprie dicitur de eis, qui in communis vitae negotiis et commercio, ut in re pecuniaria, societatem cum aliis ineunt. Offic. I. 2, 4: neque si tecum agas quid, neque si *cum altero contrahas.* II. 18, 64: in omnique re contrahenda: ubi v. *Beier.* p. 124.

iis dico litteris] pro: eas dico litteras. Inest in hac structura attractio quaedam ob praecedentes ablativos: *otio litterato.* Phil. VIII. 7, 20: hesternus dies *nobis, consularibus dico,* turpis illuxit! p. Cael. 13, 32: nisi intercederent mihi inimicitiae cum istius mulieris *viro, fratre* volui *dicere.* V. nos in Gr. L. §. 109. Not. 11. (Sine attractione supra IV. 16, 36: hae tabificae mentis perturbationes sunt, aegritudinem dico et metum.) Sic Graeci, ut Demosth. de Cherson. p. 96, 24: πάντες — στρατηγοὶ — καὶ παρὰ Χίων καὶ παρὰ Ἐρυθραίων καὶ παρ' ὧν ἂν ἕκαστοι δύνωνται, τούτων τῶν τὴν Ἀσίαν οἰκούντων λέγω, χρήματα λαμβάνουσιν. Cf. *Stallbaum.* ad Plat. de Rep. VI. p. 507. E.

Cap. XXXVII. §. 106. *credo*] ironice. V. Adnotata in I. 22, 52.

alienam] H. e. abalienatam.

XXXVII. 106. Contempto igitur honore, contempta etiam pecunia, quid relinquitur, quod extimescendum sit? Exsilium, credo, quod in maximis malis ducitur. Id si propter alienam et offensam populi voluntatem malum est, quam sit ea contemnenda, paullo ante dictum est. Sin abesse patria[1] miserum est, plenae miserorum provinciae sunt, ex quibus admodum pauci in patriam revertuntur. — At multantur bonis exsules. — 107. Quid tum? parumne multa de toleranda paupertate dicuntur? Iam vero exsilium, si rerum naturam, non ignominiam nominis quaerimus, quantum demum a[2] perpetua peregrinatione differt? in qua aetates suas philosophi nobilissimi consumpserunt, Xenocrates, Crantor, Arcesilas, Lacydes, Aristoteles, Theophrastus, Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Antipater, Carneades, Panaetius, Clitomachus, Philo, Antiochus, Posidonius, innumerabiles alii[3], qui semel egressi nunquam domum reverterunt[4]. At enim sine ignominia[5] * * * afficere sapientem? de sapiente enim

XXXVII. 1 v. Adn. 2 Pro *demum a perp.* habent *damna perp.* R. P. Gud. 1. II. (hic *dampna*) Mon. 1. Marb. aliique: Vat. *damna a perp.* V. Adn. 3 Rehd. Duisb. *et innum.;* unus Ox. *innumerabilesque;* at v. ad IV. 31, 66. 4 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. II. Marb. Rehd. Duisb. et ed. D. pro vulg. *revertere.* V. ad II. 1, 4; unus Gud. 2. *reversi sunt:* de qua forma a Ciceronis consuetudine prorsus aliena v. nos in Gr. L. §. 61. Not. 5 v. Adn.

paullo ante] V. cap. 36.

abesse patria] Edd. vett. fere omnes et quattuor Pall. *ab. a patr.:* quod probat *Wesenberg.* Em. III. p. 28., quia structura *abesse re aliqua* apud Ciceronem admodum dubia sit. V. eundem in Emendatt. Cic. epist. p. 61. Legitur ad Fam. V. 15, 4: „hic tu *ea* me *abesse* urbe miraris" in omnibus codd., nisi quod in Med. corrupte est *tuae abesse;* Wes. coni. *tu ab ea me ab.* aut potius *tu me ab ea a.* Acad. I. 1, 1: paullumque quum eius *villa abessemus* (in omnib. codd.; *Wes.* coni. *ab* eius v.). Quum his duobus locis codd. ad unum omnes hanc structuram tueantur, ne in eo quidem quem tractamus loco contra omnium fere codd. auctoritatem *ab* intrudendum videtur. At Off. I. 14, 43. sine dubio cum deterioribus codd. legendum est: „tantum abest *ab* officio, ut nihil magis officio possit esse contrarium," quia ibi *ab* ob seq. *ob* facile excidere potuit. Fam. IV. 6, 2: „et *domo* absum et *foro*" abl. *foro* per attractionem quandam ob anteced. *domo* dictum est pro *a f.* Neque Fam. XII. 15, 7: „quatridui iter *Laodicea afuisse*" in urbis nomine omissum *a* offensioni potest esse. Ibid. XVI. 8, 1. vulgo legitur: „*a* nobis afuturus est", sed Med. om. *a:* si Q. Cic. scripsit *nobis* sine *a*, cum *Wesenb.* l. d. *nobis* pro dativo accipiendum est, ut *iis* Caes. G. 1, 36. *verbo* Liv. IX. 19, 15.

§. 107. *rerum naturam*] Exspectes *rei naturam;* sed pluralis significat: si *rerum*, quale est exsilium, naturam quaerimus. V. *Wopkens.* Lectt. Tull. I, 16. p. 129. ibiq. *Handium.*

quantum demum] ὅσον δή διαφέρει. *Demum*, ut Gr. δή, habet vim *determinativam.* Supra I. 19, 43: *eaque* ei *demum* naturalis est sedes, αὕτη δή. Apud Sallust. in Cat. 20, 4: *ea demum* firma amicitia est, idem velle atque idem nolle. Sic *nunc demum*, νῦν δή, *tum demum*, τότε δή, *ita demum*, οὕτω δή, similia. V. *Hartung.* Griech. Partik. T. I. p. 270 sqq., *Handium* in Tursell. T. II. v. *demum*, qui (p. 259.) extra interrogationem Ciceronem dicturum fuisse docet: *si rerum naturam quaerimus, nihil demum* [i. e. re vera, δή] *differt exs. a p. p.* At observandum est, in interrogatione nusquam alibi legi *demum*, sed semper *tandem.* Quare *Davisius* legendum suspicatur: *quantum tandem:* quam coniecturam probat *Wesenberg.* Em. III. p. 32., dicens, ex *quantūtandema* (*quantūndema*) facilius potuisse fieri *quantūdamna*, quam ex *quantūmdemuma.*

At enim sine ignominia — afficere sa-

haec omnis oratio est, cui iure id accidere non possit. Nam iure exsulantem consolari non oportet. 108. Postremo ad omnes casus facillima ratio est eorum, qui ad voluptatem ea referunt, quae sequuntur in vita, ut, quocunque haec loco suppeditetur[5], ibi beate queant vivere. Itaque ad omnem rationem Teucri vox accommodari potest:

Patria est, ubicunque est bene.

Socrates quidem quum rogaretur, cuiatem se esse diceret: Mundanum, inquit. Totius enim mundi se incolam et civem arbitrabatur. Quid T. Albucius? nonne animo aequissimo Athenis exsul philosophabatur? cui tamen illud ipsum non accidisset, si in re publica quiescens Epicuri legibus paruisset. 109. Quî enim beatior Epicurus, quod in patria vivebat, quam, quod Athenis, Metrodorus? aut Plato Xenocratem vincebat, aut Polemo Arcesilam, quo esset beatior? Quanti vero ista civitas aestimanda est, ex qua boni sapientesque pelluntur? Damaratus[6] quidem, Tarquinii, nostri regis[7], pater, tyran-

6 Sic R. P. Gud. 1. II. Mon. 1. (*Darmaratus*) Mon. 2. Marb. (*Damarathus*) Vind. 2. quatt. Oxx. Ball. marg. Lambb. ed. P. Sed de Rep. II. 19. in palimpsesto *Demaratus* scriptum videri monet *Mos.;* Or. c. vulg. *Dem.* 7 Sic R. P. Gud. 1. II. Marb. Vind. 1. Mon. 1. 2.; Or. c. vulg. *regis nostri;* minus bene, quia *Romanum* regem opponit alienigenis philosophis.

pientem?] Sic Or. edidit, et sic legitur, sed sine lacunae signo, in R. P. Vat. Fabr. trib. Pall. Gud. 1. (hic *enim* a sec. m. habet) b. (a sec. m. post *afficere* habet *poterit*) Gud. II. (hic *ad efficere* pro *efficere*) Gud. 2. Duisb. Mon. 1. Marb. Vind. 1., neque aliter in nonnullis edd. vett., sed commate post *sine* posito, ut vocula *sine* pro verbo habenda sit: quam rationem praeposteram esse recte censet *Orellius*, qui hanc quidem scripturam retinuit, deleta tamen distinctione post *sine*. Codd. aliquot et multae edd. vett. praeferunt: *at enim non sine ignominia afficere poterit sap.* Unde Wolfius sic: *At enim non sine ign. . . aff. sap.? de sap.* etc. Paullus Manutius hunc locum satis probabiliter sic supplevit: *At enim non erit sine ignominia. Ignominia afficere poterit sapientem?* Ego malim: *At enim n. s. ign. Ignominia poterit aff. s.?* Si vero legimus: *At enim sine ign. — afficere sapientem*, loci sententia sic compleri poterit: *At enim sine ignominia. Ignominia enim nulla potest afficere sapientem*, aut, uti *Wesenb.* Em. I. p. 17. vult, *At e. s. i. An potest exilium ignominia aff. s.? Orellius* hunc locum sic explanat: At enim nulla ignominia afficiebantur peregrinantes isti philosophi, contra quam est in vero exsule, ignominia sane notato. Nihilominus ergo exsilium est malum. Respondet Tullius: Ignominiane poterit exsilium afficere sapientem, etiamsi revera sit exsul, non peregrinetur suo arbitratu?

§. 108. *quae sequuntur in vita*] Nissenius *quae* pro accusativo habet; ego explico: *quae accidunt in vita:* quam rationem probat *Moser*, quanquam rarum admodum esse hunc usum addit, neque ap. Cic. locum plane similem reperiri existimat. Quem ex Caesare B. G. 2, 22 extr. attulit locum: Itaque in tanta rerum iniquitate fortunae quoque eventus varii *sequebantur*, is alienus est. Nam *sequebantur* ibi est *se excipiebant*, uti bene interpretatur *Herzogius*.

suppeditetur] Sic scripsi auctore *Klotzio* in Add. p. 205. ex Vat. P. Gud. 1. Pal. 4. Fabr. Rehd. Duisb; proxime ad hanc scripturam accedit *suppeditantur*, quod est in Gud. II. b. (a pr. m.) Vind. 1. uno Ox.; pluralis ex praecedenti *haec*, quod pro plurali habebatur, facile oriri potuit; R. ap. *Wes.* Em. II. p. 56. *suppeditet'*, i. e. suppeditetur, ap. Tregd. *suppeditēt*, i. e. *suppeditent*, quod nonnulli codd. et omnes fere edd. vett. habent; Or. c. Dav. ed. 2. e coni. *suppeditet:* quod si codicum auctoritate ni-

num Cypselum quod ferre non poterat, fugit Tarquinios Corintho et ibi suas fortunas constituit ac liberos procreavit. Num stulte anteposuit exsilii libertatem domesticae servituti?

XXXVIII. 110. Iam vero motus animi, sollicitudines aegritudinesque oblivione leniuntur, traductis animis ad voluptatem. Non sine caussa igitur Epicurus ausus est dicere, semper in pluribus bonis esse sapientem, quia semper sit in voluptatibus. Ex quo effici putat ille, quod quaerimus, ut sapiens semper beatus sit. — 111. Etiamne, si sensibus carebit oculorum, si aurium? — Etiam. Nam ista ipsa contemnit. Primum enim horribilis ista caecitas quibus tandem caret voluptatibus? quum quidam etiam disputent, ceteras voluptates in ipsis habitare sensibus, quae autem adspectu percipiantur, ea non versari in oculorum ulla iucunditate, ut ea, quae gustemus, olfaciamus, tractemus, audiamus, in ea ipsa, ubi sentimus, parte versentur[1]; in oculis tale nihil fit; animus accipit, quae videmus. Animo autem multis modis variisque delectari licet, etiam si non ad-

XXXVIII. 1 L. *versantur*, et sic Vind. 1.: quod immerito Or. rectum iudicat; nam *ut* est coniunctio consecutiva.

retur, optime sese haberet, et probatur a *Wesenb.* l. d., qui de nota terminationis *ur* prave in R. aliisque codd. addita complura collegit exempla; cf. nos in V. Ser. II. 22, 51: *suscitabit.* IV. 9, 21: *definiuntur.* Nam saepe hoc verbum vim intransitivam habet, ut de Or. III. 31, 124: in hoc igitur tanto tam immensoque campo — facile *suppeditat* omnis apparatus ornatusque dicendi: ubi cf. *O. M. Müllerum* p. 505. Off. I. 4, 12: studeat parare ea, quae *suppeditent* et ad cultum et ad victum: ubi cf. *Gernhard.* p. 18 sq. Sed si cum *Klotzio* l. d. statuimus, in archetypo compendium *suppeditet'* vel *suppeditēt* fuisse; facile intelligitur, quomodo ex hoc compendio male intellecto variae scripturae (*suppeditēt*, i. e. *suppeditent*, et omissa lineola *suppeditet*) oriri potuerint.

Patria est] Ex deperdita tragoedia, ut videtur, Pacuvii Teucro. Cf. Aristoph. Plut. 1151: πατρὶς γάρ ἐστι πᾶσ', ὦ' ἂν πράττῃ τις εὖ.

Mundanum] Κόσμιον. Arrian. Epict. 1, 9: Τί ἄλλο ἀπολείπεται τοῖς ἀνθρώποις, ἢ τὸ τοῦ Σωκράτους, μηδέποτε πρὸς τὸν πυθόμενον, ποδαπός ἐστιν, εἰπεῖν, ὅτι Ἀθηναῖος ἢ Κορίνθιος, ἀλλ' ὅτι κόσμιος.

T. Albucius] V. Indic. hist.

Epicuri legibus] quibus cautum erat, ne sapiens rem publicam capesseret. Huc referendum est illud Epicuri λάθε βιώσας, quod *Davisius* attulit ex Themist. or. 26. p. 324. Cf. *Creuzer.* ad N. D. I, 20. p. 87.

§. 109. *Qui enim*] Vocula *enim* non rationem reddit sententiae proxime antecedentis, sed referenda est ad verba superiora: Patria est, ubicunque est bene.

Metrodorus] intelligendus est is, qui vulgo Lampsacenus appellabatur. Cf. Ind. hist.

Plato Xenocratem] Plato et Polemo Athenienses erant, Xenocrates Chalcidensis, Arcesilas Pitaneus erat. Cf. Indic. histor.

vincebat —, quo esset beatior] Exquisitius dictum pro: vincebat vitā beata.

Damaratus quidem] V. Livium 1, 34. Dionys. Halic. 3, 46. Cf. *Moserum* ad C. de Rep. 2, 19.

Cypselum quod ferre non poterat] De verborum collocatione v. ad III. 15, 32.

Cap. XXXVIII. §. 110. *traductis animis*] De plurali post singularem (motus *animi*) v. ad II. 25, 54. De re ipsa cf. 3, 15—17.

§. 111. *in oculis tale nihil fit*] Obliqua oratio transiit in rectam. V. ad IV. 10, 24.

animus accipit, quae videmus] Comparat *Wolfius* versum Epicharmi ap. Plutarch. de Fort. c. 3: Νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει· τἆλλα κωφὰ καὶ τυφλά.

hibeatur adspectus. Loquor enim de docto homine et erudito, cui vivere est cogitare. Sapientis autem cogitatio non ferme ad investigandum adhibet oculos advocatos. 112. Etenim si nox non adimit vitam beatam, cur dies nocti similis adimat? Nam illud Antipatri Cyrenaici est quidem paullo obscoenius, sed non absurda sententia est, cuius caecitatem quum mulierculae lamentarentur: *Quid agitis*[2]*?* inquit, *an vobis nulla videtur voluptas esse nocturna?* Appium quidem veterem illum, qui caecus annos multos fuit, et ex magistratibus et ex rebus gestis intelligimus in illo suo casu nec privato nec publico muneri defuisse. G.[3] Drusi domum compleri a[4] consultoribus solitam accepimus, quum, quorum res esset, sua ipsi non videbant, caecum adhibebant ducem. Pueris nobis, Gn.[5] Aufidius praetorius[6] et in Senatu sententiam dicebat nec amicis deli-

2 v. Adn. 3 Sic Mos. pro *C.* scripsit ex R. Gud. 1. (hi *Gatrusi*) P. (*Gratusi*) aliisque. 4 Sic omnes fere codd. etiam R. P.; Or. c. vulg. om. *a.* 5 Sic Mos. ex Gud. 1. (G. N.) Gud. II. Duisb. pro *Cn.* 6 Pighius post *praet.* excidisse putat *caecus;* at recte Or. monet, id Tullium non addidisse, quia res tum vulgo nota fuisset. Et vero ex tota oratione facile intelligitur.

non ferme] non facile, vix non, *nicht eben.* Frequentius est *non fere,* ut Fin. I. 6, 18: *non fere* labitur: ubi v. *Ottonem.* Sic supra I. 17, 38. legimus *non fere, nisi,* nicht leicht, ausser. II. 3, 8. (Epicurum) *non fere* praeter suos quisquam in manus sumit. V. *Handii* Tursell. T. II. p. 695 sq.

adhibet oculos advocatos] Nescio, cur displicuerit Ernestio vocabulum *advocatos.* Locutio forensis *aliquem advocatum adhibere* venuste ad oculos translata est. Supra IV. 23, 52: Non igitur desiderat fortitudo *advocatam* iracundiam. *Moser* confert Acad. 2, 27: *Adhibes* artem *advocatam* etiam sensibus.

§. 112. *dies nocti similis*] qualis est caeco. *Neidius.*

Quid agitis?] Wolfius (Darstellg. d. Alterthsw. Lpz. 1833. p. 98.) legendum coniecit: *Quid aitis?* Quam coniecturam, Vind. 1. confirmatam, recepit Moser: quod miror; nam *agitis* multo gravius est respondetque nostro: *was fällt euch ein?* Huc accedit, quod forma *aitis* valde dubia est. A nullo alio grammatico enotatur, nisi ab Alcuino p. 2118. Putsch., qui tamen nulla exempla attulit. Ceterum Moser in partes vocat Ruddim. Inst. Gr. L. I. p. 269.

G. Drusi] Valer. Maxim. VIII. 7, 4: Consimilis perseverantiae Livius Drusus, qui aetatis viribus et acie oculorum defectus ius civile populo benignissime interpretatus est utilissimaque discere id cupientibus monumenta composuit. Nam ut senem illum natura, caecum fortuna facere potuit; ita neutra interpellare valuit, ne non animo et videret et vigeret.

et dicebat nec deerat] V. ad I. 4, 7.

Graecam — historiam] Non esse Graecarum rerum historiam, sed historiam Romanam Graece scriptam, docet *Vogelius* in Prolus. Bip. 1830. p. 17. *Moser* laudat Baehrium Gesch. d. Röm. Litt. ed. 2. p. 351.

videbat in literis] Horat. Sat. I. 3, 26: cur *in* amicorum *vitiis* tam *cernis* acutum —? ubi v. *Heindorf.* p. 63. Sic Soph. O. R. 383 sq.: ὅστις ἐν τοῖς κέρδεσιν Μόνον δέδορκε, τὴν τέχνην δ' ἔφυ τυφλός. Similiter Graece: βλέπειν πρὸς πράγματί τινι, acutius in re aliqua videre. V. *Heindorf.* ad Plat. Soph. p. 232. E. Eleganter *caecus* dicitur *videre* in litteris. Cf. locum e Sophocle allatum. Illepida est coniectura: *vivebat,* uti legitur in cod. Ursini.

Cap. XXXIX. §. 113. *Diodotus Stoicus*] V. nos in libro d. *de Ciceron. in philos. mer.* p. 37. et Indic. hist.

quod credibile vix esset] nisi ipse vidissem.

quum in phil. versaretur, — tum tuebatur] In hoc partitionis genere, quo in priore membro aliquid generatim poni, in posteriore aliquid singillatim cum maiore vi efferri solet (v. tamen Adnot. in c. 25, 72.), duplici veteres usi sunt structura. Particula enim *quum* in priore

berantibus deerat, et Graecam scribebat historiam, et videbat[7] in litteris.

XXXIX. 113. Diodotus Stoicus caecus multos annos nostrae domi[1] vixit. Is vero, quod credibile vix esset, quum in philosophia multo etiam magis assidue, quam antea, versaretur et quum fidibus Pythagoreorum more uteretur quumque ei libri noctes et dies legerentur, quibus in studiis oculis non egebat, tum quod sine oculis fieri posse vix videtur, geometriae munus tuebatur verbis praecipiens discentibus, unde, quo quamque lineam scriberent. Asclepiadem ferunt, non ignobilem Eretricum[2] philosophum, quum quidam quaereret, quid ei caecitas attulisset, respondisse, puero ut uno esset[3] comitatior. Ut enim vel summa paupertas tolerabilis sit, si liceat, quod quibusdam Graecis quotidie; sic caecitas ferri facile possit, si non desint subsidia valetudinum. 114. Democritus, luminibus amissis,

7 v. Adn. XXXIX. 1 Sic Or. c. plerisque edd. vett. et codd., etiam R. P. Gud. 1. II.; alii *domi nostrae;* pro *domi* Pal. 4. et Rehd. habent *domui*, v. ad I. 22, 51. 2 Sic Or. c. codd. et edd. vett. inde ab Ald. Man.; sed nonnulli codd. corrupte, ut *hereticum*, *Creticum*, *metricum;* aliae edd. vett. *nec inexercitum* (pro *Eretricum*); L. *Eretriacum;* sine caussa, v. Ind. hist. 3 Pauci deteriores codd. *essem.*

membro aut cum indicativo aut cum coniunctivo iungitur; nam aut simpliciter tempus significat, tum indicativus ponitur, ut III. 13, 27. IV. 1, 1. 2. V. 19, 56., aut caussalem utriusque membri nexum, tum coniunctivus ponitur, ut N. D. I. 1. princ.: Quum multae res in philosophia nequaquam satis adhuc explicatae *sint*, tum perdifficilis — et perobscura quaestio est de natura deorum: (ubi v. *Creuzer.*) h. e. *licet — sint, tamen:* quanquam inter *tamen* et *tum* nonnihil discriminis interest; *tamen* enim „prioris sententiae vim quodammodo temperat et minuit, opposito eo, quod sit illi certe ex parte contrarium; *tum* vero alteram sententiam auget addendo eo, quod prae altero spectandum sit," uti acute docet *Gernhard.* ad Cicer. de Offic. III. 2, 5. p. 280., cum quo cf. *Beier.* ad eundem locum. *Sed quum tota philosophia — frugifera —* sit; *tum nullus feracior in ea locus est — quam de officiis:* h. e. Tota phil. frugifera est, in primisque is locus, qui est de off. Si vero ponamus: *licet tota ph. frugifera sit; tamen nullus feracior in ea locus est, quam de off.*, haec exibit sententia: tota quidem phil. frug. est, non omnes tamen eius loci aeque frugiferi sunt, sed is, qui est de off., uberior. Adde *Goerenz.* ad Legg. II. 14, 36. p. 157. de Fin. III. 15, 50. p. 367 sq. *Ramshorn.* L. Gr. §. 196. p. 897. ed. 2. et *Otton.* Exc. IV. ad Fin. *Kühner.* L. Gr. §. 149, 10.

legerentur] recitarentur. Nusquam vero probi scriptores dixerunt *praelegere*, quo haud raro recentiores utuntur.

Asclepiadem] V. Indic. histor. in *Ascl.* et *Eretrici.*

puero ut uno] servo scil., quo duce uteretur. Divites enim, quum in publicum prodibant, magno amicorum comitatu stipabantur; hinc Asclepiades dicebat per iocum, caecitatem fecisse, ut similis divitibus puerum unum comitem habere posset. *Neidius.*

si liceat] Scil. mendicare: quod omissum est per honestam ἀποσιώπησιν.

si non desint subsidia valetudinum] si non desint subsidia, quibus sustentetur valetudo. Nomen *valetudinis* plurali numero positum est ad duplicem corporis habitum, vel sanum vel aegrum, significandum, uti recte interpretatur *Ellendt.* ad de Or. III. 14, 53. Vol. II. p. 379. Sic Tacitus Ann. VI. cap. penult.: Medicus regere *valetudines* principis solitus. Cf. Adnotata in IV. 2, 3.

§. 114. *Democritus, luminibus amissis*] Fin. V. 29, 87: Democritus, qui „vere falsone, non quaeremus" dicitur *se oculis privasse.* Cui fabulae complures obloquuti sunt; *Dacisius* laudat Menagium ad Diog. L. IX. §. 43, 3. Porphyr. περὶ ἀποχῆς I, 30. Gell. X, 17.

alba scilicet discernere et atra[4] non poterat. At vero bona mala, aequa iniqua, honesta turpia, utilia inutilia, magna parva poterat; et sine varietate colorum licebat vivere beate, sine notione rerum non licebat. Atque hic vir impediri etiam animi[5] aciem adspectu oculorum arbitrabatur, et quum alii saepe, quod ante pedes esset, non viderent, ille in infinitatem[6] omnem peregrinabatur, ut nulla in extremitate consisteret. Traditum est etiam, Homerum caecum fuisse. At eius picturam, non poësim[7], videmus. Quae regio, quae ora, qui locus Graeciae, quae species formaque pugnae[8], quae acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum non ita expictus est, ut, quae ipse non viderit, nos ut videremus, effecerit? Quid ergo? aut Homero delectationem[9] animi ac voluptatem aut cuiquam docto defuisse unquam arbitramur? 115. aut[1], ni ita se res haberet, Ana-

4 Sic R. P. Gud. 1. II. 2. Rehd. Mon. 1. Marb. Vind. 2. et edd. vett. P. D.; Or. c. vulg. *et atra disc.* 5 Sic Or. c. codd. Vulg. *animi etiam;* male; nam *etiam* non ad *animi*, sed ad *impediri* pertinet. 6 Sic Or. c. b. Marb. Mon. 1. et edd. vett. S. E. L. HW. Vulg. om. *in:* quod absorptum est prima syllaba seq.; R. P. Gud. 1. *illa infin.*, om. *in.* 7 v. Adn. 8 Sic Or. c. Duisb. et duob. aliis pro vulg. *quae species formae quae pugna:* inepte; *que* in *quae*, ut saepe, mutatum peperit *formae* et *pugna.* 9 Sic Or. c. plurimis codd., etiam R. P. Gud. 1. II. pro vulg. *ad delect.* 1 D. aliique ex El. 2. *an;* male.

bona mala etc.] Attendas ad ἀσύνδετα. In contrariorum enim, ut ait *Beier* ad Offic. I, 17. p 134 sq., quae aequaliter et promiscue locum habere dicuntur, consociatione sine copula, quae alias geminanda foret, alterum alteri respondet, ut par quoddam inde exsistat. Sic supra I. 26, 64: ut omnia: *supera infera, prima ultima media* videremus. V. 26, 73: haec nostra, *honesta turpia*, irrideat. Or. XXII, 73: quod semper usurpamus in omnibus: *dictis factis, minimis maximis.* Offic. II. 64, pr.: *vendendo emendo, conducendo locando.* Sic *prima postrema; adversa secunda* etc. Sall. Iug XCVII, 5: *equites pedites* permixti. Cat. XI, 2: gloriam — *bonus ignavus* aeque sibi exoptant: ubi v. *Kritzium.* Cf. nos in Gr. L. §. 138[b], 1. c). Eodem plane modo Graeci, ut Plato Protag. p. 319. D: πλούσιος πένης, γενναῖος ἀγεννής. Cf. nos in Gr. Gr. T. II. §. 760, 3. i.). [Gr. schol. §. 325, f).] De verbis: *non poterat — poterat* v. ad III. 5, 11.

Homerum caecum fuisse] Vell. Pat. I, 5. (a *Davisio* allatus): Homerum si quis caecum genitum putat, omnibus sensibus orbus est.

eius picturam, non poesim] Homerus res tanta veritate describit, ut omnia quasi ad naturam adumbrata oculis nostris videamur conspicere. Hinc Homerus in antiquitate ὁ ἄριστος τῶν γραφέων celebratur. *Davisius* comp. Lucian. Imag. T. II. p. 6. — Cum *Mosero* revocavi scripturam *poesim*, quae legitur in R. P. (ap. Wes. Em. III. p. 32.) Gud. 2. Rehd. Duisb. et, ut videtur, nonnullis aliis codd. itemque in edd. vett. usque ad D. Or. c. vulg. *poësin.* V. *K. L. Schneider.* Ausf. Gr. Vol. II. P. I. p. 297. *Zumpt.* ad Verr. II. 66, 160. nos in Gr. L. §. 19, 2. Cf. supra 23, 66: basim. 27, 78: ibim.

§. 115. *ni ita se res haberet*] sc. ut delectarentur docti. Similiter Fin. V. 30, 91, ubi v. *Madvig.* p. 782.

Polyphemum] Colloquium inter Polyphemum et arietem habitum festive et lepide narrat Homerus Odyss. ι, 447.; at ibi non ea leguntur, quae hic commemorat Cicero. Itaque aut μνημονικὸν ἁμάρτημα admisit Tullius aut Homerica confudit cum iis, quae fortasse tragicus quidam poeta Polyphemo affinxit.

eiusque laudare fortunas] De hac locutione *Klotzius* comp. Ter. Andr. I. 1, 69 sq: Tum uno ore omnes omnia bona dicere et *laudare fortunas meas.* Praeterea observanda est mutatio structurae: primum dicitur: *colloquentem facit*, deinde *laudare*, ubi exspectes *laudantem.* Addit *Menkius* in Observv. ined. Plaut. Rud. II. 6, 39.

Cap. XL. §. 116. *male audiebat*] κα-

xagoras aut hic ipse Democritus agros et patrimonia sua reliquissent, huic discendi quaerendique divinae delectationi toto se animo dedissent[2]? Itaque augurem Tiresiam, quem sapientem fingunt poëtae, nunquam inducunt deplorantem caecitatem suam. At vero Polyphemum Homerus quum immanem ferumque finxisset, cum ariete etiam colloquentem facit eiusque laudare fortunas, quod, qua vellet, ingredi posset et, quae vellet, attingere[3]. Recte hic quidem. Nihilo enim erat ipse Cyclops, quam aries ille, prudentior.

XL. 116. In surditate vero quidnam est mali? Erat surdaster M. Crassus; sed aliud molestius, quod male audiebat, etiam si, ut mihi videbatur, iniuriâ. Nostri[1] Graece fere nesciunt, nec Graeci Latine. Ergo hi in illorum et illi in horum sermone surdi, omnesque id[1] nos in iis linguis, quas non intelligimus, quae sunt innumerabi-

2 Sic plurimi codd., etiam R. P. Gud. 1. II. et complures edd. vett.: Or. c. aliis *dedidissent*. 3 Tr. c. plurim. codd., etiam R. P. Gud. 1. II., *attingeret*; sed recte Mos.: Facilius credas accommodasse correctores infinitivum antecedenti coniunctivo, quam coniunctivum mutasse in infinitivum. Goth. et Lambb. in margine e vet. cod. *attingere et recte quidem*: unde verisimillimum est, etiam in illis codd., qui habent *attingeret recte*, lectum fuisse *attingere et recte h. q.*, uti 41, 118. Cf. *Wesenb.* Em. III. p. 32. XL. 1 v. Adn.; D. coni. *operarii*.

κῶς ἤκουεν, mala utebatur fama: cui contrarium est καλῶς ἀκούειν, bene audire. Eurip. Alc. 742. ed. Wüstem.: κακῶς ἀκούειν οὐ μέλει ζανόντι μοι. Facete autem Cicero hanc locutionem per oxymoron adhibuit ad eum, qui auribus male audiverit, ut supra §. 12. de Aufidio *caeco: videbat* in litteris.

ut mihi videbatur] Scil. tum, quum Crassus adhuc vivebat. Hinc imperfectum positum est.

Nostri] Ante hoc vocabulum omnes codd. insulsa occupavit interpolatio; habent enim: *Epicurei nostri Gr.* etc. Iure igitur W. auctore Davisio delevit vocabulum *Epicurei*; Or. c. Ern. retinuit quidem illud, sed uncis inclusit. Ineptae interpolationis diu desertae ac derelictae patrocinium nostra memoria suscepit *Klotzius* (et in ed. et in Add. p. 206 sq.), qui in ea tuenda atque enarranda magnam operam consumpsit et de sententiae suae veritate ita sibi persuasit, ut, si quis illud vocabulum intelligere non possit, eum omnes hos Tusculanarum libros non recte percepisse credat. Inter alia haec iactat: „Es ist diese Satire so beissend u. zugleich so überraschend, dass wir uns am Ende nicht sehr zu wundern brauchen, dass man sie nicht hat verstehen können.“ Cui hebetioris ingenii hominum numero nuper etiam *Madvigius* accessit, qui ad Fin. II. 8, 25. ita loqui ausus est: Tusc. V, 116. *Klotzius* revocavit foedum additamentum *Epicurei*; quasi Stoici et Peripatetici magis Latine sciverint, quam Epicurei aut Epicureorum contemptus artium ad sermonis peregrini peritiam pertinuerit aut ulla ratio sit ibi philosophorum certae disciplinae exemplo utendi.

Graece — nesciunt, nec Graeci Latine] Plane ut Academic. II. 47, 145: Ita tu nunc, Catule, lucere *nescis; nec* tu, Hortensi, in tua villa nos esse: pro et tu sc. nescis: de quo loco *Wopkens*. Lectt. Tull. I, 8. p. 67. sic: Est hoc σχῆμα πρὸς τὸ σημαινόμενον, quo membrum posterius priori membro ad sententiam potius, quam ad verba congruit, comparans Fin. I, 9. II. 8. IV, 9. N. D. I, 25. de Legg. II, 6. Cort. ad Sallust. Iug. 14. 7. Adde *Goerenz.* ad Acad. I. d. *Madvigium* ad Fin. II. 8, 25. p. 189. *Kühner*. L. Gr. §. 162, 1. b.

omnesque id] Codd. Ball. Bak. unus Leid. ed. vet. Bouh. omittunt *id*, b. interpunctum habet; W. et Or. uncis inclusérunt: Tregder *id* plane delevit: Man. coni. *item*: quod etiam *Wesenbergio* Em. III. p. 32. placet, qui comp. Lael. §. 7: ex hoc *item* Scaevola. Fam. VI. 3, 1. *Wopkens*. Lectt. Tull. p. 159. pronomen *id* exprimere adiectivum *surdi* existimat, ut supra c. 37: dicuntur — misericordes aut invidi aut *tale quid*.

les, surdi profecto sumus. — At vocem citharoedi non audiunt. — Ne stridorem quidem serrae tum, quum acuitur, aut grunnitum[2], quum iugulatur, suis[3], nec, quum quiescere volunt, fremitum murmurantis maris. Et si cantus eos forte delectant, primum cogitare debent, antequam hi sint inventi, multos beate vixisse sapientes; deinde multo maiorem percipi posse legendis his, quam audiendis, voluptatem. 117. Tum, ut paullo ante caecos ad aurium traducebamus voluptatem, sic licet surdos ad oculorum. Etenim qui secum loqui poterit, sermonem alterius non requiret. Congerantur in unum omnia, ut idem oculis et auribus captus sit, prematur etiam doloribus acerrimis corporis, qui primum per se ipsi plerumque conficiunt hominem; sin forte longinquitate producti vehementius tamen torquent, quam ut caussa sit, cur ferantur: quid est tandem, di[4] boni! quod laboremus? Portus enim praesto est, quoniam mors ibidem[5] est

2 Mos. ex R. P. Gud. 1. ed. D. et Non. p. 114. et 464. *grunditum.* 3 Sic Or. c. R. P. Vat. Gud. 1. II. aliisque et Non. p. 114. pro vulg. *sus.* 4 Sic c. D. et Tr. e R. et P. scripsi pro vulg. *dii.* 5 v. Adn.

Legg. III, 7: excepto tribuno, qui post exstitit, ne *id, quod fuerat, esset.* Fin. V. 30: ille vero insipiens, *quod* certe, quoniam tyrannus etc. IV, 24: ut iam omnes insipientes sint miseri, *quod* profecto *sunt. Handius* ad Wopk. l. d. coni. *omnesque iidem nos* etc., ut idem sit, quod: omnesque item nos. At in quibus locis *idem* pro *item* usurpatur, eorum longe alia ratio est. V. nos in Gr. L. §. 123, 3. *Klotzius* orationem ἀνακόλουθον esse statuens verba sic interpunxit: omnesque id nos in iis l., quas n. intell., quae sunt innumerabiles, — surdi profecto sumus. Quae ratio mihi quoque probabilis videtur. Orationem Tullius ita exorditur, quasi scripturus sit: omnesque id nos in iis linguis — sumus; deinde addit verba *surdi profecto sumus*, quasi pronomen *id* non antecesserit. Talis negligentia in aliis Ciceronis libris maiore diligentia confectis defendenda non erat; at in his Tusculanis festinanter, uti iam saepius vidimus, scriptis defendenda est.

§. 117. *secum loqui*] Cf. c. 36, 103.

qui primum] Voculae *primum* respondet *sin forte.* V. ad IV. 35, 74: *ei illud.*

quoniam — ibidem est] De Bentl. sententia D. Ern. W. verba: *quoniam mors ibidem est* uncis cinxerunt. „Sed recte iam *Nissen.* observavit, nullam prorsus caussam exputari posse, cur tam incongruum glossema quisquam inculcarit. Quid enim istis verbis a se explicatum existimasset.“ Or., qui unum tantum vocab. *ibidem*, ut gloss., uncis circumdedit: *quoniam mors* (sc. praesto, pro quo glossator falso intrusit *ibidem*) *est, aeternum* cet.“ Idem in recent. ed. comma post *est* delevit, ita: *quoniam mors est aeternum nihil sentiendi recept. Nissen.* coni. *quoniam mors quidem est aet., Wesenb.* Em. I. p. 34. *quoniam quidem* (v. ad III. 27, 66.) *mors est aet.* Ego cum *Klotzio* omnia haec verba germana esse existimo et verbum *ibidem* refero ad antecedentia verba: *sin forte longinquitate producti vehementius tamen torquent, quam ut caussa sit, cur ferantur.* Comma autem ante *aeternum* cum Or. in ed. rec. sustuli. *Ibidem* est *eodem tempore, quum est summus dolorum gradus,* vel: *in summo dolorum gradu;* sententia igitur est haec: etiam in acerbissimis doloribus non est, quod laboremus; portus enim praesto est, quoniam, ubi dolores ad summum gradum ascenderunt, *ibidem* licet nobis eos finire morte, qua in eum deducimur statum, in quo nullos sentiamus dolores. De *ibidem*, quod significat h. l. *in eadem re* vel potius *eodem tempore,* cf. *Madvig.* ad Finn. I. 6, 19: deinde *ibidem* homo acutus — attulit rem commenticiam. et *Iordan.* ad or. p. Caecin. 9, 23: laesit in eo Caecinam, sublevat *ibidem.* De morte voluntaria v. I. 30, 74.

cantharidis vim] *Cantharis* ex genere scarabaeorum, cuius succus venenatus in venas ingressus pestifer et letalis est. *Schütz.* Lexic. h. v. De Theodoro *Davi-*

aeternum nihil sentiendi[6] receptaculum. Theodorus Lysimacho mortem minitanti: *Magnum vero*, inquit, *effecisti, si cantharidis vim consecutus es.* 118. Paullus Persi[7] deprecanti, ne in triumpho duceretur: *In tua id quidem*[7] *potestate est.* Multa primo die, quum de ipsa morte quaereremus, non pauca etiam postero, quum ageretur de dolore, sunt dicta de morte, quae qui recordetur, haud sane periculum est, ne non mortem aut optandam aut certe non timendam putet.

XLI. Mihi quidem in vita servanda videtur illa lex, quae in Graecorum conviviis obtinetur[1]. *Aut bibat*, inquit, *aut abeat!* et recte; aut enim fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi aut, ne sobrius in violentiam vinolentorum incidat, ante discedat. Sic iniurias fortunae, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas. Haec eadem, quae Epicurus, totidem verbis dicit Hieronymus[2]. 119. Quod si iis philosophis[3], quorum ea sententia est, ut virtus

6 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. b. aliisque pro vulg. *sentienti:* quod ineptum est. 7 v. Adn. XLI. 1 v. Adn. 2 Sic Or. c. R. P. Gud. 1. 2. b. aliisque multis pro *et Hier.* 3 v. Adn.

sius comparat. Senec. de Tranq. c. 14. Valer. Max. VI. 2, 3. Stob. Serm. II, 31. Cf. supra I. 43. pr.

§. 118. *Persi*] Sic R. P. Gud. 1. 2. Mon. 1. 2. Rehd. Duisb. tres Oxx. unus Leid. Med. Petr. ed. vet. Bouh.; Or. c. vulg. *Persae.* V. ad I. 42, 101. De re *Menkius* in Observv. ined. comp. Plutarch. Aemil. Paull. c. 34.

In tua id quidem potestate est] in triumpho non duci, quum hanc ignominiam morte possis evitare. Pro *id quidem* plurimae edd. vett. habent *id inquit*, et nonnulli codd. deteriores *inquit id* aut *id quidem inquit.* At verbum *inquit* non raro omittitur. Cf. I. 43, 104: ubi v. Adn. V. 35, 98. Cf. *Wesenb.* Adn. Tusc. p. 16.

quae qui recordetur] Coniunctivus positus, quia haec enuntiatio ad sequentem enuntiationem pendentem: *ne — putet* relata est. Cf. Divin. I. 56, 127: *qui* enim *teneat* caussas rerum futurarum, idem necesse est omnia *teneat*, quae futura sint. V. *Madvigium* ad Fin. II. 27, 86. p. 291.

Cap. XLI. *obtinetur*] W. Or. Tr. e Dav. coni. *obtinet*, uti legitur in Gud. 2. et Marb.; cod. El. *continetur;* reliqui omnes libri et scripti et editi *obtinetur* (R. *obtinet̃* i. e. *obtinetur*). Rectissime. Aureae enim aetatis scriptores *obtinendi* verbum nunquam intransitive usurpant, sed semper transitive. *Legem obtinere* est legem firmiter tenere; ergo dicitur: *lex obtinetur* pro: lex valet. V. *Klotzium* in Lectt. Tull. I. p. 128., qui recte vulgatam defendit exemplisque illustravit, et *Wesenb.* Em. II. p. 57. Supra I. 12, 26: sententiam, quam vis *obtineri.* Fin. II. 33, 107: illud autem ipsum quî *obtineri* potest. Partit. orat. 37, 130: quae autem scripta non sunt, aut consuetudine aut conventis hominum et quasi consensu *obtinentur* (ut paullo ante: quae sine litteris aut gentium iure aut maiorum more *retinentur*). Off. I. 21, 84: quod (regnum) a Tantalo et Pelope proditum iure *obtinebatur.*

Aut bibat aut abeat] Graece ἢ πίθι ἢ ἄπιθι. (Nobis: sauf' oder lauf'!) Erasm. Adag. Chil. I. cent. X, 47.

§. 119. *Quod si iis philosophis*] Or. edidit: *quod si ii philosophi*, uti est in Vat. tribus Pall. quatt. Oxx. Ego cum *Klotzio* vulgatam revocavi, orationem ἀνακόλουθον esse statuens. Dativos *iis philosophis* Tullius posuit, quum in mente haberet scribere: *tamen licet semper beatum censere esse sapientem;* deinde autem post longiorem interpositionem institutae structurae oblitus alteram enuntiationis partem non verbis antecedentibus *iis philosophis* accommodat et subiungit, sed, quasi coeptam enuntiationem iam absolverit ad finemque perduxerit, tanquam integram enuntiationem per *et* adiungit. Etiam ex hoc loco ap-

per se ipsa nihil valeat, omneque, quod honestum nos et laudabile esse dicamus[4], id illi cassum quiddam et inani vocis sono decoratum esse dicant; et[5] tamen semper beatum censent esse sapientem: quid tandem a Socrate et Platone profectis[6] philosophis faciendum vides[7]? quorum alii tantam praestantiam in bonis animi esse dicunt, ut ab iis[8] corporis et externa obscurentur[9]. 120. Alii autem haec ne bona quidem ducunt, in animo reponunt omnia. Quorum controversiam solebat tanquam honorarius arbiter iudicare Carneades. Nam quum, quaecunque bona Peripateticis, eadem Stoicis commoda viderentur; neque tamen Peripatetici plus tribuerent divitiis, bonae va-

4 Sic R. P. Gud. 1. 2. sex Oxx. Mon. 1. Duisb. tres Pall.; eodem ducunt Pal. 1. Mon. 2., qui habent *ducamus;* Or. c. vulg. *dicimus.* 5 Or. *et* uncis cinxit; alii deleverunt; Wes. Em. I. p. 31. coni. *dicant*, *ei* (= *ii*, v. ad IV. 36, 78.), ut *ei* respondeat antecedenti *illi*, v. ad III. 8, 18. 6 Sic Or. c. Vat. Gud. 1. Vind. 2. sept. Oxx. Rehd. (hic *q. t. Socrati et Platoni prof.*) et edd. vett. post Gebh. omnib. pro *perfectis:* quam absurdam scripturam tam acriter contra eos, qui *profectis* receperant, defendi potuisse a Kl. sane miror; nunc is in Add. p. 208. rediit ad *profectis.* 7 v. Adn. 8 Sic Mon. 2. Duisb.; Or. c. vulg. *his;* at v. ad I. 3, 5. 9 Sic Or. c. codd. Ball. Med. quinq. Oxx. Rehd. et plerisq. edd. vett. pro vulg. *observent;* unus Leid. *obscurent* (ortum ex *obscurent*); ed. Ven. Alt. *observentur;* R. P. Gud. II. *observant;* Bentl. coni. *obruantur.*

paret, non ultimam his libris a Tullio admotam esse limam.

quorum ea sententia est, ut virtus per se ipsa nihil valeat] Exspectamus aut: quorum ea sententia est, ut *virtutem* — nihil *valere censeant*, aut: quorum ea sententia est, *virtutem* — nihil *valere.* V. ad IV. 21, 47.

quid tandem — faciendum vides?] Sic R. P. Gud. 1. duo Leidd. sept. Oxx. Mon. 2. Vind. 2. aliique; Or. c. vulg. *putes* (pro *vides*); Tregder e coni. Madvigii ad Fin. p. 273. *putas:* quod etiam Wesenb. Em. I. p. 33. probat; Klotzius, qui receperat in ed. *vides*, nunc in Add. p. 208. legendum suspicatur *suades*, de rariore structura comparans Suet. Tib. 32: „praesidibus *onerandas* tributo *provincias suadentibus,*“ vel *dices.* Si quid mutandum sit, ego e Duisb. praetulerim *censes;* sed quum verbum *videndi* ad mentem translatum latissime pateat notionique *intelligendi* finitima sit notio *iudicandi*, optimorum codd. scripturam retinendam existimavi.

alii] Peripatetici et Academici. §. 120. *alii*, Stoici.

§. 120. *honorarius arbiter*] dicitur is, ad quem honoris caussa defertur arbitrium. Sic de Fato XVII, 39: Chrysippus, tanquam *arbiter honorarius*, medium ferire voluisse (sc. videtur). V. *Ernestii* Clav. v. *honorarius* et *Iordan.* ad or. p. Caecina 2, 6.

dissidendi] Sic Or. c. plerisque edd. vett. et codd. El. et uno Ox.; omnes fere codd., etiam Vat. R. P. Gud. 1. II., *desiderandi:* quod Kl. recepit locum hoc contorto modo interpretans: „da sei Nichts mehr, was man noch verlangen könnte; da könne man weiter Nichts verlangen; da sei kein Grund zu mäkeln.“ Nunc in Add. p. 209. coni. *discrepandi*, dicens locum a Bentl. allatum ad defendendam scripturam *dissidendi* de Finn. IV. 26, 72: „Videsne igitur, Zenonem tuum cum Aristone verbis consistere, re *dissidere;* cum Aristotele et illis re consentire, verbis *discrepare?*“ pari iure adhiberi posse ad defendendam coniecturam suam *discrepandi.* Mon. 1. *disserendi.*

hunc locum] de summo bono.

ceterarum disciplinarum] praeter Stoicos et Peripateticos, qui re consentiunt, verbis dissentiunt. Ceterarum igitur disciplinarum philosophi, qui in constituendo summo bono a Stoicis et Peripateticis dissident, recte an perperam sentiant, nunc non quaero; certe laudandi sunt, quod in eo cum illis consentiunt, quod sapientem semper beatum esse dicunt.

§. 121. *eundum*] a Tusculano in urbem.

ubi] positum videtur pro: *quomodo*, at videtur tantum; est enim: *in qua re, in quo studio.* Neque aliter *ubi* accipiendum est in Lael. 14, 51.

letudini, ceteris rebus generis eiusdem, quam Stoici; quum ea, re, non verbis ponderarentur, caussam esse dissidendi[1] negabat. Quare hunc locum ceterarum disciplinarum philosophi quemadmodum obtinere possint, ipsi viderint; mihi tamen gratum est, quod de sapientium perpetua bene vivendi facultate dignum quiddam philosophorum voce profitentur. 121. Sed quoniam mane est eundum, has quinque dierum disputationes memoria comprehendamus. Equidem me etiam conscripturum arbitror, (ubi enim melius uti possumus hoc, cuicuimodi[2] est, otio?) ad Brutumque nostrum hos libros alteros quinque mittemus, a quo non modo impulsi sumus ad philosophiae[3] scriptiones, verum etiam lacessiti. In quo quantum ceteris profuturi si-

1 v. Adn. 2 Sic plerique codd., etiam R. P. Gud. 1. II.; alii deteriores *cuiuscunque modi* vel *cuiusmodi*. V. ad III. 34, 83. 3 v. Adn.

alteros quinque] praeter quinque libros de Finibus Bonorum et Malorum, quos dedicaverat Bruto.

ad philosophiae scriptiones] Sic scripsi cum *Klotzio* et *Tregdero* e Nonio, qui et p. 174. 18. Ciceronis verba *impulsi sumus ad philosophiae scriptiones*, et p. 134, 2. *impulsi sumus ad philosophiae scriptionem, verum etiam lacessiti* affert. D. W. Or. ediderunt *philosophas*, quod exhibent R. (supra adscripto *ic*) Gud. 1. unus Ox. quatt. Gebh. unus Ursini.. Adiectivum *philosophus* legitur in Pacuvii loco ap. Gell. N. A. XIII, 8: Ego odi homines ignava opera et *philosopha* sententia. At e Pacuvio nihil concludi potest de Ciceronis usu. Praeterea *Moser* attulit Macrob. Saturn. VII. 1. p. 625. ed. Zeun.: „verbum nullum, nisi *philosophum*, sensit:“ sed ibi alii legunt *philosophicum* et, ut legatur *philosophum*, tamen, ubi Ciceronis oratio agitur, Macrobii auctoritas non plus valebit, quam Pacuvii. Ex ipso quidem Cicerone idem *Moser* excitavit locum in ep. ad Q. Fr. III. ep. 1. c. 2, 5: „quanquam ea villa, quae nunc est, tanquam *philosopha* videtur esse, quae obiurget ceterarum villarum insaniam:“ sed ne hoc quidem loco quicquam probatur; nam ibi *philosopha* non est adiectivum, sed substantivum: festive et lepide villam Tullius tanquam personam inducit eamque appellat *philosopham*. Omnium minime probabilis est vulgata *philosophicas*, quanquam eam etiam optimus cod. P. exhibet; nam adiectivum *philosophicus* non magis apud Latinos scriptores in usu fuit, quam φιλοσοφικός apud Graecos, qui etsi φιλόσοφος λόγος, φιλόσοφον σύγγραμμα et similia dicunt, tamen nunquam φιλοσοφικὸς λόγος etc. Cum adiectivo φιλόσοφος, *philosophus*, contendit *Orellius* φιλόλογος, *philologus* (non φιλολογικός, *philologicus*), comp. ad Att. XIII, 29: quum quasi alias res quaererem de *philologis* [*philologa*, τὰ φιλόλογα e Nicia. Primus Lactantius Div. Instit. III. 14. 19. ausus est dicere *philosophice*. Nam Cic. Acad. I. 2, 8. scriptura *philosophice scribere* est corrupta. Scripturae *philosophicas*, *philosophas* sine dubio ex eo originem suam duxerunt, quod imperitiores librarii, vera ac propria vi nominis *scriptiones* non percepta, id pro *scriptis*, *libris* acceperunt: neque negari potest durissime dictum fuisse *philosophiae scripta*, *libri*, idque plane abhorrere a consuetudine Ciceronis, qui dicere solet *libri*, *qui sunt de philosophia* vel simili modo, quanquam Plinius (a Klotzio in Add. p. 209. allatus) H. N. XIII, 27. dicit: „in his libris *scripta* erant *philosophiae Pythagoricae*. Eosque combustos a Q. Petilio praetore, quia *philosophiae scripta* essent:“ sed haec significatio ab hoc loco plane aliena est; nam dici non potest: *impulsi sumus ad libros*, sed dicendum erat ad *scribendos libros*. Vim nominis *scriptiones* verissime intellexit *Klotzius*, quum *philosophiae scriptiones* vertit *die schriftlichen Beschäftigungen mit der Philosophie*. Uti Ciceroni dicitur *philosophiae tractatio*, ita pari iure ei dicere licuit *philosophiae scriptiones*, ratione habita variorum philosophiae argumentorum scribendo vel litteris persequendorum.

profuturi simus] Sic Ern. e coni. W. et Or. c. codd. Mon. 2. Duisb. Beroaldi aliqua ed. ap. Garaton. ad Milon. p. 132. (Bonon.) Iuntina. L. Contra codd. reli-

mus[3], non facile dixerimus; nostris quidem acerbissimis doloribus variisque et undique circumfusis molestiis alia nulla potuit inveniri levatio.

qui omnes, ed. Rom. 1469. PABSECVM. Gebh. D. Lall. exhibent *sumus*, quod probant Garat. l. d. et Wopkensius Lectt. Tull. p. 205. H., ut adnotat Orellius. At indicativum huic loco nequaquam convenire, clarissime docent sequentia verba *non facile dixerimus*, quae dubitanter et cum fluctuatione quadam prolata sunt. Omninoque nunquam Cicero ceterique diligentes pedestris orationis scriptores in eiusmodi interrogationibus quae dicuntur obliquis indicativum admiserunt. Qui contra afferuntur loci, aliter accipiendi sunt, ut ubi pronomen demonstrativum ante relativum suppleri potest, ut Fin. IV. 24, 67: *quo nituntur* homines acuti argumento —, operae pretium est considerare (h. e. *argumentum*, *quo*). de Sen. IV, 12: nihil admirabilius, quam *quo modo* mortem filii *tulit* (h. e. *modus*, *quo*). VI, 18: senatui, *quae sunt* gerenda, praescribo (h. e. *ea*, *quae*). pr. Rosc. Am. XXX, 83: quaeramus, *ubi* maleficium et *est*, et inveniri *potest* (h. e. *locum*, *ubi*). Supra I. 13, 29. Nonnunquam etiam orationis vigore interrogatio non oblique, sed directe infertur, ut supra I. 5, 10: *dic*, quaeso: *Num* te illa *terrent*? V. nos in Gr. L. §. 158. Not. 14. Eiusmodi locis, in quibus leguntur terminationes *-unt*, *-untur* pro *-int*, *-antur*, ut *sunt* pro *sint*, *exquirunt* pro *exquirant*, *coluntur* pro *colantur*, porro *-vit* pro *-rit*, ut *promulgavit* pro *promulgarit*, *-um* pro *-im*, ut *sum* pro *sim* etc., per litterarum similitudinem nihil effici ac demonstrari potest. Plerumque his locis codd. et edd. veteres variant. Eleganter de hac re disputavit *Otto* ad Fin. IV. 24, 67. Multa exempla collegit *Ramshorn*. Lat. Gr. §. 174. p. 712 sq. ed. 2., sed non satis distribute distinxit, multa etiam attulit, quorum scriptura aperte falsa est. Quae *Handius* ad Wopk. p. 203 sq. docuit, mihi quidem non satisfecerunt. De Offic. III. 7, 23: „declarat, quantum odium hominum *valet* ad pestem" recte nunc a Stürenburgo legitur *valeat*. Corruptelae caussa posita videtur in seq. vocula *ad*.

nostris quidem] V. ad II. 17, 41.

alia nulla potuit inveniri levatio] V. nos in libro dicto *de Cic. in phil. mer.* p. 40.

INDEX HISTORICUS.

Prior numerus librum, posterior paragraphum indicat.

A.

Academīa fuit proprie gymnasium in Athenarum suburbio. 5, 91. Ibi Plato scholam excitavit, quae ex eo loco Academia dicta est. 2, 4. 9. 3, 12. 5, 82. Significat idem vocabulum locum in Tusculano Ciceronis, in quo disputabatur de philosophia. 2, 9. 3, 7: ubi v. Adn.

Academici vocati sunt philosophi scholae Academicae, cuius auctor erat Plato. Hi sunt *Academici veteres* (5, 82.), a quibus distinguendi sunt *Academici recentiores*, quorum auctor erat Arcesilas, qui nihil esse certi, quod aut sensibus aut ratione percipi posset, ob eamque rem de omnibus rebus dubitandum esse statuebant. Cf. nos in libro d. *de Ciceronis in philos. mer.* p. 148 sqq., Prolegomena ad hos libros II., Adn. in 4, 6. — 4, 6. 47. 5, 30. 75. 83. 85.

Academici libri II. 2, 4.

Accius (non *Attius*, v. V. Scr. 1, 105.), *L.*, filius libertini, Romanorum, poëta tragicus, natus 582. U. c. 172. a. Chr. Eum Decius Brutus tanti faciebat, ut templa, quae e spoliis hostibus detractis exaedificaverat, carminibus Accii exornari iuberet. Mortuus est valde senex. 1, 68. 105. 2, 13. 19. 20. 33. 38. 3, 20. 62. 4, 55. 69. 77. 5, 52.

Achilles, Pelei et Thetidis filius. 1, 105. Rapta sibi ab Agamemnone Briseide adeo ira exarsit, ut aliquamdiu bello abstinuerit. Deinde quum Graeci a Troianis valde premerentur, missi sunt auctore Nestore Ulixes et Aiax ad Achillem, qui donis ac precibus eius animum flecterent, ut ad pugnam rediret. Ex hoc cum Achille sermone sumpta sunt verba a Cicerone allata 3, 18. — 4, 52.

Achradīna fuit pars Syracusarum. Constabant Syracusae quattuor urbibus, quarum una fuit Achradīna, in qua forum maximum, pulcherrimae porticus, ornatissimum prytaneum, amplissima curia templumque egregium Iovis Olympii. Reliquae urbis partes una lata via perpetua multisque transversis divisae privatis aedificiis continentur. Cic. in Verrem L. 4. c. 53. Liv. 24, 22 sqq. 25, 24 sqq. — 5, 65. Sed legendum est: *ad portas Agragianas*; v. Adnot.

Aeăcus, Iovis ex Aegina filius, rex Aeginae, tanta iustitia regnasse dicitur, ut cum Minoe et Rhadamantho tertius iudex apud inferos a Plutone constitueretur. 1, 98.

Aeētes, rex Colchorum, filius Solis. Eius liberi fuerunt Medea, Absyrtus, Calciope. Iaso aureum vellus, quod asservabat, Medeae ope abstulit ipsumque pepulit. 3, 26. 39.

Aegyptii 1, 108. 5, 78. *Aegyptus*, Africae terra, 5, 97.

Aelius. a) *Catus Aelius Sextus Paetus*, iuris civilis scientia insignis indeque *Cati* cognomine ornatus, qui, quum patricii post publicatos a Cn. Flavio, aedilis Appii scriba, fastos actionesque primum editas novas notas, quibus ius diceretur, invenissent, ius *Aelianum*, i. e. harum notarum interpretationem edidit a. 552. U. c. 202. a. Chr. Consul fuit a. 555. U. c. 199. a. Chr. 1, 18. — b) *Q. Aelius Tubero.* V. *Tubero.*

Aemilius. V. *Lepidus.*

Aeschĭnes, Adrometi filius, clarissimus Atheniensium orator, Philippicarum partium princeps Demosthenisque adversarius, 3, 63.

Aeschŷlus, Euphorionis filius, clarissimus Atheniensium tragicus poëta. Floruit fere 480. a. Chr. Postea ad Hieronem, Siciliae regem, sese contulit et Gelae a. 456 a. Chr. diem supremum obiit. 2, 23 sqq. 2, 60. 3, 71. Aeschylus Pythagoreus. 2, 23., ubi v. Adn.

Aesculapius, filius Apollinis e Coronide, a Chirone arte medica institutus, me-

dicinam tanto cum successu exercuit, ut adeo mortuos in vitam reduceret. Inde *Aesculapii liberi* sunt *medici*. 2, 38.

Aesōpus, clarissimus histrio, amicus Ciceronis. 2, 39. 4, 55. V. *Ellendt*. ad de Or. I. 61, 259. Vol. II. p. 153 sq.

Aetolia, mediae Graeciae (Ἑλλάδος) regio, inter Acarnaniam, Thessaliam, Doridem, Locridem sita. 1, 3.

Afranius, Lucius, Latinus, auctor comoediae togatae, i. e. Romanas personas et mores exhibentis, ingeniosus Menandri imitator, 4, 45. Cf. Brut. c. 45. de Finib. I, 3. Hor. ep. II. 1, 57. Macrob. 6, 1.

Africanus. V. *Scipio*.

Agamēdes et *Trophonius*, fratres, filii Ergini architecti iidemque ipsi architecti, quorum prior exaedificavit templum Delphicum, in quo opere conficiendo frater Agamedes eum adiuvit. Eadem, quae Cicero, de his narrat *Plutarchus* orat. cons. ad Apollonium p. 335. ed. Hutt. 1, 114: ubi *Davisius* comp. Aeschinem in Axioch. p. 730. aliaque. Discrepat Pausan. IX, c. 40. Cf. *Wyttenb*. ad Cic. N. D. III, 19. in Select. Schol. p. 784. Cr.

Agamemno, Atrei filius, Pelopis nepos, Mycenarum rex, summus Graecorum dux ante Troiam. 1, 90. 3, 57. 62. 4, 17. 52.

Agragiānus. V. ad 5, 65. Cf. v. *Achradina*.

Aiax, Telamonis filius, hinc Telamonius dictus, vel Salaminius a patria Salamine, omnium Graecorum, qui ante Troiam pugnabant, secundum Achillem fortissimus. Achille mortuo, sperabat, illius arma sibi traditum iri; quum autem Ulixis astutia spe deiectus esset, furore correptus, multa insana fecit tandemque manum sibi intulit. Od. λ, 545 sqq. Sophocles in fabula, quae inscribitur Αἴας μαστιγοφόρος, hunc Aiacis furorem sibi sumpsit materiam. Quum iniquis iudicum sententiis Ulixi haec arma adiudicata essent, Cicero eum iudicio iniquorum circumventis accenset. 1, 98. 3, 11. 28. 71. 4, 49. 52.

Albīnus. *L. Postumius Albinus*, tertium consul absens factus, Boiorum, Galliae gentis, ab Hannibale concitatae, insidiis in silva Litana occidit a. 216 a Chr. 1, 89: ubi v. Adn. Idem et Tib. Sempron. Gracchus primi fuerunt consules e plebe.

Albucius, T., post praeturam Sardiniae a C. Iulio Caesare Strabone repetundarum accusatus et in exsilium missus, exsul Athenis vixit, perfectus Epicureus evasit, orationes reliquit scripsitque satiras Luciliano stilo. Lucilius eum ut Graeca miscentem verba Latinis notat apud Ciceronem de Fin. 1, 3. — 5, 108. Cf. *Müller*. ad Cic. de Orat. III. 43, 171. et *Wyttenbach*. Select. Schol. in Cicer. N. D. I, 33. p. 737. Cr. *Madvig*. ad Fin. I. 3, 8. Adde de Off. II. 14, 50.

Alcaeus, poeta lyricus, Mytilenis in Lesbo natus, scripsit dialecto Aeolica carmina amatoria (c. 600. a. Chr.) 4, 71.

Alcibiādes, Cliniae filius, Socratis discipulus (420. a. Chr.). 3, 77: ubi v. Adn. 3, 78.

Alcidāmas (non *Alcidamus*, v. ad 1, 116.), ex Elaea, Aeolidis in Asia urbe, oriundus, discipulus Gorgiae, rhetor et orator. (Cf. Quintil. III. 1, 10. *Heindorf*. ad Plat. Phaedr. p. 301. Tzetzes de eo Chil. 11, 385.) 1, 116.

Alcmaeo, filius Amphiarai (quem vide) et Eriphyles. Cui quum pater, ad bellum proficisci coactus, Eriphyles in se nequitiam aperuisset et mortis suae, quam providebat, ulciscendam reliquisset, mortuo patri obsecutus matrem sustulit. Quo scelere in se admisso ad Phegeum confugit, a quo purgaretur, filiamque eius Alphesiboeam duxit uxorem, cui monile matri detractum (vid. *Amphiaraus*) obtulit. Quum autem apud Phegeum furoris, in quem inciderat, remedium non invenisset, consulto oraculo, se ad Acheloum contulit, ubi pariter Callirhoes, Acheloi filiae, amore captus fatale aurum (Ovid. Met. 9, 411.) tradere iubetur. Ille se monile daturum pollicetur atque ea caussa ad Alphesiboeam repetiturus illud contendit; sed a Phegei filiis est occisus. 3, 11.

Aleïus campus (Ἀλήϊον πεδίον), in Cilicia, Asiae minoris regione, situs. 3, 63: ubi v. Adnotata.

Alexander, Macedonum rex (333 a. Chr.). 3, 21. 4, 79. 5, 91. 92.

Allienus, M. Pelignus, ab Africano minore in pugna scuto protectus morti eripitur. 4, 50. Apud alios scriptores huius rei nulla fit mentio.

Amafinius (*Amafanius*. v. V. Scr. 4, 6.), philosophus Epicureus, qui primus de philosophia Latine scripsit. Graviter notatur a Cic. Acad. I. 2, 5. Physica Epicurea scripsit. Cf. C. ad Fam. 15, 19. — 4, 6. 7. V. Adn. in 1, 6. init.

Ambracia, Thesprotiae urbs, ad fluvium Arachthum sita, Corinthiorum colonia (hodie *Arta*). 1, 84.

Amphiarāus, vates Argivus, quem Adrastus rex secum ad bellum Thebanum ducere voluit; sed ille quum praenosset, se illinc non rediturum, latuit, et

diu inveniri non posset, tandem ab Eriphyle, uxore sua, aureo monili ab Adrasto rege corrupta, productus atque ita proficisci coactus primo die, quo Thebas venit, hiatu terrae absorptus est. 2, 60. V. Hygin. Fabb. 70. 73. 250. Cf. *Epigoni*.

Anacharsis, Scytha, sapiens, Scytharum tum regis frater, Solonis temporibus florebat. 5, 90. Diog. L. 1, 101 — 105.

Anacreon, poeta lyricus ex Teo, Ioniae civitate, oriundus, aliquamdiu apud Polycratem, Sami tyrannum, postea Athenis apud Pisistratum vixit. Floruit c. a. 530 a. Chr. Scripsit carmina amatoria. 4, 71.

Anaxagoras, Clazomenis, Ioniae urbe, natus, philosophus sectae Ionicae, rerum naturalium studio in primis operam dedit, inde physicus est appellatus. Fuit doctor Periclis. In exsilium missus Lampsaci, urbe Mysiae, diem supremum obiit. 1, 104. 3, 30. 58. 5, 10. 66. 115. V. de eo *E. Schaubach*. Fragmm. Anaxagorae.

Anaxarchus, philosophus, discipulus Democriti, Alexandri M. in bellis comes, Nicocreontem, Cypri regem, laeserat, qui post Alexandri mortem eum interfici iussit. 2, 52. Cf. Val. Max. 3, 3. extern. 4. V. *Davis*. ad 2, 52. et *Wyttenb*. selecta scholar. in N. D. III, 33 extr. p. 797. ed. Cr.

Andromache, Hectoris uxor, Eetionis, regis Thebarum in Mysia, filia. Mortuo Hectore Pyrrhus, Achillis filius, eam in Graeciam abduxit. 3, 45. 53.

Andronīcus. Vid. *Livius*.

Anticlēa. V. ad 5, 46.

Antiochus, Ascalone in Syria natus, novae Academiae sectator, dicendi peritissimus, Luculli, Ciceronis, Bruti praeceptor, Philonis discipulus, longe aliam ac ceteri Academici viam ingressus est. Alias enim philosophiae disciplinas, in primis Stoicam et Peripateticam, cum Academia in concordiam redigere conatus est. Plura de eo disputavimus in libro d. *de Ciceronis in philos. merit.* p. 158 sq. — 3, 59. 5, 21. 22. 107.

Antipater. Plurium huius nominis philosophorum Cicero in scriptis mentionem facit, *Antipatri Tarsensis*, qui fuit discipulus Diogenis Babylonii, Stoicae disciplinae sectator doctorque Panaetii, — *Tyrii*, qui fuit discipulus Panaetii et familiaris Catonis Uticensis scripsitque de officiis, — *Cyrenaici* philosophi (5, 112.); de eo v. Diog. L. II, 86. Quem ex iis Cicero 5, 107. significet, non satis liquet.

Antisthenes, auctor sectae Cynicae, discipulus Socratis. 5, 26.

Antonius, *M.*, summus orator. Consul factus est 656. U. c. 98. a. Chr. Disserentem eum de eloquentia cum Luc. Lic. Crasso inducit Cicero in libb. de oratore. Iussu Marii occisus est 89. a. Chr. 1, 10. 2, 57. 5, 55. ubi cf. Adn.

Apollo Pythius, Iovis et Latonae filius, deus poetarum, oraculorum, medicinae 1, 17. 52. 73. 4, 77. *Apollo sanctus* 4, 73: ubi v. Adn.

Appius. a) *Appius Claudius Caecus*, consul 446. U. c. 308. a. Chr., clarus ob stratam ab ipso Viam Appiam et Aquam Appiam in urbem ductam. 4, 4. 5, 112. Carminis moralis Appii, quod 4, 4. commemoratur, tria tantum deprehenduntur vestigia, ap. Pseudosallust. de rep. ord. I, 1. ap. Festum in *stuprum*, ap. Priscian. VIII. p. 792. P. Vid. *Orellium* et quem laudat *Spalding*. ad Quinctil. T. IV. p. 591. — b) *Appius*, 1, 37. et Divin. I. 58, 132. commemoratus, a *Billerbeckio* intelligitur „*Appius Claudius Pulcher*, consul 700. U. c. (54. a. Chr.), Bruti socer, orator, qui a Q. Hortensio Brutoque 704. quum ex Cilicia provincia redux et ambitus et maiestatis a Dolabella esset accusatus, defensus est et Pompeii patrocinio absolutus in Graecia mortuus est. V. Brut. c. 1. 64. 72. 77. 94. ad Divv. III. 10. et 11. VIII. 6, 9. Valer. Max. I. 8, 10. Ad hunc fratrem P. Clodii, a Milone interfecti, Cicero, qui eius collega in auguratu erat, tertium libr. Epist. ad Fam. scripsit, id quod ex Divin. I, 16. (adde II, 35.) liquet.“ Cf. *Turnebum* ad Cic. Legg. II, 13. „Appius Pulcher de augurali disciplina ad Ciceronem scripserat (ad Fam. III, 4.) et apud Lucan. lib. V. oraculum Delphicum consulit, quod consuli iam desierat, et ad cortinam invitam mittit Pythiam.“ *Orellius* ex Sulpicio, vetere Lucani interprete, illum Appium intelligi vult, qui apud Valer. Max. I. 8, 10. et Lucan. V, 68 sq. Delphicum oraculum consulit et ab Orosio VI, 15. p. 417. *Appius Claudius Censorinus* appellatur. Adde *Orellium* in Onomastico Tull. P. II. p. 58. et 152. et *Moserum* Vol. I. p. 123.

Aquillius, *Manius*, c. C. Mario consul 652. U. c. 102. a. Chr., postea peculatus a L. Fusio accusatus, ab Antonio oratore defensus est. A senatu Rom. missus est in Asiam minorem, ut reges a Mithridate regno expulsos restitueret, captus autem a Mithridate crudeli morte periit; est enim auro

liquefacto in os infuso necatus, ut tradit Appian. bell. Mithr. p. 316. Alii aliter tradunt, ut Diodor. in Excerpt. Peiresc. p. 401. Vellei. Paterc. 2, 18. Cf. *Ernestii* Clav. 5, 14.

Aquinius, malus poeta, Ciceronis amicus. 5, 63: ubi v. Adn.

Arcesĭlas, ex Pităne, Aeolica civitate, ortus, Polemonis discipulus, auctor novae Academiae (c. a. 300. a. Chr.), nihil sciri posse, ne illud quidem ipsum, quod nihil sciret, statuit ideoque de omnibus dubitavit. Plura de eius philosophandi ratione exposuimus in libro d. *de Ciceronis in philos. merit.* p. 151 — 155.

Archelāus. a) filius Perdiccae secundi, rex Macedonum (413 — 399. a. Chr.), bonarum litterarum studiosus. De eius rebus gestis vid. Thuc. 2, 100. — 5, 34. 35. — b) Milesius, philosophus, discipulus Anaxagorae, doctor Socratis, physicus appellatus. 5, 10.

Archilochus, poeta Graecus, ex insula Paro oriundus, carminis iambici inventor. Horat. A. P. 79. De tempore, quo vixerit, scriptores dissentiunt. Herodotus 1, 12. eum eo tempore fuisse narrat, quo Gyges, interfecto Candaule, regno Lydiae potitus sit. Quocum fere consentit Cicero, qui (1, 3.) eum regnante Romulo fuisse ait. Sed Corn. Nep. (apud Gell. N. A. 17, 21.) eum tempore regis Tulli Hostilii fuisse narrat.

Archimedes, Syracusanus, Cononis Samii filius, clarissimus geometra et machinarum construendarum peritissimus, captis a Marcello Syracusis, a milite Romano interfectus est 212. a. Chr. 5, 64. Cf. N. D. II, 35. Fin. V. 19, 50. — De eius sphaera 1, 63. ibique Adnot.; eius sepulcrum repertum a Cicerone in Sicilia. 5, 64.

Archȳtas, Tarentinus, philosophus Pythagoricus. Fuit tempore Platonis, qui eum audivit. 4, 78: ubi v. Adn. 5, 64. Cf. *Spalding*. ad Quinctil. I. 10, 17.

Argiva sacerdos, sacerdos Iunonis, quae Argis colebatur, mater Cleobis et Bitonis. 1, 113: ubi v. Adn.

Argivi Argonautae 1, 45. — Argolidis in Peloponneso incolae. 3, 53.

Argo, navis, qua Argonautae duce Iasone in Colchidem vecti sunt. 1, 45. 4, 69.

Arĭo, citharoedus, e Methymna, insulae Lesbi urbe, oriundus, cui a Tarento domum redeunti quum nautae insidias pararent, se de nave eiecit, a delphino autem, quem cantu suo allexerat, exceptus incolumis in Peloponnesum perfertur. Floruit c. 628. a. Chr. — 2, 67: ubi v. Adn.

Aristides, Atheniensis, bello secundo Persico dux et princeps, *Iusti* cognomine ornatus, testarum suffragiis 486. a. Chr. Athenis pulsus. 5, 105.

Aristippus, Socratis discipulus, e Cyrene, urbe Africae, oriundus, auctor fuit sectae Cyrenaicae, quae voluptatem summum bonum, dolorem summum malum putabat. In definiendis Aristippi decretis a viris doctis multa turbata sunt. Lectu dignissima de Aristippo eiusque philosophia protulit *Wielandus* ad Horat. Ep. 1, 1. p. 47 sq. — 2, 15.

Aristo, (v. Ritschl in Mus. Rhenano 1842. p. 193 — 200.) a) Chius, Zenonis discipulus, cum Pyrrhone omnia bona exaequabat, i. e., omne cunctarum rerum discrimen tollebat, solo virtutis et vitii discrimine excepto. 2, 15. 5, 27. 33. 85: ubi v. Adnot. — b) Ceus, Peripateticus, qui fuit Ciceronis aetate. 5, 22. De eo v. Diog. L. V, 64. Plutarch. de exil. p. 605. Strab. 10. p. 745. et aliis locis.

Aristogīto et *Harmodius*, qui 514. a. Chr., Hipparcho, Pisistrati filio, interfecto, Athenas in libertatem vindicaverunt, sed exorta seditione ceciderunt. Statuae iis in foro ab Atheniensibus positae sunt. 1, 116. De utroque v. quae contulit *Ilgen*. in Carmm. convivall. Gr. p. 47 sqq.

Aristomăche, Hermocratis Syracusani filia et uxor Dionysii maioris tyranni. 5, 59.

Aristophanes, poeta comicus clarissimus, qui Socratis aetate fuit. 1, 41.

Aristoteles, princeps philosophiae Peripateticae, natus est Stagiris, urbe Thraciae. Pater eius erat Nicomachus medicus. Aetatis anno 17 Athenas profectus Platonis auditor per viginti annos fuit, post Philippus, rex Macedoniae, eum praeceptorem filii Alexandri esse voluit, quo munere usque ad illud tempus, quo Alexander regnum suscepit, functus est. Dein Athenas reversus publice philosophiam tradidit. Omnes fere partes philosophiae tractavit scriptis et in omnibus lucem accendit. (Omnem motum animo denegavit. V. ad 1, 22. De eius ἐντελεχείᾳ ad eund. loc.) 1, 7: ubi v. Adn. 1, 22. 41. 45 sqq. 70. 80. (ait, omnes ingeniosos melancholicos esse): ubi v. Adn. 1, 94. 2, 9. 3, 69. 5, 24. 30. 39. 87. 101. 107.

Aristoxenus, Tarentinus, patris musici, Xenophili Pythagorei, Aristotelis discipulus, Dicaearchi condiscipulus, musicae in primis studiosus, unde multa

in philosophiam transtulit, de rhythmicis elementis scripsit, cuius libri fragmm. edidit *Morelli* Venet. 1785. 8. Cf. de Fin. V. 19, 50. de Orat. III. 33, 132: ubi v. *Harless.* ap. O. M. Müller. et Diog. L. II, 19. *Spalding.* ad Quinctil. I. 10, 17. — Eius de animo sententia 1, 20: ubi v. Adn. 1, 24. 41, 51. 3, 69.

Aristus, v. ad 5, 22.

Arpīnas, ex Arpino oriundus. *Arpinum* fuit urbs Latii, patria C. Marii et Ciceronis, unde se vocat Cicero Arpinatem. 5, 66. 74.

Artemisia, uxor Mausoli, regis Cariae, cui sepulcrum splendidum erexit, quod Mausoleum vocabatur, a quo deinceps omnia magnifica sepulcra *Mausolea* vocata sunt. Fuit Alexandri aetate. 3, 75: ubi v. Adn.

Aruns Tarquinius, filius Tarquinii Superbi. 4, 50.

Asclepiādes, philosophus Eretricus. 5, 113. Cf. Diog. L. II, 105. et 126.

Athāmas, Aeoli filius, Hellenis nepos, primum Orchomeni in Boeotia, postea Thessaliae rex, Nephelen uxorem duxit, ex qua Phryxum et Hellen genuit. Postea, quum Nephele insania correpta in silvas abisset, Athamas liberis suis Inonem, Cadmi filiam, novercam dedit, quae ei peperit duo filios, Learchum et Melicertam, illos autem privignos tot apud patrem accusationibus atque calumniis eo compulit, ut, conscenso ariete, qui vellus aureum habebat, fuga sibi consulerent. Quapropter Iuno irata furias in Athamantem immisit, quae in tantam rabiem eum adegerunt, ut, quum Inonem ad se ire videret, hanc leaenam et filios suos eius catulos arbitratus, raptum Learchum, ex filiis alterum, saxo illiserit: quod Ino videns cum Melicerta, altero filio, se ex rupe in mare praecipitem dedit. Ino Leucotheae, Melicertes Palaemonis nomine a Neptuno in deorum marinorum numero recepti sunt. Cfr. *Ino.* 3, 11.

Athenae. 1, 116. 3, 38. 5, 22. 91. 100. 103. 108. 109.

Atilius, M., poëta comicus et tragicus (C. Fin. I. 2, 5.), qui ad Att. XIV. 20, 3. poëta durissimus appellatur. — 4, 25: ubi v. Adn.

Atilius M. Regulus, nobilis Romanus, quum iterum consul primo bello Punico in Africa ex insidiis captus esset, iuratus missus est ad senatum Romanum, ut, nisi redditi essent Poenis captivi nobiles quidam, rediret ipse Karthaginem. Romam quum venisset, utilitatis speciem videbat, sed eam, ut res declarat, falsam iudicavit. (Cic. Off. 3, 26. 99.) Reversus dein Karthaginem crudelissima morte periit. — Ceterum sunt, qui hanc de Regulo narrationem commenticiam existiment. 5, 14.

Atlas, Iapeti filius, Mauretaniae in Africa rex, a Perseo in montem mutatus est. Cf. Plin. h. n. 5, 1. Magnus astrologus fuisse, inde caelum humeris portare dicitur. 5, 8: ubi v. Adnot.

Atreus, filius Pelopis et Hippodamiae, nepos Tantali, maritus Aërŏpae, Eurysthei filiae, post Eurysthei mortem rex Mycenarum. Thyestes frater cum Aëropa incestum fecit et ex ea duo filios genuit: quos postea Atreus Thyestae epulandos apposuit. 1, 107. 4, 77. 5, 52.

Attius. V. *Accius.*

Aufidius, Cn., praetorius 634. U. c. 120. a. Chr., caecus fuit. 5, 112. Cf. Finn. V. 19, 54.

Aulis, Boeotiae regio cum portu, ex quo classis Graecorum collecta ad evertendum Ilium Agamemnone duce navigabat. 1, 116. cf. *Iphigenia.*

Avernus, lacus Campaniae. 1, 37: ubi vid. Adnot.

B.

Bellerophon, Sisyphi Corinthii nepos, Glauci, regis Ephyrae, filius, cuius forma capta Sthenoboea, Proeti, Argivorum regis, uxor, pellicere eum ad adulterium studuit; sed frustra. Quare irata mulier Bellerophontem stupri apud maritum accusavit, qui credulus eum in Lyciam ad Iobaten cum litteris perniciosis misit. Iobates, acceptis his litteris, eum Chimaeram interficere iussit, dein, quum feliciter hoc perfecisset, aliis eum periculis obiecit, ex quibus etiam victor rediit ille. Quamobrem Bellerophontis virtutem admiratus filiam suam ei dedit in matrimonium, e qua genuit tres liberos, Isandrum, Hippolochum, Laodamiam. Isander pugnans cum Solymis et Laodamia ab irata Diana interficiuntur. Qua re pater moerens in campis Aleiis errat. Rem narrat Glaucus apud Homerum Il. 6, 155 — 202. — 3, 63.

Bio, ὁ Βορυσθενίτης, philosophus e schola Cyrenaica (c. 300. a. Chr.), qui acerbissimas satiras scripsisse dicitur. Diog. L. IV. 46 — 58. Horat. Ep. II. 2, 60: ubi v. *Doering.* — 3, 62.

Bito et Cleobis. 1, 113: ubi v. Adnot.

Boeotia, Graeciae mediae (Ἑλλάδος) regio. 1, 110.

Brachmānae, Gymnosophistae. IV. 27, 77.

Brutus. a) *L. Iunius Brutus*, qui cecidit in pugna cum Arunte, filio Tarquinii Superbi, quem anno ante (244. U. c. 510. a. Chr.) expulerat. Liv. 2, 6. — 1, 89. 4, 2. 50. — b) *M. Iun.*, ad quem libri T. D. scripti sunt; fuit filius M. Iunii Bruti, Romani iurisconsulti, Serviliae, sororis Catonis Uticensis. V. Plutarch. Cat. c. 1. Brut. c. 2. Philosophiae studiosus et ipse de philosophia Latine scripsit, ut de virtute 5, 1. de Fin. 1. 3, 8. Cicero mentionem facit epitomes quoque ab eo confectae ex Historia a Fannio scripta ad Att. 12, 5. Plutarchus in eius vita narrat, eum proxime ante pugnam Pharsalicam vespere in Polybii historia excerpenda occupatum fuisse. Notissimus est ob caedem cum Cassio in Caesarem commissam (709. U. c. 45. a. Chr.) 1, 1. 4, 1. 5, 1. 4. 12. 21. 30. 34. 39. 121.

C.

Cadmus, Agenoris, regis Phoenicum, filius, Europae frater, conditor Thebarum; eius filiae erant Ino, Agave, Autonoe, Semele et filius Polydorus. Reliqua vide v. *Ino*. 1, 28.

Caecilianum illud. Locus e Latino poeta comico Caecilio Statio, de quo v. v. *Statius*. — 3, 56.

Caecilius. V. Statius.

Caepio. V. *Servilius*.

Caesar. *Caius Iulius Caesar Strabo* et *Lucius Iulius Caesar*, qui consul fuit 663. U. c. 91. a. Chr., filii adoptivi C. Iulii Caesaris, 666. U. c. 88. a. Chr. a Mariana factione interfecti sunt. De priore v. *H. Meyer*. Fragmm. oratt. Rom. p. 160 sq. — 5, 55. Cf. Cic. Brut. 48, 177. *Ellendt*. Proleg. §. 45. p. LXXXI.

Calănus, unus gymnosophistarum Indorum, cum quo Alexander post victum Darium et Babylonem subactam summam familiaritatem inibat. Qui quum anno 73 vitae suae aegrotaret, rogo structo et aurea lectica superimposita, se ipse combussit. De Gymnosophistis atque Calano vid. Strab. 15. p. 715. ed. Casaub. Cf. Cic. Divin. I. 23, 47. ibique Intpp. Val. Max. I. 8, 10. — 2, 52.

Calatīnus. A. Atilius Regulus, e Calatia in Campania oriundus, 495 et 499. U. c. (259 et 255. a. Chr.) consul, 504. U. c. (250. a. Chr.) dictator. De eius sepulchro cf. de Senect. c. 17. — 1, 13. Primo bello Punico triumphum de victis Carthaginiensibus egit (249. a. Chr.). Cf. de Senect. c. 17, 61: ubi v. *Gernhard*. Valer. Max. II. 8, 2. Polyb. I, 24.

Callimachus, poeta, historicus, in primis grammaticus, e Cyrene oriundus. Florebat Alexandriae temporibus Ptol. Philadelphi 250. ante Chr. E scriptis permultis supersunt hodie Hymni et Epigrammata. 1, 48: ubi v. Adn. 1, 93: ubi v. Adn.

Callĭphon, philosophus. — 5, 85: ubi v. Adn. 5, 87.

Callisthĕnes, philosophus Olynthius, Alexandro M. familiaris eiusdemque sub Aristotele condiscipulus, quem ille in Asiam arcessivit, ut res suas memoriae proderet. Quum Alexander e Persico bello superbiae regiae more adorari vellet, acerrimus inter recusantes Callisthenes fuit, palam dictitans, Alexandrum adorandum non esse: quae res et illi et multis principibus Macedonum exitio fuit. Nam illum Alexander propter adorationis Persicae interpellatum morem coniurationis conscium esse criminatus mutilatis membris abscisisque auribus ac naso labiisque deformatum cum cane in caveam clausum circumferri iussit diuque tortum tandem necavit. Vid. Curt. 8, 8. — 3, 21. 5, 25. Cf. *Theophrastus*.

Camillus, *M. Furius*, Romanorum suae aetatis clarissimus, Veios per decennium obsessos per cuniculos cepit; nec multo post, quum crimini illi daretur, quod albis equis triumphasset et praedam inique divisisset, die dicta damnatus Ardeam concessit. Quum vero Galli Romam cepissent, oblitus est iniuriarum et de exilio reversus Urbem a Gallis captam restituit 361. U. c. (393. a. Chr.) Flor. 1, 13. — 1, 90.

Cannae, locus in Apulia situs, Hannibalis splendida de Romanis victoria clarus. 1, 89.

Capēna porta. V. Adn. in 1, 13.

Carbo, C., eloquentissimus temporis sui, Lepidum studiose audivit Brut. 27. 33. Consul fuit 633. U. c. 121. a. Chr. — 1, 5.

Caria, Asiae Minoris regio, inter Phrygiam et Lydiam sita. 1, 92. 3, 75.

Carneădes, Cyrenaeus, novae Academiae philosophus, acerrime contra Zenonis philosophiam disputabat eamque confutare studebat. Eius philosophandi rationem pluribus complexi sumus in libro dicto *de Cicer. in philos. merit.* p. 155 sqq. 3, 54. 59. 4, 5. 53. 5, 11. 83. 84. 87. 88. 107. 120.

Cato. a) *M. Porcius Cato*, maior, cognominibus *Sapientis* et *Censorii* notus, a. 558. U. c. (196. a. Chr.) consul, 568.

censor fuit. Scripsit praeter alia *Origines*, opus historicum, de quo v. Adn. ad 1, 3. — 1, 5. 101. 110. 3, 51. 70. (ubi v. Adn.) 4, 3. 5, 101. Descriptionem eius exhibet Livius 39, 40. Existimatus est (ut Plin. H. N. dicit) optimus orator, optimus imperator, optimus senator. — b) *M. Porcius Cato Uticensis*, Marci Porcii pronepos. V. Adn. ad 1, 74. — 5, 32.

Catulus, *Q. Lutatius*, vir summus in re militari ac litteraria, Marii collega in consulatu (651. U. c. 103. a. Chr.), a quo proscriptus se ipse interfecit. De eius morte v. ad 5, 56. Scripsit historiam consulatus sui molli ac Xenophonteo genere sermonis. Cic. Brut. 132. — 5, 56.

Caucasus, mons Asiae septentrionalis, ad quem Prometheus affixus a poetis narratur. 2, 23. 52: ubi v. Adn. 5, 8. 77.

Celtibēri, Hispaniae gens ad Ibērum fluvium. 2, 65: ubi v. Adnot.

Centaurus. Centauri fuerunt Thessaliae populus; figura eorum erat a parte antica humana, a postica equina, inde vocantur *manus bicorpor*. 2, 22. Plurium Centaurorum nomina referunt poetae. Is, de quo 2, 20 agitur, est ille Centaurus Nessus, quem Hercules interfecit. Plura vide in *Deianira*.

Cepheus, Aethiopum rex, pater Andromedae, cum uxore Cassiopeia et filia Andromeda et genero Perseo in caelum translatus est. 5, 8. V. Cic. N. D. II, 43. ibiq. Interpp.

Cerberus, custos Orci 1, 9.

Chaldaei primo Babyloniae sacerdotes vocati sunt, tum omnes ii, qui e genesi seu horoscopo, i. e. notatione sideris natalitii vel eius caeli conversionis, quae hora cuiusque natali erat, fata praedicere atque omnino e sideribus computare res futuras conabantur. Vid. Cic. de div. 1, 1. 41. 2, 42. 47: ad quos locos v. *Moserum*. Diod. Sic. 2, 29. Strabon. 16. p. 739. ed. Casaub. Tac. Hist. 1, 22. Suet. Aug. 94. Tib. 36. Intpp. ad Gell. XIV, 1. ad Hor. C. I. 11, 2. Lucret. 5, 726. — 1, 95.

Charmădas, Carneadis auditor, philosophus Academicus, 643. U. c. (111. a. Chr.) Romae fuit. 1, 59. ubi v. Adn. Cf. *Hülsemann*. ad Academ. II. p. 460.

Chius, ex insula Chio, prope Ioniam in Asia Minore sita, hodie *Scio* appellata. 5, 27.

Chremes, nomen senis apud Terentium. 3, 65.

Chrysippus, Solis, Ciliciae urbe, natus 280. a. Chr. (mortuus 206.), Zenonis et Cleanthis discipulus, Stoicorum princeps, acerrimo erat ingenio et multa doctrina ornatus. Diog. Laert. 7, 189. — 1, 108. 3, 52. 59. 61. 76. 79. 4, 9. 23. 53. 63. 5, 107.

Chrysis, nomen mulieris, quod apud Comicos saepe legitur. 4, 67.

Cimbri, Germanorum gens in Cimbrica paeninsula (Schleswig u. Holstein). 2, 65: ubi v. Adn.

Cinēas, Pyrrhi legatus ad senatum Rom. tanta fuisse memoria fertur, ut senatui et equestri ordini Romae postero die, quam advenerat, sua nomina reddiderit. Vixit c. a. 280. a. Chr. — 1, 59: ubi v. Adn.

Cinna, *Lucius Cornelius*, tribunus plebis, qui quum reipubl. perniciosa strueret, pulsus a. Cn. Octavio collega profugit et bellum, C. Mario accersito ex Africa, intulit urbi. Tandem Cinna et Marius urbe potiti caedibus omnia implerunt, et Cn. Octavium, M. Antonium oratorem, L. Caesarem iugularunt eorumque capita pro rostris posuerunt. Quater fuit consul: 666, 667, 668 et 669 U. c. (a. 88. 87. 86. et 85. a. Chr.) 5, 54. 55.

Citieus, v. ad V. 12, 34.

Clastidium, vicus Galliae cisalpinae (hodie *Chiastezzo*). 4, 49.

Claudius. *C. Claudius Cento*, Caeci filius, cum M. Sempronio Tuditano a. 513, 241. a. Chr. consul fuit. 1, 3.

Clazomenae, urbs Ioniae, patria Anaxagorae philosophi. 1, 104.

Cleanthes, philosophus Stoicus, Cratētis discipulus et Zenonis successor. Ex eius scriptis aetatem tulit praeclarus in Iovem hymnus. V. Poett. Gnomm. ed. Brunck. cur. Schaefer. p. 203 sq. — 2, 31. 60. 76. 77. 5, 107.

Cleobis. V. *Bito*.

Cleombrōtus, adolescens Ambraciota. Eadem, quae Cicero, refert de eo Ammonius in Porphyrii Isagogen p. 3. 1, 84: ubi v. Adn.

Clitomăchus, Carthaginiensis, auditor Carneadis eiusque in schola successor. De eo v. Diog. L. 4, 10. — 3, 54. 5, 107.

Clitus, dux Alexandri. 4, 79.

Cocȳtus, fluvius apud inferos a Styge profluens. 1, 10.

Codrus, ultimus rex Atheniensium, qui pro patria voluntariae morti se obiecit (a. 1068. a. Chr.) atque ita patriam a Dorum impetu tutam praestitit. Rem narrat Cicero. Athenienses post eum regiam dignitatem abrogarunt et reipublicae magistratus, qui archontes appellabantur, praefecerunt. 1, 116.

Consolatio, Ciceronis liber. 1, 65.

Corinthia (sc. *vasa*, cf. C. Verr. 4. 44,

98. pro S. Rosc. Am. 46, 133.). Ita dicuntur ex aere Corinthio fusa, quae olim tanto in pretio habita sunt, ut adeo auri aestimationem excederent. Erat autem aes Corinthium e pluribus iisque nobilioribus metallis commistum. Sunt, qui hanc mixturam in excidio Corinthi exstitisse putent, sed audiendus est Plinius (H. N. 34, 2.), qui opera Corinthii aeris antiquiora excidio Corinthi fuisse tradit. V. *Winckelmanni* Opera ed. Meyer. et Schulze. T. V. p. 135. et 430 sq. 2, 32.

Corinthii. 3, 53. V. *Corinthus.*

Corinthus, urbs in Isthmo sita, mercatura in primis nobilis, a Mummio 146. a. Chr. deleta. 1, 21. 3, 27. 63. 5, 109.

Crantor, Solis, Ciliciae urbe, natus, philosophus scholae Academicae, Xenocratis discipulus. Cicero eius librum περὶ πένθους (de consolatione) imitatus est singulari libello. 1, 115. 3, 12: ubi v. Adn. 3, 71. 5, 107. Cf. Diog. L. IV. 5, 27. Cic. de Orat. III, 18. Academ. II. 44, 135: ubi v. *Goerenz. Wyttenb.* ad Plutarch. II. p. 54. ed. Lips. De Crantoris περὶ πένθους libro exstat singularis *Schneideri*, Vratislaviensis, commentatio in Zimmermanni Alterthumswiss. Nr. 104. 105. 1836.

Crassus. a) *L. Licinius*, summa eloquentia in primis clarus. Consul factus est anno 658. U. c. 96. a. Chr. De morte eius refert Cicero de Orat. 3, 2. — 1, 10. — b) *P. Licinius Crassus*, 547. U. c. 207. a. Chr. cum Scipione Africano Maiore consul, unus aetatis suae doctissimus homo, iuris peritissimus, et generis nobilitate, eloquentia, humanitateque insignis. 1, 81. — c) *M. Crassus* praetor 648. U. c. 106. a. Chr., cognomine ἀγέλαστος, pater P. Crassi, patris triumviri. 3, 31: ubi v. Adn. — d) *Publius Crassus*, pater triumviri, in seditione 666. U. c. 88. a. Chr. orta manum sibi intulit. 5, 55. — e) *M. Licinius Crassus* una cum Caesare et Pompeio fuit triumvir. Divitiae eius innumerabiles apud scriptores Romanos ita celebrantur, ut in proverbium abierint. Cf. Off. I. 8, 25. 30, 109. Paradox. 6. Plin. H. N. 33, 10. In bello cum Parthis gesto periit (700. U. c. 54. a. Chr.). 1, 12. 13. 14. 5, 116.

Cres, incola insulae Cretae (hod. Candiae). 2, 34.

Cresphontes, rex Messeniorum, qui quum populo faveret, optimates, seditione facta, eum interfecerunt una cum filiis, Aepyto excepto, quem Cypselus, rex Arcadiae, socer Cresphontis, secum habebat. Pausanias Messen. 3, 4. *Cresphontis* nomine inscripta erat tragoedia Euripidis. 1, 115: ubi v. Adn.

Critias, Callaeschri filius, unus xxx tyrannorum, qui Atheniensibus a Lacedaemoniis bello Peloponnesiaco Graeciae principatum adeptis praefecti erant (403. a. Chr.), adeo tyrannidem exercuit, ut Theramenes, eius collega, ei resistere non dubitaret. Qua quidem re Theramenes ita in odium Critiae incidit, ut ab hoc proditionis accusaretur et mortis damnaretur. Vid. Xenoph. H. Gr. 2. 3, 24. Critias a Thrasybulo interficitur, qui, xxx tyrannis expulsis, Solonis leges, paullulum immutatas, restituit (403. a. Chr.). — 1, 96: ubi v. Adn.

Crito, discipulus et amicus Socratis. 1, 103.

Critolāus, nobilis Peripateticae disciplinae philosophus, Atheniensis. Cum Carneade et Diogene Stoico ab Atheniensibus legatus missus est Romam (218. a. Chr.). Cf. 4, 5. De eius libra v. Adn. in 5, 51.

Cumae, civitas Campaniae ad mare prope Puteŏlos sita, colonia Ionica. 3, 27.

Curius. M'. Curius Dentatus, civis Romanus paupertate et frugalitate clarus, qui Pyrrhum, Epiri regem, qui 230. a. Chr. Italiam invaserat, devicit. Legati Samnitium quum ad eum venissent eique magnum auri pondus attulissent, illud repudiavit dicens, se malle imperare locupletibus, quam locupletem fieri. Horatius (Od. 1, 12.) *incomtis capillis* eum dicit ad designandam morum simplicitatem, qua utebatur. 1, 110.

Cynicus. Cynici vocati sunt philosophi, qui sectatores Antisthenis erant. 1, 104. 5, 92. V. *Davis.* ad Finn. III. 20, 68.

Cyprus, insula maris mediterranei. 2, 52.

Cypsĕlus, tyrannus Corinthiorum (660. a. Chr.). 3, 109.

Cyrenaici. Ita vocati sunt philosophi scholae Cyrenaicae, quae ab Aristippo, cuius patria erat Cyrene, Africae urbs, condita est. Cf. *Aristippus.* 3, 28. 31. 52. 76. 5, 112.

Cyrenaicus ex Cyrene, Africae urbe. 5, 112.

D.

Damarātus. 5, 109: ubi v. Adn. V. *Demaratus.*

Damŏcles. 5, 62.

Danăi appellantur Graeci ex Danao Aegyptio, qui coloniam ex Aegypto in Graeciam deduxit ibique Argorum regnum condidit. 4, 52.

Darius Codomannus, ultimus Persarum rex, ab Alexandro M. victus, in fugam coniectus, dein trucidatus. 5, 97.

Decii. Sunt tres illi, pater, filius, nepos, qui se pro patria devoverunt. Pater in bello cum Latinis et Campanis gesto haud procul radicibus Vesuvii montis pro exercitu Romano se devovit (340. a. Chr.); eius filius in agro Sentinate contra Samnites, Umbros, Etruscos, Gallos dimicans (295. a. Chr.); nepos denique in bello contra Pyrrhum gesto (279. a. Chr.). 1, 89: ubi v. Adn. 2, 59.

Deianīra, filia Oenĕi, regis Aetoliae, Herculis uxor. Is Centaurum Nessum, qui vim Deianirae inferre ausus erat, sagittis hydrae sanguine infectis transfixit, qui se moriturum sentiens, ut hostem ulcisceretur, Deianirae vestem suo sanguine tinctam dono dedit, dicens, si ea maritus indutus esset, eum ab aliarum amore avocatum iri. Deianira munus accepit et, quum audisset, maritum in Euboea Ioles, filiae devicti Eurŭti, Oechaliae in Euboea regis, qui filiam Herculi denegaverat, amore flagrare, famulo Lychae vestem tradidit Herculi perferendam. Is quum sacrificaturus eam induisset, tantis cruciatibus affectus est, ut in furorem verteretur seque ipse in monte Oeta combureret. Haec fabula est argumentum Trachiniarum Sophoclis. 2, 20.

Delphi, urbs Boeotiae in Parnassi radicibus sita, ubi Apollo clarissimum templum habebat et oracula edebat. 1, 114. 5, 70.

Demarātus, pater Tarquinii Prisci, Corintho, urbe patria, ob Cypselum tyrannum Tarquinios fugerat. 5, 109.

Democritii, Democritici, sectatores Democriti. 1, 82: ubi v. Adn.

Democrĭtus, Abderae, urbe Thracica, 450. a. Chr. natus, Leucippi, atomorum doctrinae auctoris, discipulus, doctoris sui decreta fusius persecutus est, multa itinera fecit et aequalium ineptias deridebat. 1, 22. 42. 82. (reviviscendi promissa a Democrito vanitas): ubi v. Adn. 4, 44. 55. 5, 66. 104. 114. 115.

Demosthenes, Atheniensis, unus omnium longe clarissimus orator, qui Atheniensium Graecorumque libertatem contra Philippum, Macedonum regem, fortiter defendit eaque oppressa manum sibi intulit. 1, 10. 3, 63. 4, 44. 55. 5, 103.

Deucalio, filius Promethei. Eius tempore eluvio terrarum orbem inundavit. Eius uxor erat Pyrrha. 1, 21.

Diagŏras, filius Damagēti, Rhodiorum rex, Pindari aequalis (517—445. a. Chr.), omnium athletarum Graecorum facile princeps. Eius tres filii Damagētus, Dorieus, Acusilāus, itidem nepotes duo Euclo et Pisirhodius clarissimi Olympionicae fuerunt, quibus omnibus statuae Olympiae positae sunt. 1, 111: ubi cf. Adn. Eandem rem narrant Plut. Pelop. p. 297. Gellius III, 15. et Pausan. VI, 7.

Dicaearchus, e Sicilia oriundus, philosophus Peripateticus idemque mathematicus et orator, discipulus Aristotelis. Tres libros περὶ ψυχῆς et librum de interitu scripsit. V. de Dicaearcho *M. Marxium* in Creuzeri Meletem. III. p. 173—178. Cf. Cic. ad Att. 13, 32. — 1, 21: ubi v. Adn. 1, 24. 41. 51. 77. 4, 71. Cf. *Hülsem.* ad Academic. II. p. 547. et *Beier.* ad Offic. II. 5, 16. p. 34 sq.

Dinomăchus philosophus. 5, 85: ubi v. Adn.

Dio, Hipparīni filius, Syracusanus, nobili genere natus, Syracusanorum dux et princeps sub Dionysio I. rege (c. a. 360. a. Chr.) et post eius mortem tutor Dionysii II., idemque Platonis discipulus. V. Cornel. Nepot. Dionem. — 5, 100.

Diodōrus, Critolāi discipulus, Peripateticae disciplinae philosophus (c. 120. a. Chr.). Cf. de Orat. I. 11, 45. et de Fin. V. 5, 14. Acad. II. 24. — 5, 85. 87.

Diodŏtus, Stoicus. 4, 5: ubi v. Adn. 5, 113. V. de eo Brut. 90, 309. Acad. II. 36, 115. ad Famm. 9, 4. 13, 16. ad Att. II. 20, 6.

Diogĕnes, philosophus Cynicus, e Sinōpe, Ponti urbe, oriundus (333. a. Chr.), Antisthĕnis discipulus. 1, 104: ubi v. Adn. — 3, 56. 5, 92.

Diogĕnes Babylonius, Chrysippi discipulus, philosophus Stoicus, Carneădis praeceptor in dialectica. 4, 5.

Dionysius Heracleōtes, ex Heraclēa, urbe Magnae Graeciae, oriundus, phil. Stoicus, Ciceronis aequalis, a Stoicis descivit et Epicureus s. Cyrenaicus factus est, unde μεταθέμενος dictus est. 2, 26. 60. 3, 18. Cf. Acad. II. c. 22. Fin. V. c. 31. ibique *Ottonem* p. 367. Sed fortasse „cum Schützio hic Dionysius Heracleotes, qui Zenonis Cittiei fuit discipulus propterque oculorum dolorem a Stoicis descivit ad Cyrenaicos, unde μεταθέμενος dictus est, distinguendus est a Dionysio Stoico, Ciceronis aequali, qui versus orationi admiscebat nullo delectu.“ *Mos.* ad III. 9, init.

Dionysius maior, Syracusarum tyrannus (405—368. a. Chr.) et *Dionysius* minor, eius filius, item Syracusarum tyrannus (368—348. a. Chr.); Syracu-

sis pulsus Corinthi vixit. 3, 27. — 5, 57. 62. 63. 98. — De Dionysii uxoribus v. Adn. in 5, 59.

Doris, e Locris, urbe Locrorum Epizephyriorum in Italia inferiore sita, oriunda, altera coniux Dionysii maioris, Syracusarum tyranni. 5, 59.

Drusus, C., frater M. Livii Drusi, C. F., qui C. Sempronium Gracchum, tribunum plebis, 631. U. c. 123. a. Chr. devicit, orator et Ictus, qui etsi caecus factus erat, de iure civili respondit et a multis consultus est. 5, 112.

E.

Elysius, nomen cuiusdam viri, e Terīna, urbe Italiae inferioris in Bruttiorum terra sita, oriundus. 1, 115: ubi v. Adn.

Empedŏcles, ex Agrigento, Siciliae urbe, oriundus, philosophus Ionicae disciplinae idemque orator, poeta, medicus (c. a. 450. a. Chr.). Cf. Diog. L. VIII, 76. — 1, 19: ubi v. Adn.

Endymio, pastor a Iove in caelum raptus, quum autem Iunonem amaret, rursus deiectus. Eius amore Luna capta eum in Latmi, Cariae montis, specu occultavit ac saepissime cum eo versata est. 1, 92: ubi v. Adn. Cf. Apollod. I. 7, 6. Theocr. III, 50.

Ennius, Rudiis, Calabriae urbe, natus (239. a. Chr. † 169.), poëta Romanus, quem dixere merito patrem Romanae poesis. Multas Graecorum tragoedias Latine vertit, quae omnes cum Annalibus, poemate historico, exceptis quibusdam fragmentis, interierunt. 1, 3. 27. 28. 34. 45. 48. 85. 105. 107. 117. 2, 1. 3, 5. 26. 28. 39. 44. 45. 58. 63. 4, 19. 52. 70. 5, 49.

Epaminondas, Thebanus natione, vir summis virtutibus praeditus, belli peritissimus. Post multa praeclara facta cecidit in pugna apud Mantineam in Arcadia spiculo percussus (362. a. Chr.). 1, 4. (ubi v. Adn.) 33. 110. 116. 2, 59. 5, 49.

Ephesii, incolae *Ephesi*, urbis in Ionia ad Caystri ostium sitae, opulento et magnifico Dianae templo clarae. 5, 105.

Epicharmus, poëta comicus, proprie Cous (Diog. L. 3. c. 90.); quum autem primis vitae mensibus in Siciliam delatus esset, Siculi cognomen accepit. Floruit c. a. 500. a. Chr. 1, 15. ubi v. Dav. Cf. *K. O. Müller*, Dorier. T. II. p. 359 sq. *C. I. G. Grysar.* de Doriensium comoedia, Vol. I. p. 84 sqq. (Colon. 1828.) Epicharmum indigenam fuisse Siculum probare conatus est *Herm. Harlessius* de Epicharmo, Essendiae 1822. p. 19.

Epicurei 1, 77. 3, 33. 50. 5, 93. Notantur a Cicerone I, 48.

Epicurus, Gargetti, Atticae δήμῳ, natus (337. a. Chr. † 270.), auctor sectae illius, quae ab eo Epicurea vocatur. Voluptatem summum bonum et dolorem summum malum putabat. 1, 82. 2, 8. 15. 17. 28. 3, 28. 32. 37. 38. 40. 42. 44. 46. 49. 50. 78. 4, 70. 5, 26. 31. 73. 84. 87. 88. 89. 93. 109. 110. 118.

Epigŏni, filii eorum, qui in primo bello Thebano ceciderant. Hi ob caesos patres irati decem annis post alterum bellum moverunt, quod Epigonorum bellum vocatum est. 2, 60: ubi v. Adn.

Epitaphium, dialogus Platonis, qui etiam *Menexenus* vocatur. 5, 36.

Erechtheus (non *Erichtheus*, v. V. Scr. 1, 116.), sextus Atticae rex, pater Cecrŏpis II. et filiarum Procrĭdis, Chthoniae, Creusae, quae se pro patria devoverunt in bello contra Eleusinios gesto. 1, 116.

Eretrici appellantur ii, qui sunt e schola a Menedēmo, ex Eretria, Euboeae insulae urbe, oriundo, condita. 5, 113. Cf. Diog. L. II, 105: ubi Ἐρετριακοὶ appellantur, et 126: ubi Ἐρετρικοὶ audiunt: qua forma Diog. etiam aliis locis utitur, ut I. 17. 18. 19. etc. Forma *Eretrici* etiam de Orat. III. 17, 62. legitur; sed Acad. II. 42, 129. *Eretriaci.*

Erymanthia bellua. Erymanthius aper, a monte Arcadiae Erymantho vocatus, quem Hercules iussu Eurysthei domuit. 2, 22. 4, 50.

Etrusci, incolae eius regionis Italiae, quae hodie Toscana vocatur. 1, 89.

Euphorio, e Chalcide, Euboeae urbe, oriundus, aetatis Alexandrinae grammaticus et poëta tragicus. Vid. Adnot. ad 3, 45.

Euripides, Mnesarchi filius, Atheniensium tragicus poeta, Salamine pugnae Salaminiae die (480. a. Chr.) natus. 1, 65. 3, 29. 59. 67. (θεὸς γάρ τις ἐν ἡμῖν) v. Adn. — 4, 63. 69. 71.

Eurōtas, fluvius Laconiae prope Spartam, certaminibus et exercitationibus, quae a Spartiatis ad eum habebantur, nobilis. Vid. *Heyn.* ad Virg. Aen. 1, 316. — 2, 36. 5, 98.

Euryclēa, filia Opis Pisenoridae, una ancillarum Laertis, quam aliquando pretio viginti boum emptam uxori dono dederat, Ulixis nutrix. Vid. Hom. Od. 1, 430. — 5, 46; ubi tamen in codd. legitur *Anticlea.*

Eurypŷlus, Euaemŏnis et Opis filius, Or-

chomenii Thessalici rex, quadraginta naves Troiam duxit. Il. 3, 736. Ante Troiam a Paride sagitta vulneratur. 2, 38. 39.

Eurystheus, Stheněli filius, rex Mycenarum, qui Iunonis in Herculem odio obsecutus hunc ad difficillimos labores adegit. 2, 20.

Euthynŏus, nomen filii Elysii Terinaei cuiusdam. 1, 115. Cf. *Elysius*.

F.

Fabius. a) *Q. Fabius* Pictoris cognomine indutus ob amorem in pingendi artem, non est confundendus cum historico eiusdem nominis, sed eius avus, qui aedem Salutis pinxit. Audi Plin. H. N. 35, 7: Apud Romanos honos mature pingendi arti contigit, siquidem cognomina ex ea Pictorum traxerunt Fabii, clarissimae gentis; princepsque eius cognominis ipse aedem Salutis pinxit A. V. C. 450 (304. a. Chr.): quae pictura permansit ad nostram memoriam, aede Claudii principatu exusta. 1, 4. — b) *Q. Fabius Maximus Verrucosus Cunctator*, nobilissimus ille in bello Punico secundo Romanorum dux et dictator (532. U. c. 222. a. Chr. et 536. U. c. 218. a. Chr.). 1, 110. 3, 70; ubi v. Adn.

Fabricius, *C. Luscinus*, civis Romanus frugalissimus atque fortissimus, qui, etsi exigua re familiari utebatur, Samnitium munera fortiter sprevit et nec auro nec pollicitationibus a Pyrrho, cum quo bellum gerebat, expugnari potuit, ut cum eo esse vellet (280. a. Chr.). 1, 110. 3, 56. 57.

Fannius, C., gener Laelii sapientis, Stoicus et Panaetii discipulus. Scripsit historiam, qua nomen sibi in primis peperit, et annales. (Cf. C. Brut. 26, 101. 21, 81.). 4, 40.

Fulvius. M. Fulvius Nobilior a. 563. U. c. (191. a. Chr.) consul, cum Aetolis, Ennio comite, quem, familiaritate sibi coniunctum, ex Urbe in Aetoliam duxerat, bellavit eosque devicit nec dubitavit Martis manubias Musis consecrare (Cic. pro Arch. 11, 27.). V. Liv. 37, 47. Eius filius Q. Fulv. Nobilior Ennium civitate donavit (Brut. 20, 79.). 1, 3.

G.

Galba, Serv. Sulp. consul fuit 609. U. c. 145. a. Chr. cum M. Aem. Scauro. Cicero (Orat. 1, 53.) eius dicendi rationem valde laudari, eumque primum ex Latinis rem augere, ornare, acuere coepisse dicit. Cf. Brut. 21, 82. 22, 86 sq. 1, 5.

Ganymedes, Trois filius forma eximia, raptus a Iove in caelum. 1, 65: ubi v. Adn. 4, 71.

Geminus. V. *Servilius*.

Gigantes, Terrae filii immensae staturae, qui caelum expugnare Iovemque deiicere ausi sunt. 2, 20.

Gorgias, Leontinus, clarissimus sophistes. Ab eo dialogus Platonis contra sophistas nomen accepit. 5, 34.

Gracchi. a) *Tiberius Sempronius Gracchus* et L. Postumius Albinus primi fuere consules e plebe. In proelio cum Lucanis a Flavio, Lucanorum duce, dolo circumventus cecidit (541. U. c. 213. a. Chr.). Liv. 25, 16. — 1, 89. — b) *Tiberius Sempronius Gracchus*, filius maior Tib. Sempronii Gracchi et Corneliae, tribunus plebis 133. a. Chr. legibus agrariis populi seditionem concitans a Scipione Nasica interemptus est. 1, 5. 4, 51. — c) *Cai. Sempronius*, frater minor modo commemorati, tribunus plebis, legem tulit 628. U. c. (126. a. Chr.), quo sanctum est, ut pauperibus semissibus et trientibus singuli frumenti modii venirent. Erat locus Romae constitutus, in quo frumentum publicum asservabatur, qui dictus est *horrea Sempronia*; lex autem illa *Sempronia* vocata est. Ob leges agrarias 633. U. c. (121. a. Chr.) a consule occisus est. 1, 5. 3, 48.

Graeci 1, 3. 2, 65. *Graecia* 1, 2. 3. 4. 4, 1. 2. 5, 9. 10. 103. 114. — De Graecis iniquius iudicavit Cicero. V. ad I. 1, 1.

H.

Halicarnassus, urbs Cariae. 3, 75.

Hanno, Carthaginiensis. 5, 90.

Harmodius. V. *Aristogito*.

Hector, Priami, Troianorum regis, filius. 1, 105. 2, 39. 3, 44. 4, 17. 49. 67.

Hecuba, uxor Priami, capta Troia in canem a poëtis mutata narratur. 3, 63: ubi v. Adnot.

Hegesias, philosophus sectae Cyrenaicae, tempore fuit Ptolemaei Philadelphi (280 a. Chr.). 1, 83. 84: ubi v. Adn.

Heraclīdes Ponticus, Platonis et Aristotelis discipulus. 5, 8. V. de eo *Creuzer*. ad N. D. 1, 13. p. 59. et *Moser*. ad Legg. 3, 6. p. 405.

Heraclītus, clarus Ionicae scholae philosophus, Ephesi natus, fuit c. a. 500. a. Chr.; tristi animo fuit; obscurum dicendi genus, quo philosophiam suam consignavit, ei peperit cognomen τοῦ σκοτεινοῦ. 5, 105. De eo cf. *Schleiermacher*. Heraklitos der Dunkle, in Wolf. Mus. d. Alterthumsw. I. p. 480 sq.

Hercules, Iovis et Alcmenae filius. 2, 20. 22. 4, 50.

Herillus, Carthaginiensis, philosophus Stoicus, Zenonis discipulus. 5, 85: ubi v. Adn.

Hermodōrus, Ephesiorum in Asia Minore tyrannus (c. a. 500. a. Chr.). 5, 105: ubi v. Adnotata.

Herodŏtus, Halicarnassi, Cariae urbe, natus, primus Graecorum historicus, cuius novem libri Musarum nominibus inscripti sunt. Vixit c. a. 444. a. Chr. — 1, 113.

Hesiŏdus, Cumis, Aeoliae urbe, natus, a domicilio, quod postea Ascrae, Boeotiae urbe, collocavit, *Ascraeus* appellatus, complura composuit carmina. Vixit c. a. 800. a. Chr. — 1, 3. 98.

Hieronŭmus, Rhodius, philosophus Peripateticus. Cicero (Fin. 5, 14) eum vocat doctum hominem et suavem, qui summum bonum exposuit vacuitatem doloris. 2, 15: ubi v. Adnot. 5, 84. 87. 88. 118.

Hippocentaurus 1, 90.

Hippodamīa, Oenomăi regis Elidis et Pisae filia, qua Pelops tandem, postquam plures iam proci ab Oenomao fraude interempti sunt, cum regno potitus est. 3, 26.

Hippolŭtus, Thesei filius ex Amazŏne Hippolŭta (Eur. Hipp. 11.) vel Antiŏpa, a Phaedra noverca stupri accusatus Thesei crudelitate periit. 4, 27.

Hispania 1, 89.

Homerus fuit c. a. 1000. a. Chr. — 1, 3. 37. 98. 3, 18. 63. 65. 4, 49. 5, 114. 115.

Hortensius, clarissimus orator Romanus, qui Ciceronis aetate fuit (114. a. Chr. natus, 50. mortuus). V. de eo C. Brut. c. 92. *L. C. Luzac.* spec. hist. iurid. de Q. Hortensio oratore. Lugd. Bet. 1810. De eius memoria v. Adn. ad 1, 59. De Ciceronis libro, qui *Hortensius* inscriptus est, v. Adn. ad 2, 4. *Hortensii* nomen duxit hic liber ex eo, quod *Hortensius* philosophiae studium reprehendens inductus erat.

Hydra Lernaea, serpens quinquaginta capitum, ex quibus, uno exciso, duo alia statim recrescebant. 2, 22. *Hydra* cum *Echidna* permixta. V. Adnot. in 2, 22.

Hypănis, fluvius in Sarmatia Asiatica ad Bospŏrum Cimmerium. Hodie appellatur *Bog.* 1, 94: ubi v. Adn.

Hyrcania, regio Asiatica ad Mare Caspium. 1, 108.

I.

Ibŭcus, e Rhegio, Italiae inferioris urbe, oriundus, poëta lyricus, c. a. 570. a. Chr. — 4, 71.

India, ingens Asiae regio. 5, 77. 78.

Ino, Cadmi et Hermiones filia. Uxorem eam duxit Athamas, rex Thebanorum, postquam Nephele, ex qua ille Phryxum et Hellen susceperat, Bacchi furore agitata in silvas se contulit. Ino privignos apud patrem accusans eo compulit, ut, conscenso aureo ariete, fuga sibi consulerent. Quam rem aegre ferens Iuno Athamanti furias immisit, quae in tantam eum adegerunt rabiem, ut, quum Ino cum filiis Learcho et Melicerta ad se accedentem adspiceret, hanc leaenam, filios autem catulos arbitraretur raptumque Learchum saxo illideret, idem exemplum in uxore editurus, nisi illa correpto Melicerta una cum illo in mare se abiecisset, ubi in deam marinam transformata et Leucothĕa (apud Latinos Matūta) vocata est. V. Ovid. Met. 4, 416 — 562; cf. Hom. Od. 5, 333 sqq. — 1, 28: ubi v. Adn. Cf. *Athamas*.

Iovis satelles, vultur, qui iecur Promethei dilaniabat. 2, 34.

Iphigenīa, filia Agamemnonis et Clytaemnestrae. Quum Agamemno Aulide cervum Dianae imprudens occidisset, dea indignata contrariis flatibus Graecorum expeditionem Troianam est remorata. Qua de re quum vates consulerent, responsum est, Agamemnonis sanguine deam esse placandam. Missus igitur Ulixes Iphigeniam astu a matre abduxit, Achilli eam nupturam simulans, quumque iam immolanda esset, dea eius miserta cervam pro ea supposuit, virginem autem in Tauricam regionem transtulit. 1, 116.

Isocrates, rhetor summus Graecorum, Atheniensis, Gorgiae discipulus, c. a. 400. a. Chr. — 1, 7: ubi v. Adn.

Italia, 4, 2. 7. 5, 10. — *Italicae* mensae. 5, 100.

Iuppiter Olympius. 2, 40.

Iuventas, Ἥβη. V. Adn. in 1, 63.

K.

Karthaginienses, incolae Carthaginis, urbis in Africa sitae, 146. a. Chr. a Romanis deletae. 5, 53.

L.

Lacaena. 1, 101. 2, 36.

Lacedaemo, in Peloponneso sita. 2, 46. 5, 77.

Lacedaemonii. 1, 100. 101. 2, 59. 5, 42. 98. 99.

Laco, i. q. Lacedaemonius. 1, 111. 5, 40. 49.

Lacȳdes, Cyrenaeus, philosophus, qui Arcesilae, novae Academiae auctoris, scholam suscepit. V. nos in libro dicto *de Cicer. in phil. mer.* p. 155. — 5, 107.

Laelius, C., cognomine Sapiens, amicus Sc. Africani Minoris. 1, 110. 4, 5. 5, 54. 56.

Laelius, D., orator, vir bonus, mediocriter doctus. Cic. de Orat. 2, 16. — 1, 5.

Laius, rex Thebarum, pater Oedipodis, 4, 71: ubi v. Adn.

Lampsacus, urbs Asiae, ad Hellespontum in Mysia sita. 1, 104.

Laomedon, filius Ili, pater Priami, rex Troianus, Neptunum et Apollinem, qui iussu Iovis muros Troianos exstruxerant, promissa mercede fraudavit: quare multae ei illatae sunt calamitates. 1, 65: ubi v. Adn.

Latini, Latii incolae. 1, 89. 3, 27.

Latmus, mons Cariae. 1, 92.

Lemnium furtum. 2, 3: ubi v. Adn.

Lentulus. L. Cornel. Lentulus, 554. U. c. (200. a. Chr.) consul. 3, 51.

Leon. 5, 8.

Leonidas, Lacedaemoniorum dux, in Thermopylis 480. a. Chr. cecidit. 1, 101. 116.

Lepidus M. Porcīna, consul A. V. C. 616. (138. a. Chr.), summus orator secundae oratorum aetatis. Vid. de eo Cic. Brut. 27. — 1, 5.

Lerna, lacus in Argivo agro, Herculis labore, qui in eo hydrum interemisse dicitur, notissimus. 2, 22. Cfr. *Hydra lernaea*.

Lesbiaci vocantur libri Dicaearchi, in quibus contra immortalitatem animi disseruit, quia in iis sermo habetur Mytilenis, quae est urbs in insula Lesbo. 1, 77.

Leucadia, sc. puella, i. e. puella ex Leucadia, Ionii maris insula, nomen fabulae a comico Turpilio conscriptae. 4, 72: ubi v. Adn.

Leucăta, promontorium insulae Leucadiae, e quo Sappho ob infelicem amorem in mare se praecipitavit. 4, 41.

Leucothĕa. Vid. *Ino*.

Leuctra, vicus Boeotiae, ad quem Epaminondas Lacedaemonios vicit. 1, 110.

Liber, i. e. Bacchus, filius Iovis et Semelae. 1, 28.

Libya, regio Africae maritima; pro Africa ipsa saepius poni solet. 1, 45.

Lilăna. 1, 89: ubi v. Adn.

Livius. M. Livius Andronīcus, poëta tragicus (c. 230. a. Chr.), Tarentinus, libertus M. Livii Salinatoris, cuius liberos instituebat. Eius operum restant tantummodo aliquot fragmenta. 1, 3. 27. 28. 107. 117. 3, 5. Cf. Brut. 18. Gell. N. A. XVII, 21.

Locrensis, e Locris, oppido Italiae inferioris sive Graeciae Magnae, oriundus. 5, 59.

Lucani, incolae Lucaniae, regionis inferioris Italiae. 1, 89.

Lucilius, C., Suessae Pomoetiae in Latio natus, eques Rom., magnus avunculus Pomp. M., sub Scipione Afr. Numantino bello (133. a. Chr.) eques militavit et Neapoli annos 46 natus mortuus est. Scripsit satiras xxx, epodos, hymnos et comoediam. 3, 31: ubi v. Adn. 4, 48.

Lunae labores. V. Adn. in 1, 92.

Lyco, Troăde, Phrygiae minoris urbe maritima, natus, philosophus Peripateticus, adeo eloquens atque in dicendo suavis, ut Glyco nominaretur. Mortuus est a. 225. a. Chr. V. de eo Diog. L. 5, 4. Cf. Clem. Alex. Strom. II. p. 497. — 3, 78.

Lycurgus, qui Lacedaemoniis leges scripsit (888. a. Chr.). 1, 100. 101. 110. 2, 34. 5, 7.

Lysimăchus, rex Thraciae et Macedoniae (286. a. Chr.). 1, 102. 5, 117.

M.

Macedŏnes. 5, 49.

Maeōtis, palus Scythica in regione septentrionali iuxta Phasidis ostium. 5, 49.

Magi, genus sapientium et doctorum inter Persas. Persarum lingua Magus est, qui nostra sacerdos, inquit Apuleius. 1, 108.

Marathonius taurus dictus a Marathōne, urbe agri Attici, quem domandum Eurystheus Herculi proposuit. Illum autem ad se perductum Eurystheus dimisit, quem, quum Atticam vastaret, Theseus mactavit. 4, 50.

Marcellus, M. Claud., primus Hannibalem ad Nolam fugere coegit, Syracusas obsedit et expugnavit (212. a. Chr.), Gallos ad Clastidium in Gallia Cispadana devicit et Viridomarum, eorum regem, singulari pugna victum obtruncavit Romanorumque tertius spolia opima Iovi Feretrio consecravit. Cf. Plut. Marc., in primis c. 6. Aur. Vict. de Vir. ill. c. 45. Quinquies consul fuit. Proelio ad Venusiam commisso, ab Hannibale circumventus cecidit (208. a. Chr.). 1, 89. 110. 4, 50.

Marius, C., vir strenuus atque fortis, consulatum adeptus Iugurtham, Numidiae regem, vicit, dein de Cimbris et Teutŏnis triumphavit (101. a. Chr.) bellumque civile contra Sullam gessit

(88—86. a. Chr.). 2, 35. 53. 5, 56. Plutarchus eius vitam descripsit.
Matūta. Vid. *Ino.*
Mausōlus, Cariae rex. 3, 75. Vid. *Artemisia.*
Maximus. V. *Fabius.*
Medea, filia Aeetae, regis Colchorum, Iasŏnem Colchos venientem hospitio excepit eique in aureo vellere rapiendo adiutrix fuit; aufugit deinde cum Iasone; postremo ab eo repudiata, filios, quos ex Iasone procreaverat, arreptos in conspectu patris iugulavit. 3, 63. 4, 69.
Melanippus. 3, 20: ubi v. Adn.
Meno, sophista tempore Socratis. 1, 57. Est nomen dialogi Platonis, qui exstat adhuc in eius operibus.
Menoeceus, iuvenis Thebanus, filius Creontis, qui pro patriae salute sanguinem suum atque vitam sponte profudit. Nam quum Thebanis eo tempore, quo ab Argivis obsidebantur, redditum esset oraculum, urbem salvam fore, si ultimus e Cadmi posteris se manibus eius devovisset, intelligens Menoeceus oraculum illud ad se pertinere, nihil cunctatus suo sibi gladio necem conscivit. 1, 116: ubi v. Adn.
Metelli, nomen illustris familiae plebeiae, e qua fuerunt: *Q. Caecilius Metellus*, consul 546. U. c. (208. a. Chr.); Q. Caec. Met. Macedonicus, qui Andriscum in Macedonia devicit, consul 610. U. c. (144. a. Chr.); is quattuor filios consulares reliquit: Q. Metellum Balearicum 630. U. c. (124. a. Chr.), L. Metellum Diadematum 636. U. c. (118. a. Chr.), M. Metellum 638. U. c. (116. a. Chr.), C. Metell. Caprarium 640. U. c. (114. a. Chr.). C. de Or. I. 48 sq. Brut. 21. Inter felicitatis humanae exempla numeratur, 1, 85: ubi v. Adn. — 1, 86. Cf. Plin. 7, c. 13, al. 11. Vellei. Paterc. I. 11, 6. Valer. Max. 7, 1. — Numidicus consul fuit 644. U. c. (110. a. Chr.), Macedonicus 655. U. c. (99. a. Chr.) — 1, 13.
Metrodōrus, Athenis natus, sed vulgo Lampsacenus dictus, Epicuri discipulus. 2, 8: ubi v. Adn. 2, 17: ubi v. Adn. 5, 27. 109.
Metrodōrus Scepsius, i. e. e Scepso, Troiani agri urbe, oriundus, Carneadis auditor. Plin. H. N. 7, 24: Ars eius rei (memoriae) facta et inventa est a Simonide Melico, consummata a Metrodoro Scepsio, ut nihil non iisdem verbis redderetur auditum. 1, 59.
Midas, rex Phrygiae. 1, 114. Cfr. *Silēnus.*
Miltiades, dux Atheniensium, qui cum decem milibus suorum civium profligavit Persarum sexcenta milia in campis Marathonicis (490. a. Chr.). — 4, 44.
Minos, rex Cretensium, a Iove ipso leges edoctus, deinceps ob iustitiam iudex inferorum constitutus dicitur. 1, 10. 98. 2, 34: ubi v. Adnot.
Mulcēber (alii *Mulcĭber*, v. V. Scr. 2, 23.), antiquum apud Latinos Vulcani, ut qui *mulceat* ferrum, nomen. Orell. Inscriptt. Lat. N. 1382. VOLKANOMITISIVEMVLCIBERO. 2, 23.
Musaeus, poëta clarus, discipulus Orphei. 1, 98.
Mytilēnae, urbs in insula Lesbo. 1, 77.

N.

Naevius, e Campania oriundus (c. a. 220. a. Chr.), Romanus poëta tragicus, comicus, epicus, primum bellum Punicum, historicum poema, conscripsit. 1, 3. 4, 67.
Nasīca. V. *Scipio.*
Neapŏlis, *Neapolitani.* 1, 86.
Nemeaeus leo, leo ille mirae magnitudinis, quem Hercules in silva Argolidis ad vicum Nemeae, ubi ludi Nemaei celebrabantur, interfecit. 2, 22. 4, 50.
Neoptolĕmus s. *Pyrrhus*, filius Achillis. Nomen tragoediae Ennii. 2, 1. 2.
Neptunii equi. 2, 67.
Nestor, rex Pyli, civitatis Peloponnesi, sapientia, aetate, suaviloquentia memorabilis. 5, 7.
Nicocreon, tyrannus Cypriorum, qui Anaxarchum malleis ferreis caedi iussit. (c. a. 333. a. Chr.). 2, 52: ubi v. Adn. in Var. Scr.
Niŏbe, filia Tantali, Phrygis, uxor Amphiŏnis, regis Thebarum, quae quum sex filios totidemque filias peperisset, animo elata Latonae sese praeferre non dubitavit. Qua re dea irata eius liberos ad unum omnes ab Apolline et Diana interficiendos curavit. Niobe ipsa in Sipylo, Phrygiae monte, in saxum transformata narratur. 3, 63.
Niptra. 2, 48: ubi v. Adn. 2, 49. 50.
Nobilior. V. *Fulvius.*
Numa Pompilius, Pythagoreus. 4, 3: ubi v. Adn.

O.

Oceăni freta, 1, 45: ubi v. Adn.
Octavius, Cn., consul 666. U. c. (88. a. Chr.) una cum Cinna, cuius iussu ei caput praecisum est. 5, 55.
Oeneus, rex Calydoniae in Aetolia, cuius filia erat Deianīra. 2, 20. Cfr. *Deianira.*
Oenomăus, rex Elidis et Pisae, pater Hippodamīae. 3, 26. Cfr. *Hippodamia.*

Oeta, mons Thessaliae, in quo Hercules se combussit. 2, 19. Vdr. *Deianira*.

Oïleus, rex Locrorum, pater Aiācis, qui a patris nomine Oïlĕi cognomen accepit ad eum distinguendum ab Aiace Telamonio. 3, 71.

Olympia, locus sacer, in Elide, Peloponnesi regione, ad Alphei ostium situs, ubi ludi Olympici celebrabantur. 1, 111. 2, 40. 41. 46.

Orcus, a) Inferorum deus, qui etiam Pluto vocatur; b) regna ipsa subterranea. 1, 48.

Orestes, Agamemnonis et Clytaemnestrae filius, occidit matrem cum Aegistho, eius adultero. Propter haec scelera agitatus est furiis. 3, 11. 4, 63.

Origines Catonis. V. Adn. ad I. 2. init.

Orpheus, Apollinis et Calliopes filius, rex Thraciae, maritus Eurydices, quam ab inferis reducere conatus est. Excellebat lyra, quam a Mercurio vel ab ipso Apolline accepit. 1, 98.

P.

Pacidiānus, gladiator nobilis. 4, 48: ubi v. Adnotata.

Pacuvius, Brundusii natus 535. U. c. 219. a. Chr., poëta Romanorum tragicus, Ennii ex sorore nepos. Gravitate sententiarum, pondere verborum, auctoritate personarum clarissimus fuit, sed destitutus nitore. 1, 106: ubi v. Adn. 2, 48. 49. 4, 52. 5, 46. 108.

Palamēdes, Nauplii, Euboeae regis, filius, Ulixi inimicissimus, cuius dolis et fraudibus tandem in proditionis suspicionem adductus, a Graecorum exercitu lapidibus interemptus est. *Stallbaum*. ad Platon. Apol. p. 41. B. laudat *Heynii* Exc. ad Virg. Aen. II, 81. et quae de cognomine Euripidis fabula disseruit *Valcken*. Diatrib. de Fragm. Eurip. p. 190 sq. — 1, 98.

Panaetius, Rhodius (c. 200. a. Chr.), philosophus Stoicae sectae, quem potissimum secutus est Cicero in libb. de officiis. 1, 42. 79. 81. (vixit cum Africano maiore familiariter): ubi v. Adn. 4, 4. 5, 107. V. *Lynden*. in Comment. de Panaetio. Lugd. Bat. 1802.

Parrhasius, ex Epheso, urbe Ionica, oriundus, nobilissimus Graeciae pictor (c. a. 400. a. Chr.). 1, 4. Cf. Plin. XXXV, 10.

Patrŏclus, filius Menoetii, educatus cum Achille eidem amicissimus erat. Postea cum Achille ad bellum Troianum profectus cum Hectore pugnans ab eodem confossus mortem occubuit. 2, 38. 39.

Paullus. a) *L. Aemilius Paullus*, pater L. Aemilii Paulli Macedonici, qui ad Cannas re male gesta occidit cum exercitu (220. a. Chr.). 1, 89. 110. — b) *L. Aemilius Paullus Macedonicus*, Persen, ultimum Macedonum regem, pugna ad Pydnam in Macedonia commissa 168. a. Chr. vicit, omni Macedonum gaza potitus est deque Perse triumphavit. 3, 53. 70. (ubi v. Adn.). 5, 118. Eius vitam descripsit Plutarchus.

Pelignus. Peligni fuerunt gens Italica in Samnio, quorum caput fuit Corfinium. 4, 50.

Peloponnesus, meridionalis Graeciae peninsula (hodie *Morea*). 3, 53.

Pelops, filius Tantăli, Phrygiae regis, postea gener Oenomăi in ea Graeciae parte, quae ex eo Peloponnesus appellata est, pater Atrei, Thyestis, Chrysippi. 1, 107. 2, 67: ubi v. Adn. 3, 25. Cfr. *Hippodamīa*.

Perdiccas II., pater Archelāi, rex Macedonum. (c. 400. a. Chr.). 5, 34.

Peripatetici, discipuli Aristotelis, ita vocati, quia ambulando (περιπατοῦντες) in Lyceo disputabant. 2, 9. 3, 22. 76. 4, 6. 9. 38. 43. 47. 5, 32. 75. 82. 85. 120.

Persae. 1, 108. 5, 99.

Perses, ultimus rex Macedonum, Philippi II. filius, a quo Persicum bellum dicitur, quod est Macedonicum secundum. Cfr. *Paullus Macedonicus*. — 3, 53. 5, 118.

Perses, i. q. Persa. 1, 101: ubi v. Adn.

Phaedrus, nomen dialogi Platonici. 1, 53.

Phalăris, crudelissimus Agrigentinorum in Sicilia tyrannus (c. a. 560. a. Chr.), qui praeter cetera suppliciorum instrumenta habebat taurum aeneum Perilli arte factum, in quo inclusi succensis ignibus tosti bovis mugitum edebant. 2, 17: ubi v. Adn. 2, 18. 5, 75. V. *Beier*. ad Offic. III. 6, 29. p. 231.; de eius tauro v. quem *Moser* T. I. p. 452. laudat *Creuzerum* ad Plotin. I. 4, 13. et *Fr. Iunii* Catalog. Artificum p. 148 — 150.

Pherecrātes, Phthiōta (Phthia sita erat in Phthiotide Thessalica), qui ortum a Deucalione ducebat. 1, 21.

Pherecȳdes, e Syro, Cycládum insularum una, oriundus, praeceptor Thalētis et Pythagorae fuisse fertur; at v. *Ritteri* Gesch. d. Pythagoreisch. Phil. p. 19 sq.; primus soluta oratione usus est (c. 520. a. Chr.). 1, 38.

Phidias, clarissimus statuarius, fuit Athenis Periclis aetate (c. a. 430. a. Chr.). 1, 34: ubi v. Adn. V. de eo *Fr. Iunium* in Catal. Artificum p. 151 — 162.

Philippus, rex Macedonum, pater Alexandri M. 5, 42.

Philo, Larissaeus, Clitomachi Academici discipulus, Academicam disciplinam Stoicae propius admovit propiusque ad Platonem rediit. Bello Mithridatico Romam sese contulit (88. a. Chr.), ubi Cicero operam ei dedit. — Plura de eius philosophandi ratione contulimus in libro dicto de *Cicer. in philos. merit.* p. 158 sq. — 2, 9. 26: ubi v. Adn. 5, 107.

Philoctētes, Poeantis filius, comes Herculis. Accepit ab Hercule morituro pharetram et sagittas Hydri sanguine infectas. Sine his sagittis quum Troiam inexpugnabilem fore in fatis esset, deductus est ad Troianum bellum, quia praeter eum iis nemo uti posset. In itinere sibi vulnerabat pedem, cuius vulneris foetore Graeci eum in insula Lemno relinquere coacti sunt. Post Achille occiso Ulixes in Lemnum regressus eum ad Troiam duxit. Cf. Sophoclis Philoctetam. — 2, 19. 33. 44. 55.

Phliasius, urbe Phliunte oriundus. 5, 8. 10.

Phlius, urbs Achaiae in Peloponneso inter Sicyonium et Argivum agrum sita. 5, 8.

Piso, *L. Calpurn.*, Frugi cognomine, orator clarus fuit et tribunus A. V. C. 604. (150. a. Chr.) legem tulit de pecuniis repetundis, quae Calpurnia est vocata. Anno 620. U. c. 134. a. Chr. consul et 633. U. c. (121. a. Chr.) censor fuit. Idemque annales conscripsit. 3, 16: ubi cf. Adn. 3, 48.

Plato, Aristōnis filius, Socratis discipulus, Athenis condidit Academiam veterem (c. a. 400. a. Chr.). 1, 20. 22. 39. (de Platonis itineribus v. Adn.). 49. 54. 55. 57. 63. 70. 84. 97. 2, 8. 27. (proscribit poëtas e civitate sua): ubi v. Adn. 3, 36. 43. 4, 10. 44. 55. 71. 5, 8. 11. 30. 34. 36. 64. 100. 109. 119. De Platonis apud Ciceronem auctoritate v. ad I. 17, 40.; de eius animi divisione ad I. 10, 20. et II. 21, 47. Platonis *amor*. 4, 71: ubi v. Adn.

Plautus, Sarsĭnae, Umbriae urbe, natus, Romanus poëta comicus, Romae vixit (nat. 227. a. Chr. † 184.). 1, 3.

Polĕmo, Atheniensis (c. a. 360. a. Chr.), qui quum in iuventute petulans esset et aliquando ebrius et coronatus scholam Xenocratis ingressus esset, eius oratione, quae tunc de pudicitia erat, motus, adeo mores immutavit tantumque in philosophia profecit, ut Xenocrati in Academia succederet. 5, 30. 39. 87. 109.

Polyclētus (aut *Polyclītus*), Sicyōne in Peloponneso natus, nobilis fuit statuarius nec imperitus artis delineandi pingendique (c. a. 430. a. Chr.). 1, 4: ubi v. Adn.

Polyphēmus, Neptuni et nymphae Thoosae filius, Cyclops in insula Sicilia. 5, 115.

Pompeius, *Cn.*, cognomine Magnus, vir multis rebus gestis clarus. Dignus est locus Plinii (H. N. 7, 26.), qui legatur, in quo omnes eius res gestae recensentur. In bello civili a Caesare pugna Pharsalica superatus, fugiens in Aegyptum regis perfidia interfectus est (49. a. Chr.). 1, 12. 86. (e morbo convaluit): ubi v. Adn. 2, 61. 3, 66.

Pontus Euxīnus, mare quod hodie appellatur Nigrum. 1, 45. 94.

Posidonius, ex Apamēa, Syriae urbe, oriundus, Panaetii discipulus, philosophus Stoicus, Ciceronis doctor. 2, 61. 5, 107.

Priamus, ultimus Troiae rex, a Pyrrho s. Neoptolemo, Achillis filio, ad aram necatus. 1, 85. (numerus liberorum Priami): ubi v. Adn. — 1, 93. 106. 3, 44.

Prometheus, filius Iapĕti et Clymenae, filiae Oceani, pater Deucalionis, quia e caelo ignem detulerat hominesque e limo finxerat, Iovis iussu a Vulcano affixus est Caucaso. Vid. *Caucasus* et *Lemnium furtum*. 2, 23: ubi v. Adnot. 3, 76. Astrologus fuisse dicitur. 5, 8. Cf. Hygin. fab. 54. 144. eund. Poet. Astronom. XV. p. 455 sq. Serv. ad V. Ecl. 6, 42. Aeschyl. Pr. 449 sq.

Ptolemaeus. a) fortasse *Lagi* (s. *Soter*), rex Aegypti (323 — 284. a. Chr.). 5, 97. — b) *Philadelphus*, rex Aegypti (284 — 246. a. Chr.), vir doctissimus, qui bibliothecam illam Alexandrinam instituit. 1, 83.

Punicum bellum. 3, 51.

Puteolāni, incolae Puteolorum, urbis maritimae in Campania. 1, 86.

Pyrrho, ex Elide oriundus (c. a. 340. a. Chr.), pictor, cum Anaxarcho Alexandri in bellis comes, postea Elide sacerdos, dicebat, virtutem solam esse bonum, cetera omnia, ipsam scientiam, nulla esse. Eius sectatores vocati sunt aporetici, zetetici, sceptici. 2, 15. 5, 85: ubi v. Adn. Cfr. *Aristo*.

Pyrrhus, Epiri rex, cum Romanis (280 — 275. a. Chr.) bellum gessit. 1, 59. 89.

Pythagoras, Samius, philosophus, discipulus Pherecȳdis (c. 540. a. Chr.). Pri-

mus nomen philosophiae et philosophi induxit. 1, 20. 38. 39. 49. 62. 3, 36. 4, 2. 3. 10. 44. 55. 5, 8. 9. 10. 30. 66. Cf. de eo *H. Ritter*. Gesch. d. Pythagoreisch. Phil. Hamb. 1826.

Pythagorēi, Pythagorae discipuli. Notum est eorum αὐτὸς ἔφα. Societas eorum in Magna Graecia, a Pythagora condita, quae morum rerumque publicarum emendationem spectabat, per 30 tantum annos floruit. 1, 38. 39. 4, 2. 3. 5, 63. 113.

R.

Regulus. V. *Atilius*.

Rhadamanthus, Iovis ex Europa filius, frater Minōis, rex Lyciae, qui, quia severe erat iustitiam exsecutus, fingitur a poëtis apud inferos in vitam mortuorum inquirere. 1, 10. 98.

Rhegīnus, e Rhegio, urbe in extrema Italiae parte sita, oriundus. 4, 71.

Romani. 4, 3. 4. 5.

Rupilius. *P. Rupilius Lupus*, consul A. V. C. 621. (133. a. Chr.). Plinius (H. N. 7. 36.) eadem refert de eo, quae Cicero. P. Rupilius, inquit, morbo levi impeditus nuntiata fratris (Lucii Rupilii, praetoris 607. U. c. 147. a. Chr.) repulsa in consulatus petitione illico exspiravit. 4, 40: ubi v. Var. Scr. Cf. *Ern*. Ind. hist. v. *Rutilius*.

S.

Salamis, insula prope Atticam sita, ubi Themistocles splendidissimam de Persis reportavit victoriam (480. a. Chr.). 1, 110.

Samnis. Samnītes erant gens Italiae inferioris. Ex ea gente multi fungebantur gladiatorum munere ad oblectandos convivas in coena. Cf. C. de Or. III. 23, 86. Liv. 9, 40. Horat. Ep. 2, 2. 98. C. de Or. 3. 23, 86. — 2, 41.

Sardanapālus, rex Assyriae ob mollitiem atque libidinem infamis. 5, 101.

Saturnius, filius Saturni. 2, 23.

Scipio. a) *Cn.* et *P. Scipiones*, fratres, duces Romanorum belli Punici secundi initio in Hispania, postquam Hannonem et Hasdrubalem ad Iberum a. 216. a. Chr. et ad Illiberin a. 215. fuderunt, a. 212. Carthaginiensium fraude interempti sunt. 1, 89. 110. — b) *P. Cornelius Scipio Africanus Maior*, filius P. Scipionis eius, qui modo dictus est, vir summus in re publica tempore belli Punici secundi, a. 206. a. Chr. consul, Hannibalem ad Zamam 201. a. Chr. fudit. 1, 110. 5, 49. — c) *P. Cornelius Scipio Africanus Minor*, filius Lucii Aemilii Paulli, hinc *Aemilianus* dictus, adoptatus a filio Scipionis Africani Maioris. V. de eo Cic. de Senect. 35. — Cicero Off. I, 32. dicit, eloquentia eum belli gloriam cumulasse. Evertit Carthaginem 146. a. Chr. et Numantiam 143. a. Chr., unde Numantinus quoque dictus est. De eius doctrina et studiis liberalium artium v. Vell. Pat. I, 13. — 1, 5. 81. 2, 62. 4, 5. 50. — d) *P. Cornelius Scipio Nasica Corcŭlum*, filius Optimi, 591. U. c. (163. a. Chr.) et 598. consul, 594. censor. Idem orator fuit et iuris civilis peritus. 1, 18: ubi v. Adn. — e) *P. Cornelius Scipio Serapio*, filius Nasīcae, pontifex maximus Tib. Gracchum interfecit (621. U. c. 133. a. Chr.). V. Plut. vit. Gracch. — 4, 51.

Scythes. 5, 90.

Semĕle. Cadmi, Thebarum regis, filia, ex qua Iuppiter Bacchum progenuit. 1, 28.

Sempronia lex. 3, 48. Vid. *C. Sempr. Gracchus*.

Sempronius. a) *M. Sempronius Tuditanus* cum Claudio Centone consul a. 513. U. c. (241. a. Chr.). 1, 3. — b) *Tiberius Sempronius Gracchus* v. *Gracchi*.

Servilii, nomen familiae multis viris illustribus clarae, e qua v. c. Cn. Servilius Caepio 583. U. c. (171. a. Chr.) consul, Q. Serv. Caepio 647. U. c. (107. a. Chr.) consul. 1, 13.

Servilius. a) *Cn. Servilius Gemĭnus*, 536. U. c. (218. a. Chr.) consul in pugna ad Cannas commissa occidit. 1, 89. — b) *Q. Servilius Caepio* in direptione Tolōsae, urbis Galliae Narbonensis, 106. a. Chr. „aurum abstulit, quod sacrilegium caussa excidii Caepioni exercituique eius postea fuit, ut tradit Iustinus XXXII, 3. V. Gellium III, 9.“ „Anno proximo quum Cn. Manlium cum Cimbris improspere pugnantem deseruisset, a Norbano 658. (96. a. Chr.) accusatus, a Crasso quidem defensus, e patria tamen eiectus Smyrnae exsulavit ibique mortuus est. V. Iustin. XXXII, 3. Valer. Max. IV. 7, 3. Strab. IV. p. 286. 287. Cic. pro Cornel. Balb. c. 11.“ *Davisius* et *Billerbeck*. ad 5, 14.

Servius Tullius, Romanorum rex (581 — 535. a. Chr.), gentilis Ciceronis. 1, 38: ubi v. Adn.

Sicŭlus. De Siculorum acumine v. ad 1, 15.

Sicyonii, Sicyonis, Peloponnesi urbis, incolae. 3, 53.

Silēnus, educator et institutor Bacchi, a Mida, Phrygiae rege, captus ab eodemque Baccho redditus. Pro qua

missione Bacchus Midae concessit, ut sibi muneris aliquid expeteret. Is optabat, ut, quicquid tangeret, aurum fieret. Optatum nactus paene periit, nisi Bacchus eum servasset. V. Herod. VIII, 138. et Ovid. Metam. XI, 90 sqq. Cf. *Creuzer*. Symb. u. Myth. III. p. 213 sqq. — 1, 114.

Simonides, e Cea (Ceo), insula maris Aegaei, oriundus (c. 490. a. Chr.), poëta lyricus, artis memoriae inventor. 1, 59: ubi v. Adn. 1, 101.

Sisŭphus, Aeŏli filius, conditor et rex Corinthi, apud inferos saxum in summum montis verticem frustra provolvere conatur, ob Aegīnam, Asōpi filiam, quam a Iove esse raptam patri indicarat. 1, 10: ubi v. Adn. 1, 98.

Socrates 471. a. Chr. natus 403. condemnatus moritur. 1, 8. 55. 57. 71 sqq. 97. 100. 102. 3, 8. 10. 31. 36. 77. 4, 6. 63. 80. 5, 10. 11. 26. 30. 34. 91. 97. 108. 119. — Socrates sitne moralis philosophiae auctor habendus, v. Adn. in 5, 10.

Socratici, Socratis discipuli. 2, 8. 62.

Solo (c. 570. a. Chr.). 1, 110. 117.

Sophocles, poëta tragicus. 2, 20. 49. 3, 71.

Sparta. 1, 100. 2, 34. 46.

Spartiātae, Spartae incolae. 1, 102. 2, 36. 37. 5, 77.

Speusippus, philosophus, Platonis ex sorore nepos, annos octo Platonicae scholae praefuit. 5, 30. 39. 87.

Sphaerus, e Bospŏro Thracico oriundus, philosophus Stoicus, Zenonis Cittiei discipulus, primum Lacedaemone, tum Alexandrīae docuit. (Cf. Diog. L. 7, 177.) 4, 53.

Statius, Caecilius, Mediolani natus, Latinus poëta comicus, Ennii et Terentii familiaris. Mortuus est 170. a. Chr. 1, 31.

Stoici, philosophorum secta, cuius auctor fuit Zeno. Vocabantur ita a στοᾷ, i. e. porticu, in quam disputandi caussa convenire solebant. 1, 77. (Stoicorum de animorum post mortem statu sententia): ubi v. Adn. 1, 78. (Stoici, Ciceronis amici): ubi v. Adn. 2, 29 sqq. 3, 10. 12. 22. 4, 6. 9. 11. 12. 23. 33. 36. 72. 5, 47. 81. 82. 83. 84. 120. Stoicorum amor. IV. 34, 72: ubi v. Adn.

Superbus: Tarquinius Superbus, qui regnavit ab anno 534. ad 509. a. Chr.

Synephēbi. V. Adn. in I. 14, 31.

Syracusae (hod. Siragossa), urbs insulae Siciliae omnium Graecarum longe pulcherrima (C. Verr. 4. 52, 117. V. *Goelleri* de urbe Syracusarum lib. Lips. 1818.). 3, 27. *Syracusani*, incolae huius urbis. 5, 57.

Syracusiae mensae. 5, 100.

Syria, Asiae terra. Saepe pro *Assyria* ponitur. 2, 61. 5, 101.

T.

Tantălus, filius Iovis, pater Pelopis, rex Phrygiae, ad epulas deorum admissus insolentior factus est et illo honore abusus apud inferos perpetua fame sitique cruciatur. 1, 10. 3, 26. 4, 35.

Tarquinii, urbs Etruriae. 5, 109.

Tarquinius, a) *Priscus*, Romanorum rex (617—578. a. Chr.). 5, 109. — b) *Superbus*, ultimus Romanorum rex (534—509. a. Chr.). 1, 38. 88. 89. 3, 27.

Telămo, filius Aeăci, rex Salaminius, cuius filii Teucer et Aiax. 3, 28. 39. 43. 44. 58. 71.

Terentius, Publius Terent. Afer, Latinus poëta comicus (192—155. a. Chr.). 3, 30. 31. 65. 4, 76.

Terinaeus, e Terīna, Italiae inferioris in Bruttiis urbe, oriundus. 1, 115.

Teucer, filius Telamōnis et frater Aiācis. Pater filiis ad bellum Troianum proficiscentibus legem posuit, ne alter sine altero rediret. Itaque solus redux Teucer, patria a patre pulsus, Apollinis responso cum sociis Cyprum venit ibique Salaminem novam condidit. 5, 108.

Themistocles, Atheniensium princeps et dux, qui Persas ad Salaminem (480. a. Chr.) splendide devicit. 1, 4: ubi v. Adn. 1, 33. 110. 4, 44. 55.

Theodectes, e Phaselide, urbe in Lyciae et Pamphyliae confinio sita, oriundus, orator, discipulus Platonis, Isocratis, Aristotelis. 1, 59: ubi v. Adn.

Theodōrus, e Cyrenis, Graeca in Africa colonia, oriundus, philosophus Cyrenaicus, ἄθεος dictus, a Ptolemaeo Lagi legatus ad Lysimachum, Macedoniae regem, missus, ab eo ob dicendi libertatem interficitur (c. 280. a. Chr.). 1, 102: ubi v. Adn. De Theodoro cf. Diog. L. 2, 86. 97. 101 sq. — 5, 117.

Theophrastus, ex Ereso, Lesbi urbe, oriundus, philosophus Peripateticus, discipulus Platonis et Aristotelis. Diogenes Laert. 5, 45. recenset omnes ab eo scriptos libros, in quibus est etiam unus, qui inscribitur Καλλισθένης ἢ περὶ πένθους, qui miseram amici sui Callisthenis necem deplorat. 1, 45. 3, 21. 69: ubi v. Adn. 5, 24. 25. 85. 107.

Theramĕnes, Socratis discipulus et unus

triginta tyrannorum, qui quum resistere vellet crudelitati ceterorum collegarum, in primis Critiae, in odium adeo incidit, ut accusatus coram iudicio tanquam rerum novarum studiosus damnaretur mortis. 1, 96. 97. 100. Vid. *Wyttenb.* ad Plutarch. p. 716. Oxon. T. II. p. 42. Lips. et ad Select. Hist. Gr. p. 406. *I. C. F. Manson.* Sparta III. 3. p. 18 sqq. Cfr. *Critias.*

Thermopylae, angustus transitus per praeruptos montes e Thessalia in Boeotiam. Dictae sunt ab angustis faucibus aquis calidis scatentibus. Illustres interitu regis Leonidae. 1, 101.

Theseus, filius Aegĕi, rex Atticae, urbis Athenarum conditor, heros multis praeclare factis illustris. Inter alia interfecit Minotaurum in Cretico Labyrintho. V. Plut. Thes. p. 5. Diod. 4, p. 262. Ovid. Met. 7, 435. Hygin. fab. 38. Quod facinus est argumentum fabulae Euripidis, ex qua locus allatus legitur 3, 29. 30. 58. 4, 50.

Thyestes, filius Pelopis, nepos Tantali et pronepos Iovis, rex Mycenarum. Ex Atrei fratris uxore liberos genuit, quos postea ei epulandos apposuit. Eo ab Aegistho interfecto, Thyestes rerum potitus mox ab Atrei filiis, Agamemnone et Menelao, pulsus in exilium periit. 3, 26. 39. 4, 77.

Timo, Atheniensis, homo inhumanus, aliorum vitans congressus, inde Misanthrōpus nominatus, Socratis aetate vixit. 4, 25. 27.

Timothĕus, Conōnis filius, dux Atheniensium (358. a. Chr.). Cic. Off. 1, 32. — 5, 100: ubi v. Adnotata.

Tiresias, caecus vates Thebanorum, aetate belli Thebani vixit. 5, 113.

Titānes, gigantes, filii Coeli et Terrae, quattuor, Coeus, Crius, Hyperio, Iapetus. Iapetus uxorem duxit Clymenen, filiam Oceani, et ex ea progenuit Atlantem, Menoetium, Prometheum. Hinc Prometheus recte Titanes sobolem sociam sui sanguinis vocare potest. 2, 23: ubi v. Adn.

Torquatus. T. Manlius Torquatus 396. a. Chr. certamen singulare cum Gallo iniit eique aureum torquem detraxit. Liv. VII, 10. Cf. *Beier.* ad Off. III. 31, 112. et quos contulit. — 4, 67.

Trabĕa, poëta Romanus comicus. 4, 67. Cf. Finn. II. 4. Gell. N. A. XV, 24.

Trachiniae, mulieres urbis Thessaliae Trachīnis. Hoc nomen habet una Sophoclis tragoediarum, cuius argumentum vide vv. *Hercules* et *Deianira.* 2, 20: ubi v. Adn.

Triptolĕmus, filius Celĕi, Eleusinis regis, primus agriculturae rationem Graeciam docuisse Atheniensibusque leges tulisse traditur. 1, 98: ubi v. Adn.

Troia, Asiae minoris urbs. 1, 98. 3, 28.

Troĭlus, Priami filius, ab Achille interfectus. 1, 93.

Trophonius v. *Agamedes.*

Tubĕro, Q., Scipionis Africani minoris sororis filius, philosophiae Stoicae studiosus, 133. a. Chr. tribunus pl., adversarius Tiberii Gracchi. 4, 4: ubi v. Adn.

Turpilius, vetus Romanorum poëta comicus. 4, 72. 73.

Tusculanae disputationes dicuntur hi libri, quia habitae finguntur in Ciceronis villa ad Tusculum (hodie *Frascati*) sita. 5, 1.

Tusculanum, praedium Ciceronis, prope Romam situm in agro Tusculano, a Tusculo, Latii urbe, nominatum. 1, 7. 119. 2, 2. 9. 3, 6. 4, 7. 5, 11. Cf. *Tusculanae disputationes.*

Tyndarĭdae, Castor et Pollux, Tyndări filii. 1, 28: ubi v. Adn.

Tyrus, Phoeniciae urbs. 3, 66.

U.

Ulixes, rex Ithacae. 1, 98. 2, 49. 5, 7. 46.

V.

Varia lex, 2, 27: ubi v. Adn.

Veientes, incolae Veiorum, urbis Etruriae, non procul Roma sitae. 3, 27.

Venusia, oppidum Apuliae, non procul finibus Lucaniae situm, in quo Horatius natus est. 1, 89.

X.

Xanthippe, Socratis uxor. 3, 31.

Xenocrātes, Chalcedone in Bithynia natus, Platonis discipulus, post Speusippum Academiae per 25 deinceps annos (ab a. 339. a. Chr.) praefuit. 1, 20. 5, 30. 39. 51. (ubi *gravissimus philosophorum* appellatur; cf. Off. I. 30, 109.) 87. 91. 107. 109. Scripsit libros περὶ ἀρετῆς, quos commemorat Diog. L. IV, 12.

Xenophon, Socratis discipulus. 2, 62. 5, 99.

Xerxes I., rex Persarum (486 — 456. a. Chr.). 5, 20.

Z.

Zeno, a) e Citio, Cypri urbe maritima, oriundus, philosophus et conditor sectae Stoicae (c. a. 300. a. Chr.). 1, 19: ubi v. Adn. 2, 15. 29. 60. 3, 75. 4, 11. 47. 5, 27. 32. 33. 34. 107. — b) *Zeno Eleātes* (i. e. ex Elēa, urbe Magnae Graeciae, oriundus), Parme-

nidis auditor (c. a. 460. a. Chr.). Celebratissima eius fuit in perferendis cruciatibus patientia. Nam ut ne arcanorum quicquam corpus necessitate coactum emitteret, demorsam linguam in tyrannum Nearchum, a quo patriam liberare constituerat, exspuit. 2, 52. ubi v. Davis. — c) *Zeno* Epicurēus, Ciceronis aequalis, qui eum frequenter audivit Epicuri sententias explicantem. 3, 38.

Zopŷrus, clarissimus physiognomon tempore Socratis, Alcibiadis praeceptor. 4, 80: ubi v. Adn.

INDEX RERUM ET NOMINUM IN ADNOTATIONE EXPLICATORUM.

De nominibus propriis consulendus est index historicus. Primus numerus indicat librum, alter caput, tertius paragraphum.

A.

A, ab antecedenti *a* in codd. absorptum. I. 24, 54.

A, ab, qui sunt *a Zenone* (οἱ ἀπό τινος). II. 3, 7. Legati *ab Alexandro*. V. 32, 91. Haec sunt *a Graecis*. I. 30, 74. *Ab Eurota* cursus. V. 34, 98. *A primo*, primitus. I. 23, 54. *A se* oriri pro: per se, sua vi. III. 17, 37. *A* (*ab*) praepositio non omittitur, ubi verba cum *se*, *re*, *dis* composita separationem a loco notant. V. 28, 80. *Ab* ante *d* positum. I. 26, 65. V. Scr.

Abditus sub (*in*) *terram*, *abdere se litteris* etc. II. 25, 60.

Abesse: tantum abest ab eo, ut — ut. I. 31, 76. *Abesse patriā*. V. 37, 106.

Ἀβλάβεια, ἀβλαβής. III. 8, 16.

Ablativus participiorum in *i* exiens. V. 14, 42. *Abl.* adi. pro *i* in *e* exiens, ut *excellente, sapiente* etc. III. 2, 3. *Abl.* comparativorum ap. Cic. non exit in *i*, sed *e*. V. 8, 22.

Ablativus, ut *his sententiis* pro ex h. s. I. 11, 24. *Epulis* pro tempore, quo epulae habentur. IV. 2, 4.

Ablativus = ratione habita alicuius rei. V. 28, 82. — *temporibus illis*, pro: *pro ratione*. IV. 3, 5.

Ablat. loci sine *in*. V. 35, 102.

Ablat. qualitativus (*eodem vitio* est effusio in laetitia). IV. 31, 66.

Ablat. absolutus, ut *adversis casibus* pro: *quum adversi casus accidunt*. III. 16, 34.

Ablativi duo iuncti, quorum alter instrumentum, alter modum actionis significat. III. 15, 31.

Abluere perturbationem animi. IV. 28, 60.

Absoluta ratio. V. 13, 38.

Absolute, perfecte. V. 18, 53.

Abstracta nomina pro concretis. II. 7, 18. — plurali numero posita. IV. 2, 3.

Absurde, *absurdus* quid significent. II. 4, 12.

Abundantia nominum συνωνύμων perspicuitatis caussa. II. 20, 46.

Ac. V. v. *atque*.

Accedit, *ut* et *accedit*, *quod*. I. 19, 43.

Accerso et *arcesso*. IV. 1, 2.

Accidere, ad alicuius genua supplicem accidere. III. 19, 44. *Accidere* et *evenire* iuncta quid differant. IV. 26, 57. Si quid *accidit*. I. 43, 103.

Accipere in os. IV. 21, 48. *Accipere* aliquem verberibus. II. 14, 34.

Accusabilis. IV. 35, 75.

Accusativus in *en*, ut Socraten. I. 26, 65. Acc. *Hectora*. I. 44, 105. Acc. *Salaminam*, *Salamina*. I. 46, 110. Acc. in *in* pro *im*, ut: poësin. V. 39, 114. Acc. *Thyestem* pro Thyesten. III. 18, 39. V. Scr.

Accusativus elliptice positus in: *Sed quid poëtas?* I. 15, 34.

Accusativus absolutus, explicandus per *quod attinet ad*, possitne statui. I. 24, 56.

Accusat. pronominum in structura accusativi c. inf. saepe omittitur. I. 25, 60.

Accusat. pronominum cuiuscunque generis verbis iungitur. V. 28, 81.

Accusat. substantivi, plerumque cum adiectivo coniunctus, tanquam appositio, toti enuntiationi additur ad iudicium aliquod de praegressis verbis designandum. I. 43, 102.

Accusat. cum infin. in oratione affectus vel admirationis plena. II. 9, 21.

Accusat. cum infin. pro simplici infinitivo post verba *studii* et *desiderii*. I. 41, 98.

Accusat. c. infin. saepe pendet a verbo declarandi in alio vocabulo latente. III. 31, 76.

Acervus, sorites. V. 15, 45.

Acipenser. III. 18, 43.

Acriculus. III. 17, 38.

Activa intransitive. I. 44, 107.

Activa forma verbi transit in passivam. II. 16, 37. V. 33, 94.
Actum habere, quod quis egerit. III. 21, 50.
Ad inservit comparationi. I. 17, 40. Nisi quid habes *ad haec*. I. 23, 55. *Ad horam* mortis. V. 22, 63. *Ad* pro *apud*, ut *ad censores*. III. 21, 51. *Ad* et *apud* Romam. IV. 22, 49. *Ad* cum adiect. et subst. iunctum, *caecus, caecitas, hebes, acutus ad aliquid* cett. III. 5, 11.
Addere eodem. V. 6, 16.
Addictus sententiae. II. 2, 5.
Additur, ut c. coni. III. 31, 75.
Adesse et *praesens esse* quid differant. IV. 7, 14.
Adhibere orationem. IV. 27, 59. V. Scr.
Ἀδιάφορα Stoicorum. IV. 12, 28. II. 12, 29.
Adiectiva pro adverbiis, ut clamare *magnum*. II. 24, 56. Cf. I. 14, 31. *Cupidus* pro cupide. I. 48, 116.
Adiectiva transposita, ut: illecebrae *blandae* voluptatum pro: blandarum. IV. 3, 6.
Adiectiva ἀσυνδέτως iunguntur in contrariorum consociatione, ut *bona mala; aequa iniqua*. V. 39, 114. *Adiectiva plura*, uni nomini ἀσυνδέτως adiuncta. II. 9, 21. V. 21, 61.
Adiectiva in *icus* et *fer* exeuntia. I. 28, 69.
Adiectiva in *us* pro *is*, ut *sublimus*. II. 7, 19.
Adiectiva in *culus* (molliculus). II. 19, 45.
Adiectivorum neutrum singularis numeri substantivorum loco positum, ut *simile* pro *similitudine*. II. 5, 13.
Adiectivorum permutatio. V. v. *hypallage*.
Adiectivum, ad plura substantiva pertinens, priori substantivo praeponitur. I. 4, 7.
Admirari, bewundern et *sich verwundern*. V. 3, 8. *Admirari in aliqua re*. III. 18, 39. V. 9, 24. *Admirari* et *mirari*. IV. 1, 1. *Admirari nihil*, nulla re vehementer affici. III. 14, 30.
Adolescentiae aetas. I. 39, 94.
Adoptatio et *adoptio*. I. 14, 31.
Adspirare ad aliquid, sich versteigen. V. 5, 13.
Adstringere argumenta. III. 6, 13.
Adulare sanguinem. II. 10, 24.
Adumbrata imago. III. 2, 3.
Adventare de rebus gravibus et molestis. I. 40, 95.
Adverbia in *-nter* exeuntia, ut *amanter*. IV. 17, 37.
Adverbia in clausula posita. I. 15, 35.
Adverbia pro adiectivis aut participiis posita, ut: aliquis est *procul* ab omni metu. V. 14, 41.
Adversa basis. V. 23, 66. *Adversā* ratione pro: adversante. IV. 6, 12.
Adversarius virtuti acerrimus pro virtutis. V. 27, 76.
Advocatos adhibere oculos. V. 38, 111.
Aegre ferre, aegritudine affici. III. 10, 21.
Aegritudo, Stoicorum. IV. 7, 14.
Aegrotatio, Siechheit. IV. 13, 28.
Aegrotus animus. III. 4, 8. V. Scr.
Aemulari c. dativo. I. 19, 44.
Aequiperare sine casu dictum. V. 17, 49.
Aestimare nihil num pro *aestimare nihili* dici possit. V. Addenda ad I. 8, 15.
Aetas exacta. I. 39, 93.
Aetates singulae quomodo apud Romanos constitutae fuerint. I. 39, 94.
Affatim. II. 10, 24.
Affectio, διάθεσις. IV. 15, 34.
Afferre sine dativo personae. I. 3, 6.; sine accusativo rei. I. 29, 71.
Afflictare se. III. 32, 77.
Agere. Id agam, ad hoc attendam; *alias res agere*, non attendere. I. 20, 46. *Nihil agere*, nihil efficere, operam perdere. II. 25, 61.
Agitare, scilicet *mente*. V. 23, 66.
Agnoscere et *cognoscere*. I. 24, 58.
Ain' tu? V. 12, 35. *Aitis*, forma dubia. V. 38, 112.
Ait et *inquit* orationi inseruntur, etsi iam verbum, quod secuturam orationem indicat, antecessit. V. 36, 105. — *Ait* et *inquit* quid differant. Ibid.
Alacritas e Stoicorum mente pro *laetitia gestiente*. V. 16, 48.
Ali in caede. V. 23, 66.
Alicunde et *aliunde* permixta. I. 23, 53.
Alienus, abalienatus. V. 37, 106.
Alii et *illi* saepe confunduntur in MSStis. III. 29, 71. V. Scr.
Aliquando pro tandem. I. 1, 1.
Aliquanto et *aliquantum* quid significent. II. 27, 66.
Aliqui, cum substantivo iunctum, ut *aliqui timor*. IV. 16, 36.
Aliquid, res maximi momenti, *aliquis* eximius aliquis. I. 20, 45.
Aliquis dicaturne pro *alius quis*. III. 14, 29.
Aliquis — alius, vel *alius — aliquis* sibi respondent. IV. 28, 60.
Aliquodpiam. III. 9, 19.
Aliter atque ut. III. 30, 73.
Aliud cum genitivo, ut: aliud praecipui. V. 13, 38.
Alligare et *obligare vulnus*. II. 17, 39.
Allitteratio ap. antiquos poëtas. I. 35, 85.
Alte spectare. I. 34, 82.
Ambitiones, petitiones honorum. II. 26, 62.
Ambo et *ambos* accusativus. I. 46, 110.
Ambulatio (inferior, superior) ambulacrum. IV. 4, 7.

Amittere virtutem. II. 13, 32.
Amor Platonis et Stoicorum. IV. 34, 71 sq. — *Amor*, studium. IV. 35, 75.
An semper referendum est ad antecedentem interrogationem. I. 17, 39. *An* pro *annon* aut pro *num* positum videtur. III. 1, 1. *Dubito, an.* IV. 22, 50. *An* in conclusione a minore ad maius. V. 14, 42. *An* in responsione. V. 12, 35. *An quod* (*quia, quum*) —. III. 1, 1.
Anacoluthia. Quid de ea statuendum sit in Ciceronis de philos. libris. I. 13, 30. II. 1, 3. *Anac.* in partitionibus. IV. 35, 74. Exempla singularia anacoluthiae. IV. 34, 72.
Anacoluthia per attractionem orta. V. *Attractio.*
Anacoluthiae genus frequens, quo primum nominativus nominis positus est, dein verbum, quod dativum vel accusativum requirit, sequitur. III. 8, 16.
Ἀνακόλουθος constructio in: *confirmato illo, quin* —. I. 36, 88.
Ἀναγκοφαγία athletarum. II. 17, 40.
Ἀνανταπόδοτον. III. 17, 36.
Anapaesti pedes, aptissimi ad excitandos animos. II. 16, 37. *Anapaestum* versus. III. 24, 57.
Anguli pares. I. 17, 40.
Angustius se habere. V. 31, 87.
Anima et *animus.* I. 9, 19. Cf. I. 38, 91.
Animalia et *animantes.* I. 10, 21.
Animalis. I. 18, 42. V. Scr.
Animi divisio. II. 21, 47.
Animi pendere. IV. 16, 35.
Animosa sententia. III. 21, 51.
Animose. IV. 23, 51.
Animum comprimere. II. 22, 53. *Animum advertere aliquid.* V. 23, 65.
Animus quid significet. II. 22, 53.
Animus et *anima* a Romanis confusa. I. 9, 19.; quid differant. I. 10, 21.
Animus cum re concidit. III. 18, 40.
Animus et *mens* quid differant. III. 5, 10. *Animus ignis.* I. 9, 19.
Animus iratus, non *animus sapiens.* III. 9, 19.
Annominatio. III. 27, 64.
Anquirere. IV. 21. 47.
Ante: aliquot ante annos et *aliquot ante annis.* I. 2, 4.
Anteire alicui aliqua re. I. 3, 5.
Ἀντίζυγες. I. 28, 68.
Ἅπαξ λεγόμενα. I. 40, 96.
Ἀποκαρτερῶν. I. 34, 84.
Aposiopesis. II. 14, 33. 22, 52. V. 39, 113. — *Ap. honesta.* III. 18, 43.
Applicare, reflexive. III. 19, 44. Forma *applicuerunt* pro applicav. V. 27, 77.
Appositio in: animus *meus cogitantis.* II. 4, 10. *Appositio* toti enuntiationi adiuncta per accusativum nominis. I. 43, 102. *Appositio*, a nomine suo disiuncta. IV. 2, 3. *Appositionis* exquisitior collocatio. V. 2, 5. *Appositio* nomini proprio praemissa. V. 32, 90. *Appositioni* numerus verbi accommodatus. I. 31, 77. *Appositio* nominis urbis c. praepos. iuncta, ut: Clazomenas, *in patriam.* I. 44, 104. *Appositio* subsequenti enuntiationi subiuncta. IV. 15, 34. *Appositio* partitiva aut distributiva attrahit praedicatum, ut: omnes *alius* alia *dixit.* IV. 24, 53.
Apte ferre. IV. 17, 38.
Aptus. Orator *aptus* ad dicendum. I. 3, 5. *Aptus* ex aliqua re. V. 12, 36.
Apud et *ad* Romam. IV. 22, 49.
Arcesso et *accerso.* IV. 1, 2.
Ardere de doloribus. II. 25, 61.
Argius et *Argivus.* I. 47, 113.
Arripere similitudinem. I. 46, 110.
Artes, doctrinae vel disciplinae. I. 1, 1.
Ἀρρωστήματα. IV. 10, 23.
Arx de capite. I. 10, 20.
Ascendere et *escendere* quid differant. I. 29, 71. *Ascendere in caelum* de summa felicitate. I. 46, 111.
Asiaticum genus dicendi. II. 1, 3.
Assequi et *nancisci* quid differant. I. 43, 103.
Asservare et *observare* permut. II. 9, 22.
Asservire, ἅπαξ λεγόμενον II. 24, 56.
Asyndeton in gradatione. II. 16, 37. *Asynd.*, quum nova disputatio instituitur. II. 21, 47. *Asynd.* in contrariorum iunctura. V. 39, 114. Cf. II. 2, 5. *Asynd.* in duob. coniunctis vocabulis. I. 4, 7.; in tribus aut pluribus coniunctis. V. 14, 41. *Asynd.* duorum adiectivorum uni substantivo subiunctor. II. 9, 21. V. 21, 61. *Asynd.* duarum enuntiationum. III. 15, 33.
At pro *atqui* inservit conclusioni per assumptionem. III. 7, 14.
At enim (ἀλλὰ γάρ). V. 16, 47.
Athletarum ἀναγκοφαγία II. 17, 40.
Atomi. I. 11, 22. 18, 42.
Atque (*ac*) quomodo differat a *que*, *et.* I. 40, 95. *Atque* (*ac*) vi auctiva (hebeti ingenio *atque* nullo). V. 15, 45.
Atque (*ac*) transitum ad rem novam notat. III. 13, 28. IV. 12, 27.
Atque (*ac*) in enumeratione quarto vocabulo additum. V. 14, 41.
Atque (*ac*) in assumptione pro *atqui* non dicitur. III. 7, 14.
Atque et *atqui.* III. 2, 4. in codd. confusa. III. 7, 14.
Atqui et *atque.* V. v. *atque.*
Atticum genus dicendi, *Asiaticum*, *Rhodium.* II. 1, 3.
Attractio modorum. I. 5, 9. 16, 37. II. 4, 12. V. 12, 35. *Attr.* temporum. V. 11, 33.

Attractio, qua pronomina et demonstrativa et relativa ad sequens substantivum accommodantur, quum in genitivo ponenda fuerint, ut: *haec pulchritudo* pro: harum rerum pulchritudo. I. 19, 45.
Attractio, qua subiectum secundariae enuntiationis fit obiectum primariae enuntiationis, ut: *nosti Marcellum, quam tardus sit*, pro: *quam tardus Marcellus sit*. I. 24, 56.
Attractio, qua casus nominis conformatione antecedentis enuntiationis quasi attrahitur et ad eam accommodatur. I. 24, 56.
Attractio, qua pronomen relativum genus suum non ad antecedentis, sed sequentis substantivi genus conformat. I. 10, 20. 24, 58. IV. 10, 23.
Attractio in: *his* dico *litteris*, pro *has* dico *litteras*, praecedentibus ablativis. V. 36, 105.
Attractio in: *te* suspicor iisdem rebus, quibus *me ipsum*, gravius commoveri. I. 17, 39.
Attractio, qua enuntiationis alia interpositione interruptae continuatio huius interpositionis formae adaptatur, ut: prudentes homines, *in quibus Gellius* canorum hunc oratorem fuisse *dicebat*, pro: in quibus Gellius fuit, dicebant. I. 30, 73.
Attractio, qua ad antecedentem interpositionem constructio enuntiationis secundariae, quae enuntiationis primariae rectioni subiecta esse debebat, accommodatur, ut: *confirmato illo, de quo*, si mortales animi sunt, *dubitare non possumus, quin omnis sensus intereat*, pro: omnem sensum interire. I. 36, 88. II. 2, 5. V. 13, 37. Cf. seq.
Attractio, qua enuntiatio *relativa* conformatur ad enuntiationem sibi subiectam. I. 34, 84.
Attractio in: hos se appellare sapientiae studiosos, id est enim *philosophos*. V. 3, 9.
Attractio, similis ei, quae dicitur *attractio inversa*. II. 16, 37.
Attractio, qua substantivum enuntiationis primariae enuntiationi relativae inseritur et in eodem casu, quo pronomen relativum est, ponitur, ut: Videamus, quanta sint, quae a philosophia *remedia* morbis animorum adhibeantur, pro: videamus, quanta sint remedia, quae a ph. adhib. IV. 27, 58.
Attributum alicuius rei relatum non ad alius rei attributum, sed ad rem ipsam, cui inhaeret attributum. V. *Comparat. compendiar.*
Audio, ubi quis alterius sententiam se probare simulat. II. 20, 46. *Audire* male, bene, ἀκούειν κακῶς, εὖ. V. 40, 116. *Audire ex, de, ab aliquo.* III. 14, 30.
Augustus et *sanctus*. V. 12, 37.
Aut et *ut* in codd. confusa. I. 22, 50. *Aut — aut* nonnunquam dicta videntur pro *partim — partim*. I. 1, 1. *Aut* semel positum. I. 3, 5. *Aut si — aut* pro: *si aut — aut*. I. 36, 87.
Autem in assumptione pro *atqui*. III. 7, 14.
Autem nonnunquam pro *enim* positum videtur. I. 2, 3.
Autem tertia sede positum. I. 27, 66.
Autem. *Sed* (*at*) — *autem* possitne dici. V. 18, 52.
Autem inservit transitioni, et saepe ita, ut sententiarum nexum interruptum repetat. I. 18, 42.
Autem saepe continuandi vim habet, ita quidem, ut interruptam orationem resumat. I. 21, 49.
Autem = *item, etiam, praeterea* cum oppositionis notione. I. 33, 80.
Autem inservit orationis gradationi indicandae, ut explicari possit per: *imprimis, demum*. IV. 2, 5.
Avelli hastam et *evelli*. IV. 11, 24.
Aveo audire, scire. I. 8, 16.

B.

Bacae saepe de quovis frugum genere dicitur. I. 28, 69.
Balbutire. V. 26, 74.
Barbaria de terra dr. V. 27, 77.
Barbaricus, Phrygius. I. 35, 85.
Beatum substantivi loco positum. V. 15, 45.
Bene plane magnus. II. 19, 44.
Bibere ministrare. I. 26, 65. *Aut bibat, aut abeat*, proverbialis locutio. V. 41, 118.
Bonus vir, ironice. III. 21, 50.
Βούλησις Stoicorum. IV. 6, 12.
Breviloquentia in: depellere de immortalitate. I. 32, 77.; efficere, ut mors malum non sit. I. 8, 16.; ita definit, ut perturbatio sit. IV. 21, 47.

C.

Cacophonia. V. Κακοφωνία.
Caecitas ad aliquid. III. 5, 11.
Caelata tecta. I. 35, 85.
Caelestum pro *caelestium* metri caussa. II. 9, 21.
Caelum. *In caelum adscendere* pro: *summam felicitatem nancisci*. I. 46, 111.
Caelum, atmosphaera nostra. I. 19, 43. — rerum universitas. I. 23, 54.
Caesura in soluta oratione. I. 1, 2.
Callum obducere. II. 15, 36.
Calx de circo. I. 8, 15. mascul. genere. Ibid. V. Scr.

Canere in epulis. I. 2, 3.
Canere receptui. III. 15, 33.
Cantharis. V. 40, 117.
Capi, allici. II. 12, 29.
Capite damnari. I. 22, 50.
Captus hominum. II. 27, 65.
Carere dolore, febri pro *vacare.* I. 36, 88.
Cascus, vetus. I. 12, 27.
Catus, acutus. I. 9, 18. *Catus* et *cautus.* II. 19, 45.
Caussa disserendi, thema. III. 3, 7.
Cautio (εὐλάβεια) Stoicorum. IV. 6, 13.
Cedere vita et *e vita.* I. 15, 35. V. Scr.
Celebrare, *celebritas*, *celeber* quid significent. I. 11, 28. V. 3, 9.
Celebrare coetus. I. 48, 115.
Cernere et *videre* quid differant. I. 20, 46. — *Cerni:* ipsum ex se cernitur. IV. 13, 29.
Certe et *certo.* I. 1, 2.; ironice. I. 32, 78. *Certe* (*wenigstens*) post primum vocab. enuntiationis positum. I. 31, 76. *Certe quidem.* V. 20, 60. *Certe* et *profecto.* I. 1, 2.
Cervi vivaces. III. 28, 68.
Cetera pro *et cetera.* IV. 31, 66.
Chiasmus. II. 4, 11. Cf. IV. 1, 1.
Chorus virtutum. V. 6, 13.
Chrysippus et *Stoici.* IV. 5, 9.
Cibarius panis. V. 34, 97.
Cieri motus. I. 10, 20.
Circumdare aliquid aliqua re, alicui rei aliquid. V. 20, 59.
Citare e memoria veteres solent aliorum dicta. I. 12, 28.
Citare pro *excitare.* III. 11, 24.
Citeriora, terrestria. V. 25, 71.
Citieus et *Cittieus.* V. 12, 34. V. Scr.
Citius dixerim. II. 20, 46.
Claudere, claudicare. V. 8, 22.
Clavo clavum eiicere. IV. 35, 75.
Clepsisse. II. 10, 23.
Clepsydra. II. 27, 67.
Cluet. II. 10, 23.
Coelestum pro Coelestium. II. 9, 21.
Coepi et *coeptus sum* cum infinitivo iuncta. I. 13, 29.
Coetus celebrare. I. 48, 115.
Cogitandi actio expressa verbis *motus.* V. 23, 66.
Cogitare, *ut* — quid differat a *cogitare* c. accus. cum infin. I. 15, 32.
Cognitio generis humani pro cogn. generis hum. conditionis III. 23, 57.
Cognoscere et *agnoscere* quid differant. I. 24, 58.
Cohaerere, consistere. III. 25, 61.
Cohibere c. infinitivo. III. 25, 60.
Collatio, notionum coniunctio. V. 30, 85.
Colligere, concludere per inductionem. IV. 24, 54. *Colligere multa vitia in aliquem* praegnanti significatione pro: *in aliquo.* IV. 37, 80.
Collocatio adiectivi, ad plura substantiva pertinentis. I. 4, 7.
Collocatio vocabulorum in clausula. I. 6, 11. I. 15, 35. II. 4, 12. III. 34, 83. *Coll. adverbiorum* in clausula. I. 15, 35.
Collocatio vocabuli *multo* cum comparativo iuncti. V. 36, 104.
Collocatio genitivi, ad duo substantiva pertinentis, post prius substantivum, ut: honor *disciplinae* et auctoritas. I. 16, 38. — *Coll. duorum genitivorum*, uni substantivo iunctorum. IV. 17, 40.
Collocatio coniunctionum, *ut*, *quoniam*, itemque *pronom. relativi* post id vocabulum, quod maiore vi efferendum est. I. 8, 16. *Coll.* coni. *enim*, *autem*, *igitur* v. h. v.
Collocatio pronominum *me*, *te* cett. in acc. c. inf. I. 8, 16. II. 14, 32.
Collocatio subiecti. V. *subiect.*
Collocatio appositionis (*Scythes* Anacharsis). V. 32, 90. *O vitae* philosophia *dux.* V. 2, 5. *gravis auctor* in Originibus dixit Cato. IV. 2, 3.
Collocatio verborum, ut: quamdiu *vixit*, *vixit* in luctu. III. 31, 75. — *Necesse est esse* (raro: *esse necesse est*). IV. 37, 80. — *Potest esse* (raro: *esse potest*). I. 46, 101.
Collocatio legitima in: *quam sim doctus* (non: *quam doctus sim*). II. 4, 10. — in: *quem tu quanti facias scio*, raro: *quem scio quanti tu facias.* I. 17, 39.
Collocatio in: *admiratus* fortunam *sum.* II. 13, 30.
Comitari cum dativo iunctum. V. 24, 68.
Commemini. I. 6, 13.
Commentarius. III. 22, 54.
Commentatio quid significet. I. 30, 74.
Committere sine accus. pro fidem habere. V. 19, 54.
Commutationes quadripartitae. I. 28, 68.
Comparatio compendiaria. I. 1, 2. III. 10, 23. Cf. V. 26, 73.
Compellere et *conferre.* V. 2, 5.
Compensare et *compensatio.* V. 33, 94.
Complere vitam beatam. V. 14, 41.
Complures et *plures* quid differant. I. 4, 7.
Composita verba nunquam pro simplicibus ponuntur. I. 16, 36. *Composita* verba cum simplicibus iuncta. II. 21, 50.
Con in compositis, ut *commeminisse*, *comminisci*, *cogitare* significat *secum.* I. 6, 13., ut *consequi* sign. *simul.* I. 16, 36., ut *condolescere*, *collaudare*, *conniti* sign. *vehementer.* I. 18, 41.
Concalefactus et *spirabilis.* I. 18, 42.
Concedendum est gementi pro *ut gemat.* II. 7, 19.
Concipere aliquid animo, mente cett. IV. 9, 21.

Concludere rationem. II. 12, 29.; *concl.* perfecta. V. 25, 72.
Concupitus adiective. IV. 15, 35.
Concurrere de pugna. I. 37, 89.
Conditionales enuntiationes duae iunctae. V. 9, 24.
Conditionalis enuntiatio, qua in protasi imperfect., in apodosi plusquamperf. ponitur. I. 12, 27. In protasi et apodosi coniunctivus praesentis. III. 29, 73. V. 35, 102. In protasi coniunctivus praesentis, in apodosi indic. futuri. Ibid.
Conditionalis enuntiationis loco saepe simplex enuntiatio ponitur. II. 12, 28.
Conditionalis enuntiationis singularis forma, qua in protasi praesens indicativi, in apodosi plusquamperfectum coniunctivi positum est. I. 25, 63.
Conditionalis praesentis vel perfecti, et imperfecti vel plusquamperfecti discrimen, ut *velim, voluerim; vellem, voluissem.* I. 27, 67.
Condocefacere = animum instituere. V. 31, 87.
Condolescere, vehementer dolere. I. 18, 41.
Confidens et *confidere* diversa significatione ponuntur. III. 7, 14.
Confidere et *timere* oppos. IV. 31, 66.
Confisio. IV. 37, 80.
Confiteri et *profiteri* quid differant. I. 8, 16.
Confundere, coniungere. I. 11, 23.
Confutare, reprimere, sedare. V. 31, 88.
Congruentes animi corporum doloribus. V. 1, 3.
Coniunctiones uni pluribusve vocabulis postpositae. I. 8, 16.
Coniunctivus et *indicativus* iuncti. II. 4, 12. III. 17, 36.
Coniunctivus verborum putandi, dicendi, similium in enuntiationibus secundariis. III. 22, 77.
Coniunctivus post *quicunque, quisquis* etc. I. 46, 110.
Coniunctivus in enuntiationibus secundariis, quae cohaerent c. infinitivo. I. 45, 108.
Coniunctivus per attractionem modorum positus. I. 19, 44. in Var. Scr. Quae qui *recordetur*, haud sane periculum est, ne non mortem optandam *putet.* V. 40, 118.
Coniunctivus concessivus. IV. 28, 60.
Coniunctivus imperfecti conditionaliter positus. V. 7, 19.
Coniunctivus, quum res ex alius mente indicatur. III. 4, 9 extr. V. 21, 62.
Coniunctivus praesentis et imperfecti in optatis. V. 22, 63.
Coniunctivus appellemus, nominemus, appelletur, cett., ubi voc. Latine versum nondum in communem consuetudinem abiit. IV. 6, 12.
Coniungere c. abl. iunctum. V. 33, 96.
Connivere somno. I. 49, 117.
Connixus per se. II. 21, 47.
Consecratus diis. III. 1, 1. Alicuius memoriâ et litteris consecratus. V. 4, 11. Consecratus sententiae. II. 2, 5.
Consectari, contentis viribus sectari. III. 2, 3.
Consecutio temporum. V. *Imperf.*
Consecutiva enuntiatio duplex per *ut.* IV. 20, 46. in Var. Scr.
Consenescere. V. v. *senescere.*
Consensus, pactum. I. 13, 30.
Consequi gravius, quam sequi. I. 16, 36. III. 27, 64. Dolor me *consequitur.* II. 12, 28.
Consequi et *nancisci* quid differant. I, 43, 103.
Consolationis liber Ciceronis. I. 26, 65.
Constabat pro *constat* positum vdtr. III. 27, 66.
Constanter, constare, constantia de philosophis. II. 2, 5.
Constantiae (εὐπάθειαι) Stoicorum. IV. 6, 14.
Constare, συνίστασθαι. I. 16, 37. *Nihil mihi constat, quod* (non *quid*) *agam.* IV. 15, 35.
Constituta Cicero non dixit pro *institutis.* IV. 1, 3.
Constitutus animo ac vita. II. 4, 11.
Constructio, semel inchoata, ad reliquam etiam orationem pertinet comprehenditque ea quoque, quae illi minus commode subiici possunt. I. 3, 5.
Consuetudo et *exercitatio* et *consuetudo exercitationis.* II. 17, 40.
Contemnere, despicere, pro nihilo habere iunguntur. III. 7, 15.
Conterere, contemnere. V. 30, 85.
Continuatur luctus. II. 16, 38.
Continens oratio. I. 8, 16.
Continet. Quod rem cont. III. 24, 58.
Contorquere verba. III. 26, 63.
Contortulus. III. 10, 22.
Contra c. acc. substantivi pro adiectivo. II. 3, 7.
Contractio animi. I. 37, 90. IV. 31, 66.
Contrahere cum aliquo. V. 36, 105.
Contumacia libera. I. 29, 71.
Copia, scientia, ingenium iuncta. I. 4, 7.
Copiam quaerere. V. 33, 94.
Cor pro animo. I. 9, 18. *Cor* et *animus* iuncta. IV. 9, 21.
Corculum. I. 9, 18.
Cordatus, sapiens. I. 9, 18.
Cornicibus vita longissima tribuitur. I. 31, 77. III. 28, 69.
Corona. I. 5, 10.
Corpora, elementa. I. 17, 40.

Corruptus minis aut blandimentis. V. 31, 87.
Cos fortitudinis. IV. 19, 43.
Crede mihi. I. 31, 75.
Credere, fidem habere. V. 20, 58.
Credo ironice, extra nexum orationis positum. I. 22, 52.
Credo urbane pro *sine dubio.* II. 11, 26.
Crispa abies. III. 19, 44.
Cubare de aegrotis. II. 25, 61.
Cuicuimodi est, sunt. III. 34, 83.
Cuius pro alicuius. V. 27, 78.
Culpa, hodie *malum morale.* III. 16, 34. *Culpae* vitia. III. 30, 73.
Cum c. abl. pro adiect., ut: mors *cum gloria* pro mors gloriosa. II. 3, 7. Animus *cum* re concidit pro animus et res. III. 18, 40.
Cum — tum. V. *Quum.*
Cumalata sunt officia. I. 45, 109.
Cunque ab pron. *qui* avulsum. II. 5, 15.
Cupiditas, ἐπιθυμία. I. 10, 20.
Cuppedia. IV. 11, 26.
Curae de studio litterarum. V. 24, 69. *Curae* mihi est *magnae, maiori, maximae.* I. 14, 31.
Currere per flammam. II. 26, 62.
Cygnorum in morte cantus. I. 30, 72. Cygni Apollini dicati. Ibid.
Cyrenaei et *Cyrenaici.* I. 43, 102.

D.

Dare, concedere. I. 11, 25. *Dare* se in (ad) aliquid. I. 4, 7. *Dare* et *dedere* se alicui rei. I. 30, 72. *Id* (*illud*) *dare, ut, ut ne* c. coni. I. 32, 78.
Dativus pro praepos. *a* cum ablat. II. 1, 2.
De pro *ex*, ut: illa *de Andromacha.* III. 22, 52. — *De aliquo accepimus*, (eum) *fuisse industrium.* V. 20, 57.
Debere et *decere* saepe permutantur. I. 14, 32.
Deberi. Tibi hoc video non posse deberi. II. 27, 67.
Debuerat pro debuisset. III. 22, 54.
Decantare. III. 22, 52.
Decedere. II. 25, 61.
Decere c. infinit. pass. I. 14, 32.
Decernere de philosopho. II. 4, 11.
Decerptus ex mente divina. V. 13, 38.
Decessio, deminutio bonorum. I. 46, 110.
Declamatio, exercitatio de philosophia disputandi. I. 4, 7.
Declamitare. I. 4, 7.
Decolor quid significet. II. 8, 20.
Decrepitus. I. 39, 94.
Decreta philosophorum. II. 4, 11.
Dedere se libidinibus gravius quam *dare.* I. 30, 72.
Dedocere. II. 25, 60.
Defensiones. I. 1, 1.
Defetigatio pro defat. III. 28, 67. V. Scr.
Definire, quomodo construatur. IV. 6, 11.
Defit, deficit. III. 19, 44.
Defluere ad elegantiora. I. 25, 62. — pro *sensim delabi.* V. 21, 62.
Deiicere. I. 8, 15.
Deiici de sententia. II. 5, 14.
Dein. IV. 5, 10. V. Scr.
Delectus et *dilectus.* II. 11, 26.
Deleti et *defleti* confusa. I. 35, 86.
Deliciae meae ironice. I. 31, 77.
Deligere et *eligere* quid differant. II. 1, 1.
Deminuere et *diminuere* quid differant. I. 28, 68.
Deminutivum cum deminutivo coniunctum. III. 1, 2.
Democritii, Democritei, Democritici. I. 34, 82.
Demonstrativa pron. omittuntur, sequente pronomine relativo. V. 7, 20. Saepe adduntur, etsi iam antecedit demonstrativum aut nomen. III. 8, 18. et (in enuntiationibus comparativis) IV. 14, 32.
Demum, *quantum demum.* V. 37, 107.
Denique, *tum denique.* I. 13, 29.
Depellere de immortalitate pro de immortalitatis opinione. I. 32, 77. *Depellere sibi* aliquid. III. 32, 77.
Deponentia passive. III. 14, 30.
Deprecari, precibus depellere. V. 19, 56.
Deprimere de lance dictum. V. 17, 51.
Deputare non Ciceronianum. III. 27, 65.
Descriptiones, formae geometricae. *Describere* de geometrarum figuris vel delineationibus. I. 17, 38.
Deserere, relinquere, derelinquere. II. 14, 33.
Desistere sententia et *de sent.* II. 12, 28.
Despicatio. IV. 11, 26.
Despicere, *contemnere*, *pro nihilo putare.* III. 7, 15.
Deus. Deis pro diis. IV. 34, 73.
Devocare et *evocare.* V. 4, 10.
Dicere, constituere. II. 27, 67. *Dicere* et *ducere* permutata. IV. 28, 61.
Dictata. II. 11, 26.
Dies, longinquitas temporis. III. 30, 74.
Dies deficiet et *dies deficiat.* V. 35, 102.
Differt impersonaliter. II. 15, 35.
Digito, leviter. V. 19, 55. *Digito* impellere ianuam. IV. 31, 67.
Dignus absolute positum. II. 5, 14.
Diiudicare inter sententias. I. 11, 23.
Dimittere fortunas. I. 6, 12. *Dimittere* aliquem in sermone. I. 31, 76.
Disciplina, prudentia rei militaris. I. 1, 2.
Disciplina rei publicae. I. 46, 110.
Dispicere quid significet. I. 19, 45.
Disputare aliquid. I. 11, 23. *ad aliquid.* III. 9, 19.
Disserere aliquid. I. 11, 23.
Dissolvere, refutare. III. 30, 73.
Distribute scribere. II. 3, 7.

Divinitus. IV. 1, 1.
Divisus, datus, distributus. II. 10, 23.
Doctus, epitheton Promethei. II. 10, 23.
Dolere et *maerere* quid differant. I. 13, 30.
Dolor (ἄλγος) et *labor* (πόνος). II. 15, 35.
Domestica vitia. I. 30, 72.
Domesticus et *forensis* opp. I. 34, 84.
Dominus gladiatorum. II. 17, 41.
Domus, domicilium animi. I. 11, 24. Forma *domui.* I. 22, 51. et V. Scr. V. 39, 113. Forma accus. plur. *domus.* V. 4, 10. *In domum* i. e. in familiam. V. 25, 72.
Dubitatio. Sine dubitat. III. 3, 5.
Dubito, an. IV. 22, 50.
Dubium. Sine dubio. III. 3, 5.
Dudum, modo, paullo ante. I. 31, 76.
Dum cum indic. praes. I. 42, 101.
Dum, imperativis additum. II. 19, 44.
Duo et *ambo* accusativus, aut *duos* et *ambos.* I. 46, 110.

E.

E et *i* in codd. confusa. II. 8, 20.
E et *ex* quid differant. I. 21, 48.
Ea reque. IV. 38, 83. V. Scr.
Ebullire de virtutibus. III. 18, 42.
Ecfari passive. II. 17, 39.
Ecfeminatus. II. 9, 21.
Ecferitas. II. 8, 20.
Ecferre. I. 19, 43. IV. 6, 12. V. Scr. Pro *vincere* dictum vdtr. IV. 29, 63. *Efferre*, sepelire. III. 28, 70. *Efferri* laetitia. IV. 15, 35.
Ecqui, ecquid. I. 8, 15. et Addenda ad h. l. *Ecquis.* III. 8, 16.
Eculeus, instrumentum. V. 5, 13.
Efferre. V. ecferre.
Efficere construitur et cum accusativo et infinitivo et cum coniunctione *ut* et coniunctivo. I. 31, 77.
Effingere. Tabula rem effingit pro res in tabula effingitur. I. 25, 61.
Effusio animi. I. 37, 90. IV. 31, 66.
Egone ut te interpellem? II. 18, 42.
Ei, eis, eidem, eisdem. IV. 36, 78.
Eiicere vocem. II. 24, 56. *Eiicere poëtas.* II. 11, 27. *Eiicere navi.* II. 27, 67. V. Scr.
Eiusmodi, absolute positum, nunquam pro *sic, ita, hoc modo* accipi potest. IV. 37, 80. V. Scr.
Elaborare et *laborare.* I. 1, 1.
Elatio animi. IV. 6, 13.
Eleganter, elegantia, elegans. I. 23, 55.
Elementa quattuor. I. 10, 22.
Elevare aegritudinem. III. 16, 34.
Elidere nervos virtutis. II. 11, 27. *elidere stirpes.* III. 34, 83.
Eligere et *deligere* quid differant. II. 1, 1.
Ellipsis in transitionibus frequens est, ut: *Sed quid poëtas?* I. 15, 34. *Sed id alias; nunc* etc. III. 5, 10. Ell. adverbiorum *interdum, nonnunquam.* IV. 12, 27. Ell. membri oppositi. IV. 31, 65. Ell. *subiecti* ex antecedenti vocabulo eliciendi. IV. 35, 74. V. Scr. Ell. *verbi* ex enuntiatione secundaria repetendi. I. 9, 18. 37, 90. Ell. verborum *iudicandi*, ut: tu, ut videtur, sc. iudica. I. 9, 17.
Elogia. I. 14, 31.
Eminens effigies. III. 2, 3.
Emori, gravius quam *mori.* I. 41, 97.
Enallage. V. Permutatio.
Ἐνδελέχεια. I. 10, 22.
Ἓν διὰ δυοῖν. V. Hendiadys.
Enim et *nam* iuncta quid differant. IV. 17, 37.
Enim saepe refertur ad sententiam mente supplendam. I. 6, 11. 31, 76. post interrogationem. IV. 26, 56. ad pronom. demonstrativum relatum explicandi vim habet. IV. 20, 45.
Enim omittitur, quum nova disputatio instituitur. II. 21, 47.
Enim tertia sede positum. I. 27, 66. *In ea est enim.* IV. 38, 84.
Enim intrusum. II. 11, 26.
Enim in evocatione et exhortatione. III. 11, 25.
Enim latet in pronominibus demonstr., ut *tantus, ita.* IV. 37, 79.
Enimvero cum secunda syllaba brevi. I. 44, 105.
Ἔννοιαι. I. 24, 57.
Ἐντελέχεια. I. 10, 22.
Enuntiatio λογικῶς primaria enuntiationi λογικῶς secundariae subiecta. II. 26, 62. *Enunt.* primaria pro conditionali enunt. posita. II. 12, 28. *Enunt.* secundaria fit primaria. III. 26, 63.
Epexegesis enuntiationis secundariae per alteram enunt. secundariam. V. 9, 24.
Epicurei et *Epicurii.* I. 34, 82.
Equuleus, instrumentum. V. 5, 13.
Erechtheus, non *Erichth.* I. 48, 116. V. Scr.
Ergo. Ubi sunt *ergo?* I. 6, 11. V. Scr.
Ergo in initio expositionis. IV. 7, 14.
Ergo et *igitur* in codd. confusa. IV. 7, 14.
Ergo cum futuro iunctum, sequente futuro. II. 17, 39.
Ergo post parenthesin ad recipiendam interruptam orationem. I. 7, 14.
Ergo pro *inde factum est, ut.* I. 2, 4.
Eripere sine dativo. IV. 31, 65.
Errantes stellae. I. 25, 62.
Error cursus. III. 2, 4. bonorum. V. 15, 45. *Errores* pravitatis. V. 27, 78.
Escendere et *ascendere* quid differant. I. 29, 71.
Escit, erit. III. 5, 11.
Ἐσωτερικοὶ et ἐξωτερικοὶ Pythagoreorum. IV. 2, 3.
Esse, Platonicum ὄντως εἶναι. I. 24, 58.

Esse potest raro ap. Cic.; plerumque *potest esse*. I. 46, 110.
Esse post verba existimandi et declarandi omissum. I. 6, 13. in conclusione saepe omissum. I. 5, 9. *Esset* (*essent*) omiss. I. 35, 86. 37, 90. *Est, sunt*, in conclusione saepe omissa. I. 5, 9. *Est, sunt* non omittuntur in enunt. relativa. III. 8, 18. V. Scr.
Esse in clausula cum vi quadam positum. V. 21, 62.
Esse ter repetitum exiguo verborum intervallo. III. 15, 32. Cf. *Repetitio*. *Esset — esset* brevi verborum intervallo repetitum I. 22, 52.
Est paucorum verborum intervallo iteratur cum vi quadam. I. 23, 54. V. 1, 2.
Esto, formula concedendi pro: *sit ita sane*. I. 43, 102.
Est ubi. V. 8, 23.
Et saepe ex *e* in codd. natum. V. 31, 87.
Et, ac (*atque*), *que* quid differant. I. 40, 95.
Et pro *etiam*. III. 13, 28.
Et transpositum. I. 31, 75.
Et post negationem. I. 2, 4.
Et = *et tamen*. I. 3, 6. 38, 92.
Et, in initio enuntiati positum, vim affirmandi (*profecto*) habet. I. 34, 82.
Et in assumptione pro *atqui*. III. 7, 14.
Et gradationem significat. I. 31, 76.
Et igitur — et ergo sibi respondent. V. 16, 47.
Et omittitur in enuntiatione negativa, antecedente enuntiatione affirmativa, ut: a gravibus illis philosophis medicina petenda est, *non* ab his voluptariis. III. 18, 40. omittitur in: *ceteri, alii, reliqui*, similibus. IV. 31, 66. omittitur, ubi post imperativum sequitur fut. (*confer, intelliges*). I. 22, 51.
Et, non sequente altero *et*. IV. 35, 74.
Et tertio aut quarto vocabulo additum, ubi dispar est verborum ratio. V. 14, 41.
Et pro *et quidem*. II. 7, 17.
Et et *ac* num colligendi et comprehendendi vim habeant. III. 34, 81.
Et et *que* ἀνακολούθως sibi respondent. I. 2, 4.
Et et *nec* (*neque*) se excipiunt. I. 4, 7.
Et quidem in respondendo. III. 20, 48.
Et vero, et profecto. II. 5, 13.
Etenim pro porro, praeterea. III. 9, 20.
Etiam in: *quomodo, quemadmodum, ut, sicut — sic etiam*. III. 17, 37.
Etsi c. vi corrigendi. V. 13, 38. *Etsi — sed*. I. 37, 90. *Etsi* et *si* in codd. confusa. II. 1, 2.
Euphemismus. *Si quid accidit* pro: *si moritur* et similia. I. 33, 104.
Eurola pro *Eurotas*. II. 15, 36.
Evelli et *avelli*. IV. 11, 24.
Eventum amittere. I. 35, 85. *Eventus* de tristi rerum exitu. I. 35, 85.
Evitari, vita privari. I. 35, 85.
Ex eo, quia pro: *ex eo, quod*. I. 18, 42. *Ex tempore*. V. 18, 51. *Ex quo* et *e quo* quid differant. I. 21, 48. *Ex quo* = ita ut. V. 6, 17. *Ex* c. abl. substantivi pro adiectivo. II. 3, 7.
Exacta aetas. I. 39, 93.
Exaggerare, exaggeratio. V. 18, 51.
Exanclare. I. 35, 86.
Exanimatus. IV. 8, 19.
Excelleo pro excello. II. 18, 43.
Excetra. II. 9, 22.
Excitati scholis. IV. 3, 5.
Exclamare maius. II. 24, 56.
Excors. I. 9, 18.
Excubare animo. IV. 17, 37.
Exercere pro vexare, agitare. V. 1, 3. *Exercitus* homo. II. 16, 38.
Exigere proprie de pecunia, mercede vel opera debita reddenda. I. 39, 93.
Exire ex potestate. III. 5, 11.
Exornare philosophiam. II. 14, 33.
Expectorare ex animo. IV. 8, 19.
Expeditis armis. II. 16, 37.
Experientia, pro exp. IV. 26, 56.
Explicatus (adiective) = planus. V. 30, 85.
Explicui, explicitus cett., formae Ciceroni inusitatae. V. 27, 77.
Expressa effigies. III. 2, 3.
Exsequi de exsequiis. I. 48, 115.
Exsistere, apparere. IV. 9, 21. *Exstitit dicens*. IV. 3, 6.
Exspecto, dum dicat. II. 7, 17.
Exstare, apparere. I. 33, 80. *Exstare litteris* sine *in*. I. 16, 38. in V. Scr.
Exstruere gravius pro *instruere* dictum. V. 21, 62.
Externa quid sint. V. 17, 51.
Extrinsecus religatus. III. 17, 37.

F.

Fabulam dare, docere, discere. I. 1, 3.
Fac, pone. II. 22, 52.
Facere, verbum aliorum verborum vicarium. IV. 14, 31.
Facere, ut v. c. disputemus, περιφραστικῶς pro *disputamus* dictum. V. 4, 11. *Facere* (= fingere) c. acc. et inf. IV. 16, 35.
Faces, a) dolores, b) incitamenta. II. 25, 61.
Facilitas, Anlage. IV. 12, 28.
Falsus sanguis. I. 16, 37.
Familia. V. 20, 58.
Fasti, calendarium. I. 28, 68.
Femen et *femur*. III. 26, 62. V. Scr.
Feminatus. II. 9, 21.
Fere, haec *fere*. I. 11, 22.; *non fere, ferme*. V. 38, 111.

Ferire de rebus inopinatis. III. 22, 52.
Ferre: si res *fert*, ita *fert*. I. 46, 110.
Ferri libidine. III. 2, 4. cf. IV. 15, 35. V. Scr. *Ferri ad aliquid*. III. 2, 3.
Ferrum recipere de gladiatoribus. II. 17, 41.
Fertilitas barbara. II. 15, 36.
Fidentia. IV. 37, 80.
Fidibus canere, discere, docere, scire. I. 2, 4.
Finis i. e. summum. II. 1, 3. *Fines* sc. bonorum et malorum. V. 29, 83.
Flagitia dicere. IV. 34, 73.
Flamma. *Per fl. currere*. II. 26, 26.
Flebiles modi. I. 44, 106.
Fletu funera facere. I. 15, 34.
Fluere mollitia. II. 22, 52.
Fodere et *fodicare* de dolore. II. 14, 33.
Forensis et *domesticus* opp. I. 34, 84.
Formidines. I. 16, 36.
Fortes fortuna adiuvat. II. 4, 11.
Forticulus. II. 19, 45.
Fortuitus quomodo pronuntiandum sit. I. 49, 118.
Fortunas alicuius laudare. V. 39, 115.
Fortunatum negotium. I. 35, 86.
Frangere auctoritate aliquem. I. 21, 49.
Fraus, fraudes de flagitiis dictum. I. 30, 72.
Frugalitas, frugi homines. III. 8, 16.
Frui officio possitne Latine dici. III. 16, 54.
Frustra, sine caussa. I. 10, 21.
Fugere aciem pro *effugere*. I. 22, 50.
Fugere et *refugere* quid differant. I. 24, 56.
Fundere inanes voces. V. 26, 73; *fundere* versus, carmen. I. 26, 64; *fundere* = parere, gignere. V. 13, 37.
Funera pro *funus*. I. 15, 34.
Fungi, ad munus fungendum. III. 7, 15.
Furor poëticus. I. 26, 64.
Futurum a Cicerone saepe pro praes. ponitur. I. 15, 35. c. ironia pro praes. I. 38, 91; ubi exspectamus impf. aut perf. I. 44, 105; de eventu. I. 22, 51.
Futurum duplex in conclusione, ut: *ergo* miles id facere *poterit*, vir sapiens non *poterit*. II. 19, 39.
Futurum in consecutione et conclusione. III. 7, 15.
Futurum in obiectione et leni obiurgatione. V. 32, 90.
Futurum loco imperativi positum. I. 12, 26.
Futurum exactum et in protasi, et in apodosi positum. I. 30, 73. *Fut. ex.* in apodosi post fut. in protasi. II. 26, 63.
Futurum exactum passivae formae Cicero per *ero* et *participium*, ut *nactus ero*, non per *fuero* format. II. 14, 32.
Futurum exactum futuri simplicis loco positum videtur, ut *videro*, *viderimus*. II. 11, 26.

G.

Gaudium (χαρά) Stoicorum, *gaud.* et *laetitia*. IV. 6, 13.
Genere, v. *genus*.
Generosus de stirpe nobilissima. II. 6, 16.
Genitivus in *um* pro *ium*, ut *Caelestum*. II. 9, 21. *Gigantum*, non *Gigantium*. II. 8, 20. V. Scr. *Liberum* pro liberorum. III. 24, 58. *Voluptatium*, *civitatium*. V. 27, 74. *Locupletum* et — *ium*. V. 20, 58. *Ganymedi, Socrati* etc. III. 10, 21.
Genitivus cum praeposit. saepe elliptice ponitur, ut: *de bonorum* etc. II. 27, 65.
Genitivus substantivi gravius pro *adiectivo* pr. (*mediocritas officiorum* pro *mediocribus officiis*). III. 1, 1.
Genitivus, a duobus substantivis pendens, potiori substantivo, quod primo loco positum est, postponi solet, ut: *honor disciplinae* et auctoritas. I. 16, 38.
Genitivus appositionis in: animus meus cogitantis. II. 4, 10.
Genitivus qualitativus pluralis inusitatus. V. 1, 2.
Genitivus definitivus, ut: bona gloriae, i. e. bona, quae in gloria consistunt. I. 45, 109.
Genitivi duo cum duplici relatione. II. 15, 35. Eorum collocatio. IV. 13, 31.
Genitivi duo, uni nomini iuncti. IV. 17, 40.
Gens. Maiorum, minorum *gentium*. I. 13, 29.
Gentilis Ciceronis. I. 16, 38.
Genus, genere, wesentlich. V. 8, 22. *Id, hoc genus* e verborum ordine explicandum. I. 1, 2.
Geometrica. I. 24, 57.
Gerundii forma in *undum*. III. 25, 60. V. Scr.
Gerundium pro gerundivo positum, ut: studium aeternitatis *imitandi* pro studium aeternitatis imitandae. V. 25, 70.
Gerundium saepe passive positum videtur, ut principium *movendi*. I. 23, 53.
Gerundium cum praepositione iunctum, ut *de nihil sentiendo*. I. 43, 102. V. Scr.
Gerundivum num significet id, quod potest fieri. I. 1, 2.
Gestiens, sich gebärdend. IV. 6, 13.
Gignere pro *parere*. I. 42, 102.
Globus terrae. I. 28, 68.
Gloriandus, praedicandus. V. 17, 49.
Gloriari in aliqua re. I. 21, 48.
Glossema Ciceroni illatum. I. 1, 3. I. 42, 101.
Gradus de palaestra. Sic *gradu depel-*

tere, *deiicere*, *deturbare*, *in gradum reponi*. II. 5, 14.
Graeca declinatio nominum propriorum. V. vv. *Nominativus*, *Accus.*, *Gen.*
Graeca historia = historia Romana Graece scripta. V. 38, 112.
Graeca nomina propria pro Latinis, ut Μένων pro *Meno*. I. 24, 57.
Graeci homines contemptim. II. 27, 65.
Graeculum negotium. I. 35, 86.
Grandiloqui Stoici. V. 31, 89.
Gratuitus quomodo pronuntiandum sit. I. 49, 118.
Grave carmen. I. 25, 64.
Gravitas corporis. III. 1, 1.
Gymnosophistae. V. 27, 77.

H.

Habere pro se habere. V. 31, 89. *Habeo, quod dicam — quid d.* III. 18, 41. *Habere* dubitationem etc. pro coniunctum esse cum aliqua re. III. 13, 27. IV. 36, 77: *habere* malum. I. 8, 15. Nisi quid *habes* ad haec. I. 23, 55.
Habitabiles terrae regiones. I. 20, 46.
Habitare cum aliqua re. III. 34, 83.
Haec, *haecine*, v. *hic*.
Harmonia de animo. I. 10, 20.
Haud et *non* quid differant. V. 8, 23. cf. 12, 35. *Haud ita* et *non ita*. Ibid. *Haud placere*. II. 1, 1. *Haud dubie* nunquam significat i. q. sine dubio. III. 3, 5. *Haud erat sane* pro fuisset. III. 1, 2. *Haud scio, an*. III. 8, 16. *Haud sciam, an*. III. 23, 55.
Haurire de doloribus et calamitatibus, quas quis subit. I. 35, 86.
Hebes ad aliquid, *hebetare aciem ad aliquid*. III. 5, 11. — *Hebetare* num Ciceronianum sit. III. 15, 32.
Hector, *Hectŏris* pro: *Hectŏris*. I. 44, 105.
Hedychrum. III. 19, 46.
Hei et *heu*. IV. 34, 73. V. Scr.
Hendiadys, ut: *varietas et natura sonorum* pro: varia sonorum natura. II. 4, 12.
Heu et *hei*, v. *hei*.
Hic, *haec*, *hoc*. Forma femin. plur. *haec*. I. 11, 22. in V. Scr. III. 34, 84. in V. Scr. — *Haecine*. III. 4, 8. — *Haec*, neutr. pl., post substantiva femin. III. 4, 7.
Hic, *haec*, *hoc*. *Haec pulchritudo* per attractionem pro: harum rerum pulchritudo. I. 19, 45.
Hic, *haec*, *hoc* de rebus praeteritis. V. 2, 5.
Hic, *haec*, *hoc* in initio sententiae pro *hic*, *haec*, *hoc autem*. III. 34, 84.
Hic, *haec*, *hoc* δεικτικῶς. I. 31, 76.
Hic et *ille* in oppositione saepe ita ponuntur, ut *hic* non ad propiorem, sed ad maiorem rem, *ille* non ad remotiorem, sed minorem respiciat. I. 49, 117.
Hic. *Huius hanc* sententiam. I. 32, 79.
Hic, *haec*, *hoc* respondent antecedentibus *is*, *ea*, *id*. V. 8, 23.
Hic in: qualis est *haec* aurium (sc. voluptas). IV. 9, 20.
Hic, *hi*, *his* etc. saepe male leguntur in Edd. pro *ii*, *iis* etc. I. 3, 5.
Historia, rerum indagatio, disquisitio, ἱστορία. I. 45, 108.
Hoc ipsum, id, in quo disputationis cardo versatur. I. 29, 71. *Hoc ipsum* infinitivo praemissum. I. 39, 93.
Homines et *omnes* saepe confusa. I. 14, 32. V. Scr. IV. 20, 45. V. Scr.
Homo κατ' ἐξοχὴν de eo dicitur, qui sapientiae praeceptis imbutus est. III. 27, 77. *Homo* est pro humano sensu praeditus. II. 17, 39. *Homo* pro *is*. I. 21, 49. Graeci *homines*. II. 27, 65.
Honorarius arbiter. V. 41, 120.
Honoratus. I. 35, 85.
Honos alit artes. I. 2, 4.
Humane ferre. II. 27, 65. III. 16, 34.
Humanum vitium. I. 30, 72.
Humatio et *sepultura*. I. 43, 102.
Hydraulus. III. 18, 43.
Hypallage, ut *vis corusca fulminis* pro *vis corusci fulminis*. II. 8, 20.
Hyperbaton. V. *Transpositio*.
Hypotheticae enuntiationes. V. v. *Conditionales*.

I.

I et *e* in codd. confusa. II. 8, 20.
Iacere de rebus neglectis. I. 2, 4.
Iacere de iis, qui maerore, desperatione fracti sunt. II. 13, 32. *Iacens* = afflictus. IV. 16, 35.
Iactare se prae dolore. II. 19, 45.
Iam et *nunc*. IV. 12, 27.
Iam, δή, inservit transitioni. I. 1, 2.
Iam, ἤδη, significat ἐνεργητικὸν ex antecedentibus transitum et non exspectatam ab altero conclusionem. I. 6, 12.
Iam, ἤδη, δή, ohne Weiteres, tum certe, sine dubio. I. 41, 98.
Iam gradationis vim habet = *quin etiam*, *atque etiam*. II. 10, 24.
Iambici tetrametrici acatalecti male a Bentleio in trochaicos tetrametros catalecticos mutati. II. 16, 38.
Ibidem = in eadem re, eodem tempore. V. 40, 117.
Id abundanter positum, praegresso *illud*. I. 32, 78. *Id est* saepius post rem novam adiungit rem notam vel commemoratam. I. 31, 75. Latinae interpretationi subiungit Graeca. Ibid. et III. 27, 65. pro: nihil aliud est, quam. III. 13, 27. *Id est enim*. V. 3, 9. *Id*

quidem, ut: *absurdum id quidem*. I. 25, 61. *Id quod* pro simplici *quod* non ponitur. II. 6, 16. *Id ipsum* infinitivo praemiss. I. 39, 93.
Idcirco postpositum. I. 32, 78.
Idem pro: *is idem*, *is item*. I. 20, 46. Cf. II. 22, 52. pro *idem tamen*. II. 27, 65. *Idem ipse* et *idem iste*. I. 17, 40. in V. Scr. *Qui idem*. IV. 36, 77.
Igitur in enuntiationis initio positum. I. 6, 11. tertia sede pos. I. 27, 66. (Cf. I. 6, 12.). quarta sede pos. I. 14, 32. 29, 71. 34, 82. quinta sede pos. V. 23, 66. post parenthesin. IV. 15, 34. (Cf. *ergo*). inservit orationi ingrediendae. I. 9, 18. ad sententiam mente supplendam refertur. IV. 31, 65.
Ignes adhibere pro: faces admovere. III. 16, 35.
Igniculi, ut: virtutum. III. 1, 2.
Ignoratio alicuius rei. I. 16, 36.
Ille collective. V. 27, 78. *Ille* δεικτικῶς de re insigni et illustri. Ibid. *Ille ipse* et *ipse ille*. II. 3, 7. *Ille* cum oppositione pro *sed ille* positum. I. 34, 83. *Ille* et *hic* in oppos. V. vv. *Hic — ille*. — *Ille* in oppos. ex abundantia quadam, sed cum vi additum (ingeniosi, ut —, sic *illi*). IV. 14, 32. *Ille* pro *hic* ad proximum relatum. II. 21, 49. *Ille quidem — sed*, ut: vir optimus *ille quidem*, *sed* non satis acutus. I. 3, 6.
Illidere vulnus manu. III. 31, 76.
Imbecillis, forma non Cicer. IV. 7, 15.
Imitari, exprimere. I. 25, 63.
Imperativus pro enuntiatione conditionali positus, sequente futuro. I. 22, 51.
Imperfectum coniunctivi in protasi conditionali, sequente *plusquamperfecto coniunctivi* in apodosi. I. 12, 27.
Imperfectum coniunctivi post *ut*, ubi exspectes praesens. I. 4, 7.
Imperfectum coniunctivi post praesens, in quo inest vis praeteriti. III. 26, 63.; post praes. per attractionem. V. 4, 33.
Imperfect. et *plusqpf. coniunctivi* in orationis obliquae enuntiationibus secundariis, praegresso tempore praeterito, licet sententia communis proferatur. I. 1, 1.
Imperfect. et *plusqpf. coniunctivi conditionale* post praesens. V. 33, 96.
Imperfect. et *plusqpf. coniunctivi* post *quum* quid differant. I. 2, 4.
Imperfect. et *plusqpf. coniunctivi* in enuntiationibus secundariis, quae cohaerent cum enuntiatione conditionali, pro praes. et perf. indic. I. 5, 9. et 25, 60, ubi praes. coniunctivi pro imperf. positum est.
Imperfect. coniunctivi et *plusqpf. coniunctivi* quid differant a *praesente* et *perfecto coniunctivi*, ut: vellem, voluissem; velim, voluerim. I. 27, 67. in optatis. V. 22, 63.
Imperfectum excipitur *perfecto*, aut contrario modo. I. 2, 4. I. 30, 72. I. 35, 86.
Imperfectum constabat pro praes. positum vdtr. III. 27, 66.
Imperfectum in sententia generali. II. 18, 43.
Imperia, honoribus opposita, sunt imperia militaria. III. 2, 3.
Impotens laetitia. V. 7, 17.
Imprimis, non *inprimis*. I. 48, 116.
Imprimitur animus. I. 25, 61.
In omittitur in: *totâ terrâ*, *totis castris*, additur in: *in tota vita*. IV. 13, 29. *Media urbe* et *in media urbe*. V. 35, 102.
In aliqua re gloriari, angi. I. 21, 48. *In vulnere*, *morbo* lamentari. II. 21, 49. *In aliquo* potestatem habere, potestate uti. I. 35, 85. *In aliqua re vexari, laudari, admirari* pro *propter*. V. 9, 24. *In die*. V. 35, 100. *In* c. abl. pro gen., ut *in eadem sententia* esse. I. 39, 94. *In aliquem* pro in alicuius laudem. I. 42, 101. *In vulgus commendatio*. V. 36, 103. *In vita* hominum afferre pro *in vitam*. III. 11, 25. *In epulis canere*. I. 2. init. *In sermone* aliquem dimittere. I. 31, 76. *In studio est*. II. 15, 36. *In vitio, in laude, in opinione*, *in malo esse*. III. 9, 19. Aliquid dicitur *in homine*. III. 26, 62. *In diem vivere*. V. 11, 33. *In primis*. I. 48, 116. *In viola aut in rosa* pro violis aut rosis circumfusus. V. 26, 73. *Inque* ea urbe pro in eaque u. III. 12, 27.
Inanes sonos fundere. V. 26, 73.
Incensa cognitionis cupiditate philosophia. I. 19, 45.
Inclinare intransitive. IV. 22, 52.
Incurviscere, *incurvescere*. I. 28, 69.
Indicare et *iudicare* confusa. V. 21, 61.
Indicativus pro nostrae linguae coniunctivo in: *longum*, *difficile*, *satis*, *par*, *rectum*, *aequum*, *melius*, *aequius* etc. *est*, *erat*, *fuit*, *fuerat*, porro in verbis *posse*, *debere*, *oportere*, *necesse esse*, *decere*, denique in participio futuri passivi. I. 49, 116.
Indicativus in: nemo est, quem non *attingit* dolor. III. 25, 59.
Indicativus in oratione obliqua. I. 1, 1.
Indicativus in: *quisquis*, *qualiscunque*, *utcunque est* etc. I. 46, 110.
Indicativus in interrogatione quae dr. obliqua. V. 41, 121. *Indic.* praesentis in interrog., ubi exspectes coniunctivum. IV. 25, 55.
Indicativus perfecti v. *Perfect.* indic.
Indignus, non meritus, ut. IV. 20, 46.
Inducere animum. V. 10, 30. *Inducitur*

sermo ab exordio num dici possit. II. 4, 10.
Inductio animi. II. 13, 31.
Inesse in aliquo, raro *alicui.* I. 19, 44.
Inferior ambulatio. IV. 4, 7.
Inflammata anima. I. 18, 42.
Infligere et *infigere* vulnus. II. 8, 20.
Infractio. III. 7, 14.
Inhaerere aliqua re. II. 3, 20.
Initio et *in initio.* II. 13, 31.
Inquirere gravius pro *quaerere.* III. 2, 3.
Inquit pleonastice additum. V. 36, 105. repetitum. III. 6, 12. in diverbio omiss. I. 44, 104. *Inquit* scilicet adversarius vel aliquis, formula, quum quid sibi opponi fingunt scriptores. I. 39, 93. Cf. Addenda ad I. 14, 31.
Insania et *stultitia* e Stoicorum mente eaedem. III. 5, 11.
Inscribere sc. nomen. I. 15, 34. Cf. Addenda ad h. l. *Inscribitur* statua pro in statua. I. 25. 61.
Insidere in animo. II. 4, 11.
Insinuare et *se insinuare.* V. 12, 34.
Instans, praesens. IV. 6, 11.
Institiones planetarum. I. 25, 62.
Instituta et *artes; instituta* et *praecepta.* V. 4, 10.
Integrum est, ut. V. 21, 64.
Intemperanter abuti otio. I. 3, 6.
Inter repetitum. IV. 14, 32.
Interrogatio sine particula interrogativa inducta. V. 9, 25.
Intervalla sonorum. I. 18, 41.
Intervenit fortuna exigua. V. 9, 26.
Intimo odio et corde num dici possit. IV. 9, 21.
Intorquere contumelias. III. 26, 63.
Inutile putare. I. 46, 111.
Invenire et *reperire* quid differant. I. 47, 113. *Invenire* nomen. IV. 22, 49.
Inventio deorum pro diis inventoribus. III. 1, 1.
Inversus ordo verborum, ut *incommoda* et *commoda.* IV. 31, 65.
Invidentia. III. 9, 20. IV. 8, 17.
Invidere c. accus. iunctum. III. 9, 20.
Invitare ad se miseriam. III. 30, 73.
Ipse: memet ipsum vitupero, non *memet ipse* vitupero. II. 21, 47.
Ipse sibi, *ipse se* etc. et *sibi ipsi*, *se ipsum* etc. quid differant. I. 30, 73. *Se ipsum ipse* videt. I. 27, 67. *Sese ipse* num ap. Cic. legatur. Ibid.
Ipse pro *aliquis ipse*, ut: sermo intimus, quum *ipse* secum loquitur. I. 38, 92.
Ipsum. Id ipsum, *hoc ipsum*, sequente acc. c. inf. I. 39, 93. V. Scr.
Ira, θυμός. I. 10, 20.
Ira et *iracundia* quid differant. IV. 19, 43.
Is syllaba in terminatione vocabulorum in versibus saepe *i* pronuntianda. I. 9, 18.
Is et *hic* quid differant. I. 3, 5.
Is praepositioni rarius praemittitur, ut *ea de re* pro *de ea re.* V. 1, 1.
Is substantivo praemittitur, ut id explicationis caussa additum videatur, ut *ea* quae est nominata Argo. I. 3, 5.
Is pro *is*, *qui* (quum *ea caussa impulerit* pro *ea fuerit caussa*, *quae*). V. 1, 2.
Is quidem — sed, ut: est *ea quidem* utilior, *sed* raro proficit. I. 3, 6.
Is, *qui* pro *eum dico*, *qui.* IV. 1, 2.
Is cum vi repetitum. V. v. *Repetitio.*
Istim, istinc. III. 12, 26.
Ita praeparat ad sequentia. III. 18, 41.
Ita pro hactenus, hac ratione v. conditione, *insofern*, sequente *quum*, *si*, *ut.* IV. 38, 82.
Ita etiam. V. v. *sic etiam.*
Ita fit, formula concludendi. II. 6, 16.
Itaque pro *et ita.* I. 30, 72. inservit adnectendae orationi. II. 25, 61.
Item: ut — item. V. 3, 9.
Iteratio eiusdem vocab. V. Repetitio.
Iudicare et *indicare* permixta. V. 20, 61.
Iudicatio. IV. 11, 26.
Iudicium, recta bonorum existimatio. I. 46, 110.
Iugulum dare de gladiatoribus d. II. 14, 33.
Iungere c. ablat. iunctum. V. 33, 96.
-ius et *-eus* terminatio. IV. 32, 68.
Ius. Iure = necessario. III. 15, 31.
Ius nigrum Laconum. V. 34, 98.

K.

Κακοφωνία ex parium syllabarum in terminationibus repetitione orta. I. 37, 90.

L.

Labor et *dolor.* II. 15, 35.
Laborare, anxie studioseque defendere sententiam. III. 21, 50.
Labores lunae. I. 38, 92.
Lacunar, *laquearia*, *laqueata* tecta. I. 35, 85.
Laetificus. V. v. *Adiectiva.*
Languens consul. IV. 23, 51.
Lapsio. IV. 11, 26.
Laqueata tecta. I. 35, 85.
Laquei, fallaces conclusiunculae. V. 27, 76.
Laudare alicuius fortunas. V. 39, 115.
Laudari a laudato viro. IV. 31, 67.
Laus, res laudabilis. II. 2, 5.
Laus oratoria, *imperatoria.* I. 3, 5.
Lautius aliquid tueri. I. 1, 2.
Lectum pro *lectus.* II. 14, 33.
Legere, recitare. V. 39, 113.
Lenis et *levis.* V. *levis* et *lenis.*
Lentitudo. IV. 19, 43.
Lessus. II. 23, 55.
Levis non *laevis.* I. 11, 22. *Levis* et *lenis*, in codd. confusa, quid differant.

I. 40, 95. *Levis* dolor, *levitas* doloris. V. 31, 88.
Lex summa = ratio. IV. 24, 53.
Liber. I. 24, 57.
Liberaliter eruditus, *liberalis* doctrina. II. 2, 6.
Liberum pro liberorum. III. 24, 58.
Libet pro: libidine aliqua agitari. IV. 19, 44.
Licet c. acc. et inf. I. 38, 91.
Linguae ortus. I. 25, 62.
Lippitudo. IV. 37, 81.
Liquefacere, liquefieri de voluptatibus. V. 6, 16.
Litterae ea, quae de aliqua re scripta sunt. I. 1, 1.
Lividus, *livor* Ciceroni inusitata videntur. IV. 12, 28.
Loco pro *suo, apto loco*. II. 11, 26. *Loco* demovere, depellere. II. 5, 14.
Locupletum et *locupletium* genitivus pluralis. V. 20, 58.
Longe retro ponere, longe posthabere. V. 31, 87.
Ludi sc. publici. V. 35, 102.
Lumen litterarum. I. 3, 5.
Lustrare, sustinere. II. 9, 92.
Lusus syllabarum similiter sonantium Ciceronis proprius. I. 30, 73. V. Scr. *Lusus* verborum. IV. 31, 67.

M.

Macte virtute. I. 17, 40.
Maerere, *maeror* et *dolere*, *dolor* quid differant. I. 13, 30. *Maerere* c. acc. et abl. I. 44, 105.
Magno aestimare. III. 4, 8.
Magno opere et *magnopere*. V. 9, 24.
Magnum est pro: difficile est. I. 49, 116.
Maiorum gentium Dii. I. 13, 29.
Malis mandare, absumere. IV. 36, 77.
Malitia. IV. 15, 34.
Malitiosus, callidus, vafer. III. 21, 50.
Malle cum simplici accusativo iunctum pro accusativo cum infinitivo. V. 23, 66. *Malo non* roges. I. 8, 17.
Mandare pro immittere. II. 16, 38. *Mandare malis* pro mandere. IV. 36, 77.
Μανία unde ducendum sit. III. 5, 11.
Manus. *In manibus habere rem*. V. 7, 18.
Maturitas frugum, Zeitigung. I. 28, 68.
Meas monosyllabum. I. 44, 106.
Mediocritates, mediocres status. III. 10, 22.
Mediocriter doctus. II. 3, 7.
Meditatio et *meditari* quid significent. III. 16, 34.
Meditatus passive. III. 14, 30.
Melancholici omnes ingeniosi. I. 30, 80.
Melius et *lautius*. I. 1, 2.
Melius esse factum pro convalescere. I. 35, 86.
Memoria duplici significatione dictum. I. 24, 59. *Memoria*, id quod alicuius rei memoriam conservat. V. 4, 11. *Memoria* et *recordatio*. V. 31, 88.
Mercatus, πανήγυρις. V. 3, 9.
Merces. *Sine mercede*, incommodo. III. 6, 12.
Metaphora eadem alio loco aptissima, alio loco ineptissima. I. 15, 34.
Metonymia, ut *tropaeum* pro *victoria*; *odores* pro *suffimentis*. I. 46, 110.
Mihi crede et *crede mihi*. I. 31, 75.
Milia, non *millia*. I. 5, 9. V. Scr.
Ministrare, serviren. I. 26, 65.
Mirari et *admirari*. IV. 1, 1.
Miratio. V. 3, 8.
Miscere malum. IV. 36, 77.
Miserum substantive. I. 5, 9. 8, 15.
Μισογύνης. IV. 11, 25.
Moderator sol. I. 28, 68.
Modi in musicis. I. 44, 106.
Momenta, motus s. motus leges. I. 17, 40.
Monstra dicere. IV. 24, 54.
Mora (μόρα). II. 16, 37.
Moratus. II. 4, 11.
Morbus et genus et speciem significat. IV. 11, 24.
Mori et *mors* quid differant. I. 8, 15. Quum *moreretur* = morti vicinus esset. I. 43, 104.
Morosus. IV. 24, 54.
Mors: *in morte* carere non dicitur. I. 36, 88.
Motus de animo. I. 10, 20. 27, 67.
Motus et *numeri* stellarum. V. 4, 10.
Moventia, *Triebfedern*. V. 24, 68.
Movere loco de palaestra. II. 5, 14. *moveri*, affici. IV. 6, 13.
Multi et magni viri pro multi magni viri. II. 6, 15.
Multo, adverbium, comparativo iunctum, quam sedem occupare possit. V. 36, 104.
Multus fluit. II. 14, 34.
Mundanus. V. 37, 108.
Mundi origo. I. 28, 70.
Munus quid significet. I. 28, 70.
Munus, a natura datum (*Bestimmung*). V. 13, 38.
Munus virtutis. I. 45, 109.
Musica, *-orum*. I. 24, 57.
Mutuatio quid significet. I. 42, 100.
Mutum resonare. II. 14, 33.
Mysteria. I. 13, 29. *Myst. rhetorum*. IV. 25, 55.

N.

Nae cum pronom. iungi solet. I. 30, 74.
Nam in praeteritione. IV. 23, 52.
Nam et *enim*, ad demonstrativum relata, explicandi vim habent. IV. 20, 45.
Nam vel *enim* latet in pronominibus demonstr., ut *tantus*. IV. 37, 79.

Nam et *enim* iuncta quid differant. IV. 17, 37.
Nam et *iam* permutata. IV. 17, 37. V. Scr.
Nam quod aiunt (*dicunt*) pro: nam quod attinet ad id, quod aiunt. III. 30, 73.
Nancisci, nanctus. III. 12, 26. in V. Scr.; *nancisci* et *assequi* v. *consequi* quid differant. I. 43, 103.
Narrare male, bene, probe. I. 6, 10.
Nasci ab aliquo. III. 17, 37.
Nasturtium. V. 34, 99.
Natura, γένεσις, generatio. I. 23, 54. Uti natura fert. III. 13, 28. *Natura* et *vis* iunctae. I. 24, 59. *Naturae*, elementa. I. 27, 66.
Natus mortalis. III. 17, 36.
Ne c. coniunctivo perf. pro imper., ut *ne timueritis* pro: ne timete. I. 41, 98.
Ne coniunctio post verba *volendi.* I. 8, 17.
Ne, vi concessiva dictum (*gesetzt auch nicht*). II. 5, 14.
Ne, particula interrogativa, in altero demum interrogationis membro. I. 7, 14. 25, 60. — pro *nonne* et *num* positum vdtr. II. 11, 26.
Ne pro *ne — quidem* a Cicerone non dicitur. I. 29, 71.
Ne unquam, ne quisquam, ne usquam et *ne quando, ne quis, necubi* quid differant. III. 34, 84.
Ne — quidem Latine dicitur pro *etiam non* I. 6, 11. *Ne — quidem igitur.* I. 29, 71. *Ne — quidem —, non modo* pro: non modo —, sed ne — quidem. I. 38, 92.
Ne et *ve* in interrog. I. 25, 60.
Nec ap. Cic. non dicitur pro *ne — quidem.* I. 26, 65. *Nec — et* se excipiunt. I. 4, 7. Post *nec* mutatur structura. IV. 27, 59.
Necne in directa interrog. III. 18, 41.
Nec non. I. 2, 3.
Necopinans, necopinatus, necopinus. III. 13, 28.
Nec — que se excipiunt. I. 4, 7. 29, 71.
Nec quicquam aliud asseverandi vi interiecta. I. 31, 75.
Nec — quidem non dicitur. I. 23, 54.
Nec vero (*und wirklich nicht*) praeter transitum etiam gradationem significant. IV. 2, 4.
Necesse est esse. IV. 37, 80.
Negatio verborum *ne — quidem* vim negativam in enuntiationem secundariam spargere potest. I. 26, 64.
Negationes: non, nihil, nullus, nondum iunctae cum *quam, tam, adeo, ita.* IV. 35, 74.
Negotium ineptum, Graeculum, fortunatum. I. 35, 86.
Νεκρομαντεῖα (facere). I. 16, 37.
Νεκυία. I. 16, 37.
Nemo declinatum. V. 22, 63. *Nemo* et *nullus* quid differant. Ibid. *Nemo* pro *ne quis.* V. 36, 105.
Nempe, particula ironica. I. 21, 48. III. 20, 49. in interrogatione. V. 5, 12.
Nequam ductum ex *nequidquam.* III. 8, 18.
Neque pro *nec vero, nec tamen.* I. 24, 58.
Neque — et se excipiunt. I. 4, 7.
Nequicquam, frustra. III. 25, 59.
Nescio an. III. 8, 16. IV. 22, 50. *Nescio, ecquid.* III. 8, 16. *Nescio quomodo*, formula dolentis. I. 11, 24.
Neutra, ἀδιάφορα, Stoicorum. IV. 12, 28. II. 12, 29.
Neutrum: ut *mors* est *miserum.* I. 8, 15. *Turpitudo* est *peius.* II. 13, 31.
Neutrum pronominis demonstrativi praemittitur, nulla ratione habita generis nominis subsequentis. I. 34, 83. *Neutrum pronominis* vices sustinet antecedentis adiectivi masc. aut feminini, ut: misericordes aut invidi, aut *tale quid.* V. 40, 116.
Neutrum numeri pluralis pronominum post substantiva masculini aut feminini generis ponitur, quum et res quae dicuntur impersonales notant, et non solum res dictae, sed universum earum genus intelligendum est. III. 4, 7.
Nidor. III. 12, 26.
Nihil de personis. I. 2, 5. *Nihil* num pro *nihili* dici possit. III. 8, 18. Cf. Addenda ad I. 8, 15. *Nihil hominis* est aliquis. III. 27, 77. *Nihil*, nullo modo. IV. 15, 35. *Nihil nimis.* I. 32, 78. *Nihil aliud* asseveranter interiecta. I. 31, 75.
Nimirum, particula ironica. I. 22, 52.
Nimis. Non (*nihil*) *nimis.* I. 32, 78.
Nisi enim intelligere *non possumus* = *si — possumus.* I. 22, 51. *Nisi forte*, ironice. IV. 23, 51. *Nisi si.* III. 18, 42.
Nitescit caelum. I. 28, 69.
Noctes et dies pro *dies et noct.* V. 25, 70.
Nolle cum simplici accusativo iunctum pro acc. c. inf. V. 23, 66.
Nomina utrum φύσει an θέσει rebus imposita sint. I. 25, 62.
Nominativus primae decl. cum Graeca terminatione, ut *Semele*, non Ciceronianus. I. 12, 28. — c. Lat. termin. *Eurota.* II. 15, 36. — Nom. in *o* et *on* (*Solo, Xenophon*). I. 47, 113.
Nominativus c. inf. transit in *accus. c. inf.* V. 8, 22.
Non in interrogatione duplici vi ponitur. I. 8, 16. *Non* post verba voluntatis. I. 8, 17. *Non* collocat. in: *non* evenire potest pro: ev. non pot. III. 14, 30.
Non fere, non ferme, non facile. V. 38, 111.
Non ita. V. 8, 23.

Non item. III. 5, 11.
Non magis, quam non. I. 17, 41.
Non modo, sed. I. 37, 89. *Non* beata vita, *non modo* beatissima. V. 8, 23. *Non modo, sed non* in enuntiatione interrogativa pro *non modo non, sed.* II. 5, 14.
Non modo, sed ne — quidem pro *non modo non, sed ne — quidem.* I. 36, 87. Cf. IV. 38, 84.
Nonne in interrogat. obliq. V. 12, 34.
Non plus, eben so wenig. I. 8, 15.
Non quia. I. 1, 1. Cf. *non quod.*
Non quo et *non quod.* II. 26, 64.
Non quod, cum coniunctivo iuncta, sequentibus *sed quia*, cum indicativo iunctis. II. 23, 56. *Non quod* (*quia*) c. indic. IV. 12, 28. *Non quod* (*non quo, non quia*) —, *sed* (*tamen*) pro *non quod* —, *sed* quod. II. 26, 64.
Non — sed pro *non solum, sed.* V. 6, 15.
Non ullus pro nullus. I. 39, 94.
Νοσήματα. IV. 10, 23.
Nosse voluptatem. III. 18, 42.
Notiones innatae Platonis et Stoicorum quid differant. I. 24, 57.
Nudus: hoc *nudum* relinquitur. V. 5, 14.
Nullus. Nullius vices sustinet obsoleti *neminis.* V. 29, 83. *Nullus unus.* V. *unus. Nullus* gravius pro *non.* I. 22, 51.
Num, μῶν. I. 17, 40. 32, 77. *Numne.* I. 32, 77. *Num non vis.* I. 32, 77. *Numquid* est caussae, quin. I. 32, 78.
Numen: fatorum numine. I. 48, 115.
Numerare bona pro habere. V. 15, 44.
Numerus, ῥυθμός. II. 11, 26. *Numeri et motus* stellarum. V. 4, 10.
Numerus praedicati: corpora et natura *valet.* III. 3, 5.
Numerus. V. vv. singularis et pluralis numerus.
Nunc, nunc autem, nunc vero in oppositione. III. 1, 2.
Nunquam quicquam. II. 12, 29.
Nutus, νεῦσις. I. 17, 40.

O.

O et *on* in nominativo v. Nominativ.
O (ō) in thesi collocatum corripi potest. I. 16, 37.
Ob defendendam patriam, pro: *ad.* III. 13, 28.
Obducere, avide haurire. I. 40, 96.
Obedire et *parere.* V. 12, 36.
Obiicere pro iniicere et pro offerre. II. 4, 10.
Obire pro mori non Ciceronianum. I. 34, 84. *Obire* ea, quae ad mortem tempestiva sunt. I. 45, 109.
Obligare et *alligare vulnus.* II. 17, 39.
Obliqua oratio transit in rectam. IV. 10, 24. *Obliquae orationis* singularis quaedam forma. II. 25, 60.
Observare et *asservare* permutata. II. 9, 22.
Obtinere de philosophis et oratoribus. I. 12, 26. V. 30, 85. *Obtinere* et *obtineri.* V. 41, 118.
Obtrectatio. IV. 8, 18.
Occumbere morti, morte, mortem. I. 42, 102.
Occurrere, animo obiici. I. 21, 49.
Oculus. In oculis esse, ferri. II. 26, 63.
Odores, suffimenta. V. 21, 62.
Offerre se ad mortem, in discrimen etc. I. 15, 32.
Officere soli. V. 32, 92.
Officium Stoicorum duplex, perfectum et medium. III. 5, 11.
Offundere tenebras animo. III. 34, 82.
Omnia, in sententiae clausula positum: *non sunt in hoc omnia.* III. 22, 52. *Omnium* et *hominum* saepe confusa. I. 14, 32.
Omnino, in jeder Beziehung, vollständig. V. 9, 24.; = quidem. IV. 24, 53.
Omnis pro omnino. III. 3, 6. pro plane. V. Addenda ad I. 11, 24.
Ὁμοιόπτωτον. II. 7, 17.
Ὁμοιοτέλευτον. I. 28, 69. 37, 90. IV. 17, 38.
Operam dare in aliquid non Ciceronianum. I. 4, 7.
Opinari, opinatus, passive. III. 28, 58. V. Scr. III. 14, 30. *Opinor*, extra nexum orationis positum, ironice. I. 22, 52.
Opibus viribus. III. 3, 6.
Opinatio. IV. 11, 26.
Opinio gravis. IV. 37, 80. *Opinio* deorum pro de diis. I. 13, 30.
Oportebat, oportuit, oportuerat pro oportuisset. II. 13, 30. Cf. v. Indicativus. *Oportet* et *necesse est* quid differant. I. 6, 12.
Oppetere pestem. II. 16, 38.
Opprimere dolorem. II. 14, 33.
Opsonare famem. V. 34, 97.
Optare de philosophis. II. 13, 20. *Optandus expetendusque.* V. 33, 95.
Optimus vir, ironice. III. 21, 50.
Oratio simul significat rationem. I. 30, 73. *Oratio* et *ratio* in codd. confus. Ibid. *Orationes* veterum, postquam habitae sunt, perscribi solebant. IV. 25, 55.
Oratoria laus. I. 3, 5.
Orbis signifer, ζωδιακός. I. 28, 68.
Ore edere. II. 9, 21. V. Scr.
Oriri a se. III. 17, 37. *Orerer* pro orirer. I. 10, 22.

P.

Pacare Lernam. II. 9, 22.
Pace tua dixerim. V. 5, 12.
Paedores. III. 26, 62.

Παιδεραστία. IV. 33, 70.
Pangere, componere. I. 15, 54.
Παρήχησις apud antiquos poëtas. I. 35, 85. IV. 17, 38. V. 12, 35.
Parĕre, *partus*, de sexu virili dictum. II. 8, 20. *Parere* verba, res etc. IV. 2, 4.
Parēre. Agri parent utilitati hominum. I. 28, 69.
Pares anguli. I. 17, 40.
Parietinae. III. 22, 53.
Παρονομασία. III. 27, 64.
Parricida. IV. 8, 18.
Partes, species. III. 11, 24.
Participia in constr. accusativi c. inf., ut: quibus *abundantem* licet esse miserum, resolvi debent in: *eum, qui* — I. 38, 91. (Cf. IV. 31, 66.)
Participium ἐπεξήγησις adverbii. I. 29, 71.
Participium praesentis, ut *decedens*, *veniens* dictum vdtr. pro: *quum decessisset*, *venisset*. II. 25, 61.
Participium perfecti passivi adiective. V. 30, 85.
Participium pro infinitivo vel *ut* (concedendum est *gementi*). II. 7, 19.
Parum quid significet. V. 14, 41.
Parumper. V. 24, 68.
Parva metuere. V. 14, 41.
Parvuli igniculi. III. 1, 2.
Passiva forma verbi transit in activam. II. 16, 37.
Πάθος, morbus. III. 4, 7.
Patibilis. IV. 23, 51.
Patrimonium publicum. III. 20, 48.
Patrita philosophia. I. 19, 45.
Paulisper. V. 24, 68.
Pectore toto aliquid facere. II. 24, 56.
Pendēre animi, animis. IV. 16, 35.
Per in: *per* mihi *scitum*. IV. 16, 36. *Perexiguus* et *minutus*. II. 13, 30.
Perculsus et *percussus*. III. 29, 72.
Perfecta concludere. V. 25, 72.
Perfecti forma in *ere* apud Cic. dubia. II. 1, 4.
Perfectum indicativi in enuntiatione secundaria de rebus, quae fieri solent. II. 24, 58.
Perfectum coniunctivi passivi aut *deponentis*, uti *passus sim*, ap. Cic. non eadem vi dr., qua prf. coni. act., uti *concesserim* pro concedam. I. 33, 55.
Perfectum excipitur imperfecto, vel contrario modo. I. 2, 4. I. 30, 72. I. 35, 86.
Perfectum de re saepius repetita. III. 2, 3.
Perfectum et *praesens* iunguntur. I. 2, init.
Perfectum et *plpf. coniunctivi* in enuntiatione conditionali quid differant. I. 27, 67.
Perfectus philosophus. II. 5, 12.
Perferre et *transferre*. II. 2, 5. V. Scr.
Perforatae animi viae. I. 20, 46.
Perfricare os, frontem. III. 18, 41.
Perinde et *proinde quasi*. I. 36, 86. V. 2, 6.
Permanare ad sensus. II. 18, 42.
Permutatio structurae (ut *Cleanthi* placet — ut *Epicurus*). III. 31, 76. motus tractabantur, et unde omnia orerentur. V. 4, 10. *Personarum verbi permut.* v. *persona*.
Perpeti, in patiendo perdurare. III. 3, 5.
Perses (pro *Persa* et pro *Perseus*) declin. I. 42, 101.
Persona quid significet. II. 21, 49.
Persona prima et *tertia* in communi sententia. I. 2, 4. *Personarum permutatio*, secundae et tertiae. I. 38, 91.
Persuasus. III. 29, 72.
Pertinacia philosophorum. II. 2, 5.
Perturbatio, φρενὸς ταραχή. III. 4, 7. *Perturbatio* et *perturbationes* iunctae quid differant. IV. 31, 65.
Pervellere de dolore, fortuna. II. 20, 46.
Pestis textilis. II. 8, 20. *Pestis* pro interitu. II. 9, 21.
Petessere. II. 26, 62.
Philitia, *phiditia*. V. 34, 98.
Philosophia cognitionis cupiditate accensa. I. 19, 45. Philosophia, donum deorum. I. 26, 64. Philosophiae praeconium. V. 2, 5. Philosophiae partes. IV. 26, 57.
Philosophus adiectivum, non *philosophicus*. V. 41, 121.
Physica, metaphysica, *physici*, philosophi. I. 13, 29.
Pingere, *pictura*, *pictores* de poësi et poëtis. I. 15, 34. V. 39, 114.
Pius quid significet. II. 9, 20.
Placare et *pacare*. II. 9, 22.
Placatio animi. IV. 28. 60.
Plane dicere. IV. 21, 47.
Planetae. I. 25, 62.
Plenum carmen. I. 26, 64. — *Plenus* absolute dictum. I. 6, 11.
Pleonasmus: ita sentit, ut putet etc. V. 31, 88.
Ploratus non solum oculis, sed etiam ore editur. II. 9, 21.
Plumbeus, obtusus, tardus. I. 29, 71.
Pluralis pro singul., ut *poëtae* pro *poëta*. I. 2, 3. *Pluralis* post *optimus quisque*. III. 28, 70. *Pluralis* nominis abstracti deflectit ad singul. (*corpora* — *animus*). II. 23, 54. *Pluralis* verbi refertur ad nomen singularis numeri, in quo latet pluralis (*stultus* pro *stulti*). IV. 6, 13. *Pluralis illa* refertur ad *aliquid*. I. 3, 6. *Pluralis* pronominum refertur ad singularem. I. 6, 12. *Pluralis* post singularem ad plures relatus. V. 34, 98.
Plus et *magis* amare. III. 29, 73.

Plusquamperfectum, v. *Imperf.* et *Perf.* — *Plusqprfectum coniunctivi* in apodosi conditionali, antecedente *praesente indicat.* in protasi. I. 25, 63.
Poeniri. I. 44, 107.
Poenitere c. acc. *quod.* V. 28, 81. *Nihil poenitebit.* Ibid.
Poëta divino spiritu inflatus. I. 26, 64.
Pomeridianus. III. 3, 7.
Pompa rhetorum. IV. 21, 48.
Pondera paria, aequilibrium. I. 19, 43.
Ponere quaestionem. I. 4, 7. *Ponere* nomen rebus. III. 5, 10. *Ponere* et *proponere* praemium. V. 7, 20. *Ponere* librum, tunicam. I. 11, 24. Perf. *posivi.* V. 29, 83.
Portenta, commenta mirabilia. I. 6, 11.
Porticus, vestibula tentorii. II. 16, 38.
Positivus et *comparativus* iuncti. IV. 31, 65.
Posse multum. III. 14, 30. *Posse* et *valere* iuncta. II. 4, 11. *Posse* pro *fieri posse.* I. 11, 23. *Possum* pro *possem.* II. 19, 45. *Poteram* pro *possem.* III. 4, 7. *Potest esse*, non *esse potest.* I. 46, 110. *Potest* apud antiquos poëtas μονοσυλλάβως pronuntiandum. II. 16, 38.
Post: aliquot post annos et *aliq. post annis.* I. 2, 4. *Post* pronomini postpositum. II. 6, 15.
Postulare aliquid. IV. 21, 48. *Postulatur dolor* pro doloris patientia. II. 18, 43.
Potiri c. gen., abl. et acc. I. 38, 90.
Potis sc. est pro *potest.* II. 16, 38.
Potius quam c. coniunct. II. 22, 53.
Prae libidine etc. IV. 34, 73.
Praebibere, ἅπαξ λεγόμενον apud Ciceronem. I. 40, 96.
Praecipua s. *producta* (προηγμένα) Stoicorum. V. 16, 47.
Praeclarum arduum, proverb. III. 34, 84.
Praeditus metu. V. 14, 41.
Praegnans usus verbi *turbari.* III. 11, 25.
Praegressiones de stellis. I. 25, 62.
Praemia fortunae. V. 7, 20.
Praepositio in enuntiatis copulatis aut posita aut omissa. I. 12, 27. IV. 14, 32. 20, 45. — aut omissa aut repetita in *apposit.* III. 15, 33. — omissa in interrog. et respons. I. 39, 93. — ante pron. relativum. I. 39, 94. — pronominibus postposita. II. 6, 15. — c. genitivo iuncta, omisso substantivo (*de sui* sc. filii morte). III. 29, 71. — compositorum adiectivorum in repetitione (*periucundus et pergratus*). II. 13, 20. — *praepositio* c. casu pro adiectivo. II. 3, 7.
Praesens deus. I. 12, 28.
Praesens tempus de conatu. I. 28, 92.
Praesens et *perf.* iuncta. I. 2, init. *Praes. indicativi* in protasi conditionali, sequente *plqpfto coniunctivi* in apodosi. I. 25, 63. *Praes.*, ubi poëta loquens a Cic. inducitur. II. 21, 49. *Praes.* de re, quae e praeterito tempore in praesens pertinet. II. 1, 2. *Praes. histor.*, sequente imperfecto. IV. 36, 77. *Praes. coniunctivi* in: non esset hoc acrioris cuiusdam animi praeceptum, sic ut deo tributum *sit.* I. 22, 52. *Praes. coniunctivi* post praeteritum. V. 24, 69.
Praesens esse et *adesse* quid differant. IV. 7, 14.
Praesentia, in praesentia. I. 7, 14.
Praestans (sine ablat.) = singularis, eximius. I. 34, 99.
Praestare rem aliquam. III. 16, 34.
Praeter ceteros. I. 47, 114.
Premere verbo. I. 7, 13. argumentum. I. 36, 88. humana omnia. IV. 28, 61.
Presse, accurate, subtiliter. IV. 7, 14.
Pressi modi. I. 44, 106.
Prima, initia, elementa. I. 7, 14. — *Prima naturae bona.* V. 30, 84. *Primum* non sequente *deinde.* IV. 35, 74. *Primus*, primarius. I. 33, 81. *A primo*, primitus. I. 23, 54.
Princeps, auctor. I. 21, 48. *Princeps* de viro, qui rem publicam gerit. I. 15, 34.
Principia, elementa. I. 10, 22.
Privatim, *privatus.* V. 35, 102.
Pro deorum fidem. V. 16, 48.
Probare, *ut* — III. 3, 5.
Proclive, *proclivi* labi. IV. 18, 42.
Proclivitas, Geneigtheit. IV. 12, 28.
Procul ab omni metu, pro remotus. V. 14, 41.
Producta v. *praecipua.*
Profecto et *certe.* I. 1, 2.
Proficere de medicina. IV. 28, 60.
Profligare quid significet. V. 6, 15.
Progenies quid significet. I. 12, 26.
Progredi de planetis. I. 25, 62.
Proinde et *perinde.* I. 36, 86. *Proinde* bisyllab. V. 18, 52.; c. coni. adhort. ibid.
Pronomen ipse iunctum pronomini personali *sibi*, *se.* I. 30, 73.
Pronomen neutrius generis numeri pluralis post substantiva generis feminini. V. v. *Neutrum.*
Pronomina neutrius generis saepe vices sustinent substantivi, quod in aliqua praecedentium vocum latet. I. 2, 4.
Pronomina neutrius generis relata ad substantivum vel substantiva alius generis. I. 34, 83. III. 4, 7.
Pronomina neutrius generis, in accusativo posita, cuiuscunque generis verbis iunguntur, ut *id operam do.* V. 28, 81.
Pronomina, numero plurali posita, re-

feruntur saepe ad nomen praegressum certo genere et numero singulari. I. 6, 12.
Pronomina: me, te, se, nos, vos in structura accusativi cum infinitivo verbis *dicendi* et praeponuntur et postponuntur. I. 8, 16.
Pronomina me, te, se, eum, eos in constructione acc. c. inf. saepe omittuntur. I. 25, 60.
Pronomina me, te omittuntur, quo magis generalis efferatur sententia. III. 25, 60.
Pronomina, et demonstrativa et relativa, sequenti substantivo attracta, ut: *haec pulchritudo* pro: harum rerum pulchritudo. I. 19, 45.
Pronomina qui et *hic*, in enuntiati initio posita, praepositionibus interdum praemittuntur. V. v. *Praepositiones*.
Pronomina demonstrativa vel ob maiorem vim vel perspicuitatis caussa iterantur. III. 8, 18.
Pronomina hic, is, ille cum genitivo iuncta, ut: quum omnis arrogantia odiosa est, tum *illa ingenii* molestissima. IV. 9, 20.
Pronomina relativa uni vel pluribus vocabulis postpos. I. 8, 16. Cf. *Qui, quae, quod* et *Relativum pronomen*.
Pronuntiatum (ἀξίωμα). I. 7, 14.
Prooemia in Ciceronis de phil. libris. I. 1, 1.
Propendere. V. 31, 86.
Properare cum expetendi notione. I. 31, 86.
Proponere, ob oculos ponere. IV. 31, 66. *Proponere* et *ponere* praemium. V. 7, 20.
Proprius, cum genitivo iunctum, *proprium*, cum gen. iunctum, substantivi vices sustinet. II. 18, 43.
Proprius et suus. I. 29, 71.
Protasin nulla sequitur *apodosis*, quae tamen latet in alia constructione. V. v. Ἀναντιπόδοτον.
Proverbium: aut bibat aut abeat. V. 41, 118.
Provocatio ad populum. IV. 1, 1.
Prudens et *pudens* confusa. II. 21, 50.
Prudentia pro philosophia. I. 4, 7.
Pte pronominibus affixum, ut *suopte*. I. 17, 40.
Pubescere de vitibus, herbis dictum. I. 28, 69.
Publici canes. I. 45, 108.
Pudens miles. II. 21, 50.
Puerilis aetas. I. 39, 94.
Pulcher, urbanitatis blandimentum, ut: *pulcher* Critias. I. 40, 96.
Pulvinaria deorum. IV. 2, 4.
Pulvis mathematicorum. V. 23, 64.
Puncta, suffragia. II. 26, 62.
Puniri deponentialiter. I. 44, 107.
Putescere. I. 43, 102.
Puto, extra nexum orationis positum, ironice. I. 22, 52.

Q.

Quadriduus. IV. 38, 82.
Quaerere, optare. IV. 21, 48.
Quaerere et *invenire* quid differant. III. 1, 1.
Quaerere in: *si quaeris, noli quaerere, quid quaeris?* III. 29, 73.
Quam, cum coniunctivo iunctum, pro *quam ut*. II. 22, 52.
Quam sit doctus, *quam sit* subtiliter disputatum etc. II. 4, 10. *Quam nihil, quam non*. IV. 35, 74.
Quamvis cum adverbio vel adiectivo iunctum. I. 21, 47.
Quamvis licet. IV. 24, 53.
Quando pro quoniam. IV. 15, 34.
Quandoque. III. 7, 14.
Quando quidem v. *si quidem*.
Quanquam fortasse elliptice positum. I. 27, 67.
Quanquam cum coniunctivo. V. 30, 85.
Quanquam quidem, (καίτοι γε). III. 34, 84.
Quanquam — sed. I. 37, 90.
Quasi, iunctum cum pronomine *quidam*. II. 4, 11. III. 2, 3.
Quasi mitigat insolentiorem alicuius vocabuli usum. III. 20, 47.
Quasi — sic. I. 30, 74.
Quasi vero ironice. I. 22, 50. — iunguntur cum coniunctivo *praesentis* vel *perfecti*. Ibid.
Que, et, atque (*ac*) quid differant. I. 49, 95.
Que et *quoque* in codd. permutata. IV. 13, 31. V. Scr.
Que, continuandi vi dictum (*porro*). III. 3, 5.
Que, explicandi vi dictum. I. 2, 4.
Que, colligendi vi dictum (*ut paucis complectar, kurz*). I. 26, 64.
Que, adversativa vi dictum. I. 2, 4.; post negationem. Ibid.
Qui et *quis*, ut: *deus qui* et *deus quis*. II. 27, 66.
Qui, quae, quod ad remotius substantivum referenda. I. 1. extr. — uni vel pluribus vocabulis, quae cum maiore vi efferenda sunt, postposita. II. 4, 12. III. 15, 32. *Qui* plurali numero relatum ad nomen singularis numeri. III. 11, 25. *Quae oblivio* per attractionem pro: cuius rei oblivio. I. 19, 45. Pron. *qui* ex antecedenti pronomine relativo repetendum. I. 30, 72. *Qui* c. coni. de caussa. I. 44, 107. *Qui* c. ind. et coni. post *quisquam*. IV. 37, 79. *Qui* c. coni., quia refer-

tur ad seq. orat. pendentem. V. 40, 118.
Qui pro *quo*. IV. 36, 77. *Qui* et *quid*. V. 31, 89. in V. Scr.
Qui idem. IV. 36, 77.
Qui tandem? et *quid tandem?* I. 6, 12.
Quia pro *quod*, in: *ex eo, quia*. I. 18, 42.
Quicquam, das Geringste. I. 35, 85.
Quicquid. V. *quisquis*.
Quid de personis. I. 2, 5.
Quid et *quod* in codd. confusa. III. 33, 80. Dici non potest: *num quod est malum, nisi quod est turpe?* sed dicendum: *num quid e. m, nisi* etc. aut: *num quod est m. praeter turpitudinem?* Ibid.
Quid spectans (quaerens). I. 14, 31.
Quid quaero? et quid quaeram? I. 45, 108.
Quid et *quale*. III. 5, 11.
Quid? illa tandem num etc.? *Quid?* illa vis quae tandem est? Sic interpungendum. I. 24, 56.
Quid ergo? scilicet *videtur*. III, 18, 39.
Quid est, quo pro *quid est, cur*. IV. 36, 77.
Quid tandem? V. *qui tandem?*
Quid et *quod dicam, habeo, scio, non habeo, nescio*. III. 18, 41.
Quidam pro *fere*, ut: tali quodam exordio. II. 4, 10. substantivo praemissum pro: *quodam modo*. IV. 35, 75. ad emolliendum usum nominis insolentioris additum. III. 7, 14.
Quidam, adiectivis additum, quam vim habeat. II. 4, 11.
Quidem et *idem* in codd. confusa. II. 23, 55. in V. Scr.
Quidem non apto loco positum. III. 19, 46. IV. 23, 52.
Quidem, γέ, vi argumentativa et suppletiva. I. 1, 3.
Quidem, γέ, nominibus propriis additum, pro *ut in exemplum afferam*. I. 18, 116.
Quidem in: absurdum *id quidem* et similibus. I. 25, 61.
Quidem in: nemo mediocriter *quidem* doctus. II. 3, 7.
Quidem, γέ, in oppositione. II. 17, 41.
Quidem cum coniunctionibus iunctum, ut *quoniam quidem*, ἐπειδήπερ. III. 27, 66. *Verum quidem, quanquam quidem*. III. 34, 84.
Quidem repetite positum. II. 14, 34.
Quidem in: optare hoc *quidem* est, non docere; decipere hoc *quidem* est, non iudicare etc. II. 13, 30.
Quidem certe iunguntur. V. 20, 60.
Quin, cum coniunctivo iunctum, post: *numquid caussae est*. I. 32, 78.
Quin, cum coniunctivo iunctum, post: *dici non potest, negari non potest, non ignoro*. V. 7, 17.
Quippe, particula ironica. I. 21, 48.
Qui quidem, ὅς γε. I. 1, 3.
Quis et *qualis* iunguntur. III. 5, 11.
Quis, qua et *qui, quae* quid differant. IV. 14, 33.
Quis et τὶς, subiecti vicaria, saepe omittuntur. IV. 8, 17.
Quis et *quisque* ex enuntiatione primaria in secundariam traducuntur (defendat, quod *quis* sentit). IV. 4, 7.
Quisquam et *ullus* quomodo alterum alterum suppleat. IV. 25, 55.
Quisquam. Accusativus *quenquam* infinitivo ex abundantia quadam additus in sententia communi. I. 3, 6.
Quisque quando ap. Cic. cum plurali construatur. III. 28, 70. *Quisque* ex enuntiatione primaria in secundariam traductum (defendat, quod *quisque* sentit). IV. 4, 7.
Quisquis pro *quisque* positum vdtr. V. 34, 98.
Quo et *quod* in codd. confusa. I. 34, 84. V. Scr.
Quo non progrediatur *eodem*. IV. 36, 77.
Quod aiunt. III. 30, 73.
Quod est idem virtus. V. 13, 39.
Quod, cum genitivo iunctum (*quod* datum est *temporis*). II. 3, 9. Ut illis *praemii* daret *quod*. I. 47, 113.
Quod (coniunctio) vocabulo postponitur, ut ea maiore vi efferatur. II. 4, 12.
Quod, cum coniunctivo coniunctum, in sententia ex alius mente prolata. I. 13, 30.
Quod si (*nisi*), *quod quia, quod quum* cett. IV. 16, 36. *Quod si* (*nisi*) *ita est* dicitur, non: *quod si* (*nisi*) *est*, omisso *ita*. V. 6, 17.
Quod, cum coniunctivo iunctum, pro *ut id* cum coniunctivo. I. 16, 38.
Quoniam, cum coniunctivo coniunctum. I. 11, 25. *Quoniam* iis verbis, in quibus sententiae pondus est, postpos. III. 5, 11. *Quoniam quidem*. III. 27, 66.
Quoque: id aegrum esse *quoque* pro id aegrum *quoque* esse. I. 32, 79.
Quorsus, quorsum. I. 25, 60.
Quot dies et *quos* dies erimus. I. 49, 119.
Quotusquisque, quam pauci. II. 4, 11.
Quum — tum et *tum — tum* quid differant. V. 25, 72. *Quum — tum* = einmal — und dann. I. 6, 12.
Quum, cum coniunctivo iunctum, sequente *tum*. V. 39, 113.
Quum, cum coniunctivo iunctum, sequente *tamen*. I. 49, 117.
Quum temporale de re cogitata. III. 22, 52.
Quum c. coni. explicationi inserviens. V. 27, 77.

R.

Radius mathematicorum. V. 23, 64.
Ratio, νοῦς. I. 10, 20. *Ratio* Epicuri. III. 15, 33. *Recta ratio*, ὀρθὸς λόγος. IV. 15, 34. *Ratio*, argumenta. I. 45, 109. *Ratio* et *disciplina; ratio* et *scientia*. I. 1, 1. *Ratio* et *doctrina*. I. 13, 30. *Ratio tanquam rate in mari vehitur*. I. 30, 73. *Ratio* et *via*. II. 2, 6. *Ratio* et *oratio* confusa. I. 30, 73. *Ratio* et *oratio* iuncta. IV. 17, 38. *Rationes*, sententiae e ratione natae. IV. 38, 84.
Ratus de siderum cursu. V. 24, 69.
Recidere et *recedere* confusa. V. 4, 10.
Recipere pro *recipi*. I. 44, 107. *Recipere* ferrum, telum de gladiatoribus dictum. II. 17, 41.
Recognoscere. I. 24, 57.
Recordatio Platonis. I. 24, 57. *Recordatio* et *memoria*. V. 31, 88.
Recta ratio. IV. 15, 34.
Refert magni. I. 33, 80.
Reflare, *reflatus*. I. 49, 119.
Refugere et *fugere* quid differant. I. 24, 56. *Refugiunt* oculi. III. 12, 26.
Regis et *regiis* in codd. confusa. III. 19, 48. V. Scr.
Reiiciendum, ἀποπροηγμένον. II. 12, 29.
Relativa constructio transit in demonstrativam. V. 3, 8.
Relativa enuntiatio conformatur saepe ad enuntiationem sibi subiectam. I. 34, 84.
Relativo pronomini idem nomen, ad quod referendum est, additur, ut: hic dies, *quo die*. V. 1, 1.
Relativum pronomen conformatur ad sequens substantivum, ut: *quae harmonia* dicitur pro: *id*, *quod* harm. dr.; *animal, quem hominem* vocamus. I. 10, 20. 24, 58. IV. 10, 23.
Relativum pronomen, ad idem substantivum referendum, repetitum. I. 25, 61.
Relativum pronomen ei vocabulo, quod maiore vi efferendum est, postponitur. I. 8, 16.
Relativum pronomen saepe non ad substantivum, a quo pendet genitivus alius substantivi, sed ad genitivum ipsum refertur, ut: *regis* vox, *qui* laudat senem pro: *quà*. III. 24, 57.
Religio, culpa, quae religionibus violandis contrahitur. I. 12, 27.
Relinquere et *deserere*. II. 14, 33.
Rem continet aliquid. III. 24, 58.
Remissa studia temporibus. I. 1, 1.
Reor, ironice. I. 22, 52.
Repens, repentinus. III. 14, 29.
Reperire et *invenire*. I. 47, 113.
Repetere ab aliquo. I. 48, 116.
Repetitio vocabulorum:
a) *verborum: sit — sit*. I. 11, 23. 25, 60. — *esset — esset*. I. 22, 52. — *est — est* cum vi. I. 23, 54. II. 5, 12. in corp. *est* morbus, *est* aegr., *est* vitium. IV. 13, 28. — *est — est — est* sine singulari quadam vi. V. 1, 2. doce, *doleam*, necne *doleam*, nihil interesse. II. 12, 29. ita *visum* sit, ut *videatur*, similia. III. 13, 28. quamdiu *vixit, vixit* in luctu. III. 31, 75. *Depellitur — depellitur; concitantur — concitatique* motus. IV. 15, 34. V. Scr. — repet. *verbi*, ubi id duobus membris commune est, semel cum negatione, tum sine ea, ut: consulatus Miloni eripi *non potuit*, vita *potuit*. III. 5, 11.
b) *substantivorum:* post parenthesin. V. 5, 14. V. Scr.
c) *pronominum* demonstrativorum perspicuitatis caussa vel ob vim. III. 8, 18. 28, 71.; in enuntiat. comparativis. IV. 14, 32.
d) *coniunctionum: autem*. IV. 6, 14.; *sed*. I. 36, 88.; *tamen* ob parenthesin. III. 33, 80.; *si*. II. 27, 67.; *si* sine verbo. II. 24, 57.; *ut* v. *ut*.
e) *adverbii: nunc* ad animi anxietatem exprimendam. II. 9, 21.
Reprendere pro repreh. III. 25, 59. in V. Scr.
Repugnare inter se. III. 29, 72.
Res plural. pro *res* sing. positum videtur. V. 37, 107. *Res* pro *id*. I. 21, 49.
Rescribere in musicis. IV. 2, 3.
Retractare, recusare. I. 31, 76.
Reverens, timens. I. 30, 70.
Revertor, perfectum ap. Cic. *reverti*, non *reversus sum*. V. 37, 107.
Revocare de actoribus. IV. 29, 63. *Revocare* et *sevocare* mentem quid differant. V. Addenda ad I. 16, 38.
Rhetor pro oratore. III. 26, 63.
Rhodium genus dicendi. II. 1, 3.
Rota. V. 9, 24.
Rursum, contra. I. 17, 40.
Rusticus et *rusticanus*. II. 22, 53.

S.

S in exitu vocis ap. antiquos poëtas saepe non pronuntiatum ante seq. consonantem. I. 9, 18.
Saepe multi, I. 30, 74.
Sal, Witz. V. 19, 55.
Salamina et *Salaminam*. I. 46, 110.
Salsus sanguis, sudor, *salsae* lacrimae. I. 16, 37.
Sapientia pro sapiente. II. 7, 18.
Sapientiae definitio. IV. 26, 57. *Sapientias* ebullire. III. 18, 42.
Scatĕre pro *scatēre*. I. 28, 69.
Σχῆμα πρὸς τὸ σημαινόμενον. V. 40, 116.
Scholae, disputationes philosoph. I. 4, 8.
Scientia et *copia* iunguntur. I. 4, 7.

Scilicet, particula ironica. I. 21, 48. II. 11, 27.
Scindere comam. III. 26, 62.
Scio, *quod* et *quid dicam*. III. 18, 41.
Scriptitare. V. 8, 22.
Scruposus et *scrupulosus*. IV. 14, 33.
Scythicum tegmen. V. 32, 90.
Seclum, seculum. I. 14, 31. Menschenalter. V. 3, 7.
Secundus, favens, propitius. II. 1, 4.
Sed repetite positum. I. 36, 88. *Sed* inservit sententiae, ante parenthesin inchoatae, revocandae. II. 1, 3. *Sed* omissum. V. Asyndeton. *Sed* et *si* in codd. confusa. I. 31, 76.
Sed tamen! per ἀποσιώπησιν. I. 35, 86.
Seges, ipsum solum. II. 5, 13.
Segregatus comitatu num dici possit pro *a* com. V. 28, 80.
Semel: non semel, sed saepe. V. 19, 56.
Semela et *Semele*. I. 12, 28. V. Scr.
Semina virtutum. III. 1, 2.
Senescere de rebus, quae omnem vim ac vigorem amittunt. II. 2, 5.
Sententia, *de sent.* deiici, depelli. II. 5, 14.
Sentire = iudicare, censere. V. 28, 82. De nihil *sentiendo*. I. 42, 102.
Sepelire dolorem. II. 13, 32.
Septem sapientes. V. 3, 7.
Septenarii. I. 44, 107.
Sequitur me dolor. II. 12, 28.
Serere leges. I. 14, 31.
Servire posteritati, valetudini. I. 15, 35.; *servire* tempori. III. 28, 66.
Sevocare mentem. I. 16, 38. *Sevocare* et *revocare* mentem quid differant. V. Addenda ad I. 16, 38.
Si et *sic* in codd. confusa. I. 2, 3.
Si et *etsi* in codd. confusa. II. 1, 2. *Si* et *sed* in codd. confusa. I. 31, 76.
Si omittitur. II. 12, 28. *Si iam*. IV. 31, 65. *Si* repetitum. II. 27, 67. sine verbo saepius repetitum. II. 24, 57. *Si diis placet*. V. 10, 31. *Si quaeris* pro ut verum dicam. III. 29, 73. *Si possumus*, ubi exspectes *si possimus*. I. 3, 5. V. Scr. *Si quid accidit*. I. 43, 104. *Si quidem*, εἴ γε. I. 1, 3.; *si quidem* c. imperf. coniunctivi ironice in responsione. II. 17, 39. Cf. III. 31, 76. *Si quando* elliptice. III. 7, 14. *Si* c. coni., seq. coniunctivo (*si* hoc *dicas*, *erres*). III. 29, 73. *Si* c. coniunctivo, ubi exspectes acc. c. inf. III. 31, 76. *Si quis* et *si qui*. III. 31, 76. *Si quae* et *si qua*. IV. 14, 33.
Sibi in se, suo sibi gladio etc. V. 14, 42.
Siccitas, salubritas. V. 34, 99.
Sic etiam in comparatione post *ut*, *quomodo*, *quemadmodum*. III. 17, 37.
Signa, statuae. V. 35, 102.
Signare et *significare*. I. 28, 68.
Silice natus. III. 6, 12.
Simile, similitudo. II. 5, 13.
Similis alicuius et alicui. I. 15, 34.
Similis et, ὅμοιος καί. V. 3, 9.
Similiter, *ut si*, *tanquam si*, *ac si*. IV. 18, 41.
Similitudo morborum animi comparatur morbis corporum. IV. 10, 23.
Simul pro simulac. IV. 6, 12.
Simul ut. IV. 3, 5.
Sin autem, *sin vero*. I. 49, 119. V. Scr. *Sin autem* sine praedicato negativo, ex antecedenti apodosi supplenda. IV. 34, 72.
Sine c. abl. pro adiectivo, ut: mors *sine gloria* pro: mors ingloria. II. 3, 7.
Singillatim. V. 33, 94.
Singularis numerus. nomin. abstractorum deflectit ad plural. (*animus* — *corpora*). II. 23, 54. Post singularem sequitur plur. IV. 31, 65. *Singularis* post plura subiecta (*corpora* et *natura valeat*). III. 3, 5. *Sing.* post duo nomina per *aut* disiuncta. V. 9, 26.
Singulatim. V. 33, 94.
Sinus. *In sinu* gaudere. III. 21, 51.
Siris pro *siveris*, ut *sisti*, *sistis*. I. 44, 106.
Sive semel positum. II. 22, 51. *Sive* — *sin*; *sive* — *sive vero* se excipiunt. I. 41, 97. *Sive* — *sive* quando cum coniunctivo iungantur. I. 25, 60.
Socrus, masculino genere positum. III. 12, 26.
Solere pro fieri solere. V. *posse*.
Solidus in re sculptoria. III. 2, 3.
Solstitialis dies. I. 39, 94.
Solus, adiectivum, et *solum*, adverbium, quid differant. I. 27, 66. IV. 7, 15.
Sorites. V. 15, 45.
Spartani non est aureae aetatis. I. 43, 102.
Species, imago. I. 15, 34.
Specimen naturae. I. 14, 32. *Specimen* humanitatis. V. 19, 55.
Spero, extra nexum orationis positum, ironice. I. 22, 52.
Spes me tenet, bene mihi evenire. I. 41, 98.
Spinosus. I. 8, 16.
Stare iudicio. II. 26, 63.
Stationes planetarum. I. 25, 62.
Statu moveri. II. 5, 14.
Status in caussis. III. 33, 79.
Status, statutus. I. 47, 113.
Stellatus. V. 3, 8.
Stomachus, ira. IV. 24, 53.
Studiosus orator. I. 3, 5.
Studium: aliquid mihi est *in studio*. II. 15, 36.
Stultitia et *insania* apud Stoicos idem significant. III. 5, 11.
Suapte, *suopte*. I. 17, 40.
Suapte, bisyllabum. II. 5, 13.

Subiectum enuntiationis secundariae fit obiectum enuntiationis primariae, ut *nosti Marcellum, quam tardus sit.* I. 24, 56. *Subiectum* in altero demum enuntiationis membro positum. V. 5, 13.
Subiectus sub aliquid et *alicui rei.* IV. 7, 16. V. 1, 2.
Sublime ferri. I. 17, 40.
Sublimus. II. 7, 19.
Substantiva in *io* exeuntia, ut *lapsio.* IV. 11, 26. *Substantivum* pro adiectivo. III. 1, 1. *Substantivum,* in genitivo positum, ad duo substantiva referendum saepe priori substantivo postponitur, ut: coetus *amicorum* et *sermones.* I. 16, 38. *Substantivum* c. gen. pro adiectivo, uti *deorum inventio* = dii inventores, *cursus error* = cursus errans. III. 1, 1.
Sum et *sim, sumus* et *simus, sunt* et *sint* in codd. confusa. I. 23, 55.
Sunt in conclusione saepe omittitur. I. 5, 9.
Sunt, qui c. indic. et coni. III. 31, 76.
Superbus. I. 8, 17.
Superior ambulatio. IV. 4, 7. *Superiore e loco,* tribunali. I. 49, 117. *Superiores,* prioribus temporibus viventes. I. 25, 62.
Suppeditare pro *suppetere.* V. 37, 108.
Sursum et *rursum* permut. I. 17, 40.
Sus homini oppos. I. 38, 92.
Suscipere aliquid sc. defendendum. I. 32, 78. *Suscipere* liberos. III. 1, 2.
Suspensam somno curam levare. I. 44, 106.
Suspensus extrinsecus. V. 12, 36.
Suspiciones, secunda syllaba productum. IV. 35, 76.
Sustinere, defendere posse. V. 9, 24.
Suus. Libros legunt cum *suis,* i. e. sui similibus. I. 3, 6. *Suus* referendum ad pron. *aliquis* mente supplendum. IV. 9, 20.
Syllabarum similiter sonantium lusus Ciceronis proprius. I. 30, 73. V. Scr.
Synesis. III. 28, 70. IV. 3, 6. 21, 48.: *gladiatorium* — in *eis,* sc. gladiatoribus.
Synezeugmenon. IV. 31, 65.
Synonyma ex Ciceronis more saepe iunguntur. I. 9, 19. *Syn.* cumulantur ad rem clarius significandam. II. 21, 46.
Syria et *Assyria* saepe confunduntur. V. 35, 101.

T.

Tabellae obsignatae. V. 11, 33.
Tabula pro tabula picta. V. 35, 102.
Tacitus pro adverb. *tacite.* I. 14, 31.
Tale, quale ἰδέαν appellat. I. 24, 58.
Talis rarius substantivo postponitur. III. 18, 42.
Tam pro *adeo.* III. 1, 1.
Tamen, etsi ad omnem sententiam pertinet, suum tamen locum ante id vocabulum occupat, quod vim maximam habet. I. 35, 85. *Tamen* in enuntiati initio ponitur, ut ex orationis tenore aliquid mente supplendum sit. III. 6, 13. *Tamen* in clausula enuntiationis. I. 12, 27. *Tamen* saepe ponitur, imprimis post participium, non praegresso *licet* vel *etsi* vel *quanquam.* II. 13, 30.
Tangi dolore. II. 22, 52.
Tanquam in comparatione pro: *ut, quemadmodum.* V. 5, 13. *Tanquam — sic.* I. 30, 74.
Tanti est, ut etc. II. 27, 67.
Tantillus non Ciceronianum. II. 24, 59.
Tantisper et *interea.* V. 7, 20.
Tantulum. II. 24, 59.
Tantum — quantum saepe c. vi deminuendi dic. I. 13, 29. *Tantum* num pro *tantulum* dici possit. II. 24, 59.
Tantum abfuit ab eo, ut. I. 31, 76.
Tantum, quod pro *tantum, quantum.* V. 32, 91.
Tardus de ingenio. I. 33, 80.
Temeritas, τὸ ἄλογον, II. 21, 47.
Temperantia de quattuor quae dicuntur virtutibus cardinalibus. IV. 13, 30.
Temperare rempubl., temperatio naturae, temperatio corporum. I. 10, 21. *Temperari,* misceri. V. 35, 101.
Tempestiva multa ad mortem. I. 45, 109.
Templum quid significet. I. 21, 48.
Tempora, fortunae status, maxime difficilis. I. 1, 1. *Temporibus illis* i. e. pro ratione temporum. IV. 3, 5.
Temporis caussa. IV. 4, 8.
Temporum permutatio. Perfectum et imperfectum se excipiunt et contrario modo. I. 2, 4. I. 35, 86.
Tempus. Ex tempore. V. 31, 88.
Tergiversari. III. 18, 41.
Terminatio us apud poëtas *u'* metri caussa. I. 9, 18. *Terminationes* indicativi et coniunctivi *unt* et *ant, it* et *at* etc. in codd. confusae. IV. 33, 71.
Terra in medio mundo sita. I. 17, 40.
Terror Iunonis. II. 8, 20.
Theatrum quid significet. I. 44, 106.
Θύμωσις. IV. 9, 20.
Tibiis Spartiatae in proeliis tubarum loco utuntur. II. 16, 37.
Titillare. III. 20, 47.
Tmesis, ut: *quod* iudicium *cunque.* II. 6, 15. Pergratus *per*que iucundus. IV. 16, 36.
Tolerabilius ferre. III. 23, 55.
Tollere, educare. III. 13, 28.
Tormina, δυςεντερία. II. 19, 45.
Totus. In tota vita; at *tota Graecia* sine *in.* IV. 13, 29.

Tragoedias efficere. IV. 34, 73.
Tranquillitas maris. V. 6, 16.
Transferre et *perferre.* II. 2, 5. V. Scr.
Transitio orationis *a persona ad rem* et rursus *a re ad personam.* I. 44, 107.
Transpositio vocabuli *et.* I. 31, 75. *Transpositio* vocabulorum in codd. III. 1, 1. in V. Scr.
Tribuere, distribuere. II. 21, 47.
Tristis. II. 8, 20.
Tropaeum, victoria. I. 46, 110.
Tu et *tune* in enuntiati initio cum magna vi ponuntur. II. 20, 46.
Tum et *tunc* quid differant. I. 47, 113.
Tum — tum. V. 25, 72. *Tum — alias* pro *tum — tum.* IV. 16, 36. *Tum* sine antecedenti *quum.* V. 3, 7.
Tum denique. I. 13, 29.
Tumor animi. III. 12, 26.
Turbatur libido bonorum opinione pro nascitur et turbide movetur. III. 11, 25.
Tute tibi. II. 20, 47.

U.

U terminatio pro *us* in versibus, ut *dignu', omnibu'.* I. 9, 18.
Ubi = in qua re. V. 35, 102.
Ubique. I. 15, 35. omnesque qui ubique sunt. V. Addenda.
Ubiubi non est Ciceronianum. I. 29, 70.
Ulixes, genitiv. *Ulixi.* III. 10, 21.
Ullus et *quisquam* quomodo se suppleant. IV. 25, 55.
Ultra quam id, quod verisimile est, progredi. II. 2, 5.
Umbrae, vita umbratilis. V. 27, 78.
Umbratilis vita. II. 11, 27.
Ungulis omnibus aliquid facere. II. 24, 56.
Universus pro *in universum*, v. c. de universa philosophia. III. 3, 6.
Unus et *omnes* opponuntur. I. 22, 52.
Unus pro: unus idemque. I. 22, 50.
Unus iunctum cum *qui* (honestas, quam *unam* v. *una* natura inquirit). III. 2, 3.
Unus. Nullus unus, nemo unus, quivis unus etc. IV. 4, 7.
Unus nunquam significat *aliquis.* I. 12, 27.
Unus saepe ponitur, ut alicuius rei summum gradum significet, ut: qui *unus* excellit. I. 12, 27. II. 18, 43.
Unus, superlativo iunctum. II. 26, 64.
Unus e (*de*) *multis.* I. 9, 17.
Uri de frigore dictum. II. 17, 40.
Us syllaba in terminatione vocabulorum in versibus saepe *u* pronuntianda. I. 9, 18.
Usitatus et *visitatus* confusa. I. 27, 66.
Usu venire et *usu evenire.* I. 30, 73. *Ex usu esse*, expedire. IV. 7, 14. *Si usus ferat, sit.* II. 16, 37.
Usura. I. 31, 77.
Ut et *aut* in codd. confusa. I. 22, 50.
Ut (ὡς) comparat. ut: Epicharmus, *ut* Siculus, acutus erat. I. 8, 15.
Ut = exempli gratia. V. 24, 69. cum nomine elliptice. V. 17, 49.
Ut — simillime vel *item* pro *ut — ita.* II. 23, 54.
Ut participio adiunctum. IV. 6, 12.
Ut est captus hominum pro: pro captus hominum ratione. II. 27, 65.
Ut Epicurus, elliptice, sc. dicit. V. 17, 49.
Ut in comparatione, sequente *sic*, saepe omittitur. IV. 13, 30.
Ut habet se res. V. 26, 73.
Ut coniunctio iterata. I. 49, 118. Cf. IV. 20, 46. V. Scr.
Ut coniunctio c. coni. nonnunquam pro *quasi* dicta videtur. V. 28, 81.
Ut ei vocabulo postpositum, quod maiore vi efferendum. I. 8, 16.
Ut et *ita, ut* quomodo differant. I. 33, 80.
Ut omissum, post *potius quam.* II. 22, 53.
Ut cum *impf. coniunctivi* iunctum post *perfectum* in iis enuntiatis, quorum sententia vel ad tempus praesens pertinet vel omni tempore vim suam habet. I. 4, 7. V. 9, 27.
Ut (*ut non*) cum coniunctivo iunctum vi concessiva (*gesetzt*). II. 5, 14.
Ut cum coniunctivo post verbum *cogitandi.* I. 15, 32. post verbum *probandi, tenendi*, post *additur.* III. 3, 5. post *haec definitio.* IV. 6, 11. post *ea sententia.* V. 41, 119. *Demus hoc, ut, ut ne.* I. 32, 78. *haec oratio usurpata est, ut.* V. 11, 34. *Non est integrum, ut —* V. 21, 62.
Ut c. coniunctivo in exclamationibus vel interrogationibus cum admiratione prolatis. II. 18, 42.
Ut. Post *ut* sequitur, mutata repente structura, interrogatio. V. 27, 76.
Ut post *ita* pro acc. c. inf. aut pro *ut dicam* (*censeam*) rem sic sese habere, uti: perturbationem ita definit, ut commotio animi sit. IV. 21, 47.
Ut ne c. coni. post *ita.* V. 13, 39.
Utinam c. coni. imprf. V. 22, 63.
Utrum, sequente *ne —, an.* IV. 27, 59.
Utrum, quod —, an, quod. III. 1, 1.
Utut non Ciceronianum. IV. 37, 81.

V.

Vacare populo. II. 26, 64.
Vadit in carcerem atque in eundem scyphum. I. 40, 97.
Valere et *posse* iuncta. II. 4, 11. *Valeo* ap. Cicer. nunquam c. inf. construitur. Ibid.
Valetudines. V. 39, 113.
Variatio structurae. III. 31, 76. IV. 7, 16.
Varices. II. 15, 35.

Ve et *ne* in interrogatione quid differant. I. 25, 60.
Vecors. I. 9, 18. II. 8, 20.
Vel. Facie *vel* patris sc. simillimus. I. 33, 81. *Vel — vel* de variis eiusdem rei appellationibus, quarum libera optio datur, disiungendis. IV, 19, 44.
Vel in primis. III. 6, 12.
Vela facere. IV. 4, 9.
Velim et *vellem* quid differant. I. 27, 67.
Velle cum simplici accusativo iunctum pro accus. c. inf. V. 23, 66.
Velis remisque. III. 11, 25.
Venditatio. II. 26, 64.
Venerius, non *Venereus*. IV. 32, 68.
Verba composita nunquam pro simplicibus ponuntur. I. 16, 36.
Verba secundae coniugationis saepe tertia coniug. in *ĕre* flectuntur. I. 28, 69. in V. Scr.
Verba simplicia interdum pro compositis posita. I. 16, 36.
Verba transitiva intransitiva vi posita. I. 44, 107.
Verbalia in *ndus* quid significent. II. 27, 67. V. Scr.
Verbo monitus. II. 12, 28.
Verbum e verbo, wörtlich. III. 4, 7.
Verbum dicendi ex alio huius notionis verbo, ut *praedicandi*, eliciendum. III. 31, 76.
Veritas, ἀλήθεια, res ipsa. V. 20, 57. Res et veritas. V. 5, 14.
Vero affirmativum. I. 11, 24. *Vero* (μήν, γὲ μήν) non solum confirmativa, sed etiam *aucliva* vi positum. I. 41, 98. *Vero* ac libenter quidem. II. 11, 26.
Versura, sine versura solvere. I. 42, 100.
Versus apud Ciceronem ex *oratione obliqua* non constituendi sunt. I. 39, 93.
Verum, *veruntamen*, καίτοι, *jedoch*, ponuntur, quum antecedentia corriguntur. I. 46, 110. *Verum haec hactenus* et *sed haec hactenus* quid differant. III. 34, 84. *Verum quidem*, ἀλλά γε. III. 34, 84.
Verus, aequus, iustus. III. 29, 73.
Vexari, vehementer carpi, notari. V. 9, 24.
Via et *ratio*. II. 2, 6.
Vide, *ne*. I. 34, 83.
Videlicet, particula ironica. I. 21, 48. II. 11, 27.
Videre de mentis actione positum. V. 33, 93. pro iudicare. V. 41, 119. de rebus, quae ex historia cognitae sunt. IV. 22, 50. *Videre naturam*. III. 2, 3. *Videre* aliquid pro: providere, parare. III. 19, 46. *Videre in litteris*. V. 38, 112. *Videre* et *cernere* quid differant. I. 20, 46. *Videro* pro *videbo*. II. 11, 26. *Videsne?* II. 11, 26.
Videri. *Ut mihi videtur* et *ut mihi videbatur* quid differant. V. 40, 116. *Ut videtur* pro *ut videbitur*. I. 43, 103.
Videtur impersonaliter cum accusativo et infinitivo iunctum. V. 5, 12.
Vigere. I. 27, 66. *Vigere* = celebrari. I. 49, 116.
Vim habere pro *significare*. V. 17, 51.
Vincere, *quo esset beatior* pro vincere vitā beatā. V. 37, 109.
Vinclum. I. 14, 31. *Vincla carceris* pro vincla corporis tanquam carceris. I. 30, 74.
Vir, ἀνήρ, per excellentiam dictum. IV. 19, 43. *Vir* bonus, optimus, ironice. III. 21, 50.
Viscera. II. 14, 34.
Visere et *videre* quid differant. I. 19, 44.
Vita hominum pro hominibus. III. 28, 69.
Vitium: *in vitio esse*. III. 9, 19.
Vivere de rebus inanimatis. I. 24, 56.
Vivi pro: nos, qui vivi sumus. I. 45, 108.
Vocativus cum et sine *o*. V. 21, 61.
Vocativi: Damocle, Sophocle, Ulixe, Chreme, etc. V. 21, 61.
Voluptarius Epicurus. V. 31, 88.
Voluptatium. V. 26, 74.
Vulgo, ex omni parte. I. 35, 86. *Vulgo* oppon. *singuli*. I. 10, 19.

Z.

Zeugma. II. 24, 57. V. 23, 66. 31, 87.
Zonarum descriptio. I. 28, 68.

ADDENDA.

Pag. 45. I. 1, 3. in Var. Scr. post verba: „neque aliter R. ap. Wes.“ adde: in Em. II. p. 1. Idem l. d. verba: „*qui fuit m. n., q. P. e. Naevius*“ ad illud, in quo tota argumentatio consistat, significandum, *primum* omnium Livium fabulam docuisse, plane necessaria censet.

- 46. I. 2, 3. in Adn. a. *nec tamen, si qui.* De hac scriptura *Wes.* l. d. idem statuit, quod ego.
- 55. I. 5, 10. *Mento — Tantalus*] Hunc versum *Ritschelius* in Rhein. Mus. N. F. VIII. 851. p. 154. sic legendum coniicit: *Ménto summam aquám* [*nitenti*] *attíngens enectús siti.* Voc. *Tantalus* trahit ad Ciceronis verba.
- 55. I. 5, 10. in Adn. b. v. 4. *Sisyphus — hilum*] Sunt versus ex *Lucilio* petiti. V. *Becker.* in: Gymnasialblätt. von Baur u. Kehrein, Mainz. 845. I. p. 339. et in Philologo II. p. 37.
- 55. I. 5, 10. in V. Scr. adde: Pro *Demosthenem* R. ex Bergeri de eo testimonio et Krarupii silentio habet *Demosthenen.* V. *Wes.* l. d. p. 2. et nos ad I. 25, 65.
- 57. I. 6, 12. in Adn. a. *Quid tandem? Wes.* l. d. sic: *Qui*[*d*] *tandem?* Aptius enim putat *Qui fit, ut haec inconsiderate dicam?* quam aut *Cur ita te malle dicis?* aut *Quid inc. dico?* comp. §. 15: *Quonam modo* (multum mali de h. c. deieci)? §. 16. III. §. 8. V. §. 15. §. 32. Partt. Oratt. §. 12. Legg. I. §. 1. all. Cf. nos ad V. 31, 89. in V. Scr. Ego *quid* retinendum censeo.
- 59. I. 7, 14. in V. Scr. 7. *Wes.* l. d. p. 3.: „Legendum est ex R. (de quo cd. Gudiani collatoris et Krarupii silentio maior, quam Bergeri, fuit fides habenda), omnibus Moseri (exceptis R. 2. 4.) i. e. ex Arch.: *Quum igitur d.*“
- 60. I. 8, 15. in Adn. a. *Ecqui. Wes.* l. d. p. 3. restituendum censet *ecquid,* quia *ecqui* non modo nullam nisi unius Plautini loci incertam habeat auctoritatem, sed etiam falsam sententiam (*Ecquo modo —? = Nullo modo —.*), praetereaque *qui* et *quid* frequenter in codd. confundantur (v. nos ad V. 31, 89. in V. Scr.). De *ecquid* comp. Catil. I. §. 20.
- 61. I. 8, 15. „*Me esse mortuum nihil aestumo.* „Ut Madvig. ad Fin. II. §. 88. spreta codicum utriusque familiae, ELMR. (i. e. sine dubio Arch.) lectione *nihil* vulgatam lectionem retinuit, sic ego non dubito, quin C. h. l. scripserit, ut est in ed. Ald., aliis: *nihili.* Neque enim *aestimare* pro sua significatione, ut *existimare, putare,* cett., duplicem accusativum admittit, neque videntur Latini *nihil* unquam posuisse, ut plane idem esset quod *nihili* (i. e. nullius pretii, nichtswürdig). *Nihil* (*aliquid*) quum *quis* (*quid*) *esse* dicebatur, *nihil* (*aliquid*) *posse* (*valere, Nichts, nichtig sein*) significabatur, ut ad Fam. VII. 27, 2. isto ipso in genere, in quo *aliquid* posse vis, te *nihil* esse. Divin. in Caecil. §. 47. et 49. ad Att. IV. 2, 2. Fam. III. 8, 2. Orat. §. 218.: *nihil* ad rem est (= Ter. Phorm. V. 5, 21.). Tibull. I. 5, 27—28. Nec mirum, si indocti negligentesve librarii aliquando rarioribus formis (*nihili, nihilo*) tritius illud *nihil* substituerunt, ut Legg. I. §. 34. Off. I. §. 72. III. §. 38. II. §. 76. Tusc. III. 8, 18. IV. 35, 74.“ *Wesenberg.* Em. II. p. 3 sq. Cf. Adnotata nostra in III. 8, 18.
- 62. I. 8, 16. *sed etiam maiora molior.* Haec verba *Wesenb.* l. d. p. 5 sq.,

quoniam in R. aliisque multis codd. desint, sic scribit: *est;* [*sed maiora molior*], abiecta (ut est in Vind. 1.) particula *etiam* „quae," inquit, „sive augendo comparativo inservit (*noch*), parum recte ita posita est, quasi *magnum* (difficile) aliquid praecederet, sive prioribus sequentia simpliciter adiungit (*auch*), non modo necessaria, sed vix commoda est. Ceterum supplementum illud necessarium librarius aliquis recentior ex iis, quae sequuntur: *quae sunt ea, quae dicis te maiora moliri?* recte effinxit."

Pag. 62. Ibid. *post mortem nihil est mali.* Dav. et codd. Bern. Reg. 2. et 4. Mon. 2. habent *p. m. mali nihil est:* quod etiam *Wes.* l. d. p. 6. probat. R. Gud. 1. om. *nihil est.*

- 65. I. 9, 18. De v. *cordatus* cf. *O. Iahn.* ad Persium 6, 10.
- 68. I. 10, 20. in V. Scr. 3. Etiam *Wes.* l. d. p. 6. *verum* corruptum putat. „Potest enim," inquit, „dici: *X. animi — negavit esse, verum* (*sed*) *numerum* (vel *numerumque*) *esse; negavit —, verum* (*sed*) *dixit* non item; requiritur asyndeton, ut §. 77: diu mansuros *aiunt* animos, semper negant." Manutii coniectura ei magis probatur, cui veri similius videatur VLLVM in VERVM esse depravatum, quam ab ullo librario *verum* ac non *sed* additum, comp. Acad. II. §. 124: an (animus est), ut Xenocrates, numerus *nullo corpore.* Itaque sic scribit: *esse † verum n.*
- 69. I. 10, 22. Etiam R. habere videtur *orerentur,* uti ex Krarupii de R. silentio coniicere licet. Cf. *Wes.* l. d. p. 7.
- 72. I. 11, 24. extr. *assensio omnis illa elab.* Mos. c. edd. Vict. Rob. Steph. Dav. *ass. illa omnis el.:* quod etiam *Wes.* l. d. p. 7. probat, qui e Krarupii de R. silentio coniicit, in eo esse eandem verborum collocationem, comparatque §. 22. *nullo.* p. leg. Man. §. 22: siç M. — vim — *omnem* reliquit. Caes. G. 5, 7: Aedui — *omnes* revertuntur. Cf. nos in Gr. L. §. 167, 6. *Moser omnis* interpretatur *omnino, plane,* comp. *Goerenz.* ad Finn. III. 10, 35.
- 80. I 14, 31. *ut ait in Synephebis.* „Ego sic: *ut ait* [*ille*] *in S.;* cf. Fam. IX. 20, 1. in Pison. §. 43. N. D. III. §§. 68. 72. 75. Cat. M. §. 24. Divin. I. §. 24. Off. I. §. 150. al. — N. D. I. 6, 13., ubi Arch.: *Itaque mihi libet exclamare, ut in Synephebis,* aut *ille* ante *in* aut *est* excidisse videtur: nisi forte Cicero ex *exclamare* durius intelligi voluit *exclamatur.* Latine dici *inquit* pro *i. aliquis, i. adversarius* (ut §. 93.) aliud est. Lael. §. 98. subiectum verbi *inquit* ex *milites gloriosi* facile intelligitur; p. Sest. §. 102. *inquit* sine subiecto positum est, quasi praecederet: *a poëta verissime dictum est.*" *Wesenb.* l. d. p. 7.
- 82. I. 15, 34. in V. Scr. post: Tr. — *Faxit.* adde: quod iure improbavit *Wes.* l. d. p. 8.
- 82. Ibid. *quum inscribere non liceret. Wes.* l. d. excidisse putat in arch., ut alia multa (v. eius Em. I. p. 15 — 17, 28.) sic h. l. ante *non* sive, ut Ernestio visum est, *nomen* sive *nomen suum:* „Ut enim," inquit, „*inscribere* absolute (*eine Aufschrift anbringen*) ponere licuerit, quod mihi quidem dubium est, tamen h. l., quid inscribere non licuisset, dici necesse fuit (num praeter *nomen* artificis alia quoque inscribi potuerunt), quum praesertim *sui similem speciem* requireret, quod (per chiasmum) ex contrario poneretur."
- 83. I. 15, 35. *qui ubique sunt.* Observandum est, vocabulum *ubique* apud Ciceronem ceterosque antiquos scriptores ante Virgilium et Livium nusquam per se significare *omnibus locis, usquequaque* (*überall*), sed semper per breviloquentiam quandam dici pro *ubicunque est* (*sunt* cett.), semper post relativa (*qui, quotquot, quicquid, ut*) aut interrogativum *quid* sequi, uti h. l. omnes, *qui ubique* sunt, h. l. omnes, qui sunt, ubicunque sunt. Fin. IV. 27, 74: omnes, *qui ubique* sunt nati, h. e. qui nati sunt, ubicunque nati sunt. Sall. Cat. 37, 5: omnium, *qui ubique* probro — maxume praestabant, h. e. qui, ubicunque erat, praestabant. Ibid. 31, 21: *quid ubique* opis aut spei haberent, h. e. quid, ubicunque esset, opis haberent. Cic. Divin. II. 45, 94: *qui* ventus, *qui* imber, *quae* tempestas *ubique* sit. Ergo perperam a nostratibus dicitur: de hac re omnes *ubique* consentiunt. Cf. *Lachmannum* ad Lucret. IV, 635. p. 250 sq. *Krebs* Antibarb. v. *ubique.*
- 83. I. 15, 35. *arbitrabimur. Wes.* l. d. p. 8 sq. vulgatam scripturam *arbitra-*

mur praeferendam censet. Ut illud omittam, inquit, sic certe *excellet* scribendum fuisse, quaero, cur Cicero id iudicium generale in futurum distulerit, quod tum fieri non modo posset, sed iam dictum esset; cf. §. 32: Num *dubitas*, quin specimen naturae capi deceat ex optima quaque natura? §. 33: idque — *apparet* facillime. Ne quis autem miretur a librario aliquo illatam syllabam *bi* (notamve eius), similes errores non modo in R, sed in Arch. non pauci sunt, ut I. §. 40. (R. al. *spiritabiles*), 59. (Arch. *naturam*), 62. (Arch. *institutiones*), 78. (R. G. 1. al. *siminus* pro *simus*), 95. (R. Gr. b. al. *molestissimis*), II. §. 19. (Arch. *consolabantur*, sicut III, 46. *existimabas*), 75. *appellabatur*, 49. (Arch. *dubitarunt*), 52. (Arch. *fac totum* p. *tactum*), 61. (R. *philosophorum*, sicut V, 113.), III, 34. (Arch. *cogitaverit*), 57. (RP. al. *ingloriosus*), IV, 59. (A. *toleranda*), 63. (R.P. G 1. alii *evidens* p. *edens*), V, 16. (R.P. *elevatus* p. *elatus*), 87. (R. alii *honorum*, P. alii *bonorum* p. *horum*), 120. (Arch. *desiderandi* p. *dissidendi*). Cf. Emendatt. Epp. p. 63.

Pag. 86. I. 16, 38. *sevocare.* Hanc scripturam etiam *Wes.* l. d. p. 12. probat vereque docet, ut *sevocare* a Cicerone dicatur de mente ab iis, quae sensibus percipiuntur, abstrahenda, sic *revocare*, i. e. ab incepto aliquo statu (actioneve) ad pristinum (iustum legitimumque) reducere, in tales locos cadere, quales sunt hi: III. §. 46. (a maerore ad cogitationem b.), §. 33. R. P. II. §. 25. (cf. §. 27. p. Sulla §. 46. Attic. XIII. 1, 2.). Caes. G. III, 17. Quinctil. II. 6, 2. Post verbum proxime antecedens *referebant* facile errore rarius vocabulum depravari potuisse, idem recte docet. — *honore et disciplina. Wes.* l. d. p. 9. sic scribit: † *honore disciplina*, Lamb. coniecturam *honore disciplinae* Tregderianae anteponens et in Wolfii et Klotzii interpretatione (durch d. Ansehen seiner Lehre — durch seinen [politischen] Einfluss) acquiescens, comp. IV. §. 2. (praestanti — *nobilitate*), V. §. 10.

- 160. I. 42, 104. *mortem — occumbere.* Auctore *Wesenbergio* II. p. 26. hanc scripturam alteri *morte*, quae optimorum codd. auctoritate nititur, duabus de caussis praetuli. Primum enim in praestantissimis codd., R. Gud. 1. aliisque nota litterae *m* saepius omissa est, ut I. §§. 68, 71, 88. (*arguendum* pro *argum.*), II. 49, 60. (*tanto* pro *tantum*), III. 11, 20. IV. 32, 45, 50, 51, 60 (quinquies), 64, 68, 69. V. 4, 9. Deinde locutio *morte occumbere* admodum dubia est. Legitur semel tantum ap. Liv. I, 7: *morte occubuit*, ubi pari modo atque h. l. *m* finale excidisse coniicit *Wes.*; ceteris enim locis omnibus Livius dixit *mortem occ.* (ut II, 7. III, 50. XXVI, 25. XXXI, 18.;), neque aliter Curtius VIII. 2, 8. Sueton. Aug. 13. Sil. It. XIII, 380. Nam diversos esse locos, qualis est XXIX, 18: *ignobili* atque *inhonesta morte — occubuit* (= inhoneste periit), idem *Wes.* recte observat, quanquam etiam *ignobilem* atque *inhonestam mortem* dici potuit.

- 171. I. 46, 111. *inutile*, i. e. perniciosum. Adde Cic. Off. I. 10, 32: nec promissa igitur servanda sunt ea, quae sunt iis, quibus promiseris, *inutilia.* Ibid. III. 13, 57. extr. Sic Graece ἀχρεῖος Iliad. II, 269., ἀξύμφορον Thuc. II, 91: ubi v. *Popponem* in ed. maiore et minore, ἀνωφελεῖς Thuc. VI. 33, 4: ubi v. eundem *Popponem* in utraque edit.

Aus dem Verlage

von

Friedrich Frommann

in Jena.

Aeliani de natura animalium libri XVII. Graecum contextum ad optimorum librorum fidem constituit, interpretationem latinam, curas J. G. Schneideri secundas, Conr. Gesneri, Abr. Gronovii, suasque annotationes adjecit *Fridericus Jacobs*. 2 Voll. gr. 8. 1831.

Royal-Velinppr cart. 7 thlr. Maschinen-Velinppr 6 thlr.
Schrppr . . . 5 thlr. Druckppr . . 4 thlr.

Elementarbuch, lateinisches, zum öffentlichen und Privat-Gebrauch von *F. Jacobs* und *F. W. Döring*. 1s Bdch. Vorbereitender Cursus. Lateinisches Lesebuch für die ersten Anfänger von *F. Jacobs*. Neu bearb. von Dr. *J. Classen*. 13te Aufl. 8. 1851. 5 sgr.

— — — 2s Bdch. Neu bearb. von Dr. *J. Classen*. (1r Cursus). 9te Aufl. 8. 1851. . . . . 10 sgr.

— — — Wortregister zum 1. u. 2. Bändchen. 1851. . $2\frac{1}{2}$ sgr.

— — — 3s Bdch. Klio der Römer oder Auswahl aus den vorzüglichsten Geschichtschreibern Roms von *F. Jacobs*. 3te Aufl. 8. 1837. . . . . $18\frac{3}{4}$ sgr.

— — — 4s Bdch. Chrestomathia Ciceroniana sive loca ex Ciceronis epistolis et orationibus excerpta et comment. in us. tironum instructa a *F. W. Döring*. 8. 1827. . . . . $12\frac{1}{2}$ sgr.

— — — 5s Bdch. Blumenlese der römischen Dichter. 1s Bdch. Erste Anleitung zum Lesen der lateinischen Dichter von *F. Jacobs*. 2te Aufl. 8. 1839. . . . . 10 sgr.

— — — 6s Bdch. Blumenlese der römischen Dichter. 2s Bdch. Auswahl aus den lateinischen Dichtern mit Anmerkungen für die mittlern Classen der gelehrten Schulen von *F. Jacobs*. 8. 1826. $27\frac{1}{2}$ sgr.

— — — Alle 6 Theile zusammen . . . 2 thlr. $26\frac{1}{4}$ sgr.

Jacobs, F., Elementarbuch der griech. Sprache für Anfänger und Geübtere. I. Theil. (1. 2. Curs.) Neu bearb. von Dr. *J. Classen.* 15te Aufl. 8. 1851. . . . . 20 sgr.

— — desselben Buches II. Theil oder 3r Cursus. *Attika,* oder Auszüge aus griechischen Geschichtschreibern und Rednern, in Beziehung auf Geschichte und Verfassung Athens. Neu bearb. von Dr. *J. Classen.* 7te Aufl. 8. 1847. . . . . 1 thlr.

— — — — III. Theil oder 4r Cursus. *Sokrates,* oder Auszüge aus den philosophischen Schriftstellern der Griechen. 4te wohlf. Aufl. 8. 1828. . . . . 25 sgr.

— — — — IV. Theil. *Poetische Blumenlese* aus griechischen Dichtern verschiedener Gattungen. 4te Aufl. 8. 1833. . 1 thlr.

Matthiae, Aug., Grundriss der Geschichte der griechischen und römischen Literatur zum Gebr. in den obern Classen gel. Schulen. 3te Aufl. 8. 1833. . . . . 20 sgr.

Passow, D. Carl, Eclogae sive excerpta e variis scriptoribus Graecis. In usum juventutis antiquarum litterarum studiosae disposuit et notis instruxit. Pars I, quae continet scriptores orationis pedestris. 8 maj. 1837. . . . . 1 thlr.

Weidemann, D. C. A., lateinisches Lesebuch für die obern Classen der Realschulen, enthalt. eine Auswahl von Lesestücken aus röm. Classikern nebst Einleitungen und erläut. Anmerkungen. gr. 8. 1852. 1 thlr. 10 sgr.

provided
important
student
Gregory
[illegible]
Vincent
vol vol

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

PA
6304
T6
1853

Cicero, Marcus Tullius
[Tusculanae disputationes.
Latin. 1853]
Tusculanarum disputationum
libri quinque